PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (ANNO 1216) PRO LATINIS ET AD CONCILII FLORENTINI TEMPORA (ANN. 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT.

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS COADUNATORUM.

SERIES LATINA

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ LATINÆ TOMUS LXXXVI

LITURGICA MOZARABICA.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 208

1891

SÆCULUM VII.

LITURGIA MOZARABICA

SECUNDUM REGULAM BEATI ISIDORI,

IN DUOS TOMOS DIVISA,

QUORUM PRIOR CONTINET

MISSALE MIXTUM

PRÆFATIONE, NOTIS ET APPENDICIBUS

AB ALEXANDRO LESLEO, S. J. SACERDOTE, ORNATUM;

POSTERIOR :

BREVIARIUM GOTHICUM

OPERA :

FR. ANT. LORENZANA,

TOLETANÆ ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPI,

RECOGNITUM.

NOVA NUNC ET ACCURATIORI EDITIONE UTRUMQUE MONUMENTUM REVIVISCIT

ACCURANTE J.-P. MIGNE

Bibliothecæ Cleri universæ

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS POSTERIOR

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 208

1891

ELENCHUS

RERUM QUÆ IN HOC TOMO LXXXVI CONTINENTUR

FRANCISCUS ANTONIUS LORENZANA,

ARCHIEPISCOPUS TOLETANUS, HISPANIARUM PRIMAS,

LECTORI SALUTEM

Ab hujus nostri pastoralis muneris exordio nihil altius fuit animo insitum, quam majorum sequi vestigia, præcipue clarissimi cardinalis Francisci Ximenii de Cisneros, qui pene oblitteratum Gothicum, seu Mozarabicum ritum typis mandavit, ut posteris Gothorum Patrum memoria rediret, et quasi revisvisceret honos debitus Osio, Leandro, Fulgentio, Isidoro, Braulioni, Eugenio, Helladio, Juliano, Ildephonso, et aliis Patribus de nostra Hesperia optime meritis, strenuis fidei athletis, Ecclesiarum Hispaniæ columnis, Gothicæ gentis decori, et præsidibus conciliorum.

Huic operi obnixe incumbentes, præ oculis habuimus propriisque manibus pervolvimus pervetustos Gothicos Codices veterem liturgiam redolentes, octingentis abhinc ferme annis manu exaratos, quingentis ad minus ante tristenatale Lutheri, Calvini, sectariorum, et novatorum adversus sacramenta, queis sancta Mater Ecclesia mirabiliter fovetur, et nutritur, ut fidei hostes ad meliorem frugem convertantur, vel saltem sacra mysteria in tam perantiquis autographis perlegentes, obmutescant.

Ecclesia Romana, omnium mater et magistra, summopere insudavit ut sacra liturgia per universum orbem eodem ritu celebraretur, et sic una esset omnium fidelium oratio ; verumtamen Missalia et Breviaria antiqua non abolevit ; imo tanquam in Sacrario Psalterium secundum veterem versionem Italam ab Augustino et aliis Patribus prælaudatam retinet; in Vaticana capella præcinit, ejusque Codices in bibliotheca tanquam in scrinio pectoris recondit.

Ipsummet sacrum concil. Trid., maximam inde utilitatem provenire agnoscens, statuit : religiosos ordines ducentis ante ipsum annis peculiari Ritu utentes, eum retinere posse tam in sacrificio missæ quam in divino officio persolvendo. Ob id longissima temporis præscriptione, ut immemorabili consuetudine suffulti Cistercienses, Carthusiani, eremitæ Calceati montis Carmeli, et prædicatores ordinis sancti Dominici, proprios ritus et cæremonias observant, ut insimul hoc modo in Ecclesia Dei unitas sacrificii resplendeat ; et veteri ritu Romano cum politiori collato, Sponsa Christi mirabili circumdetur varietate.

Zelo fidei accensus eximius ille cardinalis Ximenius, Christianus et politicus heros, sparsos undique Gothicos, Isidorianos, seu Mozarabicos Codices in unum collegit ; viros doctissimos undequaque accivit; peritiores in Mozarabico ritu sacerdotes selegit ; iisque divitiis onustus, Breviarium secundum regulam sancti Isidori tandem anno 1502 prelo commisit.

Verum ne metas recti ordinis transgrediamur, pri- A mo de Etymologia hujus sancti officii, postea de rebus ad ejus antiquitatem spectantibus agemus.

Etymon igitur Mozarabici officii ursupatur secundum denominationes nationum inter quas Hispani victitabant. Revera namque ordine chronologico ritus, licet sit secundum temporum vicissitudines et prælatorum ordinationes variatus, primo denominari debet *Romanus* et *Hispanicus*, traditione descendens a sanctorum Petri et Pauli discipulis primi Ecclesiæ Hispaniæ fundatoribus et præsulibus, scilicet Torquato, Ctesiphonte, Indaletio, Hesychio, Euphrasio, Secundo, et Cæcilio, qui ad Hesperiæ nostræ oras pervenientes, eam fidei lumine illustrarunt ; deinde *Gothicus*, post Reccaredi Gothorum regis ad catholicam fidem conversionem, publicamque in concil. II Tolet. Arianæ hæreseos, abjurationem

B Cum Leander et ejus frater Isidorus multa in sacra liturgia et officio depravata, corrupta, et Arianorum perfidia inversa, comperissent (incredibile namque est, a tempore Athaulfi usque ad Reccaredum, vigentibus Arianis erroribus, exsulibus episcopis catholicis, plurima in sacra autographa non irrepsisse vitia), ea a mendis expurgare, puriora reddere, et in meliorem ordinem redigere cogitarunt; cujus causa Leander et Isidorus de divinis officiis scripserunt, te totus fere scopus concil, IV Tolet., præside sancto Isidore, fuit ordinem in sacrificio missæ et in divinis officiis stabilire, per universam Hispaniam et Galliam extendere, deturbatamque faciem ad pristinum statum restituere.

C Ob tantos exantlatos labores et diuturnas elucubrationes sancti Isidori cœpit merito ritus nuncupari *Isidorianus, Breviarium et officium secundum regulam beatissimi Isidori,* hoc est, secundum canones concil. IV Tolet. ab ipso præcipue elaboratos, ut pote præside concilii, et sedis apostolicæ vicario, ritus et disciplinæ ecclesiasticæ moderatione, et totius orbis fulgentissimo sidere.

Postquam misere a Mauris Hispania nostra fuit occupata, Christianique Arabibus victu, vestitu, et pluries connubio misti, initio pacis fœdere, a Maurorum regibus quasdam obtinuerunt ecclesias, suis catholicis ritibus retentis, Missale et officium *Mozarabica* fuere appellata

Quis vel lippis oculis non videt per quadringentos ferme annos Arabici dominii in Toletana civitate D occulte sacra a Christianis multoties sine præsule et sine episcopo fieri ? Quis non miratur hunc ritum hac tempestate penitus non deperiisse, regii sacerdotii deficiente virtute? et si aliquoties furtim, secreto,

aut magno pretio Saracenis a Christicolis persoluto, episcopus hujus sedis Toletanæ eligebatur; nec scholis clausis; peritiorem, nec sanctiorem, amissa libertate invenire licebat, interdicto prædicandi et docendi munere, et barbarie cunctos obnubilante.

Affulsit tandem obtata dies qua inclytus Alphonsus sextus Toletum expugnavit, suamque in potestatem redegit, a sacris exsorsus: Mezquita olim, sacra basilica effecta est; e Gallia doctissimos et religiosissimos viros evocavit, ut ad episcopales cathedras eveheret; Cluniacenses monachos, tum maxime florentes, ad canonicatus et dignitates Ecclesiæ Toletanæ adduxit; Bernardum Toleti præsulem constituit; sanctum Petrum Oxomæ; alium Bernadum Segontiæ; et sanctum Geraldum Bracaræ. Hoc ex tempore Mozarabicum officium nominatum fuit *Toletanum*, quia Toleti commorari Castellæ et Legionis reges, magnificareque urbem et ecclesiam cœperunt, ob loci securitatem, munitionem et faciliorem accessum et cætera expugnanda oppida a Mauris occcupata; et exinde urbs parva munita loco regia civitas nuncupabatur.

A tempore Alphonsi sexti usque ad catholicos reges Ferdinandum et Elisabetham, cum frui quiete ac pace Castellæ reges non potuerint hinc inde discurrebant; bello assueti, de expellendis Mauris ab universa Hispania sedulo cogitabant. Tenebras ignorantiæ fas non erat penitus discutere, quousque Granatensi civitate expugnata, catholici reges in melius res ordinare suis egregiis consiliariis magnis cardinalibus Petro Gonzalez de Mendoza (eoque vita functo), Fransisco Ximenio de Cisneros, commendarunt. Ista clarissima Ecclesiæ lumina, universitates, collegia, xenodochia, orphanotrofia, cathedrales, et collegiatas ecclesias erigi in Hispania et in Indiis curarunt, et quædam pia egregia monumenta suis sumptibus posteris imitanda reliquere.

Cardinalis Ximenius, quasi apis argumentosa, cito selegit Biblia sacra, Missale et officium Isidoriana, ut quantocius prelo, nuper in Hispania introducto, committerentur; nihil enim utilius, gratius et religioni commodius judicavit, quam sacros libros vegetiores et puriores omnibus fenerari.

In Editione Missalis et Breviarii Isidoriani nullatenus intendit præclarissimus hic vir aliquid detrahere auctoritati veteris Romani, quin potius extollere. Collata etenim hujus correctione cum antiquo Gothico, evidenter demonstratur Ecclesiam sponsam Christi semper et ubique unam fuisse, eodemque Spiritu coadunatam, inconsutilem, non ab hæreticis dilaceratam, divisam in partes, sortitam, et a summo usque deorsum ab illis scissam. Licet non idem modus, ordo, et Latini sermonis facundia in omnibus precibus appareat, in Gothicis tamen exemplaribus ingenuus sermo resplendet, non arte politus, sed vetustatem redolens, ob idque grammatices regulis non tam arcte astrictus, ut in uno vel altero loco hujus nostræ editionis videre licet; cæterum, propter Cod. venerabilem canitiem ea illæsa reli-

A quimus; et ob levamen legentium, maxime recitantium, unamquamque dictionum suo proprio accentu insignivimus. In Missali autem et Breviaro Romano cuncta recte satis disposita, perpolita, a pluribus mendis purgata, et vigilis clarissimorum cardinalium Baronii, Bellarmini, et aliorum, in melius redacta; hymni etenim sancti Ambrosii, et aliorum Patrum, ad meliorem concentum et mensuram versus fuerunt reducti, suis quique locis aptati; ita ut et sensum retinerent, et ab oratoribus et poetis Latinis non deviarent. Hucusque de nomenclaturis hujus sancti officii.

Inter res ad antiquitatem liturgiæ Gothico-Hispanicæ spectantes, versio primum locum vindicat B sibi. Tanti enim habita fuit apud veteres et neotericos versio vetus Itala, ut de ea sanctus Augustinus asserere non dubitaverit, in inferpretationibus cæteris præferendam, *nam est verbum tenacior cum perspicuitate sententiæ*, hocque præcipue utuntur Mozarabici sacerdotes.

Hic scitu dignum est quod, ne antiqui ritus Gothico-Hispani deperiret memoria Editionem, Breviarii commisit prælaudatus Ximenius doctori Alphonso Ortizio, canonico Toletano, qui in dedicatione operis fatetur: *Officia nocturna pariterque diurna* in lucem edita *dignitate* quidem egregia, *cognitione et castigatione fuisse difficilia, diu multumque operoso studio recognita: antea namque pene omnia in libris veteribus confusa, atque incognita penes eruditos jacuisse*; *impensis vero et cardinalis opera* C *suis locis quæque reposita, characteribus atque periodis distincta, verbis et sententiis dilucidata; ac diu senio periclitata officia Isidoriana, annositate deleta, futuris sæculis sine difficultate jam perlegenda*

Hanc provinciam edendi sacros Codices postea aggressi sunt Flaminius Nobilius, Morinus, Joannes Martianæus, Thomas Hetarneus, Faber Stabulensis, Josephus Maria Caro, cardinalis Thomasius, et Petrus Sabatier alios recensens, et merito Blanchinium extollens: ex his duobus postremis clarissimis auctoribus quidquid reperuimus ad nostram Breviarii Gothici Editionem perutile, delibavimus, non vultu ritus immutato, sed tantum correcto, collatis lectionibus cum Vaticanis Cod. Veronensibus, Cor- D beiensibus, Parisiensibus, sancti Germani, et aliis.

In tantum deserviit Editio versionis veteris Italæ a Petro Sabatier magno labore facta, ut ea duce non cæcutiremus, nec cæspitaremus; nam nec verbum fere in nostro Psalterio invenimus exaratum, quod in alio ex Mss. præcipue in Bibliis Gothicis Toletanis, et in divo Augustino non legatur: hoc modo tuta nobis patuit via ad nostri Breviarii correctionem quando vel mendum typographi apparebat apertum, vel si etiam hæsitare de snnsu alicujus vocis contingebat, aliis veteribus lectionibus concordantibus firmabamur.

Mirabilis multiformis gratia Dei! Mirabilis Spiritus Paracletus septiformis munere, et multiformis dono linguarum, qui dignatus est ex visceribus sacri tex-

tus absque substantiali sententiæ mutatione tot versiones ab Ecclesia non rejectas, totque generibus linguarum depositum fidei in Mss. Gothicis Vaticani, Hispaniæ et Galliarum, nobis in hunc diem sartum tectum servare!

Ne vero vagandi licentia fidelibus indiscriminatim tribueretur, et simul hæreticorum libertas coerceretur, sacrum concilium Tridentinum privatis arbitrium judicii in sacris discernendis ademit; et ex omnibus versionibus et Editionibus sacrorum Bibliorum Vulgatam selegit, cæteris prætulit, et authenticam declaravit; ne in re tam gravi laici et feminæ judices constituerentur. Non vero alias quasdam versiones parvipendit, Italicam præcipue; imo ut hujus innotesceret antiquitas et veritas, in officio Romano ad matutinum psalmus, seu invitatorium, *Venite, exsultemus Domino*, juxta veterem versionem Italam ferme adamussim recitatur, retenta solum in die Epiphaniæ Domini Vulgata; et Gregorius Magnus utraque translatione nunc nova, nunc vetere, utebatur.

In introitu missarum videsis gradualia, et tractus ipsiusmet Missalis Romani. Passim inveniuntur versiculi secundum veterem Italam versionem, qua utitur Psalterium Gothico-Hispanum: exempli causa: in introitu Dominicæ Septuagesimæ recitantur illa verba: *Circumdederunt me gemitus mortis*, et non *doloris*, juxta Vulgatam, in communi martyrum tempore paschali, psalm. CXXXIV: *In servis suis consolabitur*; juxta Vulgatam, *deprecabitur*.

Ne videamur Psalterii Isidoriani versionem nimium extollere, et pro nostro arbitrio asserere veteri Italicæ, quam summopere, ut dictum est, Augustinus commendat, eam esse simillimam, quædam loca proferemus. In psalmo XLVII, legitur in Vulgata *odientes*, et in Psalterio Isidoriano *odio habentes*, eodem modo quo sanctus Augustinus legit. Psalmo XVIII, 3, tam in Vulgata quam aliis versionibus *eructat*, in versione vero veteri Itala legitur *eructuat*, ut etiam in Augustino; insuper, vers. 14 ejusdem psalmi, Vulgata: *Si mei non fuerint dominati;* Psalterium Isidorianum, *dominata*, sicuti Augustinus. Psalmo XX, 3, *desiderium cordis* legitur in Vulgata, et aliis quibusdam versionibus, in Psalterio vero Mozarabico *animæ*, ut in Augustino; et Ecclesia Romana in communi unius martyris pluries repetit *animæ*.

Juxta Vulgatam centum quinquaginta psalmi Davidis, seu ejus discipulorum enumerantur; tamen in nostro Psalterio Isidoriano, et in versione veteri Italica superadditur psalmus CLI, cujus initium: *Pusillus eram inter fratres meos, et adolescentior in domo patris mei*, etc., cum hac epigraphe: *Hic psalmus proprie scriptus in David extra numerum, cum pugnator esset adversus Goliam solus*: et si conferas non Epigraphem, sed psalmi verba, abs dubio in versione veteri Italica (nusquam in Editione Vulgata, et aliis) eadem reperies.

Præterea sedulo scrutare psalmum CXVIII, *Beati im-*
A *maculati in via*, et tot antiquitatis notas, tot annotationis numeros hebraicis, Romanis et antiquis Hispanicis litteris descriptos reperies, ut nulla remaneat dubitatio. Incipit a littera hebraica *Aleph*, sequitur numerus Romanus I, alius Hispanicus adjicitur, omnesque idem significant, scilicet numerum primum; postea indigitatur initium mysticæ significationis, et sic deinceps totus psalmus per octo versiculos successive in capita distribuitur. In versione Vulgata tantum litteræ Hebraicæ apponuntur, et illa alia in nostro Psalterio addita antiquitatem redolent. Psalmo XCV, 8, hæc verba in nostro Codice leguntur: *Dicite in nationibus*: *Dominus regna-*
B *vit a ligno*. a Justino, Tertulliano, atque aliis Patribus tantopere commendata, et a Fortunato, in hymno *Vexilla Regis prodeunt*, hoc modo intexta:

Impleta sunt, quæ concinit
David fideli carmine,
Dicens in nationibus:
Regnavit a ligno Deus:

et tamen in Vulgata non reperientur, ut in veteri Itala et Psalterio nostro.

Scire hic cupiet eruditus lector, a quo et quo sæculo hoc Psalterium ms. sit exaratum; et, ut ob elucidationem rei utriusque fines recti judicii non prætergrediamur, asserimus Codicem tria continere, scilicet Psalterium, cantica, et hymnos; cæterum in prælocutione acrostica hymnorum leguntur
C initio cujusque hexametri litteræ, ex quibus prodeunt hæc verba: *Mauricius obtante Veraniano edidyt;* ex quibus conspicum apparet exscriptorem fuisse quemdam Mauricum, Veraniani votis, aut jussu; tamque jubentis quam exsequentis nos latet notitia; nec conjecturis locus est, cum nulla in conciliis Toletanis episcopi Veraniani mentio fiat; nam licet Mauritius, Oretanus episcopus, et Vera Tarraconensis Toletanis conciliis subscripserint, tamen nullum ex hoc fundamentum elici potest, et tantummodo ad scripturæ signa recurrere licet.

In canticis superscriptio prophetarum inversa tibi videbitur; nam Jeremias pro Nehemia, Zacharia pro Azaria, Jeremias pro Michæa, Isaias pro Jeremia, et Osea: hoc partim exscriptoris culpa, partim aliis
D de causis contingere potuit; et ne supercilium extollas, illico tibi exemplum simile in nostra Vulgata occurrit; nam cap. XXVII Matth., vers. 9, hæc verba: *Acceperunt triginda argenteos pretium appretiati*, etc., relata sunt tanquam dicta a Jeremia propheta, illis verbis: *Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam*; quando certo constat non a Jeremia, sed a Zacharia esse prolata. Ulterius, cap. I Marci, vers. 2, apponuntur illa verba: *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam*; *juxta Isaiam prophetam*, et revera sunt Malachiæ. Ad has et alias difficultates enodandas in varias expositores abeunt sententias; sed ad nostrum institutum magis arridet sanctus Hieronymus, lib. II in Amos cap. V, hisce verbis: *In omnibus Scripturis sanctis observandum est apostolos, et apostolicos viros in ponendis testi-*

moniis de Veteri Testamento non verba considerare, sed sensum.

Ex his colligitur Hispanicam Ecclesiam in sacrorum Bibliorum versione in plurimis adhærere veteri Italicæ, cujus mentionem sanctus Augustinus facit; et in Missali et Breviario Romano juxta eamdem, et non alias tunc temporis vigentes, plures appositos fuisse versiculos Clemens VIII, in bulla Romano Missali præfixa, sequentibus verbis, testatur : *Qui* (Pius V) *etsi multis propositis pœnis severissime caverit, ne illi vel adderetur, vel ulla ratione demeretur, tamen progressu temporis, sive typographorum, sive aliorum, temeritas et audacia effecit ut multi in ea quæ his proximis annis excusa sunt Missalia errores irrepserint, quibus vetustissima illa sacrorum Bibliorum versio, quæ etiam ante sancti Hieronymi tempora celebris habita est in Ecclesia, et ex qua omnes fere missarum introitus, et quæ dicuntur gradualia et offertoria accepta sunt, omnino sublata est..... cujus rei prætextus fuisse videtur ut omnia ad præscriptum sacrorum Bibliorum Vulgatæ Editionis revocarentur.*

Licet enim Hieronymus in sacris Scripturis exponendis doctor maximus censeri debeat, tamen in Ecclesia Latina magni ponderis semper habita est auctoritas Augustini. Nec eruditos latet Hispanicam Ecclesiam ejus opera præ oculis habuisse, cum ob propinquitatem regionum, tum ob epistolarum frequentiam, et episcoporum Africanorum cum Hispanicis communicationem.

Canticum XXIII in nostro Psalterio canticum *Tobi* inscribitur, non *Tobiæ* ; et eodem modo sanctus Augustinus, qui semper seniorem *Tobim*, juniorem *Tobiam* appellat.

Sanctus Leander apprime charus fuit, et amicitia conjunctissimus sancto Gregorio Magno, necnon sanctus Isidorus ; ejus rei evidens argumentum est quod commentaria in Job papa Gregorius Leandro dicavit, eum alloquens verbis amore et reverentia plenis. Quis igitur sanæ mentis hos sanctos doctores ejusdem instituti mutuo inter se non contulisse consilia, versiones sacras, et libros, quibus fides catholica fulciretur, et Gothorum gens nuper ad fidem conversa in ea stabiliretur, opinabitur ? Adducat alius simile dedicationis exemplum summi pontificis, magnique Ecclesiæ doctoris ; in medium afferat alia verba tantæ benevolentiæ plena sicut illa Gregorii ad Leandrum, ex Regist. lib. IV, epist. 46 : *Quanto ardore videre te sitiam, quia valde me diligis, in tui tabulis cordis leges ; sed quia longo terrarum spatio disjunctum te videre nequeo, unum, quod mihi de te dictavit charitas, feci, ut Regulæ pastoralis librum, quem in episcopatus mei exordio scripsi, et libros, quos in expositionem beati Job jam dudum me fecisse cognovisti, sanctitati tuæ, communi filio Probino presbytero veniente, transmitterem.* Et in fine epistolæ, de brevitate sese excusans, hæc verba auro cedroque digna eumdem alloquens subjungit: *Ipsa charitati tuæ epistolæ meæ brevitas innotescit, quando ei parum loquor quem magis omnibus diligo.* Inter quos, quæso, Ecclesiæ Patres strictius amicitiæ vinculum usquam perlectum est?

Isidorus, etsi non discipulus, eidem summo pontifici commendatissimus fuit, qui non solum auctoritate apostolica ejus electionem confirmavit, et electum sacro pallio decoravit, sed etiam ejus in universa Hispania vicarium constituit. Non minorem Leo IV de eo opinionem concepit, qui ad Britanniæ episcopos scribens, asserit : *Isidori dicta sicut Hieronymi et Augustini retinenda esse, ubi inusitatum contigerit negotium, quod per canones minime definiri possit.* Ejus fama eo tandem excrevit, ut vix ab ejus obitu decem et sex annis elapsis, Toletana synodo duorum supra quinquaginta episcoporum plaudente, ipsoque sancto Ildephonso suffragante, *Doctor egregius, catholicæ Ecclesiæ novissimum decus, in sæculorum fine doctissimus, et cum reverentia nominandus*, appellari meruerit.

Perfacili negotio ex hucusque dictis autumare quis poterit quot flores ex Ecclesia Romana, ejusque ritu hi sacri doctores decerpserint, cum vita illis ad procuratores mittendos patebat, et iisdem id prosperis bene agendis summi pontifices maxime favebant.

Jam non demiror Psalterium juxta versionem veterem Italam, qua Hispaniarum Patres utebantur, in summi pontificis sacello, nec non Venetiis in majori ecclesia sancti Marci in hodiernum diem recitari ; eodem enim spiritu Patres Hispanici agebantur, eadem apostolica disciplina dirigebantur, et a sancti Petri sede quod illis deerat mutuabantur ; eademque versio quam sanctus Gregorius veterem Vulgatam, seu translationem, appellat, a sancto Augustino Itala nuncupatur.

Hactenus de versione hujus sancti officii. Nunc vero antiquitatem liturgiæ Gothico-Hispanicæ patefaciam, primo ex vetustate Codicum, secundo ex institutoribus, seu compilatoribus ejus, demumque ex notis cantus appellati Eugeniani textui appositis.

Miseranda deflendaque Hispaniarum vastatio a Saracenis facta, Hispanorum Patrum memoriam non abolevit ; quamvis plurima eorum scripta, partim abrasa, partim mendis et fabulis conferta, partim deperdita, spurcata partim, et denique igni tradita, penitus oblivioni dare intenderent pagani, postliminio tamen, Mauris expulsis, opera et studio cardinalium Ximenii, Loaisæ et Aguirrii in Editione ritus et concil. Toletanorum honos tantis Patribus est restitutus.

Si aliquod in mss. Codices mendum irrepsit, exscriptorum, non auctorum vitio est vertendum ; si enim hodie cum ars typographica viget, passim in libris errores inveniuntur et menda, quid mirum si inventionis initio Missale et Breviarium Isidorianum mendis scateret quam plurimis ? Nec tantum de labore nostro confidimus, ut fatum simile aliqua in parte non nobis contingat ; pag. enim 59 invenitur sancti Thomæ Cantuariensis nomen, prout exstat in

Editione D. Ortizii : appositum illic aut potius elapsum est præter mentem nostram.

Gothici Codices, quos evolvimus, sènio confecti, disrupti, lacerati, characteribus fere oblitteratis et absumptis, blattas non pascunt, sæpe enim præ manibus habentur ; sed tinea et ærugo non solum membranas, papyra, ligna, etiam marmora corrodunt et demoliuntur.

Plures regnicolæ et exteri auctores absque ulla hæsitatione testantur Compluti autographa Gothica manuscripta, quæ ad excudendum Missale et Breviarium Isidorianum deservierunt, asservari. Hæc, dum essemus in præfata civitate, sedulo et avidissime quæsivimus; sed incassum exspectavimus: nec, juxta magistrum Florezium, adesse poterant; nam Toleti excusa fuerunt Missale et Breviarium, inibique propterea autographa asservari oportebat. Mœrentes, utpote tali desiderio fraudati, Bibliothecam nostræ sanctæ Ecclesiæ Toletanæ repetiimus, ubi vota nostra aliquatenus adimplevimus.

In ea octo Codices Gothici mss. reperiuntur, quorum in uno præter septem missas a sancto Ildephonso, ut creditur, cum cantus notis compositas, continentur officia Nativitatis, Circumcisionis et Apparitionis Domini, Assumptionis beatæ Mariæ, et officium Joannis apostoli et evangelistæ; in alio officium integrum Quadragesimæ usque ad Dominicam Palmarum exclusive ; in altero, præter nonnullas missas, officium hebdomadæ majoris usque ad Pascha inclusive, et aliqua sanctorum officia ; in alio officia sanctorum per annum ; in alio Epistolæ et Evangelia per annum; in alio missæ sanctorum per annum; in alio denique integrum Psalterium cum canticis et hymnis. Præter nos Codices asservantur in præfata bibliotheca Gothica Biblia, quæ tempore Mahumeticæ captivitatis fuerunt propria Servandi, episcopi Astigitani ; postea Joannis, episcopi Carthaginensis et Cordubensis, qui ea donavit Ecclesiæ Hispalensi, æra 1026, anno Christi 988.

Tamen non fuco depingere faciem hujus pervetusti Codicis in animo est, nec velare quod perspicacissimis eruditorum oculis patefiet. Aliquod, licet leve, in quorumdam verborum transmutatione discrimen inter Breviarium Isidorianum prelo datum a cardinali Ximenio, et inter memoratos Codices Mss. agnoscimus ; quapropter conjicere licebit, vel Alphonsum Ortizium, canonicum Toletanum, alia præ oculis habuisse autographa, nunc temporis deperdita; vel ipsummet Alphonsum, cardinalis Ximenii auctoritate munitum, in locis obscuris Psalmorum, ubi anxietate premebatur, ad Vulgatam, seu aliam, recurrisse versionem, et juxta eam quædam verba addidisse.

Verum tam in hoc ipso, quam in festivitatibus et sanctis officio Mozarabico adjectis, ansam impugnatoribus præstitit ; quia cum luce meridiana clarius sit festum Corporis Christi post Berengarii errores compositum ; sanctos Thomam Cantuariensem, Franciscum, et alios, quorum in Breviario Mozarabico per annum memoria fit, multis sæculis post sanctum Isidorum Hispalensem floruisse ; inde ad derogandum auctoritati Breviarii occasionem arripiunt; sed injustissime, ut pluribus rationibus comprobat et evincit præfatus R. P. Henricus Florezius.

Missale et Breviarium Romanum a summis pontificibus Pio V, Clemente VIII et Urbano VIII correctum, non desiit esse Romanum, ex vetustissimis exemplaribus deductum, et apostolorum traditione descendens, ex additione quarumdam festivitatum, quæ primis sæculis non celebrabantur, vel sanctorum nostro præsenti sæculo, vel proxime præcedentibus beatorum albo ascriptorum, de quibus missa et officium proprium recitantur. Ne fas cuiquam conjicere antiquitatem minui propter tale incrementum Ecclesiæ et majorem ritus extensionem.

Pari modo Missale et Breviarium Hispanicum talem denominationem non amisit post gentis Gothorum ad nostram catholicam fidem conversionem ; nam etsi Leander, Isidorus, Ildephonsus, Eugenius et Julianus ipsum auxerunt, correxerunt, et in meliorem formam redegerunt, non tamen prioris ritus faciem immutarunt, sed venustiorem et magis decoram reddiderunt.

Gloriam patris non obumbrat filius sapiens, nec magistri fidem major discipuli perspicacia : opera servorum Dei primo plantantur, postea infunditur eis irrigatio, donec radices agant, et coalescant, ac tandem fructibus opimis gratiora utilioraque reddantur. Quanto enim altius ædificium consurgit, tanto magis principio ad ima deprimitur ; prius namque rudera visceribus terræ absconduntur, ut illud postea securius et ornatiori aspectu levetur.

Sancti apostolorum discipuli per quatuor mundi partes diffusi, destructa idololatria, catholicam fidem seminantes, ordinem et officium in divinis cultibus instituerunt ; et sui apostolatus ministerium et potestatem ad successores in episcopalibus sedibus transfundentes, Hispanicam Ecclesiam multiplicare et in dies augere cœperunt. Res sacras episcopi ordinabant traditionem majorem servare et fidelium corda irrigare studebant, quin eis gentilium imperatorum sævities obfuisset, quousque, Ecclesiæ reddita pace, palam sacra peragere licebat. En series successionis apostolicæ ; en in divinis officiis ab apostolis ordo descendens; en denique hæc occidua Hispaniarum plaga fidei lumine irradiata, et pulchritudine ritus decorata.

Ne vero alicui in mentem veniat hisce primis Ecclesiæ sæculis Hispanos barbaris adnumerare, meditetur, obsecro, quonam in religionis amplificatæ et instructæ statu cæteræ orbis partes manebant, quando inter omnes orbis episcopos, ex Hispania magnum Osium Cordubensem sanctus Silvester evocavit ad præsidendum suo nomine in primo œcumenico concilio Nicæno, in quo norma fidei omnibus præstanda, et prima ecclesiasticæ disciplinæ fundamenta jacienda erant. Ille magnus vir Osius ad illuminandum cæteros in Nicæno, Sardicensi, Romano, et aliis conciliis, et catechesim, a magno Constantino

fuit prælectus; ita ut ejus sapientiam mirarentur omnes, unaque voce ad canones edicendos responderent: *Osius dixit, Osius respondit.* In Hispania natus; humanis litteris imbutus, et in sacra liturgia edoctus, perperam sacrum ritum ubique terrarum protendere et ordinare posset, qui in sua regione et Ecclesia negligens esset, et domui suæ præesse nesciret.

Qui adhuc hæsitaverit, perlegat verba Athanasii in Historia Arianorum ad monachos, quæ lubet afferre. *Post talia tamque multa facinora nihil se perfecisse rati impii* (Ariani) *quandiu magnus Osius eorum malignitatem expertus non esset, ad tam venerabilem senem furorem suum propagare studuerunt; non Patrem episcoporum, non confessorum virum reveriti sunt, non episcopatus tempus, in quo plus sexaginta annos exegerat, erubuere; sed, posthabitis despectisque cæteris omnibus, sola hæresis cordi fuit: homines sane qui nec Deum timent, neque hominem reverentur. Constantium igitur adeuntes, his sermonibus alloquuntur: Nihil non egimus: Romanorum episcopum in exsilium ablegavimus, et ante illum permultos alios episcopos; omnia loca formidine replevimus; sed nihil nobis tanta tua gesta juvabunt, nihildum a nobis recte factum, quandiu Osius illæsus remanserit. Nam dum apud suos ipse degit, omnes in suis Ecclesiis remanent: potest quippe ille verbo fideque sua omnes adversum nos inducere. Hic et synodis præesse, solet, ejusque litteris ubique omnes obtemperant. Hic Nicænam fidem edidit, Arianosque ut hæreticos ubique traduxit. Si igitur remanserit ille, inutile nobis fuerit aliorum exsilium; mox enim de medio tollenda nostra hæresis est. Et hunc ergo persequi incipias, nec virum quamvis grandævum miserere, nescit quippe nostra hæresis vel senum canitiem venerari.*

Catholica Osii doctrina veluti jure hæreditario ad episcopos Hispaniæ fuit transmissa; ab Osio namque, qui obiit anno 356, ad sanctum Leandrum, a Leandro ad Isidorum, ab Isidore ad Helladium, ab hoc ad Ildephonsum et Eugenius, ab Eugeniis ad Julianum secundum, qui in concilio Toletano XIV, jussu Leonis secundi Romani pontificis Acta sexti generalis concilii rata habuit; et cum Benedictus, Leonis successor, perlegisset illa verba Juliani Toletani de Trinitate disserentis: sapientiam ex sapientia, voluntatem ex voluntate procedere, et alia quibus affirmabat Christum Dominum et tribus substantiis constare, quæ a communi sensu Ecclesiæ Catholicæ deviare credebat, pro sustinendis his propositionibus edidit Julianus Apologeticum in concilio Toletano XV, quod Romam transmissum magni habitum est, cunctis legendum indictum, papa acclamante: *Laus tua, Deus, in fines terræ* in vero etenim et catholico sensu Julianus et cæteri Patres Hispani eas protulerunt, ut videre est in Actis concilii XV Toletani apud cardinalem Aguirrium, qui est ejusdem Juliani apologiam inserit, in qua elucet ingenii ejus acumen, et profundissima fidei dogmatum intelligentia. Ad hæc accedit synodus Eliberitana, ineunte sæculo IV coacta, ex qua multa desumpsit universalis Ecclesia.

Si scrupulosus quispiam, facta collatione Breviarii Mozarabici editi a card. Ximenio cum Breviario ad præsens a nobis recuso, aliquantulam varietatem in quibusdam vocibus animadverterit, non vitio vertat auctoris, sed ejus qui transcripsit; non insimulet Alphonso Ortizio, sed typographis indulgeat; et certo credat olim ob defectum præli in unaquaque Toletana Mozarabica parœcia sua manuscripta sacra servari, et aliquam differentiam Ortizium agnovisse: hac anxietate pressum, ut jam diximus, et caligine involutum quædam verba juxta Vulgatam correxisse, veritum ne vocis alicujus novitate vel vocabuli transpositione inusitata versioni uti et a recta semita declinare videretur. Ascribat igitur lector exscriptorum vitio varietatem quæ hodie apparere possit ob publicam veteris Italicæ versionis Editionem juxta Mss. Vaticana, sancti Germani, Corbeiensia, Reginæ Sueciæ, et alia a Petro Sabatier in lucem edita, cum nulla in substantia differentia concipiatur, imo mirabilis in sensu conformitas cum aliqua discrepantia verborum; ita ut si sedulo perspiciatur Psalterium ms. quod in Bibliotheca sanctæ Ecclesiæ Toletanæ asservatur, verbum fere non invenietur quod in alio ex præfatis Codicibus, aut in lectione sancti Augustini, non sit transcriptum.

Additione ergo quorumdam sanctorum, qui post expulsos ex Hispania Saracenos floruerunt, Breviarii Isidoriani a magno cardinali editi auctoritas non obumbratur. Nam nec officium proprium, lectiones, responsoria aut orationes habent; sed omnia de communi dicuntur, ut jam P. Henricus Florez sua in dissertatione de officio Mozarabico adnotavit; et hoc modo cum officium ut in plurimum secundum commune Gothicum fiat, nihil præter nomen sanctorum, exceptis quibusdam festis, fuit superadditum.

Franciscus Pisa in lucem edidit Kalendarii Gothico-Mozarabici fragmentum, quod in bibliotheca Toletana reconditur, complectens tantummodo menses Januarii et Februarii; sed cum truncum et informe appareat, et aliunde die 28 Januarii assignetur in eo festivitas sanctæ Serenæ virg. et mart., quæ nec in nostris Codicibus mss., nec in aliquo Martyrologio, ut virgo repetitur, idcirco sublestæ fidei existimatur. Et insuper 1 die Februarii in Msc. apponitur hæc inscriptio: *Caput Februarii apud Ægyptios*; quæ festivitas nusquam legitur in nostris Codicibus, licet pro comperto habeamus Februarii initium apud eos sanctificari ad destructionem idololatriæ, festique Amburbialium principio prædicti mensis ab ethnicis celebrari soliti; in cujus locum postea successit festum Purificationis beatæ Mariæ ad abolendam raptus Proserpinæ a Plutone facti memoriam, ut ex Innocentio III, Rabano Mauro, et aliis, comprobatur, et expresse asseritur a sancto Ildephonso in sermone de Purificatione.

Alia suspicio adversus memoratum fragmentum oritur ex silentio festivitatis Purificationis beatæ Mariæ, eum aliunde assignet obitum sancti Ildephonsi, cujus in officio Gothico nulla fit mentio, et

præterea ipsemet sanctus de Purificatione sermonem ad populum habuerit.

In medio quorumdam psalmorum apponitur hoc verbum, *Diapsalma*, quod in Breviario Isidoriano a cardinali Ximenio typis edito raro invenitur, nunc vero insequendo antographum multoties reperies, denotat enim separationem inter unum et alium versiculum ejusdem psalmi; ad observationem igitur peusæ in psalmodia et ad cantum moderandum notis musicis obsequendo inserviebat.

In aliorum psalmorum medio hæc apponitur nota ℟ quæ significat idem ac *repetitio*; suis quippe omnibus litteris ligatis constat tale signum. Astringebantur etenim cantores antiphonam repetere ex verbis ipsius psalmi deductam; hocque accidebat non in brevioribus, sed in longioribus psalmis, ut quadam quiete in recitatione fuerentur, et varietate cantus fastidium allevarent.

Lubenter alias probationes ad indigitandam nostri ritus canitiem adjungemus. In Codice nuncupato Æmilianensi, quod in regio monasterio Excurialensi asservatur; ante annum millesimum septuagesimum octavum exarato, ita inscripto: *De missa apostolica in Spania ducta, Julianus et Felix*, asseritur ,1, §, septem apostolicos viros Torquatum, Ctesiphontem, et alios memoratos, sacerdotium a sanctis apostolis Petro et Paulo sucepisse, et in urbibus Hispaniarum de initio vitæ immortatis prædicare, cœpisse, et post pauca subjungitur: *Atque ita sicut ab apostolis missam doctrinamque acceperunt, per Hispaniam ordinatis episcopis tradiderunt*. § 2, agitur de Hispanæ Ecclesiæ officio Romæ laudato et comprobato tempore Joannis papæ, regnante Carolo Francorum rege, et Ordonio rege in civitate Legionensi. Cum enim Zanellus presbyter a præfato summo pontifice Joanne missus fuisset, ut ecclesiasticæ religionis statum ibi perquireret, et comperta fideliter apostolicæ sedi referret, injunctum sibi munus solerter exsequens, omnem ordinem ecclesiastici officii et consecrationis regulam perscrutatus, canones et omnes Sacramentorum libros perlegit: cuncta catholica fide munita inveniens, exultavit; Domino papæ, Joanni, et omni conventui Romanæ ecclesiæ, ut in venerat, renuntiavit; audiensque hoc dominus papa et omnis Romana Ecclesia, gratias Deo reddens, Hispanicæ Ecclesiæ officium laudavit et roboravit; hoc solo addito, *ut deinceps more apostolicæ Ecclesiæ celebrarentur secreta missæ*.

Summus pontifex Gregorius VII Alphonso Sexto Legionis regi, Sancio V, Navarræ, et episcopis, in ditione sua constitutis rescribens, initio epistolæ sic eos affatur: *Cum beatus apostolus Paulus Hispaniam se adiisse significet, ac postea septem episcopos ab urbe Roma ad instruendos Hispaniæ populos a Petro et Paulo apostolis directos fuisse, qui, destructa idololatria, christianitatem fundaverunt, religionem plantaverunt, ordinem et officium in divinis cultibus agendis ostenderunt, et sanguine suo Ecclesias dedicavere, vestra diligentia non ignoret; quoniam concordiam cum Romana urbe Hispania in religione et ordine divini officii habuisse, satis patet*. Postea eos ad amplectendum in Hispania Romanum ritum adhortatur; et licet indicet *Hispanicum officium vesania Priscillianistarum pollutum, Arianorum perfidia depravatum, ac demum invadentibus Saracenis diminutum*, hæc verba nullo modo evertunt antea prorata; nam cura sanctorum Isidori, Ildephonsi, Juliani et aliorum Hispaniæ Patrum, omni labe, si qua inerat, fuit purgatum officium, suæque, integritati et puritati restitutum, ut testatur Felix, loquens de sancto Juliano, cui congruit officium Romanum hujus sancti ex eodem Felice depromptum.

Ipsimet Romani pontifices, postmodum de sinceritate officii certiores effecti, illud iteratis diplomatibus confirmarunt; nam Julius II, anno 1508, ad preces cardinalis Ximenii officium roboravit his verbis: *Antiquissimum et magnæ devotionis... Nos igitur qui ex debito pastoralis officii divini cultus augmentum sinceris exoptamus affectibus.. omnia et singula in dictis litteris contenta auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus*. Et anno 1512 alia bulla officium Mozarabicum communivit; quæ adeo diserta atque expressa sedis apostolicæ approbatio (ut inquit Pinius) obstruere debet omnium ora, ut nemo post illam contra restauratum officii Mozarabici usum, ejusque ministrorum fundationem, vel hiscere audeat; ob hoc Paulus III æmulum aliquem actorum Ximenii desideravit, qui sacra Mozarabum volumina rursus evulgaret; cujus vota nos adimplere curamus.

In Actis sanctorum, tom. VI Julii, tract. prævio, num. 10, de beato Jacobo apostolo, hæc apponuntur verba: *Sequitur ut apostolus ille sacros liturgiæ ritus ibidem designarit, imo etiam, quantum per commemorationis tempus licuit, tradiderit et confirmaverit, id quod circa rem præsentem a sancto Petro acceperat*. Et ibidem, num. 6: *Operam quoque suam fortasse, eo contulerit sanctus Paulus*. Id ipsum aperte constat ex decretali Innocentii I.

Ipse doctor egregius, a quo præsens officium, ut diximus, nomenclaturam accepit, lib. II Offic., cap. 15, ait: *Ordo autem missæ et orationem quibus oblata a Deo sacrificia consecrantur primum a sancto Petro est institutus*; *cujus celebrationem uno eodemque modo universus peragit orbis*. Perpende, obsecro, Isidori sententiam. Si ejus tempore uno eodemque modo sacram liturgiam universus peragebat orbis abs dudio Patres Hispaniæ ordine antiquo Romano sacrificium celebrabant, in nullo a sede Romana discrepantes; alioquin non *uno eodemque modo* appellaret. O miseranda Arabum ingluvies, quæ non solum quasdam pretiosissimas sacrorum Codicum reliquias fere absumpsisti, sed alias dono Dei præservatas magna caligine involutas reliquisti! intendens obruere sacras basilicas, eas devastare, civitates depopulari, et nostri ritus memoriam abolere,

dubitationis et disceptationis materiem criticis neotericis ministrasti !

Perierunt sane multa Isidori opera; sed non omnia depascere potuit illa sævities. Interierunt magna ex parte Juliani episcopi Toletani scripta; sed ejus apologia pro tribus substantiis ad suæ orthodoxæ doctrinæ ostensionem posteris intacta remansit. Pariter opera Eugenii II, episcopi Toletani, versibus et soluta oratione; Montani epistolæ; et alia nonnulla Gothorum Patrum ante Maurorum irruptionem monumenta, eorum facundiam, congruentiorem sensum, in interpretandis Scripturis uniformitatem, et sedi apostolicæ reverentiam satis ostendunt. Etiam tempore Mahumeticæ captivitatis litteras sub optimis magistris nonnulli didicerunt, fidei præceptis imbuti pro pabulo docebant, et coram regibus profitebantur, ut accidit beato Eulogio electo episcopo Toletano, qui non solum sua apologia martyrum constantiam defendit, sed eorum Acta suo Memoriali illustravit, gentilicum furorem non pertimescens, suoque sanguine firmans id quod corde credebat, ad justitiam, et ore confitebatur ad salutem.

Nostrum institutum majori perspicuitate elucidemus. Non asserimus Gothicum ritum quinque prioribus Ecclesiæ sæculis eumdem in omnibus sacris precibus fuisse cum Romano; sed origine, et quoad substantiam, ut innuit card. Bona (*Lib.* I *Rerum liturg., cap.* 7 *num* 5), videlicet sacrificium iisdem partibus substantialibus constasse, consecratione, oblatione, et sumptione, licet accidentalis ordo precum tam in Italia quam in Hispania tractu temporis fuerit immutatus. Nec immoramur in sustinenda opinione Cajetani Cenni, qui, loquens de missa quæ tempore sancti Isidori in Hispania celabrabatur, ita ait (*Tom. I, diss.* VII, *num.* 10): *Plane ejus simillima, quam divus Petrus instituit: quod si admodum diversa esse videtur a Romana antiqua, exquis an nesciat a Leone, Gelasio, Gregorio ad eam formam perductam esse, quæ hodie obtinet?* De Hispana vero secus est: *Nullum quippe ex trium pontificum Sacramentariis eam novit; sed quam prius missam a sancta sede accepit, hanc Hesperia nostra conservavit.*

Sicut in naturalibus prius nasci, postea crescere, et ultimo perfici; ita in sacris conficiendis prior ordo ab apostolica sede natus, postea crevit, ac denique perfectus est. Gothicus ritus juxta Isidorum admodum similis Romano; loco enim superius citato inquit: *Septem esse orationes sacrificii evangelica apostolicaque doctrina commendatas, et eumdem ritum in missa Mozarabica videmus hodie servari. In prima, quæ dicitur* MISSA, *fit admonitio ad populum; in secunda, invocatio seu deprecatio ad Deum; in tertia, inscripta* POST NOMINA, *pro offerentibus exoratio; in quarta, ad pacem et unitatem; in quinta, contestatio seu illatio pro donis acceptis; in sexta* POST PRIDIE *conformitatem cum sacramento; et in septima, ad orationem Dominicam.* Ex quibus cum cardinali Bona non leviter autumamus ritum in Africa et Galliis similem fuisse illi qui in Hispania Mozarabicus dictus est: et de Galliis perspicuum est testimonium epistola Caroli Calvi, cujus verba affert. cl. Mabillon, in tractatu de Liturgia: nam cum in regis præsentia peregissent sacrosanctum missæ sacrificium quidam sacerdotes Hispani, postquam Galli amplexati erant Romanum a temporibus Pipini, se vidisse, ritum avorum suorum testatus est.

Quoad officium canonicum, seu Breviarium Isidorianum, priorum sæculorum penetralia non opus est perscrutari; neque ad comprobandam unitatem et conformitatem cum pervetusto Romano scrinia archiviorum evolvere; iisdem namque horis constat; et si aurorum adjiciunt, id profecto primis Ecclesiæ sæculis usitatum videmus, in quibus fideles ad primitatis lucis Deo persolvendas, initio auroræ assurgebant. Ad ordinem autem quod spectat, successu temporis varietas inducta conspicitur, partim a monachis descendens, partim propter devotionem augendam, quasi dicamus auctus, locupletatus sacer ritus, et a summis pontificibus adoptatus.

Cum igitur in Psalterio Isidoriano commendatissimam versionem veterem Italicam habeamus, et aliunde in fine cujuslibet psalmi dicatur *Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui sancto*, juxta articulum 14 concil. III Toletani, in fidei professione, et canone 15 concil. IV, præside sancto Isidoro, dubitandi locus non est, usque ad tempora card. Ximenii integrum et absque ulla substantiali mutatione perdurasse; nec eam inducere posse festivitates desumpta a cardinali Ximonio ex ritu antiquo Toletano, cujus Missale postea typis ediderunt cardinales Joannes de Tavera, et Martinez Siliceo, ante correctionem Pii V.

Psalmorum usum cum canto principio, et, quando illi sunt longiores, cum *pausa* aliquoties circa medietatem (quod diapsalma vocabant, ut dictum est), ætate sancti Isidori fuisse, sicut apparebit in Psalterio, prout in autographo a nobis edito exstat, ipsemet sanctus doctor demonstrat (*Lib.* I *de divin. Offic., cap.* 1 § 1, *de spalmis*), his verbis: *Propter carnales autem in Ecclesia, non propter spirituales consuetudo est instituta canendi; ut quia verbis non compunguntur, suavitate modulaminis moveantur.., nam in ipsis* (juxta Augustinum) *dictis sanctis religiosius et ardentius moventur animi nostri ad flammam pietatis cum cantatur, quam si non cantetur. Omnes enim affectus nostri* (rursus Isidorus) *pro sonorum diversitate, vel novitate, nescio qua occulta familiaritate excitantur magis, cum suavi et artificiosa voce cantatur*

Hymnorum mentionem facit sanctus doctor in sequenti §, primos eorum compositores recensens, Hilarium scilicet episcopum Pictaviensem eloquentia conspicuum, et Ambrosium Mediolanensem, quem virum magnæ gloriæ in Christo vocat, clarissimum doctorem in Ecclesia, et in hujusmodi carminum compositione copiosum: *atque inde, ex ejus nomine, hymni Ambrosiani appelantur; et ejus celebritatis devotio primum in Ecclesia Mediolanensi, postea per totius Occidentis Ecclesia observatur.* Nunc igitur lectorem exoramus, ut oculos ad hymnos præsentis ritus Isido-

riani convertat, et eosdem, quos sanctus Isidorus refert recitari comperiet; et si alii inveniuntur, a Prudentio Hispano, qui floruit sæculo IV, fuerunt compositi.

In sancti Jacobi hymno undecim apostoli tantummodo enumerantur, et silentio auctor, sive exscriptor (quod verisimilius est), Judam Thaddæum præterit: videsis prologum expositionis in Apocalypsim sancti Beati Liebanensis, nuper a R. P. Florezio in lucem editæ, lib. II; nec statim expavescas, sed potius antiquitatem mirare; nam licet card. Ximenius in corpore hymni hunc defectum suppleverit addendo sanctum Thaddæum, similiterque Pater Florezius in margine adnotaverit hæc verba *Prætermissus Judas* Thaddæus; tamen, si conjecturis fas est, ignorantiæ, nimiæ pietati, et exscriptoris vitio tempore Mahumeticæ captivitatis debes vertere, non auctoris; ille enim, errore captus, timuit ubi non erat timor, ne sanctus Judas cum traditore confunderetur.

In præfato Psalterio *mici* pro *mihi*, *macina* pro *machina* semper scribitur; aliquoties *b* pro *v*, vel e contra, *Josep* pro *Joseph*; *Asap* pro *Asaph*, *tropeum* pro *trophæum*, et alia his simillima, prætermittendo aspirationem litteræ *h*, reperies; et hoc evidens est signum Gothicæ pronuntiationis et scripturæ; lingua etenim vernacula illorum gutturalis magna cum difficultate Latino ingenuo sermoni assuefiebat: et ob hoc rudes exscriptores pervetusti ritus memorata verba apposuerunt, ut videre est in aliis ejusdem ætatis Codicibus; et ne offendiculum sacerdotibus Mozarabicis remaneret, correcta sunt in Psalterio præfata verba.

Hucusque omnes studiosi solemnitates, seu sanctorum festivitates, quas Patres Gothici celebrabant, avidissime scire cupiebant; ex ipso enim Breviario a card. Ximenio typis exarato decerpere non poterant; ibi invenitur, ut diximus, festum sanctissimi Corporis Christi sæculo XIII ab Urbano IV, ad abolendum Berengarii errorem institutum; inibi in festivitatibus per annum plures in communi sanctorum reperiuntur sancti de quibus tempore Gothorum nullatenus officium fiebat; imo quidam post multa sæcula floruerunt; nunc autem ex pervetustis nostris Codicibus manuscriptis secernuntur festivitates, de quibus tempore Gothorum, seu paulo ante Maurorum invasionem agebatur; facilique negotio percallebunt id quod optabant: nam hymni in corpore Breviarii et post cantica appositi vetustati ritus omnes congruunt; nec ullus, ut exstat in Codice, est prætermissus; et ne repetitio fastidium generet, quando hymni sunt in corpore Breviarii, fit remissio ad propriam festivitatem; nam licet in quibusdam verbis discrepet Editio card. Ximenii a nostro Codice Ms., cum in modico appareat discrimen, non est justa causa præfatos hymnos corrigendi.

Non leve ad asserendam nostri Codicis vetustatem argumentum insurgit ex numero et ordine horarum canonicarum ad quas aptatur hymnus, et priorum Ecclesiæ sæculorum nobis speciem referunt; primo

A etenim in calce nostri Codicis non solum horas matutinas et laudum invenies, sed etiam hymnos ad primam noctis vigiliam, ad galli cantum, quod erat circa medium noctis, et pullorum cantum, quod erat circa exsurgentem auroram; hunc secundum, ut a galli cantu mediæ noctis discernerent, hymnum pullorum cantus appellabant.

Insuper his addebant alias horas, ut duodecim diei in sacris hymnis transigerent juxta illam Domini nostri Jesu Christi sententiam: *Nonne duodecim sunt horæ diei?* et aliam parabolam vineæ, ad quam excolendam operarios conduxit non solum ad horam nonam, sed etiam ad decimam et undecimam, ut ministri Domini meditarentur in lege ejus die ac nocte, et cultui divino vacarent. Ob hanc rationem perleges
B hymnos ad galli cantum circa mediam noctem, ad pullorum cantum circa initium surgentis auroræ, ad primam *Jam lucis orto sidere*, ad tertiam circa horam diei nonam, ad quartam circa horam decimam, ad sextam circa duodecimam, ad septimam circa horam secundam vesperis, ad nonam circa tertiam, ad decimam circa quartam, ad undecimam circa quintam, ad duodecimam circa sextam, ad vesperas circa solis occasum. Ante completorium etiam hymnus cum precibus recitabatur; et denique ad completorium ante somnum, ad lectumque parati habitationes aqua benedicta aspergebant, Deumque deprecabantur, ut procul recederent noctium phantasmata, cum pace dormirent, corpora ne polluerentur, et evigilarent cum Christo.

C Perpende, quæso, hanc diei noctisque sacram distributionem: cum horis canonicis confer, quas post sæculum VI fideles observabant; perscrutare monachorum Orientis consuetudinem, nec non per antiquas monasterii Lirinensis, et aliorum constitutiones; et cum in nostro Gothico ritu videris, apage omnem anxietatem de ejus veneranda canitie. Potuerunt sane temporum injuria quædam membranacea folia deperire; potuit Maurorum sævities et barbaries per multa Gothorum monumenta delere; exscriptorum ignorantia Latini sermonis menda admiscere potuit; sed nullo modo abolere potuerunt nostrum Codicem manuscriptum aureum, ex quo tanquam ex ungue conjicitur antiquitas nostri ritus Isidoriani, adhuc dominationis Arabicæ tempore transcripti, hodiernum usque in diem exstantis.

D Nonnulli, errore decepti, concilia Toletana temporibus Gothorum celebrata potius comitia regia quam concilia fuisse dixerunt: eo nixi fundamento, quia sæpius cum juramentum fidelitatis regibus electis præstabatur, tum quia multoties de regni gubernatione cum rege et proceribus agebatur; jam quoniam reges et magnatas cum Patribus subscribebant; jam quia tomum regium ante initium synodi offerebant; jam denique quoniam decretum de confirmatione concilii apponebant. Sed nihil horum tam sacris Patrum Gothorum cœtibus, aut sacræ eorum liturgiæ adversatur, præcipue cum centum et septuaginta sex canones e conciliis Toletanis, et sancto Isidoro

desumptos, a Gratiano collectos palam edoceri Ecclesia Romana permiserit, eis auctoritatem suam impertiverit, et suos fecerit; aliunde cum in Ecclesia novum non sit in Patrum synodis ex voluntate principum sacris admiscere quasdam publicas ordinationes, hæ præsertim locum habebant in electionibus regum Gothorum, ut episcoporum exemplo cæteri vassalli principibus libentius et facilius obedirent, riteque factam electionem tuto et pro patulo faterentur; idemque in antiquis pontificalibus et Capitularibus Caroli Magni videmus.

In hujus rei evidens argumentum ea erat inter sacerdotium et imperium concordia, ut statuta et sacræ preces miro fœdere utramque potestatem copularent; ideo hymni in *ordinatione et natalitio regis*, de *profectione exercitus, qui usque in reversionem diebus litaniarum dicendus est*, item *pro varia clade*, vetustissimi sunt, Gothorum proprii; nec ullus qui eos legerit inficias ibit; et ne ambigendi relinqueretur occasio, typis illos excudimus, Utinam Alphonsus Ortizius sic fecisset, ut omnis nebula dubietatis dispareret.

Quam plurimum desudat ingenium P. Florezi in vindicandis quatuor versibus gymni sancti Tyrsi mentionem facientibus episcopi Cixillæ. Pro certo supponit eos in vetustioribus Mss. Toletanis reperiri; et ne quis in posterum decipiatur, animadvertimus in nostris Mss. (quorum sæpe meminimus) nullatenus illa inveniri verba :

Templum hoc, Domine, Cixilla condidit,
Dignam hic habeat sortem;
In cætera cum summis civibus cantica præcinat,
Gaudens perpetuis sæculis omnibus.

Ex hoc vinculo lector solutus non eget alto testimonio, ut nostri ritus veritatem astruat; et quamvis cardinalis Baronius hunc sanctum Tyrsum assignet ad diem 24 Januarii, ut videre est in notis ad Martyrologium hujus diei, nihilominus in nostro Ms. et officio Gothico obtinet locum in die 28 prædicti mensio, quo etiam fit mentio sancti Leucii mart., ejusdem sancti Tyrsi in passione socii, ut apparet ex hymno.

Versati in lectione operum sancti Isidori, ibi testimonium ejus sapientiæ invenient, et omne dubium erga nostrum ritum et omnigenam ejus eruditionem evanescet: de artibus liberalibus ut sapientior neotericus egit, ei de officiis ecclesiasticis juxta aurea prima Romanorum sæcula; idemmet ut vicarius apostolicus concil. nationali Toletano IV præsedit; et his egregiis factis incredibile est eloquentiæ flumen in omnes non diffudisse, præsertim circa sacram liturgiam et divina officia ordinanda.

In autographo manuscripto, quod præ oculis habemus ad Editionem hujus Breviarii, signa non obscura hujus rei apparent; indigitabimus aliqua, ut cæterorum similitudo cum ritu vere et merito Isidoriano nuncupato possit cognosci. Sic primum ad denotandum paragraphum, ut res a rebus quæ in connexo concurrunt separentur, hæc nota ┌ apponitur a sancto Isidoro, cap. 20; denotat enim diversitatem sermonis; et eamdemmet in nostro autographo Ms. ad divisionem tractatus, seu ante initium numeri psalmorum, invenies.

Alia conspicitur nota hujuscemodi figuræ ↴, quam denominat Phietro, quæ ponitur ad denotandam sollicitudinem ubi aliquid obscuritatis est; et eadem ipsa aliquando modica mutatione in nostro autographo Ms. ponitur.

Cantus absque clave et lineis hodierno tempore inusitatus, sic in nostro autographo apparet solis constans musicæ punctis, quæ distinctim et aperte juxta Isidorum dignoscebantur in tribus partibus musicæ, scilicet harmonica, rythmica, et metrica. Quod ad harmonicam pertinet, hæc ad omnes qui voce propria canunt ex animo et ardore motum facit, et ex motu sonum: *Tonus* autem secundum Isidorum lib. II Etymol., cap. 22, *est acuta enuntiatio vocis, harmoniæ differentia et quantitas, quæ in vocis accentu vel tenore consistit*; *cujus genera in quindecim partes musici diviserunt, ex quibus hyperlydius novissimus et acutissimus, hypodorius omnium gravissimus est. Cantus est igitur vocis* juxta regulas a sancto Isidoro positas; nam sonus directus est, et sonus præcedit cantum.

Non latebat sanctum doctorem inter voces suaves et pingues differentia; mirifice enim definit vocem acutam, tenuem, altam, duram, asperam, cæcam, vinnolatam et perfectam, quæ est alta, suavis, et clara : alta, ut in sublime sufficiat; clara, ut aures impleat, et suavis, ut audientium animis blandiatur.

Ad dignoscendos musicos numeros quasdam regulas arithmeticas affert sanctus Isidorus, quæ peritissimo in musices arte hodie arridebunt. *Numeros* (ait lib. cit., cap. 23) *secundum musicam ita quæres. Positis extremis, ut puta* 6 *et* 12, *vides quot monadibus superetur* 6 *a* 12, *et est* 6 *monadibus*; *ducis per quadratum, sexies seni faciunt* 36. *Conjungis extrema illa prima* 6 *ac* 12, *simul efficiunt* 18. *Partiris* 36 *per* 18. *efficitur dipondius. Hos jungis cum summa minore, scilicet*, 6, *erunt* 8, *et erit medium inter* 6 *et* 12. *Propterea quod* 8 *superant* 6 *duabus monadibus, id est, tertia de sex, et superantur* 8 *a* 12 *quatuor monadibus tertia portione. Qua parte ergo superat, eadem superatur.* Quin ultra fatescimus, si lectoribus patet via ut rimentur sententias Isidori?

Concordia operum sancti Isidori cum hoc nostro Breviario maxime elucet in inscriptione lectionis Ecclesiastici, quæ in Breviario hanc epigraphem habet: *Lectio lib. Ecclesiastici Salomonis*; et cum apud omnes constet librum Ecclesiastici a Jesu filio Sirach Hierosolymita, non vero a Salomone fuisse compositum, statim difficultas insurgit: quomodo sic in Breviario indigitatur. Ad quos respondet sanctus Isidorus, lib. Prooemiorum Veteris Testam., § *De Ecclesiastico*: *Propter nimiam sensus similitudinem et eloquii parilitatem Salomonis titulo prænotatur.*

Non absre immorabimur ulterius in propugnanda antiquitate Isidoriani ritus, ex conformitate, quæ cernitur in Psalterio juxta veterem Italam versionem,

quibusdam verbis mutuatis a translatione sancti Hieronymi, ex notis ad exarandos characteres, et cantu et modulatione, cujus tibi specimen præbemus, ex similitudine liturgiæ, et officii Gallicani editi a Patre Blanchini, et a Pinio illustrati, præcipue ex orationibus Breviarii, in quibus levis diversitas inter Codices Veronenses et nostros animadvertitur; et denique ex simplicitate verborum hymnorum Ambrosii, et aliorum Patrum prout ab ipsis prodierunt.

Nemo sensatus sanctum Ambrosium, politioribus litteris imbutum, grammatices et poetices præcepta percalluisse negabit; et cum vigeret aliquis hymnos ab hoc clarissimo doctore compositos inconcinnatos, non mensuræ astrictos, intelligat id multis de causis accidisse. Primo, quia non tam regulas quam sententias, ut ait de seipso Augustinus, servare intendit; secundo, exscriptorum culpa et neglectu, qui de uno in alium transfundentes, et augentes errores, faciem et auctoris sensum penitus deturbant et immutant; ita ut sequentibus sæculis nec scopum sermonis auspicari liceat, nec conjicere sensum. Tribuant igitur noxam prudentes critici voragini blattarum, nutariorum mendis, ignorantiæ traductorum, aliisque calami et preli defectibus, et mirentur ad nos ut exstant pervenisse.

Exemplis res clarior fiet. Septuaginta interpretes, ut, aiunt, unus seorsim ab alio, sive uno in loco, sive in dissitis, a Ptolomæo Philadepho positi: libros sacros illis traditos in Græcum quasi miraculo verterunt; magna cura, solertia et sollicitudine in bibliotheca imperatoria servatos, neminem latet; de Judæorum et Christianorum in exemplaribus ad litteram assequendis studio ambigere non licet; et tamen postea prodiere in Oriente tot fereque innumerabiles versiones Origenis, Hieronymi, Aquilæ, Theodotionis, et incognitorum cum rabbinorum, tum Latinorum, ut synodus Tridentina opinandi licentiam cohibere judicarit, et textum juxta Vulgatam authenticum declarare.

Nostra ætate inter expositores et theologos disceplatur an illa verba, *Et tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus*, sine necne in corpore vel in nota marginali Epist. I, cap. v, sancti Joannis, nam in quibusdam Bibliis in corpore, in aliis in margine apponuntur; similiter, an inscriptio Symboli sancti Athanasii sit revera hujus sancti Patris in totum, vel in partem; an canticum *Te Deum laudamus* merito Ambrosio et Augustino ascribatur, et alia simillima. Si igitur hæc a Patribus et doctoribus transcripta in trutinam post tot transacta sæcula reducuntur, quid miramur munda et inversiones clausularum et orationum in officio Gothico inveniri, partim tempore Mahumeticæ dominationis, partim immediate post ipsam excussam transcripto?

Sanctus Isidorus Breviarii Gothici non est unicus auctor, nec uno tempore liturgia quam in Missali cernimus Isidoriano instituta; ordo quoque in horis canonicis persolvendis non uno ictu fuit perpolitus, sed tractu temporis Gothici Patres et doctores partim antiquum Romanum ritum retinuere: partim ex Ambrosio et aliis Italiæ doctoribus decerpsere, partim que de suo addidere; nam cum facultas cuilibet episcopo ad divini cultus ordinationem tribueretur, liberum erat insignioribus Ecclesiæ prælatis orationes componere, et preces ordinare.

Ecclesia Romana plurima desumpsisse ex aliis orbis Ecclesiis fateri non dedignatur. Idem met Gregorius Magnus detractoribus respondit non solum in ordine missæ ex Ecclesia Græca quædam delibasse, ut trinam Græcam repetitionem *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison*, nec non *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, quæ illis Græcorum *Agios, Agios, Agios* respondent, sed etiam ex Ecclesiis Mediolanensi, Hispanica et Gallicana. Et dum Augustino, Anglorum episcopo, rescripsit, optionem assumendi ordinem e qualibet Ecclesia sive Gallicana, sive Romana, eidem indulsit.

Litaniæ, seu Rogationes majores, a sancto Mamerto, Viennensi episcopo, fuerunt institutæ; hymni fere omnes sunt compositi a beato Ambrosio, Hilario, Prudentio, et aliis privatis doctoribus; Commemoratio omnium defunctorum a sancto Odilone Cluniacens, abbate die 2 Novembris inducta; et tamen hæc omnia Ecclesia Romana merito adoptavit.

In Symbolo quod in Ecclesia canitur, processionem Spiritus sancti a Patre et Filio per illa verba, *Qui a Patre Filioque procedit*, primo a Patribus in conc. III Toletano solemniter fuisse conclamatam, omnes ultro fatentur; et admodum verisimile est Romanam Ecclesiam, dum decrevit ut in fine cujusque psalmi diceretur *Gloria Patri*, etc., secutam fuisse Patrum Hispanorum consuetudinem in concilio IV Toletano stabilitam, ut semper in terminatione psalmorum pronuntiarentur verba Apocalypsis *Gloria et honor*, etc. Et si sanctus Damasus Hispanus fuit auctor, majorem vim habebit nostra assertio.

Latini a Græcis quasdam festivitates, et simul Græci a Latinis, sunt mutuati, quin ob hoc uniuscujusque Ecclesiæ officium confundatur, aut antiquitati liturgiæ Romanæ, vel sanctorum Gregorii Mag. Joannis Chrysost. vel Isidori, aliquid detrahatur.

Signa denique non æquivoca revelemus queis nostrum Gothicum ritum nullatenus immutatem exhibemus. Primum: Psalterium typis editum est eisdem verbis quibus invenitur exaratum in pervetusto Codice Gothico Toletano. Secundum, orationes de tempore per anni circulum, paucis verbis exceptis, cum ritu Veronensi et aliis Gothicis congruunt, ut Blanchinum et Pinium legentibus perspicuum fiet. Tertium, ordo in precibus, et denique omnia in Breviario Isidoriano apposita, cum decretis concil. IV Toletani conveniunt.

Loca sancti Isidori de divinis Officiis iterum perscrutemur, et luce meridiana clarius hunc nostrum ritum Gothicum aspiciemus. Libro I de eccl. Offic. cap. 5, loquendo de psalmis, asserit: *Psalterium cantilenarum suavium ab Ecclesia frequentari, quos facilius animi ad compunctionem flectantur.* En *melodia*, quæ usque hodie in nostra Ecclesia Toletana, ut cantus Gothici exuviæ, in quibusdam versiculis et respon-

soriis retinetur, assignato cantus melodici magistro, eum puerulos edocente, cum et hæc praxis jam in aliis Ecclesiis quæ cantum Gregorianum sunt in omnibus amplexatæ sit oblitterata.

Transeamus ad alia sancti Isidori testimonia. Cum cap. 10, de lectionibus, prius, ut ab auditoribus lectiones percipiantur, silentium commendet, hæc apponit verba: *Ideo et diaconus clara voce silentium admonet.* En verba quæ diaconus ante lectiones in ritu Mozarabico multoties repetit hoc modo: *Silentium facite*, quæ, ni fallor, in recentiore ordine Romano non perlegimus.

Cap. 11, de libris Testamentorum pro certo supponit pronuntiari, et cantari lectiones ex utroque Testamento, Veteri et Novo; et hoc quidem in sacrificio missæ secundum ritum Gothicum adamussim servatur, nam prima Epistola de Veteri, et secunda de Novo Testamento desumitur.

Tandem, ut alia prætereamus, cap. 13, de laudibus, hoc est *alleluia*, seu *lauda*, ut sacerdotes Mozarabici vocant, ait sanctus doctor: *In Africanis regionibus non omni tempore, sed tantum Dominicis diebus, et quinquaginta post Resurrectionis* ALLELUIA *cantatur pro significatione futuræ Resurrectionis et lætitiæ; verum apud nos, secundum antiquam Hispaniarum traditionem, præter dies ejuniorum, vel Quadragesimæ, omni tempore canitur* ALLELUIA; *scritum est enim*: SEMPER LAUS EJUS IN ORE MEO. En fundamentum et ratio quare Mozarabici etiam in missa defunctorum canunt *alleluia*, quod tot ante retro sæculis in Ecclesia Romana in desuetudinem abiit.

In canticis mss. hujus nostri Breviarii animadverte a cantico LVIII usque ad ultimum exclusive, et post quam adnotatur liber sacræ Scripturæ e quo desumptum est, apponi hanc notam in primo: XVII. *Præceptum*; in sequenti XXXV. *In tuo*, et in margine hoc signum,  quod in nostris Mss. significat *matutinum*; ut indicarent lectoribus cantica laudibus præfinita, et simul antiphonas psalmis respondentes: videsis hæc verba *præceptum*, *in tuo*, esse principium antiphonarum quæ præcedunt psalmos; idemque accidit in canticis.

Sabbato Dominicæ tertiæ Quadragesimæ, ad horam tertiæ, assignatur lectio desumpta ex cap. XXIV Prov.; et in illo vers.: *Septies cadit justus*, adjicitur verbum *in die*, quod non reperies in Vulgato, aut alia translatione Bibliorum.

Feria 5 ante Pentecosten prima ad nonam oratio clarissime videtur deducta ex sancto Aug. ad illa verba psalm. LXXI: *Suscipiant montes pacem et colles justitiam*; quæ verba ita interpretatur sanctus doctor, tract. I super Evang. sancti Joan.: *Montes excelsæ animæ sunt, colles parvulæ animæ sunt. Sed ideo montes excipiunt pacem, ut colles possint excipere justitiam. Quæ est justitia, quam colles excipiunt? fides.. Non autem exciperent minores animæ fidem, nisi majores animæ, quæ montes dictæ sunt, ab ipsa sapientia illustrarentur, ut possint parvulis trajicere quod possint parvuli capere, et vivere ex fides colles, quia montes pacem suscipiunt.*

En quomodo oratio Breviarii Gothici mirabili brevitate præfatam expositionem complectitur: *Suscipiant montes*, inquit, *pacem... qui primordiali radio inlustrati sunt fidei, ut ex sublimitate sanctorum descendat justitia collium*; et si percurreris officium Gothicum Isidorianum, auctoritatibus sancti Augustini refertum invenies.

In officio mortuorum hujus nostri Breviarii Gothici ponuntur preces cum superscriptione *Abecidaria*, et antea *Psalmi David*, absque numeratione, sed solum insequendo litteras abecedarii, ita ut sub uno quoque inscripto psalmo tantum inveniantur versiculi incipientes sub una eademque littera, desumendo eos ex toto Psalterio Davidico; exempli causa, primus psalmus mortuorum incipit: *Eripe animam meam ab impio*, et cæteri versiculi sub eadem littera *E* incipiunt; secundus psalmus incipit: *Usquequo exaltabitur*, et cum littera U prosequuntur omnes versiculi. Totum hoc conforme est compositioni psalmi adversus Donatistas ab Augustino facti sub litteris abecedarii; et ob hoc nuncupatur psalmus abecedarius, licet in Editione cardinalis Ximenii, et in præsenti, ne longiores fierent, quidam versiculi non comprehendantur sub una littera.

Ex duobus libris sancti Isidori de Origine officiorum, plurima desumpsit Rabanus Maurus; et Patres in Aquisgranensi synodo coacti, cum sibi regulam canonicorum scribendam sumpsissent, cernentes valde utiles et accommodatos libros sancti Isidori de Officiis, ad reformandos et instruendos viros, in suam illam regulam fere eos transcripserunt; propterea Isidorum clero, et monachis non tantum in Hispaniis, sed aliis provinciis normam præscripsisse, tuto asserimus.

Ex his omnibus liquet Breviarium Mozarabicum a cardinali Ximenio secundum regulam beati Isidori recte inscriptum fuisse; hic enim sanctus Doctor, licet auctor ritus non fuisset, sicut nec Gregorius Magnus cantus Gregoriani, tamen a correctoribus et ordinatoribus nomenclaturam sumpsere; nec Dionysius Exiguus fuit primus computator cursus anni solaris et lunaris ad Paschatis celebrationem; nec Gratianus primus fuit canonum compilator; nec Baronius primus Annalium ecclesiasticorum scriptor; et jure sibi talia nomina vindicavere, cum propter suas lucubrationes majori studio elaboratas, tum ob majorem ordinem et materiæ dispositionem: pariter noster Isidorus, licet non primus liturgiæ Gothicæ institutor, nec horarum canonicarum auctor, fuit saltem utriusque ordinator et corrector.

Indulgeat, quæso, prudentissimus lector temporum injuriæ, vicissitudini rerum, varietati dominorum Hispaniæ: et placido vultu perleget variantes lectiones, quibus historici premuntur, et liturgici innodantur, ut ad scopum veritatis pervenire valeant.

Solertia ad præsentem editionem nobis præstita pa-


rum profuisset, si aliorum consilio et opera non levaremur; scito ergo nec sumptui nec labori pepercisse. Toleti coegimus cœtum sapientum virorum dignitatum et canonicorum hujus nostræ sanctæ Ecclesiæ; Matritique alios valde probatos viros consu- A luimus, de quibus unus præcipue invigilavit in cavendis typographicis mendis.

Si tot tantisque pervigiliis adhuc, perspicacissime lector, in aliquo offenderis, ne antevertas judicium, nisi prius proprio intuitu autographa rimeris. Vale.

CANTUS EUGENIANI SEU MELODICI EXPLANATIO

FACTA A DIVO HIERONIMO ROMERO,

SANCTÆ ECCLESIÆ TOLETANÆ HISPANIARUM PRIMATIFS PORTIONARIO, ET CANTUS MELODICI MAGISTRO.



Apud omnes constat systema maximum, immutabile diatonicum, seu Pythagoricum et perfectum, apud veteres celebre. Nortem fuisse seu Polum, quo omnis cantus ecclesiasticus directus est, et ordinatus. Quindecim chordis constabat, quas in quinque partiebantur tetrachordos, quibus ordinabant suas compositiones tam harmonicas et regulatas, sicut nos ordinamus nostras. Finales chordæ tonorum eædem erant ac quæ a neotericis observantur; regulare uniuscujusque toni *sæculorum* idem respective cum eo quo ad præsens utimur; denique quidquid ad perfectam cujusque toni compositionem desideratur, in præfato systemate sive a Pythagora sive ab Orpheo, sive ab alio auctore, cujus disquisitio non est nostri instituti, excogitato, inveniebatur; imo contendere cum quibusdam possemus, psalmorum tonos ab ipso rege Davide descendere; sed sat sit dicere Ecclesiam caute semper custodisse tonum; nam si nos claves et signa ad cognitionem et processum in cantoriis habemus, veteres etiam suo modo clavem babebant, et C infaillibile signum, quo tanta firmitate canebant ut nos, quibus accedit signa claves esse universales.

Ad majorem comprobationem adverte, litteram, super quam textus procedit, esse psalmum; omnem psalmum cantari sub *sæculorum* illi assignato; præterea *sæculorum* nostro textui assignatum abs dubio esse sexti toni; aliunde sextus tonus stabilem habet sedem suam in signo *F*; chordæ, seu voces ex eo procedentes, hodie a nobis per proprietatem *bemol* cantantur, et a veteribus per tertium tetrachordum; igitur cum hic tam diatonicus sit, et naturalis quando cantoriam regit, sicut quando hæc regitur a signo *G*, inficiandum non est, artentis omnibus circumstantiis, genuinam esse intelligentiam appositam textui, et non eam quæ a cæteris signis resultat.

Objicies, primo, plures cantorias carere *sæculorum*, et ob hoc dignosci non valere; sed in sedulo perpendas modum quo quilibet tonus in suo diapason secundum suas majores et minores species pro- D cedit, facillime invenies quod obtaveras.

Objicies, secundo, difficilium et fere impossibile esse dignoscere varios et diversos modos characterum quibus suas cantorias annotabant veteres. Sed considera in rei veritate variationem quoad substantiam non esse, quia certe primus tonus perfectus erit, si omnem suum diapason cantoria adimpleat, quocumque modo, vel quibuscumque characteribus annotata sit, seu descripta. Ut ergo eam dignoscere possis, scrutare si suus finalis est in D. B et fiet, examinatis ascensu, descensu, clausulis principalibus, et intermediis, quod non tironibus, sed peritioribus in cantu veteri et moderno licebit.

Objicies, tertio: Apud omnes cantores notum est figuras seu notas plani seu simplicis cantus, nec augeri, nec, nec diminui posse, ut ex ejus constat definitione; et cum in textu superius posito diminutas videamus, arte et regula carere videtur. Verum ut hanc difficultatem enodes, animadverte cantum planum non semper simplicem esse, sed multoties mistum, ut accidit in hymnis, sequentiis, et aliis quæ in ecclesia canuntur, et simile in nostro textu contingit; nam cantu misto persæpe utebantur Gothici cantores.

Objicies, quarto, *ingressum* et *sæculorum* nostro textui sexti toni esse assignatum; sed omnis adnotatio *sæculorum* fit planis figuris, et nostra illis caret; igitur est arbitraria. Ad hoc respondeo: Licet figuræ nostri textus planæ typis oculis non appareant, ut hodie appingi solent, revera tamen sunt, et omne *sæculorum* subjacet litteræ, et secundum dictionum longitudinem aut brevitatem littera auget aut diminuit illud.

Ut nullus tibi remaneat scrupulus, has tibi regulas appono.

Regula prima. Mozarabicus seu Gothicus cantus semper est mistus, regiturque sub consideratione temporis, sive mensuræ binariæ, præter hymnos qui sunt sub ternaria mensura: et ab pleniorem intelligentiam aspice signa textus superius assignati.

Reg. ii. Omnes figuræ soluæ, licet diverso modo adpunctæ, et in unum. 1 et 2, semibreves sunt, et uniuscujusque valor unum est tempus. seu mensura.

Reg. iii. Figuræ aliis duabus aut quatuor ligatæ ejus valorem diminuunt dimidiant ita ut duæ ligatæ unam semibrevem componant. Hoc patet in nostro textu, ubi num. 3, 4, 6 et 7, et in litteris M et Q, ea tantummodo differentia quæ cernitur in num. 4, ubi ligat quatuor æquales figuras, quocunque modo sit locuta; et licet figuræ litterarum M et Q alias quatuor figuras singulæ ligent, intelligendum est duas priores minimas, et alias quas semibreves esse. Hoc apertius intelligitur sequenti exemplo. Quando nos hodie in tempore minori figuras duabus semibrevibus æqualiter ligatas videmus, valorem duplicatum eis damus.

Reg. iv. Figura quæ est sub num. 12 brevis est,

primo quia mediat versus; secundo ut tibi requies A aliquantula fiat ad prosequendum cantum. Ultima figura, quæ est sub littera Q, etiam brevis est quia in ea finitur opus.

Hucusque dicta ex percelebri musico didici; ibi namque in suo Mappa de omnibus figuris musicis antiquis tam organicis quam planis a sæculo salvationis nostræ secundo agitur usque ad sæculum XV inclusive; et si adhuc animus tuus vacillat, Historiam cantus musici a R. P. Joannes Baptista Martini elaboratum perlege: pag. 398, tabulata 5, quosdam tonos figuris, seu punctis similibus nostris exaratos invenies.


His accedit, me a puerulo instructum fuisse regulis cantus non solum plani et figurati, sed etiam Eugeniani, seu melodici, ut vocant, qui usque ad nostram ætatem in hac alma Toletana Ecclesia Hispaniarum primate perdurat, ita ut alternatim cum cantu Gregoriano mirabili consonantia permi- B sceatur.

Cantus hic a suo auctore sancto Eugenio tertio archiepiscopo Toletano temporibus regnum Gothorum Eugenianus appellatur: hic etenim sanctus Pater, in arte musica peritissimus, cantum hujus ecclesiæ coordinavit, et ipsemet infantulos erudiebat, ut Gothorum Patrum historia et antiquæ icones significant. Revera cantus Eugenianus sub systemate maximo erat fundatus, et Gothicum denominamus, quia non solum usque ad invasionem Saracenorum, sed etiam tempore eorum dominationis, licet corruptus, permansit: ob id jure hærditario hæc Ecclesia Toletana cantum Gothicum et ejus intellectum in perpetuum sibi vindicavit, et sancti Pii V decreto Missali apposito, cantum Toletanum per universam Hispaniam retineri indulsit, motus precibus nostri catholici regis Philippi II.


Cantus Eugenianus, quem nunc melodicum appellamus, duplicis modi est, glossæ simplicis, et duplicis: glossa duplici utimur ad omnes festivitates per annum; glossa simplici ad ferias, responsoria, et tractus. Exemplo res clarior fiet. En glossa duplex in graduali ad missam sanctorum apostolorum Petri et Pauli.

In festo sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ad missam.

GRADUALE.



Glossa simplex super eumdem textum.



Ut majori qua possit perfectione canatur, obser- C vandum est primo circinum, seu mensuram brevem, sed non multo præcipitem esse debere; secundo omnia quæ tibi exhibentur sub ambabus glossis exsequi debere ligata: verum nunquam punctum aliquod feries, quia melodiam tolles. Tertio trinita, quæ assignatur his litteris *tri*, non debere plus temporis perdurare quam valor figuræ super quam posita sunt, sive cum punctulo sit, sive absque illo perduraret. Quarto nusquam in puncti alicujus glossa, nec in atomo a punctuatione discedes, quia in hoc exstat præfati cantus harmonicum melos.

Qui de expositione textus, sive de glossa cantus Eugeniani dubius sit, ad hanc Ecclesiam Toletanam accedat, et post tot transacta sæcula memoriam ejus retineri mirabitur.

KALENDARIUM GOTHICUM.

JANUARIUS.

Habet dies xxxi, luna xxx. Nox habet horas xvi, dies vero vii.

Jam prima dies estis, et septima fine minetur

Aureus numer.		Kal.		
iij	A		1	CIRCUMCISIO DOMINI. *Sex capparum.* †
	b	iv	2	Officium jejuniorum Kalendarum Januarii observatur his tribus diebus.
xj	c	iii	3	
	d	ii	4	
xix	e	Non.	5	Vigilia.
viij	f	viii	6	Epiphania Domini. *Sex capparum.*
	g	vii	7	Juliani et Basilissæ vel comitum ejus. *Quatuor capparum.*
xvj	A	vi	8	
v	b	v	9	
	c	iv	10	
xviij	d	iii	11	
ij	e	ii	12	
	f	Idus.	13	OCTAVA EPIPHANIÆ. *Quatuor capparum.* Sanctorum Quadraginta martyrum. *Novem lectionum.*
x	g	xix	14	Kalendas Februarii.
	A	xviii	15	
xviij	b	xvii	16	
vij	c	xvi	17	
	d	xv	18	
xv	e	xiv	19	Sebastiani et ejus comitum. *Sex capparum.*
iv	f	xiii	20	Agnetis et Emerentianæ virginum. *Novem lectionum.*
	g	xii	21	Fructuosi Augurii et Eulogii. *Novem lectionum.*
vij	A	xi	22	Vincentii martyris. *Quatuor capparum.*
j	b	x	23	
	c	ix	24	
ix	d	viii	25	Babilæ episcopi, et trium puerorum. *Novem lectionum.*
	e	vii	26	
xvij	f	vi	27	
vj	g	v	28	Tyrsi martyris. *Novem lectionum.*
	A	iv	29	
xiv	b	iii	30	
iiij	c	ii	31	

FEBRUARIUS.

Habet dies xxviii, luna xxvii. Nox habet horas xiv, dies vero x.

Ast Februarii quarta est, præcedat tertia finem.

Aureus numer.				
	d	Kal.	1	
xj	e	iv	2	PURIFICATIO SANCTÆ MARIÆ. *Sex capparum.*
xix	f	iii	3	
viij	g	ii	4	
	A	Non.	5	Agathæ virginis et martyris. *Sex capparum.*
xvj	b	viii	6	
v	c	vii	7	Dorotheæ virginis et martyris. *Sex capparum.*
	d	vi	8	
xiij	e	v	9	
ij	f	iv	10	
	g	iii	11	
x	A	ii	12	Eulaliæ virginis Barchinonensis. *Novem lectionum*
	b	Idus.	13	
xviij	c	xvi	14	Kalendas Martii,
vij	d	xv	15	Sol in piscibus.
	e	xiv	16	
xv	f	xiii	17	
iv	g	xii	18	
	A	xi	19	
xij	b	x	20	
j	c	ix	21	
	d	viii	22	Cathedra sancti Petri. *Sex capparum.*
ix	e	vii	23	
	f	vi	24	MATHIÆ apostoli. *Sex capparum.*
xvij	g	v	25	
vj	A	iv	26	
	b	iii	27	
xiv	c	ii	28	

Locus bissexti in anno bissextili quacumque die evenerit festum sancti Mathiæ in tali jejunetur vigilia ejus, et in sequenti die celebretur, et servetur festum ; et si Sabbato evenerit, ipso Sabbato celebretur et jejunetur vigilia ejus, et servetur in sequenti die Dominico.

MARTIUS.

Habet dies xxxi, luna xxx. Nox habet horas xii, dies vero xii.

Aureus numer.		Kal.		
iij	d		1	
	e	vi	2	
xj	f	v	3	Hemeterii et Caledonii martyrum. *Quatuor capparum.*
	g	iv	4	
xix	A	iii	5	
viij	b	ii	6	
	c	Non.	7	
xvj	d	viii	8	
v	e	vii	9	
	f	vi	10	
xiij	g		11	
ij	A	iv	12	
v	b	iii	13	
x	c	ii	14	
	d	Idus.	15	
xviij	e	xvii	16	Kalendas Aprilis.
vij	f	xvi	17	
	g	xv	18	
xv	A	xiv	19	
iv	b	xiii	20	
	c	xii	21	
xij	d	xi	22	
j	e	x	23	
	f	ix	24	
ix	g	viii	25	
	A	vii	26	
xvij	b	vi	27	
vj	c	v	28	
	d	iv	29	
xiv	e	iii	30	
iij	f	ii	31	

APRILIS.

Habet dies xxx, luna xxix. Nox habet horas x, dies vero xiv.

Aureus Numer.			
	g Kal.	1	
xj	A iv	2	
	b iii	3	
xix	c ii	4	
viij	d Non.	5	
xvj	e viii	6	
v	f vii	7	
	g vi	8	
xiij	A v	9	
ij	b iv	10	
	c iii	11	
x	d ii	12	
	e Idus.	13	
xviij	f xviii	14	Kalendas Maii.
vij	g xvii	15	
	A xvi	16	Sanctæ Engratiæ, vel decem et octo martyrum.
xv	b xv	17	
iv	c xiv	18	
	d xiii	19	
xij	e xii	20	
j	f xi	21	
	g x	22	
ix	A ix	23	
	b viii	24	
xvij	c vii	25	
vj	d vi	26	
	e v	27	
xiv	f iv	28	
iij	g iii	29	
	A ii	30	

MAIUS.

Habet dies xxxi, luna xxx. Nox habet horas viii, dies vero xvi.

Aureus numer.			
xj	b Kal.	1	Torquati et comitum ejus episcoporum. *Novem lectionum.*
	c vi	2	Felicis diaconi Hispalensis. *Novem lectionum.*
xix	d v	3	Inventio sanctæ crucis. *Sex capparum.*
viij	e iv	4	
	f iii	5	
xvj	g ii	6	
v	A Non.	7	
	b viii	8	
xiij	c vii	9	
ij	d vi	10	
	e v	11	
x	f iv	12	
	g iii	13	
xviij	A ii	14	
vij	b Idus.	15	
	c xvii	16	Kalendas Junii.
xv	d xvi	17	
iv	e xv	18	
	f xiv	19	
xij	g xiii	20	Sanctorum Cyriaci et Paulæ martyrum.
j	A xii	21	
	b xi	22	
ix	c x	23	
	d ix	24	
xvij	e viii	25	
vj	f vii	26	
	g vi	27	
xiv	A v	28	
iij	b iv	29	
	c iii	30	
xj	d ii	31	

JUNIUS.

Habet dies xxx, luna xxix. Nox habet horas vi, dies vero xviii.

Aureus numer.			
	e Kal.	1	
xix	f iv	2	
viij	g iii	3	
xvj	A ii	4	
v	b Non.	5	
	c viii	6	
xiij	d vii	7	
ij	e vi	8	
	f v	9	
x	g iv	10	
	A iii	11	
xviij	b ii	12	
vij	c Idus.	13	
	d xviii	14	Kalendas Julii.
xv	e xvii	15	
iv	f xvi	16	
	g xv	17	Adriani atque Nataliæ. *Novem lectionum.*
xij	A xiv	18	
j	b xiii	19	Gervasii et Protasii martyrum *Novem lectionum.*
	c xii	20	
ix	d xi	21	
	e x	22	
xvij	f ix	23	Dominica pro adventu sancti Joannis Baptistæ.
vj	g viii	24	Nativitas sancti Joannis Baptistæ. *Sex capparum.*
	A vii	25	
xiv	b vi	26	
iij	c v	27	Sancti Zoili martyris.
	d iv	28	
xj	e iii	29	Apostolorum Petri et Pauli. *Sex capparum*
	f ii	30	

JULIUS.

Habet dies xxxi, luna xxx. Nox habet horas viii, dies vero xvi.

Aureus numer.			
xix	g Kal.	1	
viij	A vi	2	
	b v	3	
xvj	c iv	4	
v	d iii	5	
	e ii	6	
xiij	f Non.	7	
ij	g viii	8	
	A vii	9	
x	b vi	10	
	c v	11	
xviij	d iv	12	Sanctæ Martianæ Virginis. *Novem lectionum.*
vij	e iii	13	
	f ii	14	
xv	g Idus.	15	
iv	A xvii	16	Kal. Augusti. Justæ et Rufinæ virginum et martyrum. *Quatuor capparum.*
	b xvi	17	
xij	c xv	18	
j	d xiv	19	
	e xiii	20	
ix	f xii	21	Sperati vel comitum ejus. *Novem lectionum.*
	g xi	22	
xvij	A x	23	
x	b ix	24	Christinæ virginis et martyris. *Novem lectionum.*
	c viii	25	Christophori et comitum ejus martyrum. *Novem lectionum.*

xiv	d	VII	26	
iij	e	VI	27	
	f	V	28	
xj	g	IV	29	
xix	A	III	30	Sancti Cucufati martyris.
	b	II	31	

AUGUSTUS.

Habet dies XXXI, luna XXX. Nox habet horas X, dies vero XIV.

Aureus numer.		Kal.		
viij	c		1	Felicis martyris. *Novem lectionum.*
xvj	d	IV	2	
v	e	III	3	
	f	II	4	
xiij	g	Non.	5	
ij	A	VIII	6	Sanctorum Justi et Pastoris martyrum.
	b	VII	7	
x	c	VI	8	
	d	V	9	
xviij	e	IV	10	Sancti Laurentii martyris. *Sex capparum.*
vij	f	III	11	
	g	II	12	
xv	A	Idus.	13	Hippolyti martyris. *Quatuor capparum.*
iv	b	XIX	14	Kalendas Septembris.
	c	XVIII	15	ASSUMPTIO SANCTÆ MARIÆ. *Sex capparum.*
xij	d	XVII	16	
j	e	XVI	17	
	f	XV	18	
ix	g	XIV	19	
	A	XIII	20	
xvij	b	XII	21	
vj	c	XI	22	
	d	X	23	
xiv	e	IX	24	Bartholomæi apostoli. *Sex capparum.*
iij	f	VIII	25	Genesii martyris. *Novem lectionum.*
	g	VII	26	Gerontii episcopi. *Novem lectionum.*
xj	A	VI	27	
xix	b	V	28	Augustini episcopi et doctoris. *Sex capparum.*
	c	IV	29	
viij	d	III	30	
	e	II	31	

SEPTEMBER.

Habet dies XXX, luna XXIX. Nox habet horas XII, dies vero XII.

Aureus numer.		Kal.		
xvj	f		1	
v	g	IV	2	
	A	III	3	
xiij	b	II	4	
ij	c	Non.	5	
	d	VIII	6	
x	e	VII	7	
	f	VI	8	
xviij	g	V	9	
vii	A	IV	10	Officium jejuniorum Kalendarum Septembrium ante festum sancti Cypriani observatur his tribus diebus.
	b	III	11	
xv	c	II	12	
iv	d	Idus	13	Kalendas Octobris. Cypriani. *Novem lectionum.*
	e	XVIII	14	
xij	f	XVII	15	Euphemiæ virginis et martyris. *Novem lectionum.*
j	g	XVI	16	
	A	XV	17	
ix	b	XIV	18	
	c	XIII	19	
xvij	d	XII	20	Matthæi apostoli. *Sex capparum.*
vj	e	XI	21	
	f	X	22	
xiv	g	IX	23	Decollatio sancti Joannis Baptistæ. *Sex capparum.*
iij	A	VIII	24	
	b	VII	25	
xj	c	VI	26	
xix	d	V	27	
	e	IV	28	Michaelis archangeli. *Sex capparum.*
viij	f	III	29	Hieronymi presbyteri et confessoris. *Sex capparum.*
	g	II	30	

OCTOBER.

Habet dies XXXI, luna XXX. Nox habet horas XIV, dies vero X.

Aureus numer.		Kal.		
xvj	A	Kal.	1	Sanctorum Verissimi, Maximæ et Juliæ, martyrum.
v	b	VI	2	
xiij	c	V	3	
ij	d	IV	4	
	e	III	5	
x	f	II	6	
	g	Non.	7	
xviij	A	VIII	8	
vij	b	VII	9	
	c	VI	10	
xv	d	V	11	
iv	e	IV	12	
	f	III	13	Sanctorum Fausti, Januarii et Martialis, martyrum.
xij	g	II	14	
j	A	Idus.	15	
	b	XVII	16	Kalendas Novembris.
ix	c	XVI	17	Sanctorum Cosmæ et Damiani, martyrum.
	d	XV	18	Lucæ Evangelistæ. *Sex capparum.*
xvij	e	XIV	19	
xj	f	XIII	20	
	g	XII	21	
xiv	A	XI	22	
iij	b	X	23	Servandi et Germani martyrum. *Novem lectionum,*
	c	IX	24	
xj	d	VIII	25	
xix	e	VII	26	
	f	VI	27	Vincentii, et Sabinæ, et Chrystetæ, martyrum. *Sex capparum.*
viij	g	V	28	Apostolorum Simonis et Judæ. *Sex capparum.*
	A	IV	29	
xvj	b	III	30	Sancti Marceli martyris.
v	c	II	31	

NOVEMBER.

Habet dies XXX, luna XXIX. Nox habet horas XIV, dies vero X.

Aureus numer.				
	d	Kal.	1	
xiij	e	IV	2	
ij	f	III	3	
	g	II	4	
x	A	Non.	5	
	b	VIII	6	

xviij	c	VII	7	Officium jejuniorum Kalendarum Novembrium ante festum sancti Martini observatur his tribus diebus.
vij	d	VI	8	
	e	V	9	
xv	f	IV	10	
iv	g	III	11	Martini episcopi et confessoris. *Sex capparum.*
	A	II	12	Æmiliani abbatis. *Novem lectionum.*
xij	b	Idus.	13	
j	c	XVIII	14	Kalendas Decembris.
	d	XVII	15	
iv	e	XVI	16	
	f	XV	17	Aciscli et Victoriæ martyrum. *Novem lectionum.*
xvij	g	XIV	18	Sancti Romani martyris.
vj	A	XIII	19	Sancti Crispini episcopi et confessoris. *Novem lectionum.*
	b	XII	20	
xiv	c	XI	21	
iij	d	X	22	Cæciliæ virginis et martyris. *Sex capparum.*
	e	IX	23	Clementis papæ et martyris. *Sex capparum.*
xj	f	VIII	24	
xix	g	VII	25	
	A	VI	26	
viij	b	V	27	
	c	IV	28	
xvj	d	III	29	Saturnini martyris. *Sex capparum.*
v	e	II	30	Sancti Andreæ apostoli. *Sex capparum.*

DECEMBER.

☞ Habet dies XXXI, luna XXX. Nox habet horas XVI, dies vero VIII.

Aureus numer.				
xiij	f	Kal.	1	
ij	g	IV	2	
	A	III	3	
x	b	II	4	Barbaræ virginis et martyris. *Sex capparum.*
	c	Non.	5	
xviij	d	VIII	6	Sancti Nicolai episcopi et confessoris. *Quatuor capparum.*
vij	e	VII	7	
	f	VI	8	
xv	g	V	9	Leocadiæ virginis. *Sex capparum.*
iv	A	IV	10	Eulaliæ virginis et martyris. *Novem lectionum.*
	b	III	11	
xij	c	II	12	Eugeniæ virginis et martyris.
j	d	Idus.	13	
	e	XIX	14	Kalendas Januarii, Justi et Abundi martyrum. *Novem lectionum.*
ix	f	XVIII	15	
	g	XVII	16	
xvij	A	XVI	17	
xj	b	XV	18	ANNUNTIATIO SANCTÆ MARIÆ VIRGINIS. *Sex capparum.*
	c	XIV	19	
xiv	d	XIII	20	
iij	e	XII	21	Thomæ Apostoli. *Sex capparum.*
xj	f	XI	22	
	g	X	23	
xix	A	IX	24	
	b	VIII	25	Nativitas Domini nostri Jesu Christi. *Sex capparum.*
viij	c	VII	26	Stephani martyris. *Sex capparum.*
	d	VI	27	Joannis apostoli et evangelistæ. *Sex capparum.*
xvj	e	V	28	Sanctorum innocentum. *Sex capparum.*
v	f	IV	29	Jacobi fratris Domini. *Sex capparum.*
	g	III	30	Jacobi fratris Joannis apostoli et evangelistæ. *Sex capparum.*
xiij	A	II	31	Columbæ virginis. *Novem lectionum.*

REGULA.

Incipiunt Horæ canendæ vel recitandæ secundum REGULAM *Maximi Doctoris Hispaniæ Beatissimi Isidori, ac egregii confessoris Ildephonsi Toletani Præsulis magistri, non pro ut antiqui ea Regula fruebantur simpliciter, sed secundum quid: nam antiquitus duodecim erant Horæ assuetæ in die, ut in Libris antiquis ostenditur; præter quædam alia, quibus ipsi Antiqui utebantur in nocte, scilicet in principio noctis, et ante lectum, et in æquinoctio sive in medio noctis, et in surrectione lecti; quæ quidem apud modernos abjecta, et resecta sunt: sed eo modo, quod moderni eam prosequuntur, et exercent, prout in processu patebit. Et quia pauci sunt, qui Ordinem ipsarum Horarum custodire, et ordinare sciant propter negligentiam, et multorum incuriam; eo quod non curant nisi de redditibus Ecclesiæ recipiendis; et quia plura bona ædificia de facili corruunt post multum temporis lapsum, nisi sibi remedium adhibeatur: idcirco quidam imperitus Clericus et indignus, considerans istud Opus Sanctum ac plenissime devotum, et a tanto Præsule divina mente gratia editum, ne evanescat, sed in memoriam hominum redeat, tantus motu et instinctu pietas, ad gloriam et laudem Trini-* A *tatis et Jesu, et Mariæ Matris, et honorem Summi Prædicti Confessoris, et ad illuminationem præsentium Clericorum, et futurorum, juxta suæ sientiæ paupertatem, et sui intellectus imbecillitatem, Divino auxilio invocato, eoque præfulgenti, hanc Normam, prout sequitur, condere laboravit, et de littera Gothica hunc Codicem transtulit, et reportavit.*

REGULA SEQUITUR TALIS.

Dies, sive sit Festivalis, sive privata, semper Horæ incipiunt in Vesperis, ante diem, et initium, sive principium fit per invocationem Jesu Christi, Oratione Dominica præcedente, submissa voce sic dicendo: Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. *Et alta voce:* In nomine Domini nostri Jesu Christi lumen cum pace. ℟. *à circumstantibus.* Deo gratias: B *et Presbyter dicit:* Dominus sit simper vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo. *Et Ordo Vesperorum, sive sit Festum, sive non, sequitur per hunc modum: Primo dicitur Psalmus, sive Vespertinum, quod idem est; quo finito, Presbyter dicit:* Dominus sit simper vobiscum; ℟. Et cum. *Et statim dicitur Sonus, si sit Festum; quia dies Ferialis caret Sono: nisi in tem-*

pore Resurrectionis, qui propter solemnitatem dicitur: Quo finito; Dominus sit semper, *ut supra, et immediate dicitur una Antiphona sine Alleluia, cum Versiculo sibi adjuncto, et cum* Gloria Patri *ut inferius in suo loco patebit*; *Iterum*, Dominus sit semper, *etc. Et continuo dicitur alia Antiphona, cum Alleluia, quæ Lauda dicitur, cum Versiculo sibi adjuncto, et* Gloria Patri: *quibus peractis, sequitur Hymnus*: *Ipso finito, sequitur Deprecatio, seu Supplicatio, etc.* Oremus Redemptorem; *Statim sequitur Capitula, oratione Dominica succedente, scilicet*; Pater noster. Et ne nos. Sed libera. A malo nos libera, *et dicatur, ut scriptum est in ordinatione Horarum. Et statim sequitur Benedictio, antecedendo*: Humiliate vos benedictioni: *et continuo sequitur Lauda cum Vericulo sibi adjuncto*, et Gloria: *qua peracta, debat dici una Oratio de matutinis, quamcumque recitans voluerit, excepta prima, quæ jungitur Matutinario, quæ nunquam mutatur de suo proprio loco*; *Et statim fiunt Commemorationes, quæ sunt in consuetudine, vel accidunt de novo. Et scias, quod in Vesperis debes tu, vel quicumque voluerit istam Regulam, vel Officium hujus Regulæ exercere, in modum prædictum procedere. Licet plura sint Vespertina, Soni, Antiphonæ, et Laudes in ordinatione historiarum, non debet dici nisi unum Vespertinum vel Psalmum, quod idem est, et una Lauda. Antiphona est, quæ dicitur sine Alleluia*; *et Lauda, quæ cum Alleluia dicitur: Et hoc intelligitur in Festivitatibus, quæ non habent Proprietates; quia in illis, quæ habent, oportet ita dicere, sicut ibi ordinatum est*; *quia aliquæ Festivitates sunt, quæ excedunt istum modum in Antiphonis, et Orationibus. In Matutinis similiter est incipiendum, ut in Vesperis*: *et sequitur Matutinarium, et psalmus*, Miserere mei Deus, *cum Oratione sibi juncta, et tres Antiphonæ, cum suis Orationibus, statim sequitur*: ℟. *in aliquibus Festivitatibus cum Oratione, scilicet solemnibus*; *postea Canticum*; *postea Benedictio*; *postea Sonus*; *postea Laudes: Statim sequitur Prophetia; et continuo Hymnus*; *et inde sequitur Supplicatio, scilicet,* Oremus Redemptorem: *postea Capitula, postea Lauda, quæ dicitur in fine Vesperorum*: *et statim dicitur Benedictio, quæ in Vespera dicta fuit*; *et statim fiunt Commemorationes, quæ sunt in consuetudine*: *nisi sint solemnes Festivi-*

A *tates. Et Vesperis finitis, dicitur*: Vespere, mane, et meridie, *cum sua Oratione, et in Matutinum* Ad annuntiandum mane, *cum Oratione sequente*: *et in Completoriis,* Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi, *cum Oratione sibi juncta*: *et sic implentur prædictæ Horæ, exceptis Dominicis diebus quia in principio Matutinorum alia est ordinatio*; *quia dicta oratione Dominica, et* in nomine Domini nostri Jesu Christi, *etc., incipimus et dicimus Hymnum*, Æterne rerum Conditor, *cum sua Oratione sequente*; *Et statim sequuntur tres Psalmi, scilicet:* Domine, quid multiplicati sunt? Miserere mei, Deus, secundum, *et* Miserere mei LVI, *cum suis Antiphonis*; *et inde Oratione quæ sequitur; et inde omnia alia, ut in aliis Matutinis. Et si in diebus Dominicis principalibus, qui quasi historiales habentur*, B *utpote in Adventu, vel in Quadragesima, vel in talibus quæ mutari non possunt, aliquod Festum evenerit, mutetur Festum, et alia die sequenti celebretur. Et si forte sequenti die aliud Festum magis solemne evenerit, de eo dicatur*: *et proximiori die privato celebretur aliud. Et si illud Festum, de quo præsenti celebratur, volentius sive majoris solemnitatis fuerit, quam illud de quo debet fieri celebratio de isto principali festo dicantur Vesperæ: ita quod Lauda ultima, cum Oratione Matutinali, sit de Festo futuro celebrando, vel de eo, quod sequenti die debet celebrari. Et si talia Festa evenerint, quæ habent Octavarium secundum Regulam Gregorianam, utpote Festum* Sanctæ *Mariæ, et Sancti Joannis, et Apostolorum Petri et Pauli, et similium, ob reverentiam ipsorum, diebus privatis in*C *terpositis, de solemnitatibus illis Horas celebrare oportet*; *licet non ita solemniter*; *præterquam in Octava die. Et si in illa die Octavarii fuerit aliquod Festum, dicatur de Octavario in præcedenti die. Et si forte in una die duo Festa æqualia, vel quasi, evenerint, ut sunt Festum Philippi et Jacobi, Festum Sancti Torquati, vel similia; Festum, de quo habetur Proprietas, debet celebrari, nisi fuerit Vocatio illius Festi in illa Ecclesia; quia illud debet solemnizari, de quo habetur Vocatio*; *et in sequenti, de alio. Et si Dominicis diebus concurrentibus, Festum evenerit, prætermittatur dies Dominicus*; *quia satis habebit locum per annum, et Festum ipsa die celebretur. Item de Jejuniis in suis locis videbis.*

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI, AMEN.

INCIPIT

BREVIARIUM

AD DEBITE PERSOLVENDUM

DIVINUM OFFICIUM

SECUNDUM REGULAM

BEATISSIMI ISIDORI

ARCHIEPISCOPI HISPALENSIS.

1 IN DOMINICO PRIMO *ADVENTUS DOMINI.*

Ad Vesperos.

Incipiat Presbyter cum signo crucis.

In nomine Domini nostri Jesu Christi lumen cum pace. ℟. Deo gratias.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Isto ordine incipiantur omnia officia excepto de defunctis.

Lauda. A solis ortu usque ad occasum, *P.* Laudabile nomen Domini. ℣. Sit nomen Domini benedictum, amodo, et usque in æternum. *P.* Laudabile nomen Domini.

Oratio. Deus, cujus nomen est benedictum à solis ortu usque ad occasum, reple cor nostrum scientia, et ori nostro tuæ laudis officia deputa : ut, sicut omne per ævum debito honore benediceris, ita ab ortu solis usque ad occasum consono cunctorum ore lauderis. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus, et vivis, et omnia regis in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Et nota, quod in fine omnium Orationum debet semper dici modo supradicto.

Sono. Venite, exultemus Domino : jubilemus Deo salutari nostro. ℣. Præoccupemus faciem Dei in confessione, et in psalmis. *P.* Jubilemus Deo.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Antiphona. Alleluia. Audite, populi omnes, quia Dominus egrediens de loco suo, descendet, conculcans extrema terræ. ℣. Audite hæc omnes gentes : auribus percipite, qui habitatis orbem. *P.* Quia Dominus egrediens. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio,

A et Spiritui Sancto in sæcula sæculorum. Amen. *P.* Et descendet, conculcans.

Dicat presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum, etc.

Lauda. Alleluia. Mitte nobis auxilium de sancto : et de Sion tuere nos, Domine. *P.* In quacumque die invocaverimus te, alleluia, alleluia. ℣. Lætabimur in salutari tuo : et in nomine Dei nostri magnificabimur. *P.* Et de Sion tuere nos, Domine ℣. Gloria et honor, etc. *P.* In quacumque die invocaverimus.

Hymnus.

Christi caterva clamitet
Rerum parenti proximas,
Quas esse sentit, gratias,
B Laudesque promat maximas.
Vatum poli oracula
Perfecit olim tradita,
Cum nos redemit unicus
Factoris orbis Filius.
Verbum profectum, proditum
Tulit reatum criminum;
Sumensque nostrum pulverem,
Mortis peremit principem.
A matre natus tempore ;
2 Sed sempiternus a Patre.
Duabus in substantiis
Persona sola est numinis.
Venit Deus factus homo,
Nitescat ut cultu novo,
C Renatus in nato Deo,
Factus novus verus homo.
Natalis hinc ob gaudium
Ovans trophœo, gentium
Renata plebs per gratiam,
Hæc festa præbet annua.
Adventus hic solemnibus
Votis feratur omnibus,

Quos sustinere convenit,
Tanti Dei gloriam.
Secundus ut cum cœperit,
Orbemque, terror presserit;
Succurrat hæc humillima
Susceptoris dignitas.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
In sempiterna sæcula.
Respondeat Chorus. Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut nos gratia adventus sui propitius justificare dignetur. ℟ Præsta æterne omnipotens Deus.

Dicat Presbyter. Kyrie eleison. ℟ Christe eleison. Kyrie eleison.

Notandum est, quod post Supplicationem debent dici isti Kyrie eleison, *ut supra dictum est.*

Capitula. Audivimus, Christe; confitemur, et credimus, quod de sinu Patris egrediens, veneris, ut carnis nostræ vestibulo cingereris; liberaturus, scilicet susceptæ incarnationis mysterio, quod perierat naturæ vitiatæ contagio. Fac nos, prænuntiata adventus tui gaudia, promptissima surrectionis devotione excipere: ut, quia tu e loco patrio secretoque progrediens salvaturus homines, humanitus properasti ad publicum; nos e loco criminis exeuntes, munditiores concitum divinitatis tuæ prospectemus excursum: ut extrema vitæ nostræ, nullius discriminis conculcatione involvens; sic provoces terrore justitiæ, ut solita justifices pietate.

Pater noster, qui es in cœlis. ℟. Amen. Sanctificetur nomen tuum. ℟. Amen. Adveniat regnum tuum. ℟. Amen. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra. ℟. Amen. Panem nostrum quodidianum da nobis hodie. ℟. Quia Deus es. Et dimitte nobis debita nostra, sicut, et nos dimittimus debitoribus nostris. ℟. Amen. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

Dicat Presbyter.

Liberati a malo, confirmati semper in bono tibi servire mereamur Deo, ac Domino nostro. Pone, Domine, finem peccatis nostris: da gaudium tribulatis: præbe redemptionem captivis: sanitatem infirmis: requiemque defunctis. Concede pacem et securitatem in omnibus diebus nostris: frange audaciam inimicorum nostrorum: exaudi, Deus, orationem servorum tuorum omnium fidelium christianorum in hoc die, et in omni tempore. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia semper sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Dicat Prebyter. Humiliate vos ad benedictionem. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Notandum est, quod quoties cumque venerit Liberati

A a malo, *debet dici, sicut hic dictum est supra, usque ubi dicit :Benedictio.*

Dicat Presbyter.

Benedictio. Christus Dominus, qui ad redemptionem nostram venit, non mutatione loci, sed veritate hominis assumpti clarificandos nos attollat in gloriam regni. ℟. Amen. Atque idem ad redimendum veniens, redemptos nos a malis omnibus servet. ℟. Amen. Et quoniam ipse humiliatus iniquitatem nostram abstulit; ipse ploriosus beatitudinis nobis præmia donet. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui est benedictus, et vivit, et omnia regit in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

B *Et nota, quod in fine omnium Benedictionum debet dici modo supra dicto.*

Lauda. Qui sedes super cherubim appare. *P.* Veni, et salva nos, Domine. Alleluia. ℣. Quis regis Israel, intende: qui deducis, velut ovem, Joseph. *P.* Veni, et salva. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto in sæcula sæculorum. Amen.

P. Veni, et salva nos.

3 *Oratio.* Deus, Dei Filius, cujus in æternum per manet nomen; quique unum te esse innotescens Deum ac Dominum, per susceptæ incarnationis mysterium venistis in regem, ut redimeres sæculum: da nobis, ita fervere hujus mysterio pietatis, ut per hæc evadamus muscipulam deceptoris: ut, qui Adventus tui gaudia diffuso ore præci-
C qimus, salvatos nos, cum ad judicium veneris, te judice, gratulemur. ℟. Amen. Per misericordiam.

In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace: ℟. Deo gratias.

SequensCommemoratio debet dici in fine omnium Vesperorum per totum annum.

Lauda. Vespere, et mane, et meridie. *P.* Te laudamus, Domine.

Oratio. Domine, Deus omnipotens, qui vespere, et mane, et meridie unum diem vocari jussisti: et, ut sol agnosceret occasum suum, imperasti; aperi, quæsumus, tenebras cordium nostrorum, ut, te radiante, cognoscamus te Deum verum et lumen æterum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Dicat Presbyter. In nomine Domini nostri Jesu
D Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

Notandum, quod in fine omnium Horarum semper debet dici. In nomine Domini, *ut hic supra.*

Ad Matutinum.

Hymnus.

Æterne rerum Conditor,
Noctem diemque qui regis,
Et temporum das tempora
Ut alleves fastidium.
Præco diei jam sonat.
Noctis profundæ pervigil:
Nocturna lux viantibus,
A nocte noctem segregans.

Hoc excitatus lucifer
Solvit polum caligine;
Hoc omnis errorum chorus
Viam nocendi deserit.
Hoc nauta vires colligit
Pontique mitescunt freta:
Hoc ipsa petra Ecclesiæ
Canente, culpam diluit.
Surgamus, ergo strenue,
Gallus jacentes excitat,
Et somnolentos increpat
Gallus negantes arguit.
Gallo canente spes redit,
Ægris salus refunditur.
Mucro latronis conditur,
Lapsis fides revertitur,
Jesu labentes respice,
Et nos videndo corrige:
Si respicis, lapsi stabunt,
Fletuque culpa solvitur.
Tu lux, refulge sensibus,
Mentisque somnum discute:
Te nostra vox primum sonet,
Et ore psallamus tibi.
Gloria Patri ingenito,
Gloria Unigenito,
Una cum Sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula.
℟. Amen.

Oratio. Æternum te auctorem, et Conditorem rerumque omnium Dominum omnis lingua confitetur, et credit: tu enim in principio omnia fecisti: tu ipsa petra Ecclesiæ, in qua culpas nostras deflentes diluimus: tu enim in principio labentes respice, et videndo nos corrige; ut nostra vox tibi semper insonet in atriis tuis, et resolvere mereamur tibi. Propter clementiam tuam petimus, ineffabilis Deus, ut super nos vigilet custodia tua semper angelica: et venientes ad lucem cum exultatione a tuo lumine in æternum numquam discedamus: et electis tuis in æterna gaudia perfui mereamur. ℟. Amen

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me? tu autem, Domine, susceptor meus es. *Psalmus* III.

Antiphona. Lava me, Domine, ab injustitia mea: et a peccato meo munda me. *Psalmus* L.

Antiphona. Lava me, Domine, ab injustitia mea: et a peccato meo munda me, Domine.

Antiphona. In te confidit anima mea: libera me. Domine. *Psalmus* LVI.

Antiphona. In te confidit anima mea: libera me Domine.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui credentes in te redimendo suscipis, et exaltando glorificas; plebem tuam ab injustitiæ et peccatorum vinculis libera: veritatis et sapientiæ tuæ munere corda eorum locupleta; mentesque sanctifica: ut, sicut in cœlo A cum Sanctis regnat gloria, sic et in nobis maneat salus et benedictio tua. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

4 *Antiphona.* Veniet Dominus in regem: super omnem terram erit Dominus unus: *P.* Et nomen ejus in æternum manet. ℣. Exultate Deo adjutori nostro: jubilate Deo Jacob. *P.* Et nomen. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Et nomen.

Oratio. Deus, Dei Filius, cujus in æternum permanet. *Require fol.* 3.

Antiphona 2. Veniet ad locum sanctum Dominus, quem vos vultis; et Angelus testamenti, quem vos desideratis. *P.* Ecce veniet Dominus omnipotens. ℣. Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus. et sapientiæ ejus non et numerus. *P.* Ecce veniet.
B ℣. Gloria, et honor, etc. *P.* Ecce veniet.

Oratio. Christe, Dei Filius, qui veniens ad locum uteri Virginalis, verus angelus testamenti, agnosceris: concede nobis, ut fides, qua incarnationis tuæ gaudia diffuso ore concinimus, ab omni culpæ nostræ nos debito expiet, cum iterum te ad judicium venturum viderimus. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Veniet desideratus cunctis gentibus, *P.* Et videbit eum omnis oculus. ℣. Deus manifeste veniet: Deus noster et non silebit. *P.* Et videbit. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Et videbit.

Oratio. Desiderate cunctis gentibus ô Christe, adveniens, salva populos tibimet confitentes: ut, qui ad hoc præmium venisti ut primum redimeres; ad
C hoc iterum venias: ut credentes tibi pro meritis non condemnes. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

℟ Veni, clementissime Domine: succure jam, et parce fessis: jam miseranda erige oppressos. Redemisti vivos: eripe captivos. Adventum tuum omnis creatura tua expectat. *P.* Deum hic es, absolve reos: et dum veneris, defende nos tuos. ℣. Veni, Domine, et noli tardare: relaxa facinora plebi tuæ, et revoca dispersos in terram suam. *P.* Dum hic es. ℣. Gloria, et honor Patri. ℟. Veni, clementissime Domine.

Oratio. Veni clementissime Domine, veni; et prærroga libertatem oppressis: excita potentiam tuam; et plebem posside conquisitam: dirige vineam, quam
D per virum plantasti dexteræ tuæ: Et Filium hominis, quem confirmasti tibi, advocatum pro nobis exaudi: ut lachrymarum panis modum habeat in flagellis; potusque compunctionis nostræ vires non attenuet, sed et enutriat mentes. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Audiat terra ex ore meo. Expectetur, sicut pluvia eloquium meum, et descendant, sicut ros verba mea.

Canticum Deuteronomii (*Cap.* XXXII).

Attende cœlum, et loquar; *et audiat terra verba ex ore meo.

Expectetur sicut pluvia eloquium meum, et descendant sicut ros verba mea.

Sicut imber super gramen, * et sicut nix supra fænum.

Quia nomen Domini invocavi : * date magnitudinem Domino Deo nostro.

Deus, vera opera ejus, * et omnes viæ ejus judicia :

Deus fidelis, inquo non est iniquitas, * justus et sanctus Dominus.

Peccaverunt ei non filii immaculati : * natio prava et perversa. Hæc Domino retribuisti.

Hæc plebs fatua et non sapiens ? nonne hic est ipse pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te ?

In mente habete dies sæculi, * intelligite annos nationis nationum :

Interroga Patrem tuum, et dicet tibi ; * seniores tuos, et annuntiabunt tibi.

Cum dispartiret Excelsus gentes : * quemadmodum dispersit filios Adæ,

Statuit terminos gentium * secundum numerum Angelorum Dei.

Facta est pars Domini, plebs Jacob : ? funiculum hereditatis ejus Israel.

Sufficientem eum sibi fecit in terra deserta, * in siti caloris, ubi non erat aqua ;

Circumivit eum, et erudivit eum, sicut pupillam oculi, * Quemadmodum aquila proteget nidum suum desuper pullos suos sedens,

Extendit alas suas, et assumpsit eos, * et suscepit eos super scapulas suas.

Dominus solus deducebat eos : * et non erat cum illo deus alienus.

Imposuit in fortitudines terræ * nascentias agrorum,

Suggerunt mel de petra, * et oleum de firmissima petra.

Butyrum bovum, et lac ovium cum adipe 5 agnorum et arietum, filiorum taurorum et hircorum cum adipe renum, * frumentum, et sanguinem uvæ.

Bibit vinum. Et manducavit Jacob, * et saturatus est, et recalcitravit.

Dilectus : pinguis factus est, * et dilatatus est,

Et derelinquit Deum, qui fecit eum, * et recessit a Deo salutari suo.

Et exacerbaverunt me in diis alienis, in abominationibus suis in iram concitaverunt me.* Et sacrificaverunt dæmoniis, et non Deo,

Deos, quos non noverunt : * novi recentesque venerunt, quos nescierunt reges eorum.

Deum, qui te genuit, derelinquisti, * et oblitus es qui enutrivit te.

Vidit Deus, et zelatus est : * et exacerbatus est per iram filiorum suorum et filiarum.

Et dixit : Avertam faciem meam ab eis, * et ostendam quid erit eis in novissimo :

Quia natio perversa est : * filii, in quibus non est fides in ipsis.

A Ipsi in zelum concitaverunt me * et non in Deum,

In ira concitaverunt me * in idolis suis :

Et ego in ira concitabo eos, et non in gentem, * in gentem insensatam irritabo eos.

Quia ignis exarsit in ira mea, * et exardescit usque ad inferos deorsum :

Comedet terra nascentias agrorum, * et inflammant fundamenta montium.

Congeram in illis mala, * et sagittas meas consummabo in eis.

Tabescent fame, et esca avium erunt, * et tensio dorsus insanabilis eis.

Dentes bestiarum immittam in eis, * cum furore trahentium super terram.

A foris interficiet natos eorum gladius, et in promptuariis timor.

B Juvenis cum virgine, * lactans cum stabilito sene.

Dixi : Disperdam illos : * privabo autem ex omnibus memoriam eorum.

Nisi propter iram inimicorum suorum, * ut non sint longo tempore super terram : ut non consentiant adversarii, et dicant : Manus nostra excelsa est, et non Deus, fecit hæc omnia.

Quia natio perditi consilii est, * et non est in eis disciplina.

Et non cogitaverunt intelligere ; * hæc percipient in futuro tempore.

Quemadmodum persequitur unus mille, * et duo commovebunt dena millia ;

Nisi quia Dominus subdidit eos, et tradidit eos ? * quia non est Deus noster sicut dii illorum : inimici

C autem nostri insensati.

Ex vinea enim Sodomorum, vitis eorum, * et propago eorum ex Gomorra :

Uva eorum uva fellis, * botrus amaritudinis ipsis.

Ira dracorum vinum eorum, * et furor aspidum insanabilis.

Nonne hæc congregata sunt apud me, * et signata in thesauris meis ?

In diem judicii reddam in tempore, * cum titubaverit pes eorum :

Quia prope est dies perditionis eorum, * et advenient parata illis.

Quia judicabit Dominus populum suum, * et in servis suis consolabitur :

Vidit enim eos fatigatos, * et defectos in obduc-

D tionem, et dissolutos.

Et dixit : Ubi sunt dii tui, Israel, * in quibus confidebas in ipsis ?

De quorum adipe sacrificiorum edebatis, * et libebatis vinum libationum eorum :

Exurgant nunc et adjuvent vos, * et fiant vobis protectores.

Videte, quoniam ego sum Dominus, * et non est alius præter me.

Ego occidam, et vivere faciam : * percutiam, et ego sanabo, et non est qui eripiat de manibus meis.

Quia tollam in cælum manum meam, et jurabo per dexteram meam, et dicam : * Vivo ego in æternum.

Quia exacuam sicut fulgur gladium meum, * et A sagittas meas consummabo in eis :

Et suscipiet manus mea judicium, *et reddam judicium inimicis, et odientibus me retribuam.

Inebriabo sagitas meas sanguine. * et gladius meus manducabit carnes,

A sanguine vulneratorum, * et captivitates a capite principum inimicorum.

Lætamini cæli simul cum eo, * et adorent eum omnes Angeli ejus :

Lætamini gentes simul cum populo ejus, * et confirment eum omnes filii Dei ;

Quia sanguis filiorum ejus defendetur : * et defendet, et reddet judicium inimicis, et odientibus se retribuet, et mundabit Dominus terram populi sui.

Gloria, et honor Patri, et Filio et Spiritui sancto. B

Sicut erat, etc.

6 *Antiphona reiteretur* Audiat terra.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedictus es Deus, et benedictum nomen gloriæ tuæ. *P.* Benedicite Dominum omnes electi ejus : sit nomen sanctum ipsius benedictum in omnia sæcula sæculorum.

Canticum trium Puerorum (*Dan.* III).

Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum : et laudabilis, et gloriosus in sæcula :

Et benedictum nomen gloriæ tuæ, * quod est sanctum : et laudabile, et gloriosum in sæcula.

Benedictus es in templo sancto honoris tui, qui vides abyssos, et sedes super sedem regni tui, in firmamento cæli: * et laudabilis, et gloriosus in sæcula

Benedicite omnia opera Domini, cæli, * Angeli C atque omnes qui estis supra cælos ;

Omnes virtutes, sol et luna, imber et ros, * omnis spiritus, ignis et æstus, noctes et dies, lux et tenebræ,

Hyems et æstus, gelationes et nives, * fulgura et nubes ;

Terra, montes, et colles, * et omnia nascentia de terra ;

Maria et flumina, fontes, * cete et omnia quæ moventur in aquis ;

Volucres cæli, bestiæ et jumenta, * filii hominum, Israel : sacerdotes, servi Domini, spiritus et animæ justorum, sancti et humiles corde :

Anania, Azaria, et Misael, Domino hymmum dicite, et superexaltate eum in sæcula. Amen.

P. Benedicite Dominum. D

Gloria, et honor, Patri, etc.

P. Benedicite Dominum.

Sono. Venite, exultemus Domino. *Require fol.* 1.

Lauda. Laudate Dominum de cælis. Alleluia, alleluia. Laudate eum in excelsis. Alleluia, alluia.

Psalmus CXLVIII.

Laudate Dominum de cælis : * laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes Angeli ejus : * laudate eum omnes virtutes ejus.

Laudate eum Sol et Luna : * laudate eum omnes stellæ, et lumen.

Laudate eum cæli cælorum : * et aquæ, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandavit, et creata sunt.

Statuit ea in æternum, et in sæculam sæculi : * præceptum posuit, et non præteribit.

Laudate Dominum de terra, * dracones, et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis ; qui faciunt verbum ejus.

Montes, et omnes colles : * ligna fructifera, et omnes cedri.

Bestiæ, et universa pecora : * serpentes, et volucres pennatæ.

Reges terræ, et omnes populi : * principes, et omnes judices terræ.

Juvenes, et virgines : * seniores cum junioribus laudent nomen Domini :

Quia exaltatum est nomen ejus solius. * Confessio ejus super cælum et terram :

Et exaltabit cornu populi sui. * Hymmus omnibus sanctis ejus: filiis Israel, populo appropinquanti sibi.

Psalmus CXLIX.

Cantate Domino canticum novum : * laus ejus in Ecclesia sanctorum.

Lætetur Israel in eo, qui fecit ipsum : * et filiæ Sion exultent super regem suum.

Laudent nomen ejus in choro : * in tympano et psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est Domino in populo suo : * et exultabit mansuetos in salute.

Exultabunt sancti in gloria : * lætabuntur in cubilibus suis.

Exultationes Dei in faucibus eorum : et gladius bis acutus in manibus eorum :

Ad faciendam vindictam in nationibus, * increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus : * et nobiles eorum in vinculis ferreis.

Ut facient in eis judicium conscriptum : * gloria hæc est omnibus sanctis ejus.

Psalmus CL.

Laudate Dominum in sanctis ejus : * laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in potestatibus ejus : * laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ : * laudate eum in psalterio, et cithara.

Laudate eum in tympano, et choro : * laudate eum in chordis, et organo.

Laudate eum in cymbalis, bene sonantibus : * laudate eum in cymbalis jubilationis : omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat, etc.

7 *Lectio libri Ecclesiastici Solomonis* (*Cap.* XXIV).

℟. Deo gratias.

Fili, qui audit nec, non confundetur : et qui operantur in me, non peccant : qui elucidant me, vitam

æternam possidebunt. Hæc omnia liber vitæ, testamentum Altissimi, et agnitio veritatis. Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum, et hereditatem domui Jacob, et Israël promissiones. Posuit David puero suo excitare regem ex ipso fortissimum, in throno honoris sedentem in sempiternum. Qui implevit quasi Phison scientiam, et sicut Tigris in diebus novorum. Qui adimplet quasi Euphrates sensum: qui multiplicat quasi Jordanis in tempore messis. Qui mittit disciplinam sicut lucem: et assistens quasi Gehon in diebus vindemiæ. Qui perfecit primum scire ipsam, et infirmior non investigavit eam. A mari enim abundavit cogitatio ejus, et consilium ipsius in abysso magna. Ego sapientia effudi flumina. Ego trames aquæ in messe defluo. Ego quasi fluvius Dioryx, et sicut aquæductus exivi a paradiso. Dixi rigabo hortum meum, et inebriabo prati mei fructum. Et ecce factus est mihi trames abundans, et fluvius meus appropinquavit ad mare: quoniam doctrinam quasi lucem illuminabo omnibus, et narrabo illam usque in longinquum. Penetrabo inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo sperantes in Deum. ℟. Amen.

Hymmus.

Cunctorum Rex omnipotens,
Mundum salvare veniens,
Formam assumpsit corporis
Nostræ similitudinis.

Qui regnat cum Altissimo.
Virginis intra uterum,
Nasciturus in corpore,
Mortis vincula disrumpere.

Gentes erant in tenebris.
Viderunt lumen fulgoris,
Cum Salvator advenerit
Redimere, quo condidit.

Quem olim Vatum præscia
Cecinerunt oracula,
Nunc veniet in gloria,
Nostra ut curet vulnera,

Lætemur nunc in Domino
Simul in Dei Filio.
Parati eum suscipere
Adventus sui gloria.

℟. Amen.

Supplicatio, Oremus Redemptorem. *fol.* 2

Capitula. Preces nostras ne despexeris, Domine: intende jam, et exaudi clementer: ut, qui voce inimici turbati dejicimur, Unigeniti tui Adventu sacratissimo consolemur: et Fide pennigerati, velut columba, ad superna tendamus. Elonga nos, Domine, a sæculo maligno, et a laqueo inimici custodi. Per Christum.

Pater noster. Et ne nos.

Dicat Presbyter. Liberati a malo, confirmati semper in bono tibi servire mereamur Deo, ac Domino nostro. Pone Domine, finem peccatis nostris: da gaudium tribulatis: præbe redemptionem captivis: sanitatem infirmis, requiemque defunctis; Concede

A pacem et securitatem in omnibus diebus nostris: frange audaciam inimicorum nostrorum: exaudi, Deus, orationem servorum tuorum omnium fidelium christianorum in hoc die, et in omni tempore. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia semper sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Humiliate vos ad benedictionem.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Lauda. Qui sedes, *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui ad redemptionem nostram venit non mutatione loci, sed veritate hominis assumpti; clarificandos nos attollat in gloriam regni: ℟. Amen. Atque idem ad redimendum
B veniens, redemptos nos a malis omnibus servet. ℟. Amen. Et quoniam ipse humiliatus iniquitatem nostram abstulit, ipse gloriosus beatitudinis nobis præmia donet. ℟. Amen.

Per misericordiam. etc.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Fiat commemoratio ad Matutinum. Sequens commemoratio debet dici in omnibus Matutinis per totum annum.

Lauda. Ad annunciandum mane misericordiam tuam. *P.* Et veritatem tuam per noctem.

Oratio. Mane, Domine, oratio nostra perveniat ad te. Quia suscepisti confractionem fragilitatis nostræ, concede nobis diem istum jocundum, pacificum sine scandalo, & sine macula: sine ulla tentatione
C advenientes ad vesperam, te collaudamus regem æternum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

Et fidelium animæ omnium defunctorum requiescant in pace. ℟. Amen.

Exeunte Vespera. Lauda. A solis ortu.

Sono. Venite, exultemus Domino. ℣. Præoccupemus faciem ejus *P.* In Domino.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *fol.* 1.

Antiphona. Veniet Dominus cum senibus de principibus populi sui *P.* Ad salvandos populos. ℣. Audite hæc, omnes gentes: auribus percipite, qui habitatis orbem. *P.* Ad salvandos. ℣. Gloria, et honor Patri *P.* Ad salvandos.

D *Dicat Presbyter.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Lauda. Dexteram tuam, Deus, notam fac nobis Alleluia, *P.* Et eruditos corde in sapientia. Alleluia. alleluia. ℣. Deus manifeste veniet: Deus noster non silebit. *P.* Et eruditos, ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Et eruditos.

Hymnus. Christi caterva clamitet. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum. *Require fol.* 2.

Capitula. Deus, cujus æternitas tempora præscit, et ordinat; qui in plenitudine temporum Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum nasciturum ex Virgine destinas; ut æternius ex te sine tempore

prodiens, pro nobis Conditor nasceretur in tempo- A re; ut et nostra scilicet tempora visitet, et temporales suæ immortalitatis participes reddat; assistat tibi pro nobis: ut, quos Adventu suo mirabiliter redemit, munere suo abundantissime ditet.

Pater noster, Liberati a malo. *Require fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui per susceptæ mysterium carnis notam fecit mundo gloriam suæ divinitatis, adventu suo nos vivificet a delictis. ℟. Amen. Quique in se suscepit infirmitatem nostram, ipse in nobis conferat misericordiam suam. ℟. Amen. Et qui primum veniens humilis redemit mundum a crimine; secundo adveniens, ab omni nostro nos reatu justificet. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius.

Lauda. Deus manifeste veniet, et non silebit. Al- B leluia. *P.* Advocavit cœlos sursum, et terram discernere populum suum. Alleluia, alleluia. ℣. Deus deorum Dominus locutus est: et vocavit terram. *P.* Advocavit. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Advocavit.

Oratio. Deus Dei Filius, qui auditum faciens ab extremis terræ, mundo apparuisti in carne; restitue te ipsum mercedem fidei nostræ: ut qui opus tuum mirabile prædicamus, mercede illa, quæ coram te est, opus opulentius muneremur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

Fiat commemoratio sicut in primis Vesperis de Adventu Domini, fol. 1.

FERIA II POST PRIMUM DOMINICUM DE ADVENTU DOMINI. C

Ad Matutinum.

Antiphona. Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt adversum me. *Psalmus* III.

Oratio. Multiplicato sunt, Domine, qui tribulant nos; sed tu multus es in misericordia, qui eruas nos. In nullo enim formidamur ab imminenti pressura, si tantum tua muniamur, Omnipotens, gratia. ℟. Amen

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Antiphona 1. Auditum facite, populus, in extremis terræ nomen meum, dicit Dominus; quia ecce ego venio, et gloria mea illuminabit omnes sedentes in tenebris, ut sciant universæ gentes, quod ego sum Dominus. ℣. Audite hæc, omnes gentes: D auribus percipite, qui habitatis orbem. *P.* Ut sciant universæ. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Ut sciant universæ.

Oratio. Deus, Dei Filius. *Require fol.* 3.

Antiphona 2. Audi, Daniel, verba, quæ loquor ad te: claude sermonem, et signa librum usque ad Christum ducem, *P.* Ut adificetur Hierusalem, et ungatur Sanctus sanctorum in loco sanctificationis suæ. ℣. Audiam quid loquatur Dominus: quoniam loquetur pacem in plebem suam. *P.* Ut ædificetur Hierusalem. ℟. Gloria, et honor. *P.* Ut ædificetur Hierusalem.

9 *Oratio.* Deus, qui Danieli illi sancto atque Prophetæ, in peregrinationis recessibus constituto, futuræ pietatis sacramentum revelas, et sermonem claudere præcipis, et signatum librum usque ad Christum ducem manere instituis; aperi nobis in terris pietatis tuæ viscera: ut, quidquid in nobis obclusum observavit iniquitas, verborum tuorum aperiat veritas: qualiter ad ducis nostri Jesu Christi Filii tui in proximum accedentes præcepe, ab omni mereamur expiari criminum labe. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Erit opus justitiæ pax, et charitas in sempiternum. ℟. Et sedebit populus in pulchritudine pacis. Ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri. ℣. Et erit firmamentum in terra; in summis montium superextolletur super Libanum fructus ejus; et florebunt de civitate, sicut fœnum terræ. ℟. Et sedebit. ℟. Gloria et honor Patri, etc. ℟. Et sedebit populus.

Oratio. Nunciatam ecce vocem jocunditatis et lætitiæ, quam de tua, Christe, incarnatione audivimus, ut in nobis dulciori efficiamur charitate fruentiores, imploramus tuæ magnitudinis exspectantes potentiam; ut ita in nobis vocis hujus effectus usquequaque præpolleat, ut non confundamur in ea, cum manifestata nobis fuerat gloria tua. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℟. Veni, Domine, ad liberandum plebem tuam, quia relicti sumus pauci de multis, sicut oculi tui vident. *P.* Et ostende nobis viam, per quam incedamus, et verbum, quod faciamus. ℣. Qui regis Israël, intende; qui deducis, velut ovem, Joseph; qui sedes super cherubim, appare. *P.* Et ostende nobis. ℟. Gloria, et honor Patri et Filio, etc. *Reiteretur* ℟. Veni, Domine.

In Laudibus.

Ad Canticum Antiphona. Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram; numerus annorum ejus inæstimabilis.

Canticum (*Job.* XXXVI).

Ecce, Deus magnus vincens scientiam nestram; numerus annorum ejus inæstimabilis.

Qui aufert stillas pluviæ, et effundit imbres, ad instar gurgitum, qui de nubibus fluunt; * qui prætexunt cuncta desuper.

Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum; et fulgurare lumine suo, * desuper quoque cardines maris operiet.

Per hoc enim judicat populos, * et dat escam multis mortalibus.

In manibus abscondit lucem, * et præcipit ei, ut rursus adveniat.

Subter omnes cœlos ipse considerat, * et lumen illius super terminos terræ. * Post eum rugiet sonitus.

Et tonabit vocem magnitudinis suæ; * et non investigabitur, cum audita fuerit vox ejus.

Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, * qui facit A magna et inscrutabilia.

Qui præcepit nivi, ut descendat in terra; * et hiemis pluviis, et imbri fortitudinis suæ.

Quia in manu omnium hominum signat: * norint singuli opera sua.

Ingredietur bestia latibulum suum, * et in antro suo morabitur.

Ab interioribus egredietur tempestas, * et ab Arcturo frigus.

Flante Deo concrescit gelu, * et rursus lætissimæ funduntur aquæ.

Frumentum desidèrat nubes, * et nubes adspargunt lumen suum.

Quæ illustrant cuncta per circuitum, * quocunque eas voluntas gubernantis duxerit. B

Ad omne quod præceperit illis, * super faciem orbis terrarum.

P. Ecce Deus magnus.

Gloria, et honor Patri, et Filio et Spiritui Sancto, etc.

P. Numerus annorum.

Matutinarium. Antiphona. In tuo, Deus, lumine videbimus lumen, ℣. Ostende misericordiam tuam scientibus te, et justitiam tuam his, qui recto sunt corde. *P.* In tuo, Deus, lumine. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* In tuo, Deus, lumine.

Lauda. Laudate Dominum in sanctis ejus. Alleluia, alleluia. Laudate eum in firmamento virtutis ejus. Alleluia, *Psalmus* CL. *P.* Laudate Dominum. ℣. Gloria, et honor Patri et Filio, etc. *P.* Laudate C eum in firmamento, etc.

Prophetia. Fili, qui audit me non confundetur. *Require fol.* 7.

In omnibus hebdomadibus sequentibus require Prophetiam semper in quolibet Dominico propinquiori præterito: et fiat cursus per eam in Matutinis, sive sit in prima Dominica, sive in secunda, vel in tertia vel in quarta seu in quinta vel in sexta hebdomada in Adventu Domini usque ad Nativitatem ipsius.

10 *Hymnus.*

Cuntcarum rerum Omnipotens
Mundum salvare veniens,
Formam assumpsit corporis
Nostræ similitudinis.

Qui regnat cum Altissimo D
Virginis intrat uterum,
Nasciturus in corpore,
Mortis vincula disrumpere.

Gloria Patri Ingenito.
Gloria Unigenito,
Una cum Sancto Spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem. *fol.* 2

Capitula. Emitte, omnipotens Pater, de summis Cælorum claritatis tuæ lumen, Dominum nostrum Jesum Christum, et nostrorum arcana irradia pectorunt: ostende veritatem tuam, quæ nos à falsis inimici seductionibus eruat: et plebem, quam repuleras, ipse tibi restituat.

Pater noster. Et ne nos. Sed libera nos a malo.

A malo nos libera, et in tuo timore opere bono nos confirma Trinitas, Deus noster, qui es benedictus, et vivis, et omnia regis in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Lauda. Deus manifeste veniet, et non silebit. *Require fol.* 8.

Oratio. Fac nos, Domine, juste, et sobrie, et pie in hoc sæculo vivere, ut exspectantes beatam illam spem, et Adventum claritatis magnificentiæ tuæ; sic per semitas curramus justitiæ· ut merito accedere possimus ad æternam hereditatem. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus, et vivis, et omnia regis in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Dominus sit semper vobiscum ℟. Et cum spiritu tuo.

- In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

Commemoratio, ut in Dominico fol. 7.

Ad Vesperas omnia dicantur, ut in exeunte vespera de primo Dominico de Adventu Domini fol. 8, *excepto Sono, qui in diebus feriis non debet dici, neque cantari; excepto in tempore Resurrectionis.*

Hymnus.

Verbum supernum prodiens,
A Patre olim exiens.
Qui natus orbi subvenis
Cursu declivi temporis.

Illumina nunc pectora,
Tuoque amore concrema;
Audito ut præconio
Sint pulsa tandem lubrica.

Judexque cum post aderis
Rimari facta pectoris
Reddens vicem pro abditis
Justisque regnum pro bonis:

Non demum arctemur malis
Pro qualitate criminis;
Sed cum beatis compotes
Simus perenni cælibes.

Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice
Cum Spiritu Paraclito
In sempiterna sæcula.
Amen.

Supplicatio. Orémus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus, ut nos gratia Adventus sui propitius justificare dignetur. ℟. Præsta, eterne omnipotens Deus.

Dicat Presbyter. Kyrie eleïson. ℟. Christe eleïson Kyrie eleïson.

Capitula. Exurge, Deus, qui judicas terram, et brachio fortitudinis rege, quos miserabili concedere

dignatus es opere, quosque facinora aggravant vitiorum; tuarum subleva miserationum: ut justitiam tuam, quam cæli annunciant, agnoscamus, et gloriam tuam cum omnibus populis videamus: ut inhabitet gloria in terra nostra, et si redemptio nobis, quam alacres fide credimus esse venturam.

Pater noster. Et ne nos. Sed libera nos a malo. Amen.

A malo nos libera, et in tuo timore. *ut supra.*

Benedictio. Christus Dominus, qui ad hoc venit, ut impietates a domo Jacob averteret; ad hoc iterum veniet, ut redeuntes ad a se mortis potestate liberet. ℟. Amen. Et, qui dudum veniens, reconciliare dignatus est mundum; ad judicium veniens, ab omni nos pœnarum liberet cruciatu. ℟. Amen. Ut cum illo gaudeamus in gloria, quem hic pura fidei incolimus conscientia. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui est benedictus, et vivit, et omnia regit in sæcula sæculorum ℟. Amen.

Lauda. Deus manifeste veniet. *require fol.* 8.

Oratio. Fac nos, Domine, juste. *require fol.* 11.

11 FERIA IV.

Ad Matutinum.

Antiphona. Lava me, Domine, ab injustitia mea. *P.* Et a peccatis meis munda cor meum. *Psalmus* L, *et cum ista oratione, quæ sequitur.*

Oratio. Deus, Dei Filius, cujus in æternum per manet nomen. *Require fol.* 3.

Antiphona 1. In illa die repleta erit terra scientia Domini, quasi, aquæ maris operientis: et radix Jesse, quæ stat in signum populorum. *P.* Ipsum gentes deprecabuntur. ℣. In sua justitia judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum, et humiliabit calumniatorem. *P.* Ipsum gentes deprecabuntur. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc. *P.* Ipsum gentes.

Oratio. Juxta est, Domine, dies Adventus, et jam in januis est terribilis hora illa judicii. Sileat ergo omnis caro a facie tua, et prolapsionis suæ culpam fletibus diluat: et, quia nos ista per nos facere non valemus: per te id agere confidimus. Ideo poscimus, ut, qui electos ad te vocando sanctificas, peccatores coronandos beatitudine æterna sustollas. ℟. Amen

Per misericordiam tuam, etc.

Antiphona 2. Confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus per omnem orationem, et obsecrationem in Adventum Jesu Christi Domini nostri. ℣. Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, donec extollatur luna. *P.* Per omnem orationem. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Per omnem orationem.

Oratio. Fac nos, Domine, juste, et sobrie, et pie in hoc sæculo vivere, ut expectantes beatam illam spem et adventum claritatis magnificentiæ tuæ, sic per semitas curramus justitiæ, ut merito accedere possimus ad æternam hereditatem. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

Antiphona 3. Consolamini, consolamini, Populus

A meus, dicit Dominus, Deus vester: loquimini ad cor Jerusalem, quia suscepit de manu Domini duplicia. *P.* Dicite civitatibus Juda. *P.* Ecce Deus vester in fortitudine veniet. ℣. Advocavit cœlos sursum, et terram discerne populum suum. *P.* Dicite civitatibus. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Ecce Deus.

Oratio. Christe, Dei Filius, qui et olim venisti nasciturus in carne, et iterum venies cum ducibus et principibus populi tui ad faciendum judicium in gloria majestatis; presta nobis ut cum veneris, non peccatis restituas vicem; sed pro fide, qua te credimus, æternam nos provehas ad mercedem. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

℟. Veniet Dominus, et apparebit in medio filiorum populi sui; de manu impiorum liberabit eos. *P.* Et
B de morte redimet illos. ℣. Dominus omnipotens suscitabit nobis justum, et ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum. *P.* Et de morte. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *Réiteretur* ℟. Veniet Dominus.

In Laudibus.

Antiphona. Fidelis erit domus tua. *P.* Et regnum tuum usque in æternum, dicit Dominus.

Canticum (*II Reg.* VII).

Ego tuli te de pascuis sequentem greges, * ut esses dux super populum meum Israel:

Et fui tecum in omnibus ubicunque ambulasti, * et interfeci omnes inimicos tuos a facie tua:

Fecique tibi nomen grande juxta nomen magnorum * qui sunt in terra.

C Et ponam locum populo meo Israel, et plantabo eum, et habitabit sub eo, * et non turbabitur, amplius:

Nec addent filii iniquitatis, ut affligant eum sicut prius, * ex die qua constitui judices super populum meum Israël:

Et requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis: * Prædicitque tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus.

Cumque completi fuerint dies tui, * et dormieris cum patribus tuis,

Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur ex utero tuo, * et firmabo regnum ejus:

Ipse ædificavit domum nomini meo, * et stabiliam thronum regni ejus in sempiternum.

D Ego ero ei in patrem, * et ipse erit mihi in filium:

Et fidelis erit domus tua, * et regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam.

Et thronus tuus erit firmissimus jugiter.

P. Fidelis erit.

Gloria, et honor Patri, etc.

P. Et regnum ejus.

Matutinarium. Antiphona. Emitte lucem tuam, Domine, et veritatem tuam. ℣. Ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua. *P.* Emitte lucem. ℣. Gloria, **12** et honor Patri, etc. *P.* Emitte lucem.

Lauda. Laudate Dominum in sanctis ejus: Alle-

luia, alleluia. Laudate eum in firmamento virtutis. A Alleluia. *Psalmus* CL.

Prophetia: Fili, qui audit me, non confundetur. *Require fol.* 7. *Hymnus.* Verbum supernum prodiens *Require fol.* 10. *Supplicatio*. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum. *Require fol.* 2.

Capitula. Deus, cui omnis terra præconans jubilat laudem; cujus gloriam canora psalmi conclamant voce; cujusque terribilem in tuis operibus fatetur virtutem; notum facito salutare tuum in conspectu omnium nostrorum. Revela justitiam tuam, qua possimus te nostrum agnoscere creatorem: et esto memor misericordiæ tuæ, qua nostrorum criminum mereamur invenire remissionem: ut videntes salutare tuum, jubilemus tibi, hymnum cantemus in exultatione psalmum; et perfrui mereamur tuæ beati- B tudinis præmio.

Pater noster.

A malo nos libera. *Quære fol.* 10.

Lauda. Deus manifeste veniet. *Require fol.* 8.

Oratio. Salvator Domine, qui in monte Sion ascendens, Redemptor mundi per susceptam carnem ostensus es: libera populum tuum Israel ab omni inquinamento nequitiæ: ut, cujus nomen in mundo innotuit gloriosum, ejus misericordia non patiatur perire animas redemptorum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus, et vivis, et omnia regis.

Commemoratio. fol. 7.

Ad Vesperas.

Lauda. A solis ortu usque ad occasum, laudabile C nomen Domini. ℣. Sit nomen Domini benedictum, amodo, et usque in æternum. *P.* Laudabile.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℣. et cum spiritu tuo.

Antiphona. Veniet Dominus cum senibus, et principibus.

Lauda. Dexteram tuam Deus. *Require fol.* 10.

Hymnus.

Vox clara ecce intonat:
Obscura quæque increpat,
Pellantur eminus somnia,
Ab æthere Christus promicat.
Mens jam resurgat torpida,
Quæ sorde extat saucia;
Sidus refulget jam novum,
Ut tollat omne noxium.
En sursum agnus mittitur.
Laxare gratia debitum:
Omnes pro indulgentia
Vocem demus cum lachrymis:
Secundo ut cum fulserit,
Mundumque horror cinxerit;
Non pro reatu puniat.
Sed pius tunc nos protegat.
Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum spiritu Paraclito.
In sempiterna sæcula. Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum. *Require fol.* 2.

Capitula. Deus, cujus faciem videre fidelis omnis intendit, et quem venire, toto cordis desiderio concupiscit: præsta nobis, ut cum visio humanitatis tuæ apparuerit, cunctis visio divinitatis tuæ nos eripiat a tormentis: ut, glorificato in corpore majestatis tuæ præsentiam contuentes, tartareos supplicii evadamus ardores.

Pater noster.

A malo nos libera. *Require fol.* 10.

Benedictio. Redemptor noster et Dominus, qui, nascendo in carne, jugum a nobis sustulit legis; compleat in nobis beneficia suæ pietatis. ℟. Amen. Et qui de nobis suscepit, quod divinitati suæ conveniret; de suo conferat, quod in nos præstolatus munificet. ℟. Amen. Ut omnes, qui hic priora gaudia Adventus ejus hilari devotione excipimus; secundi Adventus sui tempore cum Sanctis omnibus exultemus. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui est benedictus, et omnia regit in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Lauda. Deus manifeste veniet, et non silebit, alleluia. *Require fol.* 8.

Oratio. Deus Pater omnipotens, qui Eliam prophetam ad confortandas animas dubias missurus es; antequam veniat dies tuus magnus, fac nos ut in nostris iniquitatibus, per quas quotidie labimur, fundati merito sine fine vivamus. ℟. Amen. Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es.

13 *Dicat Presbyter.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

Fiat Commemoratio, ut in fol. 1.

SEXTA FERIA.

Ad Matutinum.

Antiphona. In te confidit anima mea: et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. *Psalmus* LVI.

Oratio. Deus, Filius, cujus in æternum permanet nomen. *Require fol.* 3.

Antiphona 1. Cum Christus apparuerit vita vestra.
D *P.* Tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. ℣. Venite, exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro: præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei. *P.* Tunc et vos apparebitis. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Tunc et vos.

Oratio. Salvator Domine, qui in monte Sion ascendens, Redemptor mundi per susceptam carnem ostensus es; libera populum tuum Israel ab omni inquinamento nequitiæ; ut, cujus nomen in mundo innotuit gloriosum, ejus misericordia non patiatur perire animas redemptorum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus, et vivis, et omnia regis. Dominus sit semper vobiscum ℟. Et cum spiritu tuo.

Antiphona 2. Confortamini, pusillanimes: confortamini, et nolite timere: ecce Deus vester ultionem adducit retributionis. *P.* Deus ipse veniet, et salvos nos faciet. ℣. Omnes gentes plaudite manibus: jubilate Deo in voce exultationis. *P.* Ecce Deus vester, ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, etc. *P.* Deus ipse.

Oratio. Super montem Adventus tui gaudia evangelizantes ascendimus, dum in altitudine tua, Christe, Dei Filius, fundati; ea, quæ de te vera sunt, credimus et fatemur. Oremus ergo, ut, qui ad faciendum judicium es venturus, nos expies à criminibus nostris. Amen.

Per misericordiam, etc.

Antiphona 3. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam. *P.* Antequam veniat dies Domini magnus, ℣. Audite hæc, omnes gentes: auribus percipite, qui habitatis orbem. *P.* Antequam veniat. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Antequam.

Oratio. Deus Pater omnipotens. *Require retro in vesperis præcedentibus de 4 feria, fol.* 12.

℟. Consolabitur nos Dominus Deus noster. *P.* Et ostendet misericordiam super nos: non enim derelinquet nos in finem. ℣. Ecce Dominus in medio nostri veniet, quasi ros, et sicut stillæ super herbam, et non immittet ultra furorem suum; sed revertetur, et miserebitur nobis. *P.* Et ostendet. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur* ℟. Consolabitur nos.

In Laudibus.

Ad Canticam. Antiphona. Salvabit nos Dominus Deus noster in die illa; ut gregem populi sui.

Canticum (*Zachar.* IX).

Exulta satis filia Sion, * jubila Hierusalem;

Ecce Rex tuus veniet tibi * justus, et salvator:

Ipse pauper, ascendens super asinam, * et super pullum filium asinæ.

Et disperdam quadrigam Ephraim, * et equum de Hierusalem.

Et dissipabitur arcus belli: * et loquetur pacem gentibus.

Et potestas ejus a mari usque ad mare; * et a fluminibus usque ad fines terræ.

Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, * in quo non est aqua.

Convertimini ad munitionem vincti spei; * hodie quoque adnuncians duplicia reddam tibi.

Quoniam extendit mihi Judam quasi arcum, implevi Ephraim: * et suscitabo filios tuos Sion super filios tuos Græcia:

Et ponam te quasi gladium fortium. * Et Dominus Deus super eos videbitur;

Et exibit ut fulgur, jaculum ejus: * et Dominus Deus in tuba canet, et vadet in turbine Austri.

Dominus exercituum proteget eos: et devorabunt te, et subjicient lapidibus fundæ; * et bibentes inebriabuntur, quasi a vino et replebuntur ut phialæ, et quasi cornu altaris.

Et salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa,

A ut gregem populi sui. *P.* Salvabit nos Dominus. Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat, etc.

P. Salvabit nos.

Matutinarium. Antiphona. Illuminas tu mirabilis a montibus æternis: turbati sumus omnes insipientes corde. ℣. Notus in Judæa Deus: in Israel magnum nomen ejus. *P.* Illuminas tu **14** mirabilis. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Illuminas tu.

Lauda. Laudate Dominum in sanctis ejus: alleluia, alleluia. Laudate eum in firmamento virtutis ejus, alleluia. *Psalmus* CL.

Prophetia. Fili, qui audit me, non confundetur, *Require retro fol.* 7. *Hymnus.* Vox clara ecce intonat. *Require in Vesperis 4 feria fol.* 12. *Supplicatio.*
B Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum. *Require fol.* 2.

Capitula. Domine virtutum, orationes servorum tuorum placatus accipe, et quid nos orare oportet, dignare monstrare: eosque æternitatis cibo conforta, quos panis lachrymarum conturbat: et tam miserabili fletu flumina lachrymarum oculi fluant, ut miserationum tuarum copiam criminibus elisis implectamur: quique Redemptoris nostri Adventum pavemus, ejus gloriosum conspectum ipso adveniente pacatissimum contemplemur.

Pater noster.

A malo nos libera. *Require fol.* 10.

Lauda. Deus manifeste veniet. *fol.* 8. *Benedictio.* Redemptor noster et Dominus. *fol.* 12.

C In nomine Domini. ℟. Deo gratias.

Fiat commemoratio fol. 1.

IN SECUNDO DOMINICO DE AVENTUA DOMINI.

Ad Vesperas.

Lauda. A solis ortu usque. *Oratio.* Deus, cujus nomen. *Require fol.* 1.

Sono. Alleluia. Gaudebunt campi, et omnia, quæ in eis sunt. Tunc exulbabunt omnia ligna silvarum ante faciem Domini. *P.* Quoniam venit: alleluia. ℣. Cantate Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra. Psallite Deo, et benedicite nomen ejus: annunciate inter gentes gloriam ejus. *P.* Quoniam venit: alleluia.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Ecce revelabitur gloria Domini Gentibus. *P.* Et videbit omnis caro, quod os Domini locu-
D tum est. ℣. Deus manifeste veniet, et Deus noster, et non silebit. *P.* Et videbit. *P.* Gloria et honor Patri. ℣. Et videbit.

Lauda. Dominus enim dabit benedictionem: alleluia. *P.* Et terra nostra dabit fructum suum: alleluia, alleluia. ℣. Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius, ut inhabitet in terra nostra. *P.* Et terra. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Et terra.

Hymnus. Christi caterva. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi. *Require retro fol.* 1 *et* 2. *Capitula.* Deus, cui omnis terra. *Quære fol.* 12. Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Deus, Dei Patris. Filius, qui olim Pro-

phetarum vaticinio in carne prædictus es nascitu- A rus, nascentia in nos virtutum corrobores. ℟. Amen Quosque mysterio iucarnationis suæ adoptavit sibi in filios, non patiatur quosquam a se effici alienos. ℟. Amen. Ut gaudium, quod aliquando de ejus fide sumimus, per exhibitionem operum bonorum multiplicius cumulemus. ℟. Amen. Per misericordiam

Lauda. Deus summus, terribilis super omnem terram : alleluia. *P*. Subjecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris. *P*. Elegit nos hereditatem sibi, quam dilexit: alleluia, alleluia. ℣. Omnes gentes, plaudite manibus: jnbilate Deo in voce exultationis. *P*. Subjecit populos. ℣. Gloria, et honor Patri. *P*. Elegit nos

Oratio. Deus, qui manifeste venturus. *Quære in Matutinis sequentibus*

Ad Matutinum.

Hymnus. Æterne rerum conditor. *fol. 3*

Oratio. Æternum te Dominum, rerumque omnium conditorem, cunctorum vox canit fidelium, qui et certos temporum limites figis et metas, quibus nox secernatur, et dies, æterna lege constituis. Abyssus etenim sapientiæ tuæ, ut mortalium levaret fastidium, aliud labori concessit, aliud quieti servavit. Præsta ergo, omnipotens Deus, ut mens ægra sopore, dum gallo canente admonetur, alacriter currens ad spem redeat lucis, et primitias diurni laboris in tuis semper impendat officiis. ℟. Amen.

Per misericordiam

Antiphona. Multi dicunt animæ meæ : Non est salus ipsi in Deo ejus. *Psalmus* III.

Antiphona. Lavabis me ab iniquitate. *Psalmus* L.

Antiphona. Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram, gloriam tuam. *Psalmus* LVI.

Oratio. Clementissime Domine, qui es animarum perpetua salus, et valida debilium virtus; libera nos de viris sanguinum, et a telis hostium defende clypeo tuo: mitte nobis de cœlis invictum auxilium, et conculcantes nos redige in opprobrium : quatenus
15 ad officium matutinum liberi consurgamus et vota notra tuo sancto nomini fideliter impendamus ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 1. Deus manifeste veniet, et Deus noster, et non silebit. *P*. Et in circuitu ejus tempestas valida. ℣. Advocavit cœlos sursum, et terram discernere populum suum. *P*. Et in circuitu ejus. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P*. Et in circuitu.

Oratio. Deus qui manifeste venturus ad judicium crederis, manifestam potentiam tuam in nobis ostende tuæ salvationis : ut, qui terribilis sustineris, mitissimus, cum adveneris, sentiaris. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

Antiphona 2. Veni ad liberandum nos : Domine Deus virtutum converte nos. *P*. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus. ℣. Qui regis Israël, intende: qui deducis, velut ovem, Joseph. *P*. Et ostende. ℣. Gloria, et honor Patri. *P*. Et ostende faciem tuam.

Oratio. Veni ad librandum nos, Domine Deus virtutum : converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus : quo præbente, dignæ pœnitentiæ dono purificati, in tuo mercamur adesse judicio. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

Antiphona 3. Veni, Domine, et noli tardare : relaxa facinora plebi tuæ. P. Et revoca dispersos in terram suam. ℣. Deus virtutum converte nos, ostende faciem tuam, et salvi erimus. P. Et revoca. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et revoca dispersos.

Oratio. Veni, Domine noli tardare, relaxa jam facinora plebis tuæ, ut dispersionem nostram in æternis gaudiis dum expectaris, convertas ad votum, occurrasque nobis ad judicium ad subventionis omnimodæ complementum. ℟. Amen.

B Per misericordiam tuam, etc.

℟. Hæc dicit Dominus : Suscitabo vobis Pastorem de civitatibus Juda et regnabit vobiscum sicut cum patribus vestris. P. Et miserebitur terræ suæ, et jam non eritis in tristitiam amplius. ℣. Ecce Dominus ultionem adducet retributionis ; Deus ipse veniet, et salvabit nos. P. Et miserebitur. ℣. Gloria et honor Patri. *Reiteretur*. ℟. Hæc dicit Dominus.

Oratio. Domine Deus omnipotens, qui pro humani generis redemptione coæternum tibi coæqualemque Filium Angeli anunciatione per Mariæ Virginis uterum usque ad nos voluisti transmittere ; da nobis hoc tempore Adventus tui Unigeniti eamdem pacis gratiam, quam in præterita largire dignatus es sæcula. Et illi nos in occursum fidei secies nu-
C merandos, quos in fidei primordia a Johanne pænitentiæ undis aquarum ablutos a te postremo per Filium in Spiritu Sancto te igni cognoscimus baptizatos. ℟. Amen.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Expectetur, sicut pluvia eloquium meum : et descendant, sicut ros, verba mea, quia nomen Domini invocavi : date magnitudinem Deo vestro.

Canticum. Attende, cœlum, loquar; et audiat terra. *Require fol*. 4

Ad Benedictus, Antiphona. Benedicite Dominum, pusilli, et magni omnes, qui expectatis Adventum ipsius.

Canticum. Benedictus es, Domine, Deus patrum
D nostrorum, *fol*. 6

Sono. Alleluia. Gaudebunt campi. *Require fol*. 14.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis : alleluia. Laudate eum in excelsis, allelua : alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap*. XXII.)

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Vade, ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositum templi; et dices ad eum : Quid tu hic, aut quasi quis hic ? quia excidisti tibi hic sepulchrum, excidisti memoriale in excelsa diligenter, in petra tabernaculum tibi. Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallinaceus, et quasi amictum suble-

vabit te. Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam et spatiosam : ibi morieris, et ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domus Domini Dei tui. Et expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te. Et erit in die illa : Vocabo servum meum Eliachim filium Helciæ, et induam illum tunicam tuam, et cingulo tuo confortabo eum, et protestatem tuam dabo in manu ejus, et erit quasi pater habitentibus in Hierusalem et domui Juda. Et dabo clavem domus David super humeros ejus, et aperiet, et **16** non erit qui claudat, et claudet, et non erit qui aperiat. Et figam paxillum in loco fideli et erit in solium gloriæ domus patris sui. Et suspendam super eum omnem gloriam domus patris ejus. ℟. Amen.

Hymnus. Cunctorum Rex omnipotens. *Require fol.* 7. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi. *Require fol.* 2.

Capitula. Christus, qui, nasciturus in carne, complementum factus es legis ; perfectionem in nobis tribue sanctitatis : et, qui olim Adventu tuo redimere dignatus es mundum, judicii tui tempore a suppliciis serva animas redemptorum

Pater noster, qui es in cœlis.

Liberati a malo, etc. *Require fol.* 2.

Lauda. Deus summus, terribilis. *Benedictio.* Deus, Dei Patris Filius. *Quære fol.* 14

Exeunte Vespera. Lauda. A solis ortu usque ad occasum. *Require fol.* 1.

Sono. Alleluia. Gaudebunt campi. *fol.* 14

Antiphona. Erit Dominus corona gloriæ in die illa. P. Et ornamentum lætitiæ residuum populi sui Israel. ℣. Et dominabitur a mari usque ad mare, et usque ab flumen propagines ejus. *P.* Et ornamentum lætitiæ. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Et ornamentum lætitiæ.

Lauda. Exultent, et lætentur in te omnes, qui quærunt te, Domine, alleluia. *P.* Et dicant : Semper magnificetur, alleluia, alleluia ℣. Dominc, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exaltabuntur. *P.* Et dicant. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio. *P.* Et dicant semper.

Hymnus. Christi caterva clamitet. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum, *ut supra in primo Dominico de Adventu Domini fol.* 1. *et* 2. *Capitula.* Exurge Deus, qui judicas terram *Quære fol.* 10 Pater noster. Liberati a malo, etc. *Quære fol.* 2. Benedictio. Christus Dominus, qui ad hoc venit, etc. *Quære fol.* 10. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius, etc.

Lauda Super salutare tuum, alleluia, exultemus vehementer, vitam petimus, tribue, Domine, alleluia, alleluia. *P.* In longitudinem dierum, in æternum, et in sæculum sæculi, alleluia, alleluia. ℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo, gloriam et magnum decorem impones super eum. *P.* In longitudinem dierum. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* In longitudinem dierum.

Oratio. Juxta est, Domine, dies Adventus tui, et

A jam in januis est terribilis illa hora judicii. Sileat ergo omnis caro a facie tua, et prolapsionis suæ culpam fletibus diluat. Et, quia nos ista per nos facere non valemus, per te id agere confidimus. Ideo poscimus, ut, qui electos ad te vocando sanctificas, peccatores coronandos beatitudine æterna sustollas. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam

IN SECUNDA FERIA SECUNDÆ HEBDOMADÆ.

Ad Matutinum

Antiphona. Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me ? tu autem, Domine, susceptor meus es. *Psalmus* III. *cum sua Oratione.* Multiplicati sunt, Domine, *fol.* 8

Antiphona. 1. Montes et colles cantabunt coram

B Deo, et omnia lingua silvarum plaudent manibus. *P.* Quoniam veniet Dominus dominator in signum æternum, quod numquam auferatur. ℣. Gaudebunt campi, et omnia lingua cedri Libani, quas plantavit. Illic passeres nidificabunt. *P.* Quoniam veniet Dominus. ℣. Gloria, et honor. *P.* Quoniam veniet.

Oratio. Dominator Domine, qui in signum æternum liberator mundi adveniens, montes et colles coram te laudem fecisti clamare, cum tota in te viventia approbasti ; concede nobis, ut laudes, quas glorioso nomini sancto tuo offerimus, acceptas tibi semper efficas : ut, qui mundum redempturus, in salutis signo ostensus es ; mundum iterum judicaturus, non ultorem, sed liberatorem te nostris oculis manifestes. ℣. Amen.

C Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Adhuc modicum et consummabitur indignatio. *P.* Et in illa die auferetur onus de humero nostro, et jugum de collo nostro. ℣. Videant pauperes, et lætentur : quærite Dominum, et vivet anima vestra. *P.* Et in illa die. ℣. Gloria, et honor. *P.* Et in illa die.

Oratio. Jesu Salvator noster et Domine, qui jugum legis a collo nostro prædicamento gratiæ sustulisti, et onus nostri humeri in tuis humeris excepisti ; concede precibus Ecclesiæ tuæ, ut, quæ, consummata indignatione, fidei tuæ precepto refulsit ; de consummata justitia mereamur a te, ad judicium **17** veniente, attolli : ut et hic feliciter vivat, et pos feliciori prospectu faciem divinitatis tuæ lætabunda

D aspiciat. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus, etc.

Antiphona 3. Ego ante te ibo, dicit Dominus *P.* Et gloriosos terræ humiliabo. ℣. Deus, deorum Dominus, locutus est, et vocavit terram. *P.* Et gloriosos, ℣. Gloria et honor Patri, et Filio, *P.* Et gloriosos terræ humiliabo.

Oratio. Esto nobis, Domine, corona gloriæ in die, qua veneris sæcula judicare per ignem : ut hic nos pius vestias indumento justitiæ, et post perfecta gloriæ libertate. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

℟. Ecce, Sion, dominator tuus cum jocunditate veniet. *P.* Et omnes sancti gaudebunt super te cum

A lætitia et gaudio sempiterno. ℣. Veni, Domine, noli tardare: relaxa facinora plebi tuæ. *P.* Et omnes. ℣. Gloria, et honor Patri *Reiteretur* ℟. Ecce, Sion.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Ecce enim Deus Salvator meus: fiducialiter agam in eo, et non timebo.

Canticum (*II Machab.* I).

Dominus Deus omnium creator, * terribilis et fortis, justus, et misericors.

Solus rex bonus, qui solus præstans, * solus justus, omnipotens.

Qui libera Israël de omni malo, * qui fecisti patres electos, et sanctificasti eos:

Accipe sacrificium ab universo populo Israël, * et custodi plebem tuam, et sanctifica,

B Congrega, Domine, dispersiones nostras * et libera eos qui serviunt Gentibus contemnentibus et abominantibus.

Respice: Ut sciant Gentes quia tu es Deus noster: totque opprimentes, et contumeliam facientes in superbia, * et constitue populum tuum in loco sancto tuo.

P. Ecce enim.

Gloria, et honor Patri.

P. Fiducialiter.

Matutinarium.

Sit splendor Domini Dei nostri super nos: et opera manuum tuarum dirige super nos ℣. Respice in servos tuos, et in opera tua, et dirige filios eorum. *P.* Et opera manuum. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Et opera manuum.

C *Lauda.* Laudate Dominum in sanctis ejus: alleluia, alleluia. Laudate eum in firmamento virtutis ejus: alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Prophetia. Hæc dicit Dominus: Vade, ingredere. *fol.* 15.

Hymnus.

Ecce salvator omnium
Desideratus optimus,
Adventus cujus prædictus,
Venturus est quantocius.
Mundemus corda a sordibus
Parantes viam Domino
Clamemus cordis organo:
Veni, Redempter, salva nos.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
In sempiterna sæcula.
Amen.

D *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum. *fol.* 2.

Capitula. Memor esto, Domine, Ecclesiæ tuæ, ex Gentium diversitate collectæ: eique misericordiæ veritatis tuæ thesauros pande: ut et venisse te pro sua redemptione lætatur; et pro sua remuneratione venturum in exultationis jubilo præstoletur.

Pater noster. A malo nos libera, etc. *fol.* 10.

Lauda. Deus manifeste veniet. *Require fol.* 8. *Oratio.* Fac nos, Pater, in gratia, *ut infra eodem fol.*

Ad Vesperos.

Lauda. A solis ortu usque ad occasum. *fol.* 1. *Antiphona.* Veniet Dominus cum senibus. *Lauda.* Dexteram tuam, Deus *Require fol.* 8.

Hymnus.

A Patre, Unigenite,
Ad nos venis per Virginem,
Baptismi rore consecrans,
Cunctos fide regenerans,
De cælo celsus prodiens
Excepit formam hominis
Victor a morte rediens,
Gaudia vitæ largiens.
Hoc te, Redemptor, quæsumus,
Illabere propitius;
Clarumque nostris cordibus
Lumen præbe deificum.
Deo Patri sit gloria, etc.

Supplicatio Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum. *Quœre fol.* 2.

Capitula. Te expectantes quæsumus, Domine: salva nos sperantes in te: tuoque nos redemptos sanguine, sicut es pollicitus, consolare; ac, remoto gemitu, expulsoque dolore, **18** sempiternum gaudium æternamque lætitiam nos facito obtinere.

Pater noster. Et ne. Sed. A malo nos libera. *Quære fol.* 10.

Benedictio. Agnus Dei, qui olim venit peccata tollere mundi, auferat a nobis omnem colluvionem delicti. ℟. Amen. Et, qui venit redimere, quod perierat; ad hoc iterum veniat, ut redempta non puniat. ℟. Amen. Quo cum illo, in quo fidem nostram dirigimus, gaudium perpetuum, cum venerit, habeamus. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri, etc.

Lauda. Manisfeste veniet. *Require fol.* 4.

Oratio. Fac, nos, Pater. *Ut infra.*

QUARTA FERIA

Ad Matutinum.

Antiphona. Lava me, Domine, ab injustitia mea: et a peccatis meis munda cor meum. *Psalmus* L.

Oratio. Deus, Dei Filius, cujus in æternum permanet. *Require fol.* 3.

Antiphona. Ambulate per portas meas, et viam facite plebi meæ: lapides, qui sunt in via, revolvite. *P.* Ecce Dominus veniet cum salute. ℣. Exultate justi in Domino: rectos decet collaudatio. *P.* Ecce Dominus veniet. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, etc. *P.* Ecce Dominus veniet cum salute.

Oratio. Fac, nos, Pater, in gratia et agnitione Jesu Christi filii tui, Domini nostri, dilatatis sensibus crescere: ut, expectantes Adventum ejus, immaculatis vestigiis ad diem judicii properemus: quo ejus gratia hic sic reos absolvat, ut in futuro culpam intereuntem non puniat. ℟. Amen.

Antiphona 2. Mitte nobis, Domine, auxilium de sancto, P. Et de Sion tuere nos. ℣. Domine, salvos nos fac; o Domine, bene prosperare: benedi-

ctus, qui venit in nomine Domini. P. Et de Sion A tuere nos. ℣. Gloria, et honor Patri. P, Et de Sion.

Oratio. Da nobis, Domine, felicitatis gaudia æternæ, ut in te semper gaudere possimus, ne desperabili tristitia obruamur : ut in nullo de temporalibus soliciti simus ; et, qui te prope esse jam credimus, mitissimum te, cum veneris, sentiamus. ℟. Amen,

Antiphona 3. Nos ingredientes vibidemus Salvatorem magnum, universarum rerum Dominum nostrum. P. Adventum suum manifestatum membris humanis. ℣. Magnus Dominus laudabilis nimis in civitate Dei, in monte sancto ejus. P. Adventum suum. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Adventum suum.

Oratio. Domine Deus Deus retributionis, qui in carne natus humilis, ad judicium venturus terribilis; salva nos credentes in te : ut cæcitatis nostrœ tenebræ B a te illuminatæ, luminis tui claritate præfulgeant; qualiter auditus mentis nostræ de operum dignitate semper tibi complaceat. ℟. Amen.

℟. Non auferetur sceptrum de Juda, nec dux de femoribus ejus, donec veniat, qui mittendus est. P. Et ipse erit expectatio Gentium. ℣. Bethlehem, civitas Dei summi, ex te prodiet dominator Israel. F. Et ipse erit. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *Reiteretur*. ℟. Non auferetur sceptrum de Juda.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Dominus Deus germinabit justitiam, et laudem coram omnibus Gentibus.

Canticum (*Esaiæ* LXI).

Gaudens gaudebo in Domino,* exultabit spiritus C meus in Deo salutari meo :

Quia induit me vestimento salutis : et indumento jocunditatis circumdedit me,

Quasi sponsum decoratum corona, * et quasi sponsam ornatam monilibus suis.

Sicut enim terra profert germen suum, * et sicut hortus semen suum germinat ;

Sic Dominus Deus germinabit * justitiam et laudem coram omnibus Gentibus.

Propter Sion non tacebo, * et propter Hierusalem non quiescam,

Donec egrediatur sicut splendor justus ejus, et salvator ejus ut facula accendatur.

Et videbunt Gentes justum tuum, * et cuncti reges inclytum tuum :

Et vocabitur tibi nomen novum. * quod os Do- D mini nominabit.

Et eris corona gloriæ in manu Domini, * et diadema regni in manu Dei tui.

Non vocaberis ultra derelicta : et terra tua non vocabitur amplius Desolata :

Sed vocaberis voluntas mea in ea, * et terra tua inhabitabitur.

Habitabit enim juvenis cum virgine, * et inhabitabunt in te filii tui.

Sicut enim gaudet sponsus super sponsam suam, sic gaudebit Dominus Deus tuus super te.

Super muros tuos Hierusalem constitui custodes, * 19 tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt.

Qui reminiscimini Dominum, ne taceatis, * et ne detis silentium, donec stabiliat, et donec ponat Hierusalem laudem in terra.

P. Dominus Deus germinabit. Gloria, et honor Patri, etc. P Dominus Deus germinabit.

Matutinarium. Deus Dominus. P. Et illuxit nobis ℣. Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris. P. Et illuxit nobis. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et illuxit nobis.

Lauda. Laudate Dominum. *fol*. 11. *Prophetia*. Hæc dicit Dominus : Vade ingredere. *Quære fol*. 15. *Hymnus*. Ecce Salvator omnium, *fol*. 17.

Capitula. Dominator desiderabilis Domine Jesu Christe, quasi ignis conflans ab scoriis peccaminum nos absterge : es quasi aurum purum argentumque purgatum, nos effice, tuoque inspiramine, ad quærendum te jugiter, corda nostra succende : ut ad te ardenter nostra desideria anhelent, tibique conjungi tota aviditate festinent.

Pater noster, etc.

A malo nos libera, et in tuo timore opere bono nos confirma, Trinitas Deus noster, qui es benedictus, et vivis, et omnia regis in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lauda. Deus manifeste veniet. *fol*. 8. *Oratio*. Deus qui tubam. *Quære infra*.

Ad Vesperos.

Lauda. A solis ortu. *Antiphona*. Veniet Dominus *Lauda*. Dexteram tuam, *fol*. 8.

Hymnus.

Mane nobiscum, Domine :
Noctem obscuram remove :
Omne delictum ablue :
Piè medelam tribue.

Quem jam venisse credimus,
Redire item novimus ;
Sceptrumque tuum inclytum
Tuo defende clypeo.

Vita, salus, et veritas
Christe, rogantes adjuva :
Hymnum sonantes jubilo,
Zelum vincamus lubricum.

Deo Patri sit gloria.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus, ut nos gratia Adventus sui propitius justificare dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus.

Dicat Presbyter. Kyrie eleison. ℟. Christe eleison. Kyrie eleison.

Capitula. Domine Jesu Christe, qui assumpto homine hominum susceptor effectus in lucem Gentium datus es ; aperi oculos cordium in te credentium populorum, atque abstrahe misericors de conclusione religatos adhuc vinculis diffidentiæ : et, quos in domo carceris detineri conspicis in tenebris igno-

rantiæ, tuæ, quæsumus, scientiæ irradies splen- A
dore.

Pater noster. Et ne nos. A malo nos libera. *fol.* 10.

Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟ Et cum.

Benedictio. Gaudio Adventus sui nos Christus lætificet, et corda nostra divinitatis suæ gratia semper illuminet. ℟. Amen. Desideria nostra presentiæ suæ exibitione gratificet, et devotionem nostram propitius acceptet. ℟. Amen. Et accensione sui amoris ita cor nostrum semper efferveat, ut veniente illo ad judicium pro meritis non tabescat. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui, etc.

Lauda. Deus manifeste veniet. *Quære fol.* 8. *Oratio,* Deus, qui tubam in Sion, *ut infra.* B

SEXTA FERIA IN ADVENTU DOMINI.

Ad matutinum.

Antiphona. In te confidit anima mea, et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. *Psalmus* LVI. Miserere mei, Deus : miserere mei, quoniam confidit in te, etc. *Oratio.* Deus, Dei Filius, cujus in æternum permanet nomen. *Quære fol.* 3.

Antipyona 1. Ecce Dominus tuba canet in Sion. *P.* Et Veniet in turbine Austri : ipse Dominus omnipotens proteget nos. ℣. Fidelis Dominus in verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. *P.* Et veniet in turbine Austri. ℣. Cloria, et honor Patri : et Filio, etc. *P.* Ipse Dominus.

Oratio. Deus, qui tubam in Sion continens, salvare venisti in Austri turbine peccatores, dum alios C
terrore sihnorum, alios prædicationis gratia excitas ad credendum ; protege nos ab omni adversitate tentationum : ut tuba verbi tui sit semper salvatio animæ **20** et corporis nostri. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Antiphona 2. Congregavit Dominus dispersionem populi sui in misericordia. P. Et videbitur claritas ejus in nube, sicut temporibus Moysi. P. Et manifestabitur quemadmodum Salomonis regis. ℣. Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad propagines ejus. P. Et videbitur claritas ejus. ℣. Gloria et honor Patri, et Filio, etc. P. Et manifestabitur quemadmodum Salomonis regis. D

Oratio. Congrega, Domine, dispersionem populi tui in misericordia, quem olim, redempturus mundum, in virtute brachii tui liberasti ; et ideo ab his, quos redemisti, magno opere invocaris : ut, qui infirmari pro nobis dignatus es, ut homo ; divinitatis tuæ homines digneris præmunire præsidio. ℟. Amen

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

Antiphona 3. Lætabitur deserta et invia, et exultabit solitudo. P. Et florebit sicut lilium, Germinans germinabit. ℣. Gaudebunt campi, et ligna cedri Libani illic, quas plantavit : illic passeres nidificabunt. P. et florebit sicut lilium. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Et florebit sicut lilium.

Oratio. Venisse te Dominum in Sion, cum laude et lætitia omnis catholica præconatur Ecclesia : et ideo petimus, ut, qui Adventum tuum gloriosum in populis nunciamus, a nostris facinoribus, te expiante, purgemur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℟. Expectatur Dominus, ut misereatur nobis. P. Quia Deus judicii Dominus est : beati omnes, qui expectant eum. ℣. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet ; sed judicabit in justitia pauperes. P. Quia Deus judicii Dominus est. ℣. Gloria et honor Patri. *Reiteretur* ℟. Expectatur Dominus.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Directa facta est via piorum, et preparatum est iter sanctorum.

Canticum (*Esaiæ* XXVI).

Ecce civitas virtus, et salvatio nostra, * pone murum, et circa murum munitionem muri.

Post sceptrum viri aperite portas, * intret plebs custodiens justitiam : participes qui sunt veritatis, custodientes pacem :

Quoniam in te speraverunt, Domine, usque in æternum. * Deus magnus et æternus,

Quomodo humiliasti, et deduxisti eos, * qui commorabantur in altissimis ;

Civitates firmissimas dejicies, et deduces eas usque ad humum. * Et conculcabunt eas pedes mansuetorum, et humilium.

Directa facta est via piorum, * et preparatum est iter sanctorum.

Die enim Domini judicium : * speravimus in nomine ejus, et in memoria, quam concupivit anima mea.

P. Directa facta est via piorum.

Gloria, et honor Patri, et Filio, etc.

P. Et preparatum est iter sanctorum.

Matutinarium. Illumina, Domine, vultum tuum super nos. P. Et miserere nobis. ℣. Ut cognoscamus in terra in omnibus Gentibus salutare tuum P. Illumina, Domine. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Et miserere nobis.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis. *Quare fol.* 6. *Psalmus* CXLVIII. *Prophetia.* Hæc dicit Dominus : Valde, ingredere. *fol.* 15. *Hymnus.* Mane nobiscum Domine. *Quære fol.* 19

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum. *Quære fol.* 2.

Capitula. Deus, qui manifeste ad judicium venturus esse crederis, manifestam potentiam in nobis ostende tuæ salvationis : ut, qui terribilis sustineris, mitissimus, cum veneris, sentiaris.

Pater noster, qui es in cœlis. A malo nos libera, et in tuo timore. *Quære fol.* 10

Humiliate vos benedictioni.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟ Et cum spiritu tuo.

Lauda. Deus manifeste veniet : Deus noster, et A non silebit. *ut supra. Oratio.* Deus, qui tubam in Sion continens, salvare venisti. *Require fol.* 19.

IN TERTIO DOMINICO DE ADVENTU DOMINI.

Ad Vesperos.

Lauda. A solis ortu usque ad occasum. *cum* **21** *sua Oratione.* Deus, cujus nomen est benedictum, *fol.* 1.

Sono. Alleluia : Qui reminiscimini Dominum, ne taceatis, et ne detis silentium, donec stabiliat, et ponat Hierusalem. P. Laudem in terra. ℣ Alleluia.

Sicut terra, quæ producit flores suos, et sicut hortus semen suum germinat ; ita Dominus germinabit justitiam. P. Laudem.

Dominus sit semper vobiscum. ℟ Et cum spiritu tuo.

Antiphona. Super montem excelsum ascende, qui B evangelizas Sion : Dic civitatibus Juda. P. Ecce Deus noster in fortitudine venit. ℣. Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram. P. Ecce Deus noster. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Ecce Deus noster in fortitudine venit.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum,

Lauda. Salvos nos faciat dextera tua : alleluia. P. Et exaudi nos, Domine Deus noster. Alleluia, alleluia. ℣. Et confiteamur nomini tuo, et gloriemur in laude tua. P. Et exaudi nos. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et exaudi nos, Domine.

Hymuus, Christi caterva clamitet. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum. *Require fol.* 2.

Capitula. Super montem excelsum Adventus tui C gaudia evangelizantes ascendimus: dum in altitudine tua Christe Dei Filius fundasti ; ea, quæ vera sunt de te, credimus, et fatemur : quæsumus ergo, ut, qui ad faciendum judicium expectaris, ante judicium nos expies a criminibus nostris.

Pater noster. Liberati a malo, confirmati, etc. *fol.* 2.

Benedictio. Dominus Jesus Christus, qui Adventu suo subvenire dignatus est mundo, animas nostras corporaque purificet a delicto. ℟. Amen. Det nobis legis suæ præcepta virtute spiritus attendere ; ut possimus Adventum ejus amabiliter præstolare. ℟. Amen. Sicque ab omni reatu immunes efficiat, ut Adventus ejus non reprobandos expellat ; sed redemptos atque glorificandos assumat. ℟. Amen. D

Per misericordiam, etc,

Lauda. Lætabimur in salutari tuo ; alleluia. Et in nomine Domini Dei nostri magnificabimur : alleluia. Ipsi obligati sunt, et ceciderunt. P. Nos vero resurreximus et erecti sumus. Alleluia, alleluia. ℣. Impleat Dominus omnes petitiones nostras. Nunc cognovi, quoniam salvum faciet Dominus Christum suum. P. Nos vero resurreximus. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Alleluia, alleluia.

Oratio. Nenisse nomen tuum de longinquo. *Require infra in Matutinis.*

Ad Matutinum.

Hymnus. Æterne rerum conditor, *Quære fol.* 3.

Oratio. Post gallorum canorum concentus noctisque quietem exclusam, tibi, Domine, matura nox parturit diem, et galli concrepantibus alis, ore præconio matutinum jubilant hymnum : tibi, Domine, aves cœli laudes emittunt : tuo jussu discussis tenebris sol radios infert mundo. Tua sunt ista miracula, Omnipotens Pater : nos tantummodo vota portamus, offerentes sancto nomini tuo hæc sacrificia matutina , ut a peccatis præteritis absoluti, de præsenti tribulatione mereamur absolvi. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus, et vivis, etc.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Antiphona 1. Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua. *Psalmus* III.

Antiphona 2. Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. *Psalmus* L.

Antiphona 3. In umbra alarum tuarum speramus, Deus, dum transiet iniquitas. *Psalmus* LVI.

Oratio. Æternum te auctorum et conditorem, *Quære fol.* 3.

Antiphona. Ecce nomen Domini venit de longinquo, et lingua ejus, quasi ignis ardens. P. Et spiritus, sicut torrens inundans. ℣. Advocavit cœlos sursum, et terram discernere populum suum. P. Et spiritus ejus. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio. etc. P. Et spiritus ejus.

Oratio. Venisse nomen tuum de longinquo conditæ a te creaturæ tuæ lætantur : et ideo fac nos, ut, qui Adventum incarnationis tuæ suscepimus, a spinis peccatorum ardentis linguæ tuæ spiritu expiemur. ℟. Amen.

Antiphona. De Sion exiet lex, et verbum Domini de Hierusalem. P. Judicabit Gentes, et arguet populos multos usque in novissimum. ℣. Excelsus super omnes Gentes, Dominus, et super cœlos gloria ejus. P. Judicabit Gentes. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Judicabit.

22 *Oratio.* Lex tua verbum, Deus Pater, de Sion egrediens non judicet ; sed protegat populos sibimet confitentes : nec arguat de peccato, quos incarnationis suæ venit liberare mysterium : ut, qui in electis agnoscitur gloriosus, in peccatoribus clemens semper inveniatur et pius. ℟. Amen.

Antiphona. Quærite Dominum, omnes mansueti terræ : quærite justum, quærite mansuetum ; et invenietis eum. ℣. Quærite Dominum, et confortamini : quærite faciem ejus semper. P. Quærite justum. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio. P. Et invenietis eum.

Oratio. Inquirentes te Domine, exaudi propitius, et ab incurvantibus angustiis defende precatus ; ut ecclesiæ tuæ te per omnes Gentes magnificent : exaltent nomen tuum unitatis vinculo : discant a te quoque, ut illuminentur, et attendant ; et præceptorum tuorum tenacitate vultu conscientiæ nullatenus erubescant. ℟. Amen.

℟. Suscitabit Dominus regem ex Israel fortissi-

mum in throno honoris sedentem in sempiternum. A *P.*Replebitur, quasi Phison, scientia: velut Euphrates, intellectu : ipse multiplicabit Jordanem in tempore messis.℣.Ecce dies venit,dicit Dominus:et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit. *P.* Replebitur, quasi Phison, scientia. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. *Reiteretur Responsorium.* Suscitabit Dominus regem ex Israel fortissimum in throno, etc.

Oratio. Deus Pater omnipotens, qui nobis Filium tuum suscitasti in regem,quo apparente mundo Ecclesiæ tuæ ut Phison, scientia mundatur, et, velut Euphrates,fœcundatur intellectu charismatum ; da nobis in te habere scientiæ lumen,et virtutum omnem plenitudinem ; ut, dum scientiæ dona perquirimus,iterum ad te,qui es fons scientiæ, veniamus. B ℟. Amen.

In laudibus.

Antiphona. Deus a Libano veniet, et sanctus a monte Opauco : texit cœlos virtus ejus, et laudis ejus plena est terra.

Canticum (*Habacuc* III).

Domine, audivi auditum tuum,et timui.* Domine, consideravi opera tua, et expavi.

In medio duum animalium cognosceris:dum appropinquaverint anni, innotesceris :* dum advenerit tempus, ostenderis :

Cum conturbata fuerit anima mea in ira, * misericordia tua memoraberis mei.

Deus à Libano veniet,* et sanctus a monte Opanco et condenso :

Operuit cœlos virtus ejus, et laude ejus plena est terra. * Et fulgor illius quasi lumen erit :

Cornua in manibus ejus sunt: * illi confirmata est virtus gloriæ ejus, et posuit claritatem firmam.

Ante faciem suam ibit verbum. Et exivit in campos. * Pedes ejus steterunt, et commota est terra.

Aspexit,et fluxerunt gentes: * dissoluti sunt montes vehementer.

Defluxerunt colles æternales : * itinera sæcularia ejus pro laboribus.

Viderunt tabernacula Æthiopum,* et expavescent tabernacula terræ Madian.

Nunquid in fluminibus ira tua Domine ?* aut in mari impetus tuus ?

Qui ascendit super equos tuos : * et equitatus tuus sanitas.

Intendens, extendens arcum super sceptra, dicit Dominus: * fluminibus scindetur terra.

Videbunt gentes,et dolebunt populi : * aspergens aquas contradictionis :

Dedit abyssus vocem suam,* ab altitudine phantasiæ suæ. Sol et Luna steterunt in ordine suo :

In lumine splendoris jacula tua ibunt, * in luce coruscationis armatura tua.

Indignatione tua exterminabis terram : * et in furore tuo duces gentes.

Existi in salutem plebis tuæ, * ut salvos facias electos tuos.

Misisti in capita iniquorum mortem : * resuscitasti vincula usque ad bellum.

Præcidisti in savore capita potentium : * movebuntur in ea gentes, et aperient ora sua : edens pauper in absconso.

Misisti in mari equos tuos, * turbantes aquas multas.

Custodivit me, et expavit venter meus * a voce deprecationis labiorum meorum.

Et introivit timor in ossa mea, * et desuper turbata est virtus mea.

Requiescam in die tribulationis : * et ascendam ad tabernacula transmigrationis meæ.

Quoniam ficus non afferet fructus : * et non erunt nascentia in vineis.

Mentietur opus olivæ :* et campi non præstabunt cibos.

23 Deficient ab esca oves : * et non erunt ad præsepia boves.

Ego autem in Domino gloriabor. * gaudebo in Deo salutari meo.

Dominus virtus mea : * statuet pedes meos in consummatione.

Super excelsa imponet me. * vineam in claritate ejus.

P. Et laudis ejus plena est terra.

Gloria, et honor Patri, et Filio, etc.

P. Et laudis ejus plena et terra.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedictus es, Deus ; et benedictum nomen gloriæ tuæ.

C *Canticum trium puerorum.* Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum. *Require retro in primo Dominico de Adventu Domini, fol.* 6.

Sono. Alleluia. Qui reminiscimini Dominum, ne taceatis, et ne dotis silentium,donec stabiliat ei ponat Hierusalem. P. Laudem in terra. ℣. Alleluia. Sicut terra,quæ producit flores suos, et sicut hortus semen suum germinat;ita Dominus germinabit justitiam. *P.* Laudem in terra.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis, alleluia laudate eum in excelsis, alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Prophetia.

Lectio libri Ezechielis prophetæ (*Cap.* XXXIV).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Salvabo gregem meum, et non erit ultra in rapinam, et judicabo inter pecus D et faciam cum eis pactum pacis, et cessare faciam bestias pessimas de terra : et qui habitant in deserto,securi dormient in saltibus.Et ponam in circuitu collis mei benedictionem; et deducam imbrem in tempore suo : et pluviæ benedictionis erunt. Et dabit lignum agri fructum suum,et terra dabit germen suum, et erunt in terra sua absque pavore : et scient,quia ego sum Dominus, cum contrivero catenas jugi eorum,et eruero eos de manu imperantium sibi.Et non erunt ultra in rapinam gentibus. nec bestiæ terræ devorabunt eos ; sed habitabunt confidenter absque ullo terrore. Et suscitabo eis germen nominatum ; et non erunt ultra imminuti

fame in terra,nec portabunt ultra opprobrium gentium. Et scient quia ego sum Dominus eorum. Ero cum eis, et ipsi populus meus domus Israel: ait Dominns. Vos autem greges mei, pascuæ meæ omnes estis: et ego Dominus Deus vester. ℟. Amen.

Hymmus. Cunctorum rex omnipotens. *Quære fol.* 7. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum. *Quære fol.* 2.

Capitula. Adventus tui gloriam devotione promptissima præstolantes, rogamus atque exposcimus; ut præsentiæ tuæ luce tenebras nostras inradies: qualiter nunc ad perfectum nos usquequaque sanctificans tuis postmodum muneribus dignos efficias.

Pater noster. *totum.* Liberati a malo. *Quære fol.* 2.

Lauda. Lætabimur in salutari tuo, alleluia.

Benedictio. Dominus Jesus Christus. *fol.* 21.

Exeunte vespera. Lauda. A solis ortu usque ad occasum. *Quære fol.* 1. *Sono.* Qui reminiscimini Dominum. *Require fol.* 12.

Antiphona. Ponet Dominus in terra judicium. *P.* Et legem ejus insulæ expectabunt. ℣. Et erit firmamentum in terram ipsorum, et primitias omnis laboris eorum. *P.* Et legem ejus. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, etc. *P.* Et legem ejus.

Lauda. Salvos nos fac, Domine, Deus noster, alleluia; ut confiteamur nomini sancto tuo: alleluia. P. Et gloriemur in laude tua, alleluia, alleluia. ℣. Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo. P. Et gloriemur in laude tua. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, etc. Et gloriemur in laude tua.

Hymnus. Christi caterva clamitet. *fol.* 1. *Capitula.* Deus, cujus æternitas tempora. *Benedictio.* Christus Dominus, qui per susceptæ mysterium. *fol.* 8.

Lauda. Propter miserias inopum, alleluia; et gemitum pauperum, alleluia. P. Nunc exurgam, dicit Dominus. Alleluia, alleluia. ℣. Et eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum terræ purgatum septulum. P. Nunc exurgam. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Nunc exurgam.

Oratio. Venisse nomen tuum de longinquo conditæ. *Require fol.* 21.

SECUNDA FERIA TERTIÆ HEBDOMADÆ.

Ad Matutinum.

Antiphona. Domine quid multiplicati sunt. *Psalmus* III.

Oratio. Multiplicati sunt, Domine, qui tribulant nos: sed tu multus es in misericordia, qui eruas: in nullo enim formidamur ab imminenti pressura, si tantum tua muniamur, Omnipotens, gratia. ℟. Amen.

24 *Antiphona.* Ego locutus sum, dicit Dominus, et vocavi eum: adducam illum, et dirigam vias ejus. ℣. Et ponam in mari manum ejus, et in fluminibus dexteram ejus. P. Et vocavi eum. ℣. Gloria, et honor, Patri, etc. P. Et vocavi eum.

Oratio. Deus Pater, qui viam unigeniti Filii tui dirigens, participem eum nostræ mortalitatis esse voluisti; fac nos esse participes regni sui: ut qui

A locutus vocasti eum, ut Redemptor adesset hominibus parcens, cum illo ostendaris nobis gaudens. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟ Et cum spiritu tuo.

Antiphona 2. Dabo in Sion salutem, et in Hierusalem gloriam meam. ℣. Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram. P. Dabo in Sion. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et in Hierusalem.

Oratio. Ecce Dominus Deus noster, satis pulchri sunt pedes evangelizantium pacem, et annunciantium bona: fac nos ergo, ut calciati pedes in præparatione evangelii pacis, de peracto cursu gaudeant consummatæ virtutis: ut Christum tuum, quem os B nostrum plena fide annunciat, vita nostra in efficientia operis non contemnat; sed anima devotione incarnationis ejus festa celebrantes, vota nostra illi persolvamus sine fine felices. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

Antiphona 3. In semita judiciorum tuorum, Domine, sustinuimus nomen tuum. P. Et memoria lætantium in desiderium animæ. ℣. Quia tu, Domine, suavis et mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te. P. Et memoria. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, etc. P. Et memoria lætantium.

Oratio. Mandata judiciorum tuorum, Domine, expectamus; te poscentes, ut qui nos jam eduxisti in lucem per fidem, justitia facias nos tibi placabiles de bonorum operum dignitate: ut incarnata justitia, C quæ vos visitavit in tenebris, ad judicium veniens liberet a tormentis. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

℟. Disrumpam vincula populi mei, dicit Dominus: et disperdam omnia mala, quæ induxi super illos. P. Et auferam universum dolorem a facie terræ, et a civitate ista. ℣. Ecce ego congregabo eos de universis terris, et feriam cum eis pactum semper, et non desinam eis benefacere, dicit Dominus. P. Et auferam universum dolorem. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *Reiteritur* ℟. Disrupam vincula populi mei, dicit Dominus.

In Laudibus, Canticum, et Matutinarium, et Lauda, et Hymnus, ut in secunda feria primæ Hebdomadæ de Adventu. Et Capitula, et Prophetia, et Lauda finale, ut in secunda Dominica de Adventu, videlicet D *in Matutinis fol.* 11. *Oratio.* Gaudeut campi utique Adventus tui. *Quære infra. Et sic debes dicere per totam septimanam in diebus feriis.*

FERIA QUARTA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Lava me, Domine, ab injustitia mea, et a peccatis meis munda cor meum. *Psalmus* L. Miserere mei, Deus, secundum, etc. Gloria, et honor Patri, et Filio, etc.

Oratio. Deus, Dei Filius, cujus in æternum permanet nomen, etc. *Require fol.* 3.

Antiphona 1. Gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt. P. Tunc exultabunt omnia ligna silva-

rum ante faciem Domini, quoniam veniet. ℣. Lætentur cœli, et exultet terra : commoveatur mare, et plenitudo ejus ; orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo. P. Tunc exultabunt. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Tunc.

Oratio. Gaudent campi utique Adventus tui jocunditate perfusi : et ideo quæsumus,ut, qui insensibilia Adventus tui gaudia in te viventia comprobas ; sensibiles nos in Adventu tui judicii coronandos attollas. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus, noster, etc.

Antiphona 2. Adjiciet Dominus manum suam ad possidendum residuum populi sui, et veniet ab insulis maris. P. Et congregabit populos profugos Israël, et dispersos Juda colliget. ℟. Et erit firmamentum in terra : in summis montium superextolletur super Libanum fructus ejus : et florebunt de civitate, sicut fœnum terræ. P. Et congregabit populos. ℟. Gloria, et honor. P. Et congregabit.

Oratio. Adjice manum tuam, Domine, et posside residuum populi tui; ut incarnatione tua incredulis patescente nihil residuum sit, quod vacuum remaneat a mercede : quo, dum in filios infidelitatis incarnationis tuæ mysterium manifestas, in cordibus fidelium **25** desiderii tui vota placita tibi semper efficias. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

Antiphona 3. In illa die de tenebris et caligine oculi cæcorum videbunt : addent mites in Domino lætitiam. P. Et humiles pauperes in sancto Israël exultabunt. ℣. Et benedicitur in eo omnes tribus terræ : omnes gentes servient ei. P. Et humilis. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Et humiles pauperes.

Oratio. Unigenite Dei Filius, qui de tenebris et caligine oculos cæcorum videre fecisti,cum mundo per susceptæ incarnationis mysterium claruisti : dignare gratia divinitatis tuæ inlustrare arcana pectoris nostri : ut, qui Adventus tui gratia anhelamus, divinitatis tuæ munere consolemur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

℟. Bethlehem non es minima in principibus Juda : ex te prodiet rex. P. Cujus regnum non corrumpetur. ℣. Et tu, Bethlehem Ephrata, numquid parvula es in millibus Juda ? Ex te enim egredietur rex. P. Cujus regnum. ℣. Gloria, et honor Patri. *Reiteretur*. ℟. Bethlehem non es minima in.

In Laudibus Antiphona, Canticum, et omnia alia, quæ sequuntur, dicantur usque in finem Matutini, ut in in feria 4 primæ Hebdomadæ fol. 11. *Excepta Prophetia*. Hæc dicit Dominus : salvabo gregem meum. *Quære fol*. 23.

Ad Vesperos omnia dicantur, ut in Vesperis de quarta feria primæ hebdomadæ de Adventu Domini. Require fol. 12.

FERIA SEXTA.

Ad Matutinum.

Antiphona. In te confidit anima mea, et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. *Psalmus* LVI.

Oratio. Deus Dei Filius. *Quære fol*. 3

Antiphona 1. Ecce ego mittam ad gentes et ad insulas, dicit Dominus, longe ad eos, qui non audierunt de me. P. Et videbunt gloriam meam. ℣. Audite hæc, omnes gentes : auribus percipite, qui habitatis orbem. P. Et videbunt. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et videbunt gloriam meam.

Oratio. Quam pulcri sunt, Domine, super montes pedes evangelizantium pacem : præsta ergo nobis, ut per te prædicantes salutem, in te habeamus salvationem ; quo Adventus tui prædicantes insignia, donorum tuorum, in nos redundet gratia copiosa. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

Antiphona 2. Ecce Deus excelsus in fortitudine sua veniet, nullus ei similis. P. Quis poterit scrutari vias ejus ? Cuncta considerans nomen ejus supra terminos terræ. ℣. Qui ponis nubem ascensum tuum : qui ambulas super pennas ventorum. P. Quis poterit ? ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Quis poterit ?

Oratio. Quis poterit, Deus Dei Filius, scrutari vias tuas ? Vel quibus aditibus nasciturus ad Virginem veneris ? Vel quibus semitis ad superna regressus es ? Et ideo, quia tu solus cuncta considerans es, cujus nomen supra terræ terminos permanet ; da nobis, illa de te semper considerare et dicere, quæ culpæ careant lege : ut, qui excelsus in fortitudine veniens humilia respicis, dignos facias nos muneribus tuis. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus, et vivis, et omnia regis in sæcula sæculorum. Amen.

Antiphona 3. Ego Jesus mitto Angelum meum testificare hominibus. P. Ecce venio cito, et merces mea mecum est, sane longuores populi mei. ℣. Audi populus meus ; et loquar Israel : testificabor tibi, Israel, si me audieris. P. Ecce venio cito. ℣. Gloria, et honor Patri; et filio, etc. P. Ecce venio cito.

Oratio. Deus omnipotens, qui Angelum tuum ante Adventum Redemptoris misisti, qui testificaret hominibus et viam salutis et plenitudinem sanitatis ; da familiæ tuæ, ut adnuntiatione Adventus tui in cœlesti gaudio hilarescat. Et, quia merces tua tecum ad judicium veniet, pietas tua consueta tunc nobis occurrat in munere, quæ nostrum solita est semper removere languorem. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

℟. Paratus esto, Israel, in Adventu Domini Dei tui, quia ecce ipse formans montes. P. Et creans spiritus, et annuncians in hominibus Christum suum. ℣. Ecce Dominus Deus vester prudentia sua extendit cœlos, et in sapientia sua præparat orbem ; ipse est enim Deus formans terram. P. Et creans spiritus. ℣. Gloria, et honor Patri. *Reiteretur* ℟. Paratus esto, Israel.

Omnia alia dicantur usque in finem Matutini, ut in A *sexta feria primæ Hebdomadæ fol.* 13. **26** *Excepta Prophetia.* Hæc dicit Dominus : Salvabo. *fol.* 23.

Oratio. Deus Pater, qui, filium tuum missurus ad terras, legatos tuos, voces utique prædicantium, ad gentes destinati, vel ad insulas, qui incarnationem ejus prædicantes, longe ad eos, qui non audierunt, verbi tui fidem prædicando porrigerent; da nobis, et te audientes a vitiis resipiscere, et credentes te supernam promereri hereditatem : ut Christum tuum sermonibus prædicantes; operibus non efficiamur ante tuæ gloriæ majestatem damnabiles. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus B cum pace. ℟. Deo gratias.

IN QUARTO DOMINICO DE ADVENTU DOMINI.

Ad Vesperos.

Lauda. A solis ortu usque ad occasum. *Oratio.* Deus, cujus nomen est benedictum. *Require fol.* 1.

Sono. Deus deorum Dominus locutus est: vocavit terram ex Sion. P. species decoris ejus : alleluia, ℣. Deus manifeste veniet, Deus noster : et non silebit. P. Species decoris.

Antiphona. Alleluia : annunciate Deum in universa terra. P. Exultet, et laudet habitatio Sion. P. Quia in medio ejus veniet Sanctus Israel. P. Et exultet. Gloria, et honor Patri. P. Quia in medio.

Lauda. Cognoscamus in terra viam tuam, Domine : alleluia: In omnibus gentibus salutare tuum. C Alleluia, alleluia. ℣. Deus misereatur nostri, et benedicat nobis : illuminet vultum suum super nos, et misereatur nobis. P. In omnibus gentibus. ℣. Gloria et honor Patri. P. In omnibus gentibus.

Hymnus. Christi caterva clamitet. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi. *Require fol.* 2.

Kyrie, eleison : Christe, eleison : Kyrie, eleison.

Capitula. Illumina, Domine, vultum tuum super nos, et benedictionem tuam ubertim nostris infunde pectoribus : quo corda nostra lucis tuæ hilaritate perfusa tuam in terris valeant recognoscere viam, et omnibus singulari gentibus fidei sacræ lætentur notitia.

Pater noster. Et.

Liberati a malo, confirmati semper in bono, tibi D servire mereamur Deo ac Domino nostro. Pone, Domine, finem peccatis nostris : da gaudium tribulatis : præbe redemptionem captivis : sanitatem infirmis : requiemque defunctis : concede pacem, et securitatem in omnibus diebus nostris : frange audaciam inimicorum nostrorum : exaudi, Deus, orationem servorum tuorum omnium fidelium Christianorum in hoc die et in omni tempore : per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia semper sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Humiliate vos ad benedictionem. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Unicus Filius Dei, qui genitus de utero Patris, incarnari venit ex utero Virginis, eluat nos ab omni corruptione humanæ conditionis. ℟. Amen. Atque idem, qui incomprehensibilis venit ad veritatem humani corporis, tollat a nobis immunditiam humanæ corruptionis. ℟. Amen. Et, qui vita venit mortem perferre, tribuat nobis nihil de mortis damnatione sentire. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius, etc.

Lauda. Dominus in circuitu populi sui est : alleluia. P. Ex hoc nunc, et usque in æternum pax super Israel. Alleluia, alleluia. ℣. Benedictus, qui venit in nomine : Domini Deus, Dominus, et illuxit nobis. P. Ex hoc nunc. ℣. Gloria, et honor P. Ex hoc nunc.

Oratio dicitur. Unigenite Filius Dei Patris. *Require in Matutinis sequentibus.*

Ad Matutinos.

Hymnus. Æterne rerum Conditor. *Require fol.* 3.

Oratio. Domine Deus Pater omnipotens, inspirator precum, teque invocantium velox auditor; voci nostræ, oramus, clementiæ tuæ aurem appone, et nostrorum vincula peccaminum potenti miseratione dissolve : Ac sicut nos gallorum canoribus ad matutini gratiam provocas consurgere, et prophetali vaticinio in lucem gentium unicæ redemptionis prænuncias; ita nunc navigantibus nobis intuitu superno adsiste. Sic, quæsumus, famulatus nostri vota suscipias, ut ad lucem abundanti nos misericordia sublevando perducas. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster, etc.

27 *Antiphona super psalmos.* Gloria mea Deus meus, et exaltans caput meum *Psalmus* III.

Antiphona. Tibi soli peccavi: miserere mei, Deus. *Psalmus* L.

Antiphona. Miserere mei, Deus, miserere mei : quoniam in te confidit anima mea. *Psalmus* LVI.

Oratio. Domine Deus, apud quem est fons vitæ, et in cujus lumine adspicimus lumen; enutri in nos tuæ scientiæ splendorem : ut sitientibus nobis vitalem impartias potum, et caligantium animarum superno lumine restituas intellectum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

Antiphona 1. Me insulæ expectant, dicit Dominus, et brachium meum sustinebunt. *P.* Quia judicium meum in lucem populorum apparebit. ℣. Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram. *P.* Et brachium. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Quia judicium meum.

Oratio. Unigenite Filius Dei Patris, quem insulæ expectant, et brachium fortitudinis tuæ plebs adquisita sustinet; te quæsumus et rogamus, ut nos peccatores facias semper esse beatos : ut, cum Adventus tui apparuerit gloria, non confundamur videntes faciem tuam. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

Antiphona 2. Timebunt, qui ab occidente sunt nomen Domini; et, qui ab ortu solis, gloriam ejus. *P.* Cum venerit, quasi fluvius violentus, quem spiritus

Domini excitat, ℣. Et timebunt gentes nomen A tuum, Domine, et omnes reges terræ gloriam tuam. P. Cum venerit. ℣, Gloria, et honor Patri, P. Cum venerit, quasi fluvius.

Oratio. Christe Dei Filius, qui in mundo per Virginem natus, nativitatis tuæ terrore et regna concutis, et reges admirari compellis; præbe nobis initium sapientiæ, quod est timor tuus: ut in eo fructificemur, in eo etiam proficientes fructum tibi pacatissimum offeramus: ut, qui ad gentium vocationem, quasi fluvius violentus, accessisti: nasciturus in terris ad conversionem peccantium, manifesta tuæ gratiæ dona ostendas: quo, repulso terrore formidinis, casto te semper sequamur amore intimæ charitatis. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es be- B nedictus, et vivis, et omnia regis, etc.

Antiphona. 3. Quæ prima fuerat, ecce veniet, nova annuncians vobis; antequam oriatur, auditam vobis facimus. Laus Domini in extremis terræ. ℣. Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, donec extollatur luna; et dominabitur a mari usque ad mare. P. Laus Domini, ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Laus Domini.

Oratio. Nova et inaudita sunt, Domine, quæ propheticus sermo intonuit mundo: Quod novo Virginis partu salvatio exorietur creaturarum: cujus admirabile incarnationis mysterium quia devota cordium susceptione Ecclesia suscepit lætabunda; quæsumus, ut in laudem ejus et nova illi cantica deferat et accepta; ut, cujus laus ab extremis terræ concinitur, C ejus voluntas in toto mundo a fidelibus impleatur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

℟. Dominus omnipotens suscitabit nobis ab oriente principem magnum, et vocabitur nomen ejus redemptor omnium, et ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum. ℣. Audite, domus David, Dominus dabit vobis signum: Ecce virgo concipiet, et pariet filium. P. Et vocabitur. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio. *Reiteretur* ℟. Dominus omnipotens suscitabit.

Oratio. Deus Pater omnipotens, qui ab Oriente principem magnum exuscitas; da nobis, ut ejus amplexu, quem ad redemptionem nostram misisti salvans populum suum a peccatis eorum, illius utique D principis, qui sine alterius justitiæ participatione est justus, participes esse te propitio mereamur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Descendant, sicut ros, verba mea, quia nomen Domini invocavi. Deus fidelis, in quo non est iniquitas: justus et sanctus Dominus Deus. *Canticum.* Attende cœlum, loquar, et audiat terra. *Require fol.* 4.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedicite Dominum pusilli et magni, et omnes qui expectatis Adventum ipsius. *Psalmus.* Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum. *Require fol.* 6.

Sono. Deus deorum Dominus locutus est: **28** vocavit terram ex Sion. P. Species decoris ejus: Alleluia. ℣. Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit. P. Species decoris ejus.

Lauda. Laudate Dominum de cælis: alleluia. ℣. Laudate eum in excelsis: alleluia. *Psalmus* CLVIII.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* XLII).

℟. Deo gratias.

Cantate Domino canticum novum, laus ejus in extremis terræ: qui descendistis in mare, et plenitudinem ejus; insulæ, et habitatores earum. Sublevetur desertum, et civitates ejus; in domibus habitabit Cedar: laudate habitatores Petræ, de vertice montium clamabunt. Ponent Domino gloriam, et laudem ejus in insulis nunciarunt. Dominus, sicut fortis, egredietur, sicut vir præliator suscitavit zelum: vociferabitur, et clamabit: super inimicos suos confortabitur. Tacui semper, silui, patiens fui sicut pariens loquar: dissipabo, et absorbebo simul. Desertos faciam montes, et colles, et omne gramen eorum exsiccabo: et ponam flumina in insulis, et stagnare faciam. Et deducam cæcos in viam, quam nesciunt; et in semitis, quas ignoraverunt, ambulare eos faciam. ℟. Amen.

Hymnus. Cunctorum Rex omnipotens. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi. *Require fol.* 2.

Capitula. Excita potentiam tuam, et veni ad liberandum nos, Domine Deus; ut, quoniam opprimimur turbinibus tentationum, virtutis tuæ auxilio sublevemur: nec prævaleant nobis legiones hostium, cum tua majestate tuemur: ut semper nobis opitulationem, et adversariis ultionem.

Pater noster. Et ne nos. Liberati a malo. *fol.* 2

Lauda. Dominus in circuitu. *Require fol.* 26. *Benedictio.* Unicus Filius Dei. *fol.* 26 *Exeunte vespera. Lauda.* A solis ortu. *Sono.* Deus deorum, *fol.* 26.

Antiphona. Ascendit Salvator Dominus in montem Sion, liberare populum suum Israel. P. Et erit regnum ejus sempiternum. ℣. Omnes gentes plaudite manibus: jubilate Deo in voce exultationis. P. Et erit regnum. ℣. Gloria, et honor. P. Et erit regnum.

Lauda. Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, alleluia. P. Donec misereatur nobis, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Ad te levamus oculos nostros, qui habitas in cælis. P. Donec misereatur. ℣. Gloria, et honor, P. Alleluia, alleluia, alleluia.

Hymnus. Christi caterva clamitet. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi *fol.* 2 *Capitula.* Deus cujus æternitas. *Benedictio.* Christus Dominus. *Require fol.* 2.

Lauda. Apud te propitiatio est, alleluia, et propter legem tuam sustinui te, Domine, alleluia. P. Apud te est enim misericordia, et copiosa redemptio; alleluia, alleluia. ℣. Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. P. Apud te est. ℣. Gloria, et honor P. Apud te est.

Oratio. Unigenite Filius Dei Patris, quem insulæ expectant, et brachium fortitudinis tuæ plebs adquisita sustinet; te quæsumus et rogamus, ut nos peccatores facias semper esse beatos : ut, cum Adventus tui apparuerit gloria, non confundamur videntes faciem tuam. *Respondent Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam.

FERIA SECUNDA QUARTÆ HEBDOMADÆ.

Ad Matutinum.

Antiphona. Domine, quid multiplicati. *Psalmus* III *Oratio. fol.* 8. *ut, in secunda feria prima Hebdomadæ.*

Antiphona. 1. Ecce Dominus veniet de longe. P. Beati Omnes, qui expectant eum. ℣. Omnes gentes plaudite manibus : jubilate Deo in voce exultationis. P. Beati omnes. ℣. Gloria, et honor. P. Beati omnes.

Oratio. De longe incarnationis tuæ Adventum, Christe Dei Filius, beatorum numerositas præstolando, beatificata fore cognoscitur. Quæsumus, ut expectatione secundi Adventus tui ita beatificemur, ut pium te in judicio sentiamus, ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Mortificate nunc membra vestra, quæ sunt super terram ; quoniam, cum Christus apparuerit, vita vestra. P. Tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. ℣. Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc, et usque in sæculum. P. Tunc et vos. ℣. Gloria, et honor. P. Tunc et vos.

Oratio. Mortifica, quæsumus, super terram menbra nostra ab omni concupiscentia ; ut, cum tu nostra apparueris vita, appareamus et nos tecum transformati in gloriam **29** sempiternam. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Ego ante te ibo, dicit Dominus P. Et gloriosos terræ humiliabo. ℣. Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram. P. Et gloriosos. ℣. Gloria, et honor. P. Et gloriosos.

Oratio. Ingenite summe Pater, per quem tempore nativitatis Dominicæ justitiæ opus pax vel securitas concluditur universæ terræ; fac nos in secundo adventu gloriæ suæ pulchritudinem individuæ majestatis perpetim intueri : ut ibidem perenniter coronati jubilum perpetuitatis persolvamus sine fine beati *Respondeat.* Amen,

Per misericordiam ipsius.

℟. Credite Salvatorem vestrum venientem cum gloria. P. Et vos estote parati suscipere regnum Dei. ℣. Audite, habitatores urbis, qui moramini in terris, cum elevatum fuerit signum in montibus, et clangorem tubæ audieritis. P. Et vos estote. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur* ℟. Credite Salvatorem.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Ecce enim Deus. *Canticum.* Domine Deus, omnium creator.

Ad Canticum, Antiphona, et Lauda. Require fol. 16. *Prophetia.* Cantate Domino. *fol.* 28. *Hymnus.* Ecce Salvator omnium *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi. *Capitula.* Memor esto, Domine. *fol.* 17. *Lauda.* Deus manifeste veniet. *Require fol.* 2 *Oratio.* Veniat super nos, Domine, *Require infra fol.* 30.

Ad Vesperos dicatur, ut in secunda feria secundæ Hebdomadæ.

Sequuntur alia Responsoria de quibus supra.

℟. Montes filiæ Sion, ramos vestros extendite. germinate. P. Et fructum jocunditatis afferte populo meo Israel, quoniam veniet dies Domini ℣. Jubilate, extrema terræ : sonate montes laudationum, saltus et omnia ligna regionis. P. Et fructum. ℟. Gloria, et honor. P. Et fructum.

Aliud Responsorium. Ecce Dominus veniet redemptor noster sanctus Israel. P. Coronam regni habens in capite suo. ℣. Attendite ad me, populus meus, et tribus mea me audite, quia prope est dies Domini : justus meus, et egressus est Salvator meus. P. Coronam regni habens. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur.* ℟. Ecce Dominus.

Aliud Responsorium. Audite, audite me, populns meus, dicit Dominus : et reges, intendite, auribus percipite. P. Quia lex a me prodiit : appropinquans cito justitia mea : et salvator meus adest, quem insulæ expectant. ℣. Attendite ad me, populus meus : et tribus mea, audite, P. Quia lex a me. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur* ℟. Audite, audite.

℟. Metuentes Dominum, sustinete misericordiam ipsius. P. Et ne recedatis ab illo : ne cadatis, et non evacuabitur merces vestra. ℣. Qui timetis Deum, credite illi ; et in oblectatione illius veniet vobis misericordia. P. Et ne recedatis, ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur.* ℟. Metuentes Dominum.

℟. Cognoscat plebs mea nomen meum illa die, quoniam ecce ego, qui loquor, adero vobis, dicit Dominus. P. Quasi germen inter montes annuncians auditum pacis, nuncians bona, ut notum vobis faciam Salvatorem mundi. ℟. Deus de Sina venit, et de Seir ortus est : nobis apparuit de monte Pharan. P. Quasi germen. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur.* ℟. Cognoscat plebs mea.

℟. Ecce Dominus Deus noster egredietur ad nos, et miserebitur nobis. P. Delens iniquitates nostras, et demerget in profundum maris omnia peccata nostra. ℣. Levabit signum in nationibus procul, et sibilabit de finibus terræ ; et ecce festinans velociter veniet. P. Delens. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur.* ℟. Ecce Dominus Deus.

℟. Quis est iste formosus, stola sua gradiens in multitudinem fortitudinis suæ ? P. Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. ℣. Ego Jesus mitto Angelum meum testificare hominibus, et ecce venio cito. P. Ego, qui loquor. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur.* ℟. Quis est.

℟. Quare tardas, Deus ? veni, et libera populum tuum. P. Te enim expectat omnis Israel. ℣. Veni, Domine, et noli tardare, relaxa facinora plebis tuæ P. Te enim. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur.* ℟. Quare tardas.

℟ Hierusalem, lætare in Adventu Domini, quoniam ipse veniet tibi. P, Et auferet a te luctus, et anxietates, et induet te pulchritudine in Adventus suo. ℣. Hierusalem, Dominus in medio tui fortis

gaudebit super te in laude, et exultabit in jubilatione. A
P. Et auferet a te. ℣. Gloria, et honor Patri. *Reiteretur* ℟. Hierusalem, lætare.

℟. Ecce venient nobis salus a Domino celeriter, ut conterat jugum grave. P. Et salvet a vinculis peccatorum nostrorum, quia pius est. **30** ℟. Clamemus ad Dominum in cœlum a facie tribulantis, et mittet nobis Salvatorem, qui liberet nos. P. Et salvet. ℟. Gloria, et honor Patri. *Reiteretur* ℟. Ecce veniet.

Ad Vesperos dicatur, ut in fol. 17.

FERIA TERTIA QUARTÆ HEBDOMADÆ.

Ad Matutinum.

Antiphona. Lava me, Domine, ab injustitia mea: et a peccatis meis munda cor meum. *Psalmus* L.

Oratio. Deus Dei Filius, cujus in æternum permanet nomen; quippe unum te esse innotescens Deum B
ac Dominum, per susceptæ incarnationis mysterium venisti in regem, ut redimeres sæculum; da nobis ita fervere hujus mysterio pietatis, ut per hæc evadamus muscipulam deceptoris: ut, qui Adventus tui gaudia diffuso ore præcinimus, salvatos nos, cum ad judicium veneris, te judice gratulemur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 1. Revertentur filiæ Sion, et quærent Dominum Deum suum, David Regem suum. P. Et delectabuntur in Domino Deo suo. ℣. Fidelis Dominus in verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. H. Et delectabuntur. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et delectabuntur in Domino.

Oratio. Veniat super nos, Domine, donum misericordiæ tuæ, ut revertentes a socordia cordis nostri, C
et quærentes te Dominum regem in Sion; illa speculatione sancta lætemur, ut, qui faciei tuæ prestolamur præsentiam, meritorum nostrorum evadamus tormenta. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus. P. Qui et illuminabit abscondita tenebrarum. ℣. Audite hæc omnes gentes: auribus percipite, qui habitatis orbem. P. Qui et illuminabit. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Qui et illuminabit.

Oratio. Deus, qui nos ante tempus judicare prohibes, magnaque nos cautela patientiæ vis esse contentos; da nobis et veræ patientiæ vota, et veræ supportationis habere exempla: ut, antequam tu D
venias, qui illuminaturus es cordium occulta: ita in nobis veræ patientiæ exempla præpolleant, ut te ad judicium veniente charitatis nos supportatio a tormentis absolvat. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Non a principio in abscondita locutus sum. P. Sed ex tempore, antequam fieret, ibi eram. ℣. Ipse invocavit me: Pater meus es tu. Et ego primogenitum ponam illum excelsum apud reges terræ. P. Sed ex tempore. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Sed ex tempore.

Oratio. Deus, qui nos a principio in abscondito locutus es; fac, nos in principio Verbi tui, quod manifestum est in carne, inconcusso amore fidei persistere: ut, qui tecum ante tempora erat, nobis in tempore natus sine fine succurrat. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

℟. Ecce Dominus in igne veniet: quasi turbo quadriga ejus. *P.* Quia in igne Dominus dijudicabitur. ℣. Ignis ante eum ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida. *P.* Quia in igne. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. Amen. *P.* Quia.

Oratio. Domine Deus, qui te in igne venturum pronuncias; libera nos a turbine nocentium: ut, qui opus tuum mirabile prædicamus, mercedem illam, quæ coram te est, opulentius hauriamus. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Fidelis erit domus tua. *Canticum.* Ego tuli te de pascuis sequentem greges. *Require in quarta feria primæ hebdomadæ, et similiter omnia alia, usque in finem Matutini fol.* 10 *et* 11. *Ad Vesperos fol.* 17.

FERIA QUARTA.

Ad Matutinum.

Antiphona. In te confidit anima mea. *Require fol.* 13. *Psalmus* LVI. *Oratio.* Deus Dei Filius, cujus in æternum permanet. *Require fol.* 3.

Antiphona. 1. Expecta, reexpecta, dicit Dominus. In loquela enim labiis. *P.* Et in lingua altera loquar ad populum istum. ℣. Fidelis Dominus in verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. *P.* In loquela enim. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spritui Sancto. *P.* Et in lingua altera.

31 *Oratio.* Expectemus te Domine, ut, cum ad judicium veneris, non nos de peccato arguas; sed in spiritu mansuetudinis tuæ loquaris nobis misericorditer. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster.

Antiphona. 2. Ecce mittam ego in fundamentis Sion lapidem pretiosum angularem, dicit Dominus. P. Et, qui crediderit in eo, non confundetur. ℣. Deus deorum Dominus locutus est, vocavit terram. P. Et qui crediderit in eo. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. P. Et qui.

Oratio. Ecce jam prope es, Domine: fac nos tibi semper proximos esse: ut in nullo de negligenti cura soliciti, diem Adventus tui præstolemur illæsi. *Respondat Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster.

℟. Veniet dies Domini magnus. P. Quia in monte Sion, et Hierusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus. ℣. Omnes gentes plaudite manibus: jubilate Deo in voce exultationis. P. Quia in monte Sion. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. P. Quia in monte.

Oratio. Christe Dei Filius, qui in monte Sion, et in Hierusalem Salvator magnus in carne apparendo adveniens, Salvatio pro his, qui tibi credituri essent: vocatus es; esto nobis Salvator ad votum, Ductor ad

præmium: ut, qui sanctæ factus es salvationis ostensio, peccatoribus efficiaris, et hic et in æternum optabilis liberatio. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster.

Omnia alia dicantur de quarta feria primæ Hebdomadæ usque in finem Matutini. Ad Vesperos. Require fol. 17.

QUINTA FERIA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Domine quid multiplicati. *Oratio.* Multiplicati sunt Domine, qui tribulant nos. *Require fol.* 8. *Psalmus* III. *Oratio.* Deus Dei Filius, cujus in æternum permanet. *Require fol.* 3.

Antiphona 1. Cognoscetur Dominus ab Ægypto, dum advenerit. P. Et cognoscent Ægyptii Dominum in illa die, et colent eum in hostiis et muneribus. ℣. Deus manifeste venient Deus noster, et non silebit. P. Et cognoscent Ægyptii Dominum. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto P. Et cognoscent Ægyptii Dominum in illa die.

Oratio. Cognoscimus te, Domine, venturum esse ad faciendum judicium: et ideo quæsumus, ut, dum veneris, aperias os nostrum, et cor nostrum, ut laudemus nomen sanctum tuum colentes in hostiis acceptabilibus, in quo incarnationis tuæ mysteria manifestes. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

Antiphona 2. Qui regis Israel, intende. P. Excita potentiam tuam, et veni ad liberandum nos. ℣. Qui deducis velut ovem Joseph, Ephraim, Benjamin, et Manasse. P. Excita potentiam tuam. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio. H. Excita potentiam tuam, et veni.

Oratio. Qui regis Israel intende: qui deducis velut ovem Joseph, excita potentiam tuam, et salvos facito, pro quibus nasciturus venisti in terram: et qui porrecto fidei cultu multitudinem gentium lucrati dignatus es; compendio pietatis infidelium animas perfidiæ barathro erutas, tibi aliquando placitas credituras que restituas. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

℟. Cum venerit Dominus exercituum in monte Sion, et Hierusalem. P. Et in conspectu seniorum suorum glorificabitur. ℣. Audite hæc omnes gentes: auribus percipite qui habitatis orbem. P. Et in conspectu. ℣. Gloria et honor Patri, et Filio. P. Et in conspectu seniorum.

Oratio. Deus Dei Filius, qui in monte Sion et in Hierusalem in conspectu seniorum te glorificari pronuncias; concede nobis, ita in regno tuo plena fidei cognitione gaudere, ut hic non florere facias fide, et in Adventu tuo æternæ coronandos statuas gloriæ. *Respondeat Choru.* Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

Canticum, et omnia alia, quæ sequuntur usque in finem Matutini, dicantur ut in feria secunda secundæ A *hebdomadæ de Adventu Domini. Require fol.* 16.

Vesperos, ut supra fol. 10.

FERIA SEXTA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Lava me, Domine, ab injustitia mea et a peccatis meis munda cor meum. *Psalmus* L.

Oratio. Deus Dei Filius, cujus **32** in æternum permanet. *Require in feriis primæ hebdomadæ de Adventu Domini. fol.* 3.

Antiphona 1. Clamemus ad Dominum a facie tribulantis. P. Et mittet nobis Salvatorem et propugnatorem, qui liberet nos. ℣. Venite adoremus, et B procidamus ante Deum: ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster: nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus. P. Et mittet nobis Salvatorem. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio. P. Et mittet nobis Salvatorem.

Oratio. Clamemus ad te, Domine, a facie tribulantis, ut mittas nobis Salvatorem, qui liberet nos de manu inimicorum nostrorum: ut, qui præsentiam faciei tuæ præstolamur, nostrorum meritorum tormenta evadamus. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

Antiphona. Prope est dies Domini: nolite tribulari. P. Gaudium enim illius fortitudo nostra est. ℣. Audi populus meus: et loquar tibi: et testificabor tibi, Israel, si me audieris. P. Gaudium enim illius. C ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio P. Gaudium enim illius fortitudo.

Oratio. Dies tuus, Domine, ecce prope est, atque necesse est nos purgatis conscientiis properare. Et ideo, quia de nobis ista habere non possumus, a te, qui potens es, hæc ipsa, nobis tribue, postulamus: poscentes, ut ita gaudium tuum sit fortitudo nostra, qualiter tribulatio non obruat sempiterna. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

℟. Hierusalem, aspice ad orientem. P. Et vide lætitiam, a Deo quæ tibi superventura est. ℣. Lauda, Hierusalem, Dominum; lauda Deum tuum, Sion. P. Et vide lætitiam. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio. P. Et vide lætitiam.

D *Ooratio.* Aspicimus, Domine, et purgato fidei oculo jam videmus, quam inenarrabilis sit lætitia illa, quæ Hierusalem civitati tuæ ad orientem prospicienti de Domino in muneris collationis refulsit. Et ideo quæsumus, ut, qui eam incarnationis tuæ gaudiis pertulisti, nos in sinu ejus illæsos conserves a contagione totius piaculi: quo in illa operum nos dignitas salvet, ut præstolatio Adventus tui sine fine justificet. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

Canticum, et omnia alia usque in finem Matutini, ut in quarta feria secundæ hebdomadæ. Quære fol. 18. *Ad Vesperos, ut supra, fol.* 17.

IN QUINTO DOMINICO DE ADVENTU DOMINI. A

Ad Vesperos.

Lauda. A solis ortu. *Oratio.* Deus, cujus nomen est benedictum. *Quære in fol.* 1.

Sono. Apparebit nobis Salvator, quasi nubes clara. P. Media die ; alleluia. ℣ Et sicut guttæ distillantes in faciem terræ sitientis. P. Media die : alleluia.

Antiphona. Silebit omnis caro a facie Dei, quia juxta est : dies Domini præparabit nobis hostiam. P. Et sanctificabit omnes electos suos. ℣. Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit. P. E. sanctificabit. ℣. Gloria, et honor Patri. P. et sanctificabit.

Lauda. Dominus sicut fortis, egredietur, et, ut vir bellator, suscitabit zelum : vociferabitur, et B clamabit : alleluia. P. Et super inimicos suos confortabitur, et laudem ejus in insulis muntiabunt : alleluia, alleluia. ℣. Laudate nomen Domini : laudate, servi Domini. P. Et super. ℣. Gloria, et honor P. Et super inimicos.

Hymnus. Christi caterva clamitet, *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi, Dominum nostrum. *Require fol.* 2.

Capitula. Christe Dei Filius, qui a Patre sine tempore natus, per Virginem in tempore nasciturus, a Patris sinu, sicut fortis, egrederis ; effice nos fortiores semper esse in operibus tuis : ut, qui suscitasti zelum virtutis tuæ in populis tibimet credituris, suscites in nobis nunquam finiendum amorem tuæ dilectionis, quo perducamur ad promissa tuæ he- C reditatis.

Pater noster. Liberati a malo. *Require fol.* 2.

Benedictio. Ex Sion Dominus veniens nos ab omnibus impietatibus nostris eripiat. *Respondeat.* Amen. Avertat a nobis iniquitates nostras, qui venit prorogare misericordias suas. *Respondeat.* Amen. Tales etiam nos redimendos statuat, quales judicando non puniat. *Respondeat.* Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri.

Lauda. Memento nostri, Domine, in beneplacito
33 populi tui : alleluia. P. Visita nos, Deus, in salute tua : alleluia, alleluia, alleluia. ℣ Ut confiteamur nomini sancto tuo, et gloriemur in laude tua. P. Visita nos, Deus. ℣. Gloria et honor Patri. P. Visita nos, Deus. D

Oratio. Domine Deus fortis, qui de patrio, *ut infra*

Ad Matutinum.

Hymnus. Æterne rerum Conditor. *Require fol.* 3.

Oratio. Post gallorum canorum. *Require fol.* 21.

Super Psalmos. Antiphona. Domini est salus : et super populum tuum benedictio tua. *Psalmus* III.

Antiphona. Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. *Psalmus* L.

Antiphona. In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.

Oratio. Verbum ante sæcula ineffabiliter Patris ore prolatum, et in fine temporum hominem pro nobis ex Virgine ortum humili prece poscamus, ut invocationem nostram de monte sancto suo placatus exaudiat, ejusque benedictio pectora credentium repleat. At, sicut incerto secretorum sapientiæ manifestans, ad se agnoscendum corda excitat nostra ; ita catholicam plebem alarum suarum protectione defendat ; eisque, cum Judex venerit, existat placabilis, pro quibus redimendis in carne apparuit humilis. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 1. Dominus, sicut fortis, egredietur : sicut vir præliator, suscitabit zelum, ut educat cæcos in via, quam nesciunt. P. Et ponet tenebras eorum in luce. ℣. Omnes gentes, plaudite manibus : jubilate Deo in voce exultationis. P. Et ponet tenebras. ℣. Gloria, et honor Patri P. Et ponet tenebras eorum.

Oratio. Domine Deus fortis, qui de patrio secreto egrediens, et, ut vir præliator, suscitans gentes tibi credituras acquiris ; suscita in nos zelum beneplacitum tibi : ut, qui te venisse jam credimus, audentius te iterum venturum innocui præstolemur. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

Antiphona 2. Juxta est justitia mea : non morabitur dicit Dominus. P. Dabo eam salutem in Sion, et ponam gaudium omnibus lugentibus in Israel. ℣. Audite hæc, omnes gentes : auribus percipite, qui habitatis orbem. ℣. Dabo eum. ℣. Gloria, et honor Patri. ℣. Et ponam gaudium.

Oratio. Christe Deus, sapientia summi Patris, Verbum, qui ædificas tibi mundissimam domum Mariæ Virginis uterum, in qua ipse cœlestis justitia prospicis, et de qua fructum benignitatis tuæ producis, dum in ea absque veste corporea Deus ingrederis, et de qua vestitus carne procedis ; præsta nobis supplicibus tuis, ut sanctificatos nos sibi in domo efficias, de qua, ut sponsus procedens, operum nostrorum dignitate circumfultus appareas. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam, Deus.

Antiphona 3. Ego Dominus primus et novissimus : videbunt insulæ, et timebunt me. P. Extrema terræ cognoscent : et venient, appropinquabunt mihi. ℣. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus prædicans præceptum ejus. P. Extrema terræ cognoscent. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio. P. Extrema terræ cognoscent.

Oratio. Deus Dei Filius, qui primus et novissimus omnia a te creata infra te concludis, nec tamen ipse concluderis ; quem extrema terræ per incarnationis tuæ mysterium agnoverunt, dum a te fidei vocatione pertractata sunt ; da nobis, ut agnitione hujus fidei sanctæ ita in te radicemur et cultu justitiæ et operum dignitate, ut ex hoc æternam mereamur pervenire ad requiem. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam, Deus.

℟. Bethlehem civitas Dei summi, et te prodiet dominator Israel. P. Et egressus illius, sicut a principio dierum æternitatis, et pax erit in terra nostra,

dum venerit. ℣. Tu Bethlehem Euphrata, numquid parvula facta es in millibus Juda? ex te enim egredietur rex, qui regat populum meum Israel. P. Et egressus illius. ℣. Gloria et honor Patri, et Filio. *Reiteretur* ℟. Bethlehem civitas Dei.

Oratio. Christe Deus Filius Patris Dei summi, incarnationis tuæ urbem consecras, dum te ex ea verum dominatorem Israel nasciturum insinuas, et inauditum a sæculis in ea incarnationis tuæ miraculum manifestas: Dum intra ejusdem urbis Bethlehemiticæ septa genitricem Mariam et materno honore glorificas, cujus uterum nec ingrediens reseras, nec egrediens volas; quæsumus, **34** ut penetralia nostræ animæ sic tuo perlustres candore, quatenus suffragio matris tuæ a serpentina persuasione servati, virginitatem mentis obtineamus illæsi. *Respondeat Chorus*. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Deus a Libano veniet. *Canticum*. Domine audivi auditum. *Require fol*. 22.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedictus es, Deus *P*. Benedicite Dominum. *Canticum Danielis*. III. Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum. *Require fol*. 6. *Sono*. Apparebit nobis Salvator. *Require fol*. 32. *Lauda*. Laudate Dominum de cœlis: alleluia. *Require fol*. 23. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Micheæ Prophetæ (*Cap*. IV).

℟. Deo gratias.

Erit in novissimis dierum mons domus Domini præparatus in verticem montium super colles: et fluent ad eum populi. Et prophetabunt gentes multæ, et dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob: et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis ejus; quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Hierusalem. Et judicabit inter populos multos, et corripiet gentes fortes usque in longinquum: et concident gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones: non sumet gens contra gentem gladium: et non discent ultra belligerare. Et sedebit vir subtus vineam suam, et subtus ficum suam, et non erit, qui deterreat: quia os Domini exercituum locutum est. Quia omnes populi ambulabunt unusquisque in nomine Domini Dei sui: nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in æternum et ultra. In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem: et eam, quam ejeceram, colligam; et quam afflixeram: et ponam claudicantem in reliquias; et eam, quæ laboraverat in gentem robustam: et regnabit Dominus super eos in monte Sion, et nunc et usque in æternum. Et tu turris gregis, nebulosa filia Sion usque ad te venit: et veniet potestas prima, regnum filiæ Hierusalem. Nunc quare mœrore consumeris? Numquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor sicut parturientem? Dole, et satage filia Sion quasi parturiens: quia nunc egredieris de civitate, et habitabis in regione, et venies usque ad Babylonem: ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum. *Respondeat Chorus*. Amen.

Hymnus. Cunctorum rex omnipotens. *Supplicatio* Oremus Redemptorem mundi. *Require in primo Dominico de Adventu Domini. fol*. 2.

Capitula. Domine Jesu Christe, quem venisse credimus in carnis abjectione humilem mundum pereuntem rdimere; quemque iterum præstolamur in potentia Deitatis venturum, sæculum delinquens terribiliter judicare; immensam pietatem tuam trementes famulti tui quæsumus, ut, dum veneris, non de peccato nos arguas, sed ineffabili benignitate succuras: et hic potius humilitatis nostræ confessionem accipias, ut illic et facinora nostra universa indulgeas, et in dexteræ tuæ partem coronandos statuas.

Pater noster. Liberati a malo, *Require fol*. 2.

Lauda. Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui: alleluia. P. Visita nos, Deus, in salute tua: alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Ut confiteamur nomini sancto tuo, et gloriemur in laude tua. P. Visita nos, Deus. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. P. Visita nos, Deus, in salute.

Benedictio. Ex Sion Dominus veniens nos ab omnibus impietatibus nostris eripiat. *Respondeat Chorus*. Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri. Dominus sit semper.

In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

Exeunte vespera. Lauda. A Solis ortu usque ad occasum. P. Laudabile nomen Domini. ℣. Sit nomen Domini benedictum, amodo, et usque in æternum. P. Laudabile nomen Domini.

Sono. Apparebit nobis Salvator. *Require fol*. 32.

Antiphona. Erit Dominus, sicut ros: Israel germinabit, sicut lilium, P. Et erumpet radix ejus, ut Libani. ℣. Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus: et florebunt de civitate sicut fœnum terræ. P. Et erumpet radix ejus. ℣. Gloria, et honor Patri, **35** et Filio. P. Et erumpet radix.

Lauda. Deus virtutum nobiscum. P. Susceptor noster Deus Jacob. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Veritas de terra orta est; et justitia de cœlo prospexit. P. Susceptor noster Deus. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Alleluia, alleluia, alleluia.

Hymnus. Christi caterva clamitet, *Supplicatio*. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum. *Require in primo Dominico de Adventu Domini. fol* 2.

Capitula. Deus, cujus æternitas tempora præscit, et ordinat; qui in plenitudine temporum Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum nasciturum ex Virgine destinas; ut æternus ex te sine tempore prodiens, pro nobis conditor nasceretur in tempore; ut et nostra scilicet tempora visitet, et temporales suæ immortalitatis participes reddat; assistat tibi pro nobis: ut, quos Adventu suo mirabiliter redemit, munere suo abundantissime ditet.

Pater noster. Liberati a malo. *Require fol.* 2. A

Benedictio. Christus Dominus, qui per susceptæ. *Quære fol.* 8.

Lauda. Erit firmamentum in terra in summis montium superextolletur super Libanum: alleluia. P. Et erit nomen Domini benedictum in sæcula : alleluia, alleluia. ℣. Ante Solem permanet nomen ejus, et ante Lunam sedes ejus; et benedicentur in eo omnes tribus terræ. P. Et erit nomen Domini. ℣. Gloria, et honor. P. Et erit nomen.

Oratio. Domine Deus fortis, qui de patrio. *Dicatur, ut in primis Vesperis istius Dominici. fol.* 32.

FERIA II QUINTÆ HEBDOMADÆ IN ADVENTU DOMINI.

Ad Matutinum.

B

Antiphona. Domine, quid multiplicati sunt? *Psalmus* III, *cum sua Oratione fol.* 8.

Antiphona 1. Quibus non est nunciatum de eo, videbunt eum : et, qui non audierunt, intelligent. P. Et ascendet, sicut virgultum coram eo. P. Et sicut radix de terra sitienti. ℣. In sua justitia judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum : et humiliabit calumniatorem. P. Et ascende.t ℣. Gloria, et honor. P. Et sicut.

Oratio. Immane satis facinus video coram tuis, Deus Pater, oculis a reprobis perpetratum : qui dum Filium tuum, prædicatum in lege, contemnunt, in incredulitatis suæ voragine remanserunt; dum hi, quibus non erat de eo nunciatum, viderunt eum, et, qui non audierunt, intelligentia com- C templati sunt. Amove ergo, quæsumus, quidquid resistit tibi in opere, ut credulo pectore sic in nobis virgulta donorum præpolleant, ut radix humilitatis numquam arescat. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

Antiphona 2. Deus pacis sanctificet vos ad perfectum, et integer spiritus sit vester. P. Anima, et corpus sine quærela in Adventu Domini nostri Jesu Christi servetur. ℣. Laudate nomen Domini : laudate, servi, Dominum. P. Anima, et corpus. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Anima, et corpus.

Oratio. Christe Deus noster, qui in assumpta humanitate veniens mundum judicaturus, sanctifica nos ad perfectum; ut in die Adventus tui, cum judicaturus veneris sæculum, ita integer spiritus nos- D ter, anima, et corpus in te refloreat, ut tecum sinefine regnaturi vivamus. *Respondeat Chorus*. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

Antiphona 3. In die illa inclinabitur homo ad factorem suum. P. Et oculi ejus ad sanctum Israel respicient. ℣. Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram. P. Et oculi ejus. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio. P. Et oculi ejus.

Oratio. Unigenite Dei Filius, cujus oculi ad sanctum Israel respiciunt, inclina ad misericordiam tuam, qualiter te factorem nostrum adspicere valeamus, dum gloriosus apparueris in gloriam tuam. *Respondeat Chorus*. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

℟. Gaude, filia Sion, quia veniet tibi rex, tuus cum jocunditate. P. Et tu, filia Hierusalem, lætare in Adventu Domini Dei tui. ℣. Exulta satis, et jubila, filia Sion : ecce rex tuus venit justus venit justus et salvator. P. Et tu, filia Hierusalem. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio. *Reiteretur* ℟. Gaude, filia Sion.

Canticum, et omnia alia, quæ sequuntur usque in finum Matutini, dicantur, ut in secunda feria primæ hebdomadæ de Adventu Domini. Quære fol. 9. *Excepta Prophetia*. Erit **36** in novissimis dierum mons domus Domini. *Quære fol.* 34.

Ad Vesperos omnia dicantur, ut supra in secunda feria.

FERIA TERTIA

Ad Matutinum

Antiphona. Lava me, Domine. *Quære fol.* 3 *Psalmus* L. *Oratio*. Deus Dei Filius, cujus in æternum permanet. *Quære fol.* 3.

Antiphona. 1. Addent mites in Domino lætitiam. P. Et pauperes homines, sancto Israel adveniente, gaudebunt. ℣. Verumtamem prope timentes eum salutare ipsius : ut inhabitet gloria in terra nostra. P. Et pauperes homines. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio. P. Et pauperes.

Oratio. Incarnationis tuæ, Christe Domine, mysterio revelato, humiles pauperes exultant, te sanctum verum cognoscere mitissimum in lætitia. Te ergo proinde quæsumus ut, qui steriles facis esse fœcundos, nos peccatores efficias esse beatos. *Respondeat Chorus*. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

Antiphona 2. Sanctificabunt omnes sanctum Jacob, et Deum Israel prædicabunt. P. Et scient errantes intellectum, et inusitatores discent legem. ℣. Deus manifeste veniet Deus noster, et non silebit. P. Et scient errantes intellectum. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio. P. Et scient errantes.

Oratio Deus, ad quem oculi universæ carnis respiciunt, fac, nos videre salutare tuum in gloria, qualiter sciant errantes intellectum : ut, cum majestatis tuæ cunctis illuxerit régnum, debitum pro meritis evadamus supplicium. *Respondeat Chorus*. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

℟. Confortate in Adventu Domini Dei tui, domus Jacob; quoniam seminantem fructum, vitæ lumen majestatis videbitis salvatorem. P. Et, qui angustiamini, sustinete, quoadusque veniat princeps justitiæ, auferens infirmitatem universæ terræ. ℣. Contemplare viam : conforta lumbos, robora virtutem valde, et properare in Adventu Domini Dei tui. P. Et, qui augustiamini. ℣. Gloria. et honor Patri, et Filio, *Reiteretur* ℟. Confortare in Adventu Domini.

Canticum, et omnia alia usque in finem Matutini dicantur, ut in flria quarta primæ hebdomadæ fol. 11 *et* 12. *Excepta Prophetia, quæ dicetur de Dominico præterito fol.* 34 *Ad Vesperos, ut supra, fol.* 12

FERIA QUARTA

Ad Matutinum.

Antiphona. In te confidit anima mea. *Psalmus* LVI. *Oratio.* Deus Dei Filius, cujus in æternum permanet. *Require fol.* 3.

Antiphona. Egredietur virga de radice Jesse. P. Et flos de radice ejus ascendet. P. Et judicabit in justitia pauperes. ℣. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum. P. Et flos de radice. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et judicabit.

Oratio. Esto nobis, Domine, corona gloriæ in die, quo veneris sæculum judicare per ignem, ut hic prius vestiaris indumento justitiæ, et post perfecta gloriæ libertate. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

Antiphona 1. Quibus non est narratum de eo, videbunt. P. Et, qui non audierunt, intelligent: et ascendet, sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. ℣. In sua justitia judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum, et humiliabit calumniatorem. P Et, qui non audierunt. ℣. Gloria, et honor. P. Et, qui non audierunt.

Oratio. Quibus non est narratum de eo, videbunt; et, qui non audierunt, intelligent; quia spes fida in ipso semper manet, in quo est perfecta gloriæ plenitudo. Repleat itaque os nostrum jocunditate, ut et vox nostra ejus resultet præconiis, et impleatur anima donis. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Exultate in lætitia Jacob, et inite contra caput gentium. *P.* Personate, canite, et dicite. *P.* Salva, Domine, populum tuum, reliquias Israel. ℣. Sumite psalmum, et date tympanum: psalterium jocundum cum cithara. *P.* Personate, canite. ℣. Gloria et honor. *P.* Salva, Domine.

Oratio. Fac, nos, Domine, juste, sobrie et pie in hoc sæculo vivere, expectantes beatam illam spem, et Adventum claritatis magnificentiæ tuæ: et sic per semitas justitiæ curramus, ut merito accedere ad æternam hereditatem possimus. *Respondeat Chorus.* Amen.

37 Per misericordiam tuam, Deus noster.

℟. Placabilis, Hierusalem, veniam in montibus tuis: et exultabis, quia dies Domini venient tibi. Surge, Sion; convertere ad Deum tuum. Gaude, et lætare, Jacob. *P.* Quia de medio gentium salvator tuus prodiit. ℣. Revertere, filia Sion: revertere ad civitates tuas: revertere, virgo Israel. *P.* Quia de medio. ℣. Gloria et honor Patri. *Reiteretur* ℟. Placabilis, Hierusalem.

Omnia alia usque in finem Matutini dicantur, ut in sexta feria primæ hebdomadæ fol. 13. *Excepta Prophetia, quæ est dicenda de quinto Dominino præterito fol.* 34.

℟. Ecce majestas Dei venit per viam, quæ respicit ad orientem: et vox ejus, sicut vox aquarum multarum. *P.* Et terra splenduit a claritate Domini. ℣. Audite, insulæ; et attendite, populi: obstupescite

A et admiramini: montes enim commovebuntur, et concutientur fundamenta terræ. P. Et terra splenduit. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur Responsorium.* Ecce majestas.

℣. Clamor factus est: ecce sponsus venit. P. Exite obviam ei. ℣. Benedictus, qui venit in nomine Domini, rex Israel. P. Exite. ℣. Gloria, et honor Pa- *Reiteretur Responsorium.* Clamor factus est.

℟. Ecce Dominus ascendet super nubem levem. P. Et ingredietur Ægyptum, et, ut rex fortis, dominabitur cunctis gentibus. ℣. Deus manifeste veniet et non silebit. P. Et ingredietur. ℣. Gloria, et honor. P. Et ingredietur.

℣. Ecce Dominus veniet, et non mentietur. P. Et, si moram fecerit, excepta illum; quoniam veniet,

B et non tardabit. ℣. Qui emittit eloquium terræ, velociter currit sermo ejus. P. Et, si moram, fecerit. ℣. Gloria, et honor Patri P. Et, si moram.

℣. Orietur timentibus Deum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus. ℣. Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis: donec extollatur luna. *P.* Et sanitas. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. *P.* Et sanitas.

Ad Vesperos dicatur, ut in feria sexta primæ hebdomadæ.

FERIA QUINTA.

Ad Matutinum

Antiphona. Domine, quid multiplicati sunt? *Cum sua Oratione* Multiplicati sunt, Domine, *Require fol.* 8.

Antiphona 1. Ecce Dominus ascendet super nu-

C bem levem. *P.* Et ingredietur Ægyptum. *P.* Et, ut rex fortis, dominabitur cunctis gentibus. ℣. Deus manifeste veniet, Deus noster; et non silebit. P. Et ingredietur. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio. P. Et, ut rex fortis, dominabitur.

Oratio. Ecce super nubem te Dominum ascensurum Prophetarum vaticinia prædixerunt: et ideo te quæsumus, ut, qui olim in carne nasciturus, mundum utique istum ingrediens rex fortis, dominium per fidem obtinuisti in gentibus; pium te in nobis ostendas, cum apparueris gloriosus. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

Antiphona 2. Ecce Dominus veniet, et non mentietur. P. Et, si moram fecerit, expecta illum; quoniam veniens veniet, et non tardabit. ℣. Qui mittit

D eloquium suum terræ, velociter currit sermo ejus. P. Et, si moram. ℣ Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. P. Et, si moram fecerit.

Oratio. Expectamus te, Domine, quoniam veniens venies. Nunc tamen, quia regnum tuum supra terminos terræ agnoscitur; non te mentitum fuisse, infirmitas nostra conqueritur: Et ideo expectamus te desiderio humiles, ut, cum veneris, efficias nos tibi sine fine consortes. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

Antiphona 3. Orietur timentibus Deum Sol justitiæ. P Et sanitas in pennis ejus. ℣. Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis: donec extollatur

Luna. P. Et sanitas. ℣. Gloria. et honor Patri, et A Filio, et Spiritui Sancto. P. Et sanitas.

Oratio. Orire in cordibus nostris, Sol jutitiæ, et illumina nos claritate Adventus tui; ut, qui in voce promissionis tuæ hilarescimus, in adventu gloriæ tuæ nullo modo confundamur. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri.

℟. Veniam ad Sion, dicit Dominus, et habitabo in Hierusalem. P. Et vocabitur Hierusalem civitas sancta. ℣. Audi, populus meus, et loquar Israel, et testificabor tibi, Israel, si me audieris. P. Et vocabitur. ℣. Gloria, et honor. P. Et vocabitur.

Oratio. Veni, Domine, sicut promisisti, in Sion, et habita in Hierusalem; ut, qui jam **38** olim apparuisti per fidem gloriosus, illic declaretis in nos- B trorum operum dignitatem: ut et visio pacis pacatum in nos honorem nominis tui retentet, et desiderium Adventus tui novæ lucis nobis in ea sidus accumulet. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

Omnia alia, quæ sequuntur, dicantur, ut in secunda feria secundæ Hebdomadæ, fol. 16. *Excepta Prophetia, quæ dicitur de Domino quinto præterito fol.* 34

Ad Vesperos dicantur, ut supra in secunda feria fol. 17.

FERIA SEXTA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Lava me, Domine, ab injustitia mea, et a peccatis meis munda cor meum. *Psalmus* L.

Oratio. Deus Dei Filius, cujus in æternum perma- C net nomen, quique unum te esse innotescens Deum ac Dominum, per susceptæ incarnationis mysterium venisti in regem, ut redimeres sæculum; da nobis ita fervere hujus mysterio pietatis, ut per hæc evadamus muscipulam deceptoris: ut, qui Adventus tui gaudia diffuso ore præcinimus, salvatos nos, cum ad judicium veneris, te judice, gratulemur. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui, etc.

Antiphona 1. Verbum mittit Dominus in Jacob, et veniet in Israel. P. Ut sciat omnis populus, quia ipse est. ℣. Qui mittit verbum suum terræ: velociter currit sermo ejus. P. Ut sciat omnis populus. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. P. Ut sciat omnis.

Oratio. Mittet Verbum tuum, omnipotens Pater, D de sedibus tuis, ut sanet et consolidet omnes contritos, et erigat elisos, conferens nobis lætitiam nominis sui. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

Antiphona 2. Ecce veniet vir, cujus oriens nomen ejus: subter eum orietur justitia. P. Et ipse erit salus populi. ℣. Orietur in tenebris ejus justitia; et erit firmamentum in terra in summis montium. P. Et ipse erit. ℣. Gloria, et honor Patri et Filio, et Spiritui Sancto. P. Et ipse erit.

Oratio. Ecce tu, Domine Deus noster, qui olim redempturus mundum venisti, cujus oriens nomen tuum; libera perditos, quos redemisti magno opere: ut, qui infirmari pro nobis dignatus es homo, Divinitatis tuæ homines digneris præmuniri subsidio. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

℟. Liberabit nos Dominus a potentatu inimicorum nostrorum. P. Et veniet nobis gaudium et lætitia a Deo salutari nostro celeriter. ℣. Ecce dies venient, dicit Dominus: suscitabo super vos verbum bonum, et invocabitis me, et timebitis: orabitis, et ego exaudiam vos. P. Et veniet nobis gaudium, et lætitia. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. P. Et veniet nobis gaudium, et lætitia.

Omnia alia, quæ sequuntur usque in finem Matutini, dicantur, ut in feria quarta secundæ hebdomadæ fol. 18, *excepta Prophetia, quæ dicitur de Dominico quinto præterio fol.* 34.

Ad Vesperos, ut dictum est in feria quorta secundæ Hebdomadæ fol. 19.

Antiphona. In te confidi anima mea. *Psalmus.* XLVI.

Oratio. Deus Dei Filius, cujus in æternum permanet *ut supra.*

Antiphona 1. Attendite ad me, populus meus; et tribus mea, me audite. P. Quia judicium meum in luce populorum apparebit. ℣. Audite hæc omnes gentes: auribus percipite, qui habitatis orbem. P. Quia judicium meum. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. P. Quia judicium meum.

Oratio. Ad te, Domine, tribus tua, ecce, et populus accedentes, petimus et rogamus, ut judicium tuum, quod in populorum apparuit luce, in redemptorum clarificetur salvatione; ut, quos dudum venit redimere per fidem, veniat iterum a se redemptos de æternitatis supplicio liberare. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

Antiphona. 2. Clude sermonem, dicit Dominus: et signa librum usque ad diem Adventus Domini. P. Multiplex enim erit scientia. ℣. Deus deorum et Dominus locutus est, et vocavit terram. P. Multiplex enim erit. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. P. Multiplex enim.

39 *Oratio.* Deus, qui multiplicem prædixisti esse scientiam nunciorum, dum per incrementa temporum aucta est gratia prædicantium: fac nos claus sermonis signatique libri ita mysteria credere, et credita retinere; ut in die Adventus tui mereamur tuis coram oculis sine confusione assistere. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam, Deus.

Antiphona 3. Suscitabo eum ad justitiam, dicit Dominus. P. Et omnes vias ejus dirigam, et captivitatem populo meo dimittam. ℣, Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis: donec extollatur Luna. P. Et omnes vias. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et omnes.

Oratio. Deus Pater, qui Jesum Christum Filium tuum suscitasti ad justitiam, ostendendo eum in carne; fac nos semper illius sequi pedes opere, et

voce ; ut, eum auditu cordis sine intermissione au- A dientes, gloriæ suæ mereamur esse participes. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

℟. Lætamini cum Hierusalem, et exultate in ea, omnes, qui diligitis eam : quia ecce ego declinabo super eam.P.Quasi fluvius pacis,videbitis ; et gaudebit cor vestrum. ℣. Exulta, et lauda, filia Sion, quia venit in medio tui sanctus Israel. P. Quasi fluvius pacis, videbitis. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. *Reiteretur Responsorium.* Lætamini cum Hierusalem.

Oratio. Deus, qui Hierusalem perfecta te apparere prophetali vaticinio prædixisti, concede nobis per speculationem Ecclesiæ tuæ et devotos semper manere, et inlæsos usquequaque persistere : ut in ea B semper gloriosus appareas, in qua incarnationis tuæ mysteria manifestas. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Canticum, et omnia alia, quæ sequuntur in fine Matutini, dicantur, ut in feria sexta secundæ hebdomadæ fol. 20, *excepta Prophetia, quæ dicitur de quinto Domino præterito fol.* 34.

IN SEXTO DOMINICO DE ADVENTU DOMINI.

Ad Vesperos.

Antiphona. Erit lux magna in temporo vespertino. P. Quia ecce veniet Dominus Deus vester. ℣. Et illuminabuntur, qui in tenebris sunt, et im umbra mortis sedent. P. Quia ecce veniet.

Sono. Qui regis Israel, intende. P. Et veni, ut liberes nos. Alleluia. ℣. Deus virtutum converte nos : C et ostende faciem tuam. P. Et veni, ut liberes.

Antiphona. Hosanna: benedictus, qui venit in nomine Domini. P. Benedictum, quod venit, regnum patris nostri David : Hosanna in excelsis. ℣. Benedictus, qui venit in nomine Domini. Deus Dominus, et illuxit nobis. P. Benedictum. ℣. Gloria, et honor. P. Benedictum.

Lauda. Apparebit vobis Salvator, quasi nubes clara media die. P. Et sicut guttæ distillantes in faciem terræ sitientis. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. In sua justitia judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum, et humiliabit calumniatorem, P. Et, sicut guttæ. ℣. Gloria, et honor. P. Et, sicut guttæ.

Humnus. Christi caterva clamitet. *Supplicatio,* D Oremus Redemptorem mundi. *Require fol.* 2.

Capitula. Hosanna filio David : benedictus, qui venit in nomine Domini : benedictum, quod venit, regnum patris David : Hosanna in excelsis. Proinde quæsumus et rogamus, ut arcana pectoris nostri splendore Paracliti Spiritus irradies, et adminiculo dexteræ tuæ nos præsenti in sæculo a cunctis malis eruas, et ad regnum cum tuis laudibus tripudiantes perducas.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Deus, qui venit, ut liberet nos, tales nos faciat, quales liberandos efficiat. ℟. Amen. Libertas, quam redimendis redimens contulit, redemptionis conservatione defendat. ℟. Amen. Ut, qui Redemptor venit ad mundum, redemptos nos pervehat in cœlum. Amen.

Per misericordiam ipsius.

Lauda. Miserere, Deus, omnium ; et respice nos. Alleluia. P. Et ostende nobis lumen miserationum tuarum. Alleluia : alleluia. ℣. Deus tu convertens vivificabis nos : et plebs tua lætabitur in te. P. Et ostende nobis. ℣. Gloria, et honor. P. Et ostende.

Oratio. Consolare Domine expectantium te. *Require in Matutinis istius Dominici.*

Ad Matutinum.

Hymnus. Æterne rerum Conditor, *Require fol.* 3.

40 Oratio. Post gallorum. *Quære fol.* 21.

Super Psalmos. Antiphona. Domini est salus : et super populum tuum benedictio tua. *Psalmus* III.

Antiphona. Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. *Psalmus* L.

Antiphona. Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. *Psalmus* LVI.

Oratio. Verbum ante sæcula. *fol.* 33.

Antiphona 1. Confortamini manus fatigatæ: genua debilia roboramini ; quia pusillo animo estis, convalescite : non est quod ultra timeatis. P. Ecce Salvator venit. ℣. Audite hæc, omnes Gentes : auribus percipite qui habitatis orbem. P. Ecce. ℣. Gloria, et honor. *P.* Ecce.

Oratio. Consolare, Domine, expectantium te corda fidelium ; ut fatigatæ manus nostræ tuæ confortationis suscipiant opem : qualiter debilia genua, dum mandatorum tuorum itineribus infatigabili vestigio occurrunt, æternæ a te promissionis gaudio munerentur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Ecce veniet Dominus, et salvos nos faciet. *P.* Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum audient : tunc ascendet claudus, quasi cervus. ℣. Advocavit cœlos sursum, et terram discernere, et populum suum. *P.* Tunc aperientur. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Tunc aperientur oculi.

Oratio. Veni, Domine, et salvos nos facito, et desiderium cordis nostri non reprobes tempore judicii tui ; ut, qui oculos cæcorum aperiens, auditum surdis reddidisti : induratis cordibus nostris manifestum semper donum illud tuæ pietatis infunde, per quod nos ad præmia sempiterna perducas. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. O vos, qui in pulvere estis, expergiscimini. *P.* Et laudate. *P.* Ecce Dominus veniet, nolite timere. ℣. Omnes Gentes plaudite manibus : jubilate Deo in voce exultationis. *P.* Et laudate. ℣. Gloria. P. Ecce Dominus.

Oratio. Christe, Dei Patris Filius, qui veniens in hunc mundum in pulvere positos surgere, et te laudare præcepisti ; nunc te, Domine, venientem ne timerent evocasti : præsta nobis te quærentibus, ita

in carne proficere castimonia, ut non timeamus A reverti in illo pulvere, ex quo eos, qui in eo erant, veniens excitaveras; sed laudem illam, qua præcepti sunt, ut te benedicerunt, ita in nobis forma, ut a nobis incessabiliter semper lauderis ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

℟. Nos omnes ambulabimus in nomine Domini in æternum, quoniam regnabit Dominus in monte Sion. P. Et tu turris Regis nebulosa, filia Sion, ad te veniet Salvator, et veniet potestas prima regum filia Hierusalem. ℣. Ecce habitatores Petræ de vertice montium clamabunt, et dicent: Venite, ambulemus in lumine Domini Dei. P. Et tu turris. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur.* ℟. Nos omnes ambulabimus.

Oratio. Nos omnes ambulantes in nomine tuo, B Unigenite Filius Dei Patris, petimus, rogamus, atque exposcimus; ut qui te incarnatum credimus in uterum Virginis, fidei remuneremur ex præmiis: ut qui te in montem Sion regnaturum pronuncias, in nostris cordibus habitaturum te sine fine ostendas. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Ad Canticum, Antiphona. Qui reminiscimini Dominum, ne taceatis, et ne detis silentium, donec stabiliat, et ponat Hierusalem laudem in terra.

Canticum. Gaudens gaudebo. *Require fol.* 18

Ad Benedictus, Antiphona. Benedicite Dominum pusilli, et magni, omnes, qui expectatis adventum ipsius.

Canticum Danielis III. Benedictus es, Domine Deus C patrum nostrorum. *Require fol.* 6. *Sono.* Qui regis Israel. *Require in Vesperis fol.* 59.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis. Alleluia: laudate eum in excelsis. Alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* VI).

℟. Deo gratias.

Locutus est Dominus ad Achaz, dicens: Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo domus David: nunquid parum vobis est, molesto esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat **41** reprobare malum, et eligere bonum. Quia antequam D sciat puer reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum Regum. Adducet Dominus super te, et super domum patris tui, et super populum tuum dies, qui non venerunt a diebus separationis Ephraim a Juda cum rege Assyriorum. In die illa radet Dominus in novaculam conductam his, qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum, caput et pilos pedum, et barbam universam. Et erit in die illa: Nutriet homo vaccam boum, de duas oves, et præ ubertate lactis comedet butyrum: butyrum enim et mel manducabit omnis qui relictus fuerit in medio terræ. Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stilo hominis: Velociter spolia detrahe. Cito prædare. Et adhibui mihi testes fideles, Uriam Sacerdotem, et Zachariam filium Barachiæ: et accessi ad prophetissam, et concepit, et peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus: Accelera spolia detrahe: Festinat prædari. Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ coram rege Assyriorum. Et adjecti Dominus loqui ad me dicens adhuc: Pro eo quod abjecti populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, et assumpsit magis Rasin, et filium Romeliæ: propter hoc ecce Dominus adducet super eas aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum, et omnem gloriam ejus: et ascendet super omnes rivos ejus, et fluet super universas ripas ejus, et ibit supra Judam inundans, et transiens usque ad collum veniet. Et erit extensio alarum ejus, implens altitudinem terræ, o Emmanuel. Congregamini et audite, universæ procul terræ: confortamini, et vincimini: inite consilium, et dissipabitur: loquimini verbum, et non fiat: quia nobiscum est Deus ℟. Amen.

Hymnus. Cunctorum Rex omnipotens. *fol.* 7. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi. *Require fol.* 2.

Capitula. Domine, cujus est regnum potentia terribile, et præcinctum virtute, quem flumina Doctorum elevatis vocibus laudant, et mirabilia maris concelebrant: excita potentiam tuam, et brachii tui terribilem fortitudinem, quæ conterat jugum nostræ servitutis miserorum colla prementis; nostrasque fatigatas confortet manus, debilia roboret genua, convalescere pusillanimes faciat; nec ultra sit, quod timeamus ex inimico quia propter salvationem nostram venire credimus nostrum piissimum Redemptorem.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 1.

Lauda, Miserere, Deus omnium. *Benedictio.* Deus qui venit. *Require fol.* 39.

In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

Exeunte vespera. Lauda. Erit lux magna. *Sono.* Qui regis Israel. *Require fol.* 39.

Antiphona. Quam pulchri sunt super montes pedes evangelizantes pacem: prædicantes salutem, dicentes. P. Sion, regnabit Deus tuus. ℣. Omnes Gentes, plaudite manibus: jubilate Deo in voce exultationis. P. Sion, regnabit, ℣. Gloria, et honor Patri et Filio, etc. P. Sion regnabit.

Lauda. Cantate Domino, et benedicite nomen ejus: Alleluia. P. Bene nunciate de die in diem salutare ejus. Alleluia. Alleluia. ℣. Cum converterit Dominus captivitatem plebis suæ, lætetur Jacob, et exultet Israel. P. Bene nunciate. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, etc. P. Bene nunciate.

Hymnus. Christi caterva clamitet. *Require fol,* 1.
Capitula. Deus, cujus æternitatis. *Require fol.* 8.
Benedictio. Christus Dominus, qui per susceptæ. *Require fol.* 8.

Lauda. Universi, qui te expectant. Alleluia. Non confundentur. Alleluia. *P.* Quia tu es Deus salutaris meus. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Dirige me in veritate tua: edoce me, quia tu es Deus Salvator meus. *P.* Quia tu. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Quia tu es Deus.

Oratio. Consolare, Domine, expectantium. *Require fol.* 40.

FERIA SECUNDA SEXTÆ HEBDOMADÆ.

Ad Matutinum.

Antiphona. Domine, quid multiplicati sunt?

Oratio. Multiplicati sunt, Domine. *Require fol.* 8.

Antiphona. Ecce ego adducam filium meum Orientem, dicit Dominus. *P.* Quia lapis, quem dedi coram Jesu, septem in eo oculi sunt. ℣. Manus enim mea auxiliabitur et, et brachium meum confortabit eum *P.* Quia lapis, quem. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Quia lapis, quem.

42 *Oratio.* Deus Pater qui Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum oriri fecisti in carne tempore Incarnationis suæ: concede nobis, ut in ejus visione, cum ad judicium venerit, cor nostrum refloreat, et consolationis donum de visionis ejus gaudiis adipiscatur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

Antiphona. Quasi diluculo præparatus est Adventus Domini. *P.* Et veniet nobis, quasi imber temporaneus, et serotinus. ℣. Omnes gentes, plaudite manibus: jubilate Deo in voce exultationis. *P.* Et veniet nobis. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Et veniet.

Oratio. Diluculo egressum tuum, Christe Domine, præparatum fuisse cognoscimus: ideo te rogamus, ut, qui imber temporaneus, et serotinus ortus es terris, terram cordis nostri indeficientibus irriges pluviis tuæ benedictionis; ut, qui primi Adventus tui festum devote suscipimus, secundi Adventus tui manifestatione salvemur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

Antiphona. 3. Suscitavit Dominus ab oriente justum. *P.* Dabit in conspectu ejus Gentes. *P.* Et reges obstinebit. ℣. Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus, *P.* Dabit in conspectu. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Et reges.

Oratio. Deus Pater, qui ab oriente Justum exuscitas: da nobis, ut in ejus amplexu, quem ad redemptionem nostram misisti nostræ animæ reviviscant; ut Justi, qui sine alterius justitiæ participatione est Justus, participes esse, te propitio, mereamur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

℟. Hierusalem cito veniet salus tua. *P.* Quare mœrore consumeris? numquid rex non est tibi? aut consiliarius tuus periit? *P.* Quia incurvavit te dolor, sicut parturientem, salvabo te, et innovabo te; noli pavere. ℣. Ecce vocabo servum meum, et ponam verba mea in ore ejus, ut plantet cœlos, et fundet terram, et dicit ad Sion. *P.* Quare mœrore. ℣. Gloria, et honor. *P.* Quia incurvavit.

Oratio. Deus Dei Filius, qui auditum faciens ab extremis terræ, mundo apparuisti in carne; restitue teipsum mercedem fidei nostræ: ut, qui opus tuum mirabile prædicamus, mercede illa, quæ coram te est, opulentius muneremur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

Omnia alia, quæ sequuntur usque in finem Matutini dicantur, ut in secunda feria primæ hebdomadæ fol. 8. excepta prophetiâ, quæ dicitur de Dominico sexto præterito. fol. 40. Ad Vesperos, ut supra in secunda feria.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

Ad Matutinum

Antiphona. Lava me, Domine, ab injustitia mea: et a peccatis meis munda cor meum. *Psalm.* L.,

Oratio. Deus, Dei Filius. *Require fol.* 3.

Antiphona. Exiet virga de Radice Jesse *P.* Et flos de radice ejus ascendet, et requiescet in eo Spiritus Domini, spiritus sapientiæ septiformis. ℣. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum. ℣. Et flos de radice. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Et flos.

Oratio. Ex radice Jesse exiens virga, credentem tibi populum salva, et spiritum septiformem in eis infunde: ut, qui in salutem venisti nasciturus in terris, gloriosum nomen tuum in eis, qui te deprecantur, ostendas. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

Antiphona. Attendite, Gentes, et audite, et auribus percipite: audiat terra, et plenitudo orbis, et omne germen ejus. *P.* Quia Dominus Salvator noster venit. ℣. Omnes Gentes, plaudite manibus: jubilate Deo in voce exultationis *P.* Quia Dominus Salvator. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, etc. P. Quia Dominus Salvator.

Oratio. Domine Jesu Christe, fac nos accedere ad te: tribue nobis donum misericordiæ tuæ; ut, qui faciei tuæ præstolamur præsentiam, meritorum, nostrorum evadamus tormenta. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster.

Antiphona. Ecce procedet verbum de Throno Dei, confitemini Domino, et laudem dicite illi. *P.* Quoniam venit, et dies Domini magna, et præclara valde ℣. Qui emittit verbum suum, et liquefacit eam: flavit spiritus ejus, et fluent aquæ. *P.* Quoniam venit. ℣. Gloria, et honor. *P.* Quoniam venit.

43. *Oratio.* Procedens de Throno Dei Patris unicum verbum, salva filios hominum: ut, confitentes tibi laudemque dicentes, cum magna dies illa Adventus tui advenerit, per hoc quod de te modo credimus, ab æternis tunc suppliciis eruamur ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

℟. Ecce orietur nobis Princeps de semine Juda et apparebit omnium Gentium Dominus: in excelsi revelabitur claritas regni ejus ad conterendam virtutem inimicorum suorum. *P.* et dabit requiem

omnibus timentibus se. ℣. Ego locutus sum, et vocavi eum, et adduxi eum. *P.* Et dabit requiem. ℣. Gloria, et honor. *P.* Et dabit.

Oratio. Te Deum Redemptorem nostrum benedicimus, qui ex semine Juda nasci dignatus es : et petimus ; ut nullo obstaculo a tuo prohibeamur officio. Quicumque vero te, Domine, confitemur, ditari tuo A munere indulgentiæ sentiamus. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Canticum, et omnia alia, quæ sequuntur usque in finem Matutini dicantur, ut in quarta feria primæ hebdomadæ de Adventu Domini, fol. 11, et 12, *excepta Prophetia,* Locutus est Dominus ad Achaz, etc. *quæ dicitur de sexto Dominico præterito fol.* 40.

IN NATIVITATE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

45. *Ad Vesperos.*

Antiphona. Paravi lucernam Christo meo. Inimicos ejus induam confusione. *P.* Super ipsum autem florebit sanctificatio mea. ℣. Juravit Dominus David in veritate, et non auferetur ab eo : de fructu ventris tui ponam super sedem meam. *P.* Super ipsum. ℣. Et ego illum ponam primogenitum excelsum præ regibus terræ. *P.* Super ipsum. ℣. Et ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium. *P.* Super ipsum.

Oratio. Vespertinis laudibus jam præmissis, Domine, paramus lucernam Christo tuo Domino, ac Deo nostro : ut fructu justitiæ repleamur ad gratiam ; et verbum vitæ contineamus ad gloriam. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Sono. In splendoribus sanctorum; ex utero ante luciferum genui te. Alleluia. ℣. Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. ℣. Dominus a dextris tuis confregit in die iræ suæ reges. Judicabit in nationibus, implebit ruinas : conquassabit capita multa in terra copiosa. De torrente in via vivit : propterea exaltavit caput.

Antiphona. Audite, domus David : Dominus dabit vobis signum. *P.* Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitis nomen ejus Emmanuel. ℣. Audite hæc, omnes Gentes : auribus percipite, qui habitatis orbem. *P.* Ecce virgo concipiet. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Ecce Virgo concipiet.

Oratio. Domine, qui Domus David signo admirabili salutis properans Virgine natum ob auxilium humani generis destinasti : nobis annue; ut vita, quæ Mariæ partu prolata est, Ecclesiæ tuæ sit æterna redemptio : ut, quem illa ventre gestavit, partuque fudit, eumdem nos corde concipiamus, ac nostro semper proferamus ex ore. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Elevate signum ad populos : Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ : dicite filiæ Sion. P. Ecce Salvator tuus venit, et merces ejus cum eo. ℣. Omnes Gentes plaudite manibus : jubilate Deo in voce exultationis. P. Ecce Salvator tuus venit. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Ecce Salvator tuus venit.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui Nativitatis tuæ ortum sideris indicio innotuisti, et, erecto fidei signo, extrema terræ conspicere monuisti : respice jam ele- B vatus a cœlo causam Incarnationis tuæ; ut, quia nobis opus fuit, te hominem fieri : tuum habeamus suffragium, qui te hominem confitemur, et Deum. ℟. Amen.

Per misericordiam, etc.

Antiphona. Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum : aperiatur terra, et germinet Salvatorem. *P.* Et justitia oriatur simul, ego Dominus creavi eum. ℣. Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. P. Et justitia oriatur. ℟. Gloria, et honor Patri, etc. P. Et justitia oriatur.

Lauda. Potestas ejus ; et pax ejus non erit finis. Alleluia. P. Super thronum David sedebit, ut corrigat eum. P. Et sedebit in veritate usque in æternum. Alleluia, alleluia. ℣. Magnus Dominus noster, et C magna virtus ejus : et sapientiæ ejus non est numerus. P. Super thronum David. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Et sedebit.

Hymnus.

Veni, Redemptor Gentium,
Ostende partum Virginis ;
Miretur omne sæculum :
Talis decet partus Deum.
Non ex virili semine,
Sed mystico spiramine
Verbum Dei factum caro,
Fructusque ventris floruit.
Alvus tumescit Virginis,
Claustra pudoris permanent :
Vexilla virtutum micant :
D Versatur in templo Deus.
Procedens de thalamo suo,
Pudoris aula regia
Geminæ gigas substantiæ,
Alacris ut currat viam.
Egressus ejus a Patre;
46 Regressus ejus ad Patrem;
Excursus usque ad inferos,
Recursus ad sedem Dei.
Æqualis Æterno Patri
Carnis trophœo accingere ;
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpetim.
Præsepe jam fulget tuum.
Lumenque nox spirat novum,
Quod nulla nox interpollet,
Fideque jugi luceat.

Fœno jacere pertulit :
Præsepe non abhorruit :
Parvoque lacte pastus est,
Per quem nec ales esurit.
Gaudet chorus cœlestium,
Et Angeli canunt Deo;
Palamque fit pastoribus
Pastor, Creator omnium.
Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et Sancto Spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus Dei Patris Omnipotentis misericordiam; supplices imploremus, ut nos gratia Christi sui, Domini nostri Jesu Christi propitius justificare dignetur.

Præsta, Æterne, Omnipotens Deus. Kyrie, eleison. ℟. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Capitula. Rorate, Cœli, desuper, utique prophetando Christum, et nubes pluant justum; dum sancti omnes ejus præconantur adventum. Aperiatur terra, ut, Angelo scilicet alloquente, Virgo concipiat, et pariat Salvatorem. Hic igitur ros, qui abs te est Omnipotens Pater, rogamus, et petimus, ut fiat sanitas infirmorum ; et, hæc pluvia Matutini temporis, præbe, nostri temporis infundat arentem, quæ, infusa tanta gratia, præteritum facinus abluat, et æternum credentibus justitiæ lumen infundat; necnon ejusdem Filii tui Domini nostri indemnes præsentiam contuentes, atque cum cœlicolis cœtui ejus in jubilo occurrentes, hoc canticum lætitiæ præcinamus ovanter : Benedictus, qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, et illuxit nobis ; cujus nos adventus redemit, et Nativitas illustravit : Qui veniens requisivit perditos, et illuminavit in tenebris constitutos. Tribue ergo Omnipotens Pater, ut diem Nativitatis ejus ita devotione piissima celebremus, ut judicii diem mitissimum sentiamus : ut, cujus benignitatem in redemptione cognovimus, ejus pietatem in judicio mansuetam sentiamus.

Pater noster. Liberati a malo. *Require fol.* 2,

Benedictio. Benedicat vos Dominus noster Jesus Christus, qui olim in hac die pastoribus in præsepio apparuit gloriosus. ℟. Amen. Ipse nos in omnibus protegat, ac defendat, qui pro nobis misericors humanam suscepit infantiam. ℟. Amen. Qui noster est Dominus, et Redemptor, ipse nos in æternum propitius conservare dignetur. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri.

Lauda. Antequam firmos pararet montes sub cœlo, cum eo eram componens omnia ; gratulabar autem orbe perfecto. P. Ego sum, cui Pater congaudebat quotidie. Alleluia, Alleluia. ℣. Tunc dixi : Ecce venio ; in capite libri scriptum est de me ; ut facerem voluntatem tuam. P. Ego sum, cui Pater. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, etc. P. Ego sum, cui Pater.

A *Oratio*. Benedic, Domine, coronam. *Require hic infra.*

Ad Matutinum.

Antiphona. Domini est salus : et super populum tuum, Domine benedictio tua. *Psal.* III.

Oratio. Tu es, Domine, salus, et tua est salus : hanc gaudemus in nobis largitam : hanc usque in finem a te petimus largiendam : effunde, quæsumus, super populum tuum benedictionem tuam ; ut privetur maledictio pœnæ, et ditescat in nobis fructus justitiæ, atque lætitiæ. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster.

Antiphona. In die insignis solemnitatis nostræ. P. Benedic Deus coronam anni benignitatis tuæ, ut campi tui repleantur ubertate. ℣. Te decet Hymnus
B Deus in Sion ; et tibi reddetur votum in Hierusalem. P. Benedic Deus. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, etc. P. Benedic Deus.

Oratio. Benedic, Domine, coronam anni benignitatis tuæ ; ut et mentes copia Doctrinæ refulgeant, et campi donorum tuorum ubertate pinguescant. Quo ita nobis substantia cum tua gratia largiatur ; ut et caro frugibus, et anima divinis pasta conlætetur virtutibus. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Aspiciebam, et ecce enim nubibus cœli
47 quasi filius hominis veniebat. P. Et datus est ei principatus, et honor, et regnum ; et omnis populus, tribus, ac linguæ ipsi serviunt. P. Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur; et regnum ejus,
C quod non corrumpetur. ℣. Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. P. Et datus est ei. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, etc. P. Potestas ejus, potestas.

Oratio. Unigenite, Fili Dei Patris, qui aspiciente Propheta in cœli nubibus Filius hominis declararis ; cui Pater utique principatum et regnum attribuit ; dum omnia potestati tuæ subjecit : fac nos, esse regnum tuum, tribuens nobis municipatum perpetuum, coæternisque semper desideriis anhelantes futuri regni, mereamnr existere coheredes. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Ecce annuntio vobis gaudium magnum, quod erit universo populo : hodie natus est
D nobis. P. Salvator mundi, qui est Christus Dominus ; in civitate David regnabit, et sapiens erit, et regni ejus non erit finis. ℣. Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes , hic factus est in caput anguli. P. Salvator mundi, qui est Christus. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, etc. P. Salvator mundi, qui est Christus.

Oratio. Te, Domine, favente, annuncietur nobis sancti Angeli ministerio gaudium magnum, quod populo sit christiano in toto jam mundo. Christus enim Dominus hodie natus est omnibus salus, atque Salvator æternus in civitate David, quæ est Ecclesia ; in ea quoque sine fine regnabit, dum eam usque ad finem custodit, ac regit : Præsta ergo, ut eam regnum

suum ex toto efficiat, dum in toto mundo dilatat, et A cœlestium æternitati sine fine associat. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

℟. Hierusalem hodie natus est tibi Princeps Salvator omnium; ad cujus imperium movebuntur virtutes cœlorum: regnabit in æternum, et gloria ejus cum terræ pace. *P.* In excelsis ab Angelis declaratur. ℣. Dominus regnavit, decorem induit: induit Dominus fortitudinem, et præcinxit se. ℟. In excelsis. ℣. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus, *P.* Ab Angelis. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, etc. P. In excelsis.

Oratio. Fac nos, Domine, beatæ illius Hierusalem visione lætari, et in gremio ejus perpetua jocunditate attolli; ut in cujus gremio sanctorum multitudo consistit; in ejus quoque nos sinu esse compotes merea- B mur: ut Unigenitus tuus princeps utique et omnium Salvator, ad cujus imperium movebuntur cœlorum virtutes, sic in nobis mitis semper conregnet, ut sapientiæ suæ ora nostra in laudem sui nominis aptet: qualiter, et hic pius succurrat miseris, et post in regno suo permanens sit in solatium redemptis, *Respondeat.* Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Antiphona. Vox Domini reddentis retributionem inimicis suis: antequam parturiret, peperit; et antequam veniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit talem! aut quis vidit huic similem! P. Nunquid qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus: Qui generationem cæteris tribuo, sterilis C ero? ait Dominus Deus noster. ℣. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia. *P.* Numquid qui alios parere facio. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, etc. *P.* Numquid qui alios.

Oratio. Deus Pater Omnipotens, qui voce tua inimicis animæ nostræ reddis retributionem, et antequam ex te verbum eructares, jam ipsum utique verbum nova parturitionis serie parturieras: et antequam partus tui terminus adveniret, masculum utique generaras. Quis etenim tale audire umquam, se diceret aliquando? aut se vidisse huic simile factum putaret? cum Deum genuisse Deum, lumen peperisse lumen comprobaret: Presta nobis infimis servis tuis, ut quis aliis in pariendo fœcunditatem præstas, ipse in nobis conceptus gratiæ parias; ut sterilitas, quæ ex nostro infœcunditatis vitio oritur, D tua cooperante, gratia, in nos multiplicius redundet, ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Ego primogenitus exivi ante omnem creaturam *P.* Ego fecit in cœlis, ut oriretur lumen. Ego in altis habito: et thronus meus in columna nubis apparebit. ℣. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. *P.* Ego feci in cœlis.

Fratio. Vera Dei sapientia Patris, qui ante omnem creaturam existis ex illa invisibilis Genitoris 48 arce, te etenim fecisse in cœlis fore credimus, ut oriretur lumen rhompheali flammea dimicans: ut qui tunc in faciendis rebus aderas institutor, pius appareas in nobis retributor: et quia antequam mundus constaret in sublimitate te habitasse perpendimus, a nostris colluvionibus liberi existamus; ut ad instar legalis columnæ super quam thronum tuum apparuisse denuncias, non itidem supplices tuos per omnia similes reddas, quo de utroque munere lætos effectos, cum sanctis tuis facias permanere illæsos. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Ante colles ego parturiebar: adhuc terram non fecerat. *P.* Quando cœlos præparebat, aderam: dum vallaret mari terminos, et legem poneret aquis, ego eram. ℣. Tunc dixi: ecce venio, in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. *P.* Quando cœlos. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, etc. *P* Quando cœlos præparabat.

Oratio. Doctrina Dei, Sapientia Patris, qui ante colles, et montium moles, necdum adhuc terra æqua lance librata constabat, et jam Pater populos parabat: cum jam utique tu illic aderas, quando etiam mari terminos rata soliditate vallabat, legemque aquis constitueret, in unius Deitatis natura tu ipse eras: adesto supplicibus tuis; ut moles criminum commissorum, quibus acrius premimur, tuæ pietatis dextera ad nihilum redigantur: et ita in hujus sæculi amne navigantibus vela tuæ protectionis dirigas, ut transeuntes mare ad superna nos semper per lignum tuæ Crucis sustollas. *Respondeat.* Amen.

Per misericordiam.

℟. In ista die prodiit Salvator Israel, ut liberet omnes captivos, cæcos illuminavit, et surdos fecit audire: montes, et omnes colles germinabunt. *P.* Et qui in tenebris sedent, exclamabunt, et dicent: Domine, appareas super nos, splendor gloriæ tuæ. ℣. Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lumen magnum: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eis. *P.* Et qui. ℣. Gloria, et honor. *P.* Et qui.

Oratio. Hodie lumen mundi prodiit: hodie salus ævi emicuit: hodie Salvator Israel de climate cœli descendit, ut eruat omnes captivos, quos antiquus hostis prædo per primi hominis delictum captivaverat: et ut cæcis mentibus lumen, surdis auditum, gratia præveniente, restitueret: ob istius tanti mysterii beneficia montes, et colles tripudiant, ipsaque mundi elementa ineffabili gaudio ista in die melos decantant: ob hoc gemebunda prece pii Redemptoris clementiam suppliciter exoremus: ut nos, qui in tenebris peccatorum nostrorum involvimur, per cordis acclamationem protinus expiemur, ut illo in nobis apparente, et splendor gloriæ jocundius, ac multiplicius nostris in præcordiis vigeat, et salutis gaudia sine fine dulcescant. ℟. Amen.

Per misericordiam, etc.

Antiphona. Ante omnem creaturam ego ex ore Altissimi processi: priusquam Lucifer oriretur, ego fui: priusquam in planitie prosterneret campos, et in altum erigeret montes, ego eram. *P.* Cui adgaude-

bat quotidie, dum delectaretur orbe perfecto. ℣. A
Quia ego cognovi, quam magnus est Dominus, et Deus noster præ omnibus diis. P. Cui adgaudebat. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Cui.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui ante omnem creaturam ex ore Altissimi prodiens, mundi machinam dispositione mirabili condidisti: adesto Ecclesiæ tuæ, quam ex toto orbe congregare dignatus es: ut sicut mundi conditor esse dignosceris, ita Ecclesiæ Salvator in omnibus ac per omnia cognoscaris. ℣. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus, noster, etc.

Antiphona. Suscitabit Dominus cœli regem, qui in æternum non commovebitur. P. Et regnum ejus populo alteri non dabitur: percutiet, et conteret universa regna et ipsum solum stabit in æternum. ℣. B
In sua justitia judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum; et humiliabit calumniatorem. P. Et regnum ejus populo alteri non dabitur. ℟. Gloria, et honor Patri, et Filio, etc. P. Et regnum.

Oratio. Deus Pater, qui Jesum Christum Filium tuum tibi coæternum, et coæqualem cœli regem suscitasti ostendendo eum in carne; fac nos semper illius sequi et fide, et opere vocem: ut eam auditu cordis sine intermissione audientes, gloriæ suæ mereamur esse participes. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster, etc.

Antiphona. Emitte agnum, Domine, Dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion; et præparabitur in misericordiam ejus **49** solium. P. C
Et sedebit super eum in veritate in tabernaculo David. ℣. O Domine, salvos nos fac, o Domine, bene prosperare. P. Et sedebit super eum.

Oratio. Immensa Dei sapientia Patris, qui Filius Dominusque David, Prophetarum vaticiniis approbaris: tu in throno Patris consistens, atque de petra deserti ad montem filiæ Sion, domum Jacob, id est, Ecclesiam regens: sic nobis omnibus in ea consistentibus protectionis tuæ gubernacula porrige, ut tecum mereamur vivere sine fine: ut in tuo solio sine fine vivamus, cujus regni finem nullum esse pavescimus; quique unum in Trinitate nomen possidet tecum et cum Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster, etc.

℟. Suscipiamus regnum Dei nostri sancti altissimi, et possideamus illico usque in sæculum sæculi, donec veniat antiquus dierum, quoniam tempus advenit, ut detur omni populo magnitudo regni. P. Quod est super omne cœlum, et omnes reges terræ veniet, et obedient ei. ℣. Postestas ejus potestas æterna, et regnum ejus regnum sempiternum. P. Quod est super. ℣. Gloria, etc. *Reiteretur* ℟. Suscipiamus regnum Dei nostri.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui es ineffabile gaudium Christianis; cujus potestatis et pacis non erit finis, fac nos suscipere regnum tuum, et possidere illud; ut maneat in nos imperii tui dominatio jugis, magnitudo perennis: ut omne non tuum in nobis reperiens, auferas, nosque tuos in omnibus ac per omnia facias: ut nec potestati tuæ in nobis quidquam officiat, nec paci resistat; sed ipse solus nos possideas, qui Rex regum et Dominus dominorum, nunc et per omnia sæcula regnas. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis, et factus est principatus ejus super humeros ejus. P. Et vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus, Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Dominator, Princeps pacis, Pater futuri sæculi. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. ℣. Et erit firmamentum in terra in summis montium, et superextolletur super Libanum fructus ejus: et florebit de civitate sicut fœnum terræ. P. Et vocabitur nomen ejus. ℣. Gloria. P. Et vocabitur nomen.

Oratio. Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis, ut qui eras Filius perfectus de Patre, pro nobis parvulus esses ex Matre: illic immensus, et hic pusillus, permanens in sinu Patris, gestatus in utero Matris; et cum Deitas tua incommutabilis, et Humanitas permanet singularis, quia in utraque Unus idemque subsistis: et in illa nos condens, et in ista nos redimens. ℟. Amen.

Per te Dominum nostrum, qui cum Patre, et Spiritu Sancto unus es Deus in omnia sæcula sæculorum ℣. Amen.

Dominus sit. ℟. Et cum.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Catulus leonis Juda de germine, fili, ita ascendisti, requiescens accubuisti ut leo, et quasi catulus leonis, quem suscitare nullus audebit.

Canticum (*Genesis cap.* XLIX).

Vocavit Jacob filios suos, * et ait eis:

Congregamini, ut annuntiem quæ ventura sunt vobis * diebus novissimis.

Congregamini, et audite, filii Jacob, * audite, Israel, Patrem vestrum.

Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, et principium doloris mei: prior in donis, major imperio. Effusus es sicut aqua, non crescas: quia ascendisti cubile Patris tui, et maculasti stratum ejus.

Simeon et Levi fratres ejus: vasa iniquitatis bellantia.
D
In consilio eorum non veniat anima mea, * et in cœtu illorum non sit gloria mea:

Qui in furore suo occiderunt virum, * et in voluntate sua suffoderunt murum.

Maledictus furor eorum, quia pertinax: et indignatio eorum, quia dura: dividam illos in Jacob, et dispergam eos in Israel.

Juda, te collaudabunt fratres tui: manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum, et adorabunt te filii patris tui. * Catulus leonis Juda: ad prædam, fili mi, ascendisti:

Requiescens accubuisti ut leo, * et quasi leæna, quis suscitabit eum?

Non auferetur sceptrum de Juda, * nec dux de femoribus ejus, A

Donec veniat qui mittendus est, * et ipse erit expectatio Gentium.

Ligans ad vineam pullum suum, * et ad vitem, o fili mi, asinam suam.

Lavabit in vinum stolam suam, * et in sanguinem uvæ pallium suum.

50 Pulchriores oculi ejus vino, * et dentes lacte candidiores.

Zabulon in littore maris habitabit, * et stationem navium pertingens usque ad Sidonem.

Issachar, asinus fortis accubans in terminos. * Vidit requiem quod esset bona: et terram quod optima:

Et supposuit humerum suum * ad portandum, * factusque est tributo serviens.

Dan judicabit populum suum ut alia tribus Israel.

Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, * ut cadat ascensor ejus retro. Salutare tuum expectabo, Domine.

Gad, accinctus præliabitur ante eum: * et ipse accingetur retrorsum.

Aser, pinguis panis ejus, * et præbebit delicias regibus.

Nephtalim, cervus emissus, * et dans eloquia pulchritudinis.

Filius accrescens Joseph, filius accrescens, * et decorus aspectu:

Filiæ discurrerunt supra murum. * Sed exasperaverunt eum, et jurgati sunt, invidentes illi habentes jacula. C

Sedit in forti arcus ejus, et dissoluta sunt vincula brachiorum ejus et manuum illius per manu potentis Jacob: * inde pastor egressus est, pastor Israel.

Deus Patris tui erit adjutor tuus, * et omnipotens benedicet tibi.

Benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, * benedictionibus uberum et vulvæ.

Benedictiones Patris tui confortatæ sunt benedictionibus Patris ejus: * donec veniret desiderium collium æternorum:

Fiant in capite Joseph, * et in verticem Nazaræi inter fratres suos.

Benjamin lupus rapax, * mane comedet prædam, et nocte dividet spolia. D

P. Et quasi catulus.

Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Catulus leonis.

Oratio. Te, Christe Domine, catulum leonis domui Juda affuisse cognovimus, quem totis præcordiis postulamus; ut qui apparuisti in carne, de manu fortis capiens prædam, ad judicium veniens, misericordiam præroges fidelibus repromissam. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Ad Canticum. Antiphona. Exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Canticum (*Lucæ* I).

Magnificat * anima mea Dominum

Et exultavit spiritus meus * in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: * ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est: * et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in progeniem * timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: * dispersit supebos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, * et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis: * et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum, * recordatus est
B misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad Patres nostros, * Abraham et semini ejus in sæcula.

P. Quia respexit humilitatem.

Gloria, et honor Patri, etc. P. Exultavit spiritus meus.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui ex Patre Deus magnus, pro nobis dignatus es nasci ex homine parvus, ut per te factus, per te salvaretur sine dubio mundus; propitius esto et miserere nobis: nosque a mundanis contagiis munda, et in hoc Mundo mundos nos esse constitue, qui non judicare, sed salvare venisti, ut nobis parvulus natus, nobisque filius datus, in te et regenerationis ortum, et adoptionis mereamur consequi donum. ℟. Amen.

Per misericordiam, Deus noster.

Ad Benedictus. Antiphona. Tibi soli Deo honor, et gloria, virtus, et potestas in sæcula sæculorum.

Canticum. Benedictus es, Domine Deus Patrum nostrorum. *Require fol.* 6.

Sono. Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te. Alleluia. ℣. Pete a me, et dabo tibi Gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos. Et nunc reges intelligite: erudimini omnes, qui judicatis terram. Ego autem constitutus sum rex super Sion montem sanctum. P. Genui te. Alleluia.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis. Alleluia. **51**
Laudate eum in excelsis. Alleluia, *Psalmus.* CXLVIII.

Lectio Isaiæ Prophetæ (*Cap.* IX).

℟. Deo gratias.

Primo tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nephthalim; et in novissimis aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ Gentium. Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lumen magnum: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam. Lætabuntur coram te, sicut lætantur in messe, sicut exultant victores, quando dividunt spolia. Jugum enim oneris ejus et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti sicut in die Madian. Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, et vestimentum mistum sanguine, erit in combustionem.

et cibus ignis. Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus ejus super humeros ejus : Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Dominator, pater futuri sæculi, princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis ejus non erit finis : super solium David sedebit, et super regnum ejus: ut confirmet illud, et corroboret in judicio, et in justitia, amodo, et usque in sempiternum ; zelus Domini exercituum faciet hoc. ℟. Amen. A

Hymnus. Veni, Redemptor Gentium. *Require fol.* 45.

Supplicatio. Oremus Dei Patris Omnipotentis misericordiam, supplices imploremus ; ut nos gratia Christi sui Domini nostri Jesu Christi propitius justificare dignetur. ℟. Præsta, æterne Omnipotens Deus. B

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Capitula. Requies Angelorum, omniumque sanctorum, Domine Jesu Christe, da hodie in hoc recurrenti Nativitatis tuæ sacratissimo festo requiem populo tuo : ut in te a delictis et oneribus pessimis requiescat, teque cum universa creatura benedicens, tuam in omnibus ac per omnia benedictionem accipiat ; ut quem a maledicto liberare venisti, numquam patiaris tuæ benedictionis munere defraudari ; sed te jugiter benedicendo, benedictus permaneat in æternum.

Pater noster. Et ne nos. Liberati a malo. *Require fol.* 2.

Lauda. Antequam firmos pararet. *Require fol.* 46 C

Benedictio. Benedicat vos Dominus noster Jesus Christus. *fol.* 46.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

IN FESTO SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Ad Vesperos.

Antiphona. Gloria, et honore coronasti eum Domine. ℣. Gloriam, et magnum decorem imposuisti super eum. P. Domine.

Sono. Custodi me, Domine, ut pupillam oculi sub umbra alarum tuarum. P. Exaudi, Deus, justitiam meam. Alleluia. ℣. Protege me a facie impiorum, qui me afflixerunt : inimici mei circumdederunt animam meam. P. Exaudi, Deus. D

Antiphona. Terra ne abscondas sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus P. Ecce in cœlis est judex meus, et conscius meus in excelsis. ℣. Sæpe expugnaverunt me a juventute mea etenim non potuerunt mihi. P. Ecce in cœlis est. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Ecce in cœlis.

Lauda. Alleluia. Tetigit labia mea. P. Et aperuit os meum, dixi : Alleluia, Alleluia, Alleluia. ℣. Inquisivi Dominum meum, et exaudivit me : et ex omnibus tribulationibus eripuit me. P. Et aperuit os meum. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Et aperuit os.

Hymnus.

Christus est vita veniens in orbem,
Mortis occasu patiens acerbæ,
Mortis actu, pietatis usu
Vivere donat.

Sustulit vulnus, removendo mortem ;
Mortis auctorem perimendo, surgit ;
Patris ad dexteram repetendo, regnat
Sede superna.

Hunc sequens primus Stephanus minister,
Sortis illatæ titulo decorus,
Quam dedit spirans Domini benignus
Spiritus illi.

Vadit exemplo Domini revinctus.
Testibus falsis adopertus insons,
Judicum portans scelerata Sanctus
Dicta malorum.

Ore cœlesti refellit malignos,
Et probat constans ratione falsos,
Semper indignos Domino polorum
Credere nollæ.

Saxeo nimbo lapidatus ; instat
Paulus, et summus lapidantum servat
52 Vestes, ut reddat liberos ad ictum
Cæde cruentos.

Sustinet mortis rabiem prophanam
Plenus omni pietate cordis,
Hostibus quærit veniam, misertus
Pectore grato.

Imbuit primus, homines beatos
Corde directo, jecore fideli
In fide Christi jugulata telis
Ponere membra.

Quæsumus flentes, benedicte prime
Martyr, et civis sociate justis,
Cœlitus claræ regionis heres
Inclyte pollens.

Promptus hic nostrum facinus remitte ;
Tolle languorem, tribue salutem :
Confodi hostem, revela mærorem,
Morte subacta.

Gloriam psallat, chorus et resultet ;
Gloriam dicat, canat, et revolvat :
Nomini trino Deitati soli
Sidera clament.
℟. Amen.

Supplicatio. Oremns Dei Patris omnipotentis misericordiam, supplices imploremus ; ut nos gratia Christi sui Domini nostri Jesu Christi, et per intercessionem Sancti martyris sui Stephani propitius justificare dignetur ℟. Præsta, Æterne omnipotens Deus.

Kyrie, eleison. ℟. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Capitula. Deus, cui Ecclesia tua Sanctum Stephanum martyrem primum messis suæ manipulum dedit, et primitivam oblationem novellæ confessionis

ostendit, ac præconium, quem fructum fidei maturescentis exhibuit: præsta universo cœtui intercessione martyris memorati, ut Ecclesiam tuam juvet suffragio, quam ornavit ministerio: foveat patrocinio, quam ædificavit exemplo.

Pater noster. Liberati a malo. Humilitate vos benedictioni. Dominus sit. ℟. Et cum spiritu tuo.

Benedictio. Dominus Jesus Christus, qui primum suæ passionis sequacem Stephanum martyrem fecit, det nobis suæ passionis exemplo victoriam ferre de mundo. ℟. Amen. Sui quoque martyris prece similem nobis tribuat vim suæ dilectionis habere, et adversitates æquali tolerantia superare. ℟. Amen. Ut instructi exemplo Redemptoris, et invitamento martyris percipiamus plenitudinem nostræ redemptionis. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius.

Lauda. Beatus vir, qui timet Dominum. Alleluia. P. In mandatis ejus cupiet nimis. Alleluia. Alleluia. ℣. Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur. P. In mandatis ejus. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. In mandatis ejus.

Oratio. Domine Jesu Christe. *Quære infra in isto folio.*

Ad Matutinum,

Antiphona. Labia mea, Domine, aperies. P. Et os meum annuntiabit laudem tuam. *Psalmus.* Miserere mei, Deus.

Oratio. Exsultent, Domine, labia nostra præconio veritatis; ut non revolvantur vaniloquio falsitatis: sic lingua nostra judicium veritatis loquatur, ut Christum tuum verum judicium promptissime laudet: atque ita præcepta tua assidue in nostro corde versentur, ut gressus nostri ab insidiosis decipulis minime supplantentur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 1. Lapidaverunt me inimici mei. *P.* Et fixuræ lapidum suorum in testimonium illis erunt; dum venero ante judicium petere pro peccatis eorum. ℣. Credidi propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis. *P.* Et figuræ lapidum. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Et figuræ lapidum.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui ita munere tuo beati Stephani animam munerasti, ut non solum Passionis tuæ sequeretur exemplum, sed etiam patientiæ caperet documentum: ut supplicaret pro hostibus, qui non cederet sævientibus: fortis ad perferenda vulnera; fortis ad non reddenda convicia; fortis dum ab impiis lapidatur; fortior dum pro lapidantibus deprecatur: Qui ergo immemor ultionis pro lapidantibus exoravit, memor charitatis in nullo supplicantibus desit. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Impetum fecerunt unanimes in Stephanum. P. Et falsi testes lapidabant eam invocantem, et dicentem: Domine Jesu, suscipe spiritum. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. P. Et falsi testes. ℣. Gloria, et honor. Patri, etc. P. Et falsi testes lapidabant.

Oratio. Impetus factus a persequentium turba non potuit, Christe Domine, Stephani martyris tui turbare constantiam, cum et falsorum **53** testium credulitate carnis vestimenta deposuit; oris tamen confessionem, qua te credidit, non amisit: cum lapidatus etiam te Deum, ut ejus spiritum exciperes, exoravit. Te ergo quæsumus, et rogamus, ut illa nos gratiæ tuæ pietate remuneres, qua illum coronasti post lapides: et qui ejus spiritum suscepisti in gloria æterna, a nobis, quæsumus, propitiatus reremove supplicia. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Lapidabant Stephanum, qui erant in
B concilio, et intuebantur. P. Vultus ejus tamquam vultus Angeli Dei stantis inter illos. ℣. Conserva me, Domine, quoniam in te speravi, salvum me fac Deus meus. P. Vultus ejus. ℣ Gloria, et honor, etc. P. Vultus ejus.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui in concilio lapidantium beatissimi martyris tui Stephani ita glorificas vultum, ut ab his qui eum lapidabant, lapidati aspectus intueretur Angelicus, dum præminens illo monstraretur magistro patientia exornari; da nobis, ut ex hoc mereamur ad præmium æternitatis attolli. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

℟. Super acervum lapidum læta est anima mea, et super inimicos meos Deum deprecatus sum; propterea vindemiabo fructus meos in pace. P. Et mini-
C strabo in conspectu Domini de bonis, quæ præstitit mihi. ℣. Quid retribuam pro omnibus, quæ præstitit mihi? calicem salutaris accipiam. P. Et ministrabo. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Et ministrabo.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui animam beatissimi martyris tui Stephani tanta munerum gratia decorasti, ut super acervum lapidum exultaret, et pro inimicis te, ut illis parceres, exposceret; reple corda nostra munere gratiarum, et immarcescibili dono virtutum: ut interventu tui martyris, ita ministremus semper in conspectu tuo de bonis, quæ prætiteris nobis, qualiter et hic dilatemur sanctitatis in opere, et post vindemiemus fructus nostros in pace. ℟. Amen.

D Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Nomen Domini invocavi: date magnitudinem Deo vestro: vera sunt opera ejus, et omnes viæ ejus judicia.

Danticum. Attende Cœlum. *Require fol.* 4.

Ad Benedictus. Antiphona. Nomen Domini in meridiem justi festinat. *Canticum fol.* 6.

Sono. Custodi me, Domine. *Require fol.* 51.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis. Alleluia. Laudate eum in excelsis. Alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Prophetia.

Lectio libri Sapientiæ Salomonis (*Cap.* IV). ℟. Deo gratias.

Justus si morte præoccupatus fuerit, anima ejus A in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis est non diuturna neque numero annorum computata: cani sunt autem sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. Placens Deo, factus dilectus, et vivens inter peccatores translatus est. Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut afflictio reciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia. Consummatus in brevi explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum: populi autem videntes, et non intelligentes, nec ponentes in præcordiis suis talia: quoniam misericordia Dei, et gratia in sancto illius, et respectus in electo ipsius. ℟. Amen. B

Hymnus. Christus est vita. *Supplicatio.* Oremus Dei Patris Omnipotentis. *Quære fol.* 52.

Capitula. Beatissime Stephane Protomartyr, vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit: ut qui mortem pro illo sumeres, coronam per illum et nomine et virtute susciperes: Primus in martyrio, primus in præmio: primus in aula mundi, primus in aula cœli: ut hic pro Christo lapidatus, illic ab ipso coronatus, exultes; ut pro quo hic crudelisimam sustinuisti pœnam, illic pretiossimam susciperes coronam: ergo qui extitisti Ecclesiæ primitivus, nunc esto patronus assiduus: ut sit Christus nobis, te precante, propitius, pro quo martyr extitisti mirificus.

Pater noster. Liberati a malo.

Lauda. Beatus vir, qui timet Dominum. C

Benedictio. Dominus Jesus Chistus, qui, etc.

In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias. *Quære fol.* 52.

IN FESTO SANCTI JOHANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ

Ad Vesperos

Lauda. Confessionem, et decorem induisti. **54** P. Amictus lumen sicut vestimentum. ℣. Confessio, et species in conspectu ejus: sanctitas et magnificentia in sanctitate ejus. P. Amictus lumen.

Sono. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo narrabo mirabilia tua. Alleluia. Lætabor, et exultabo in te Domine: psallam nomini tuo, Altissime. Alleluia. D

Antiphona. Sic eum volo manere, donec veniam, dixit Dominus. P. Hic est Discipulus, qui testimonium perhibet de his. P. Et scimus quia verum est testimonium ejus. P. Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum. P. Hic est Discipulus. ℣ Gloria. P. Et scimus.

Lauda. Diligam eum ex toto corde meo, dicit Dominus. P. Et erit sicut ros Israel, germinabit sicut lilium, et florebit. Alleluia. Alleluia. ℣. Et erit tamquam lignum, quod transplantatum est secus decursus aquarum quod fructum suum dabit in tempore suo. P. Et erit. ℣. Gloria, etc. P. Et erit.

Hymnus

Iste electus Johannes diligendi promptior,
Advocatus in perennem veritatis gratiam.
Mercedem assumens honoris, quidquid ambit, obtinet.

Insula Pathmos teneri imperante promitur:
Conspicit illic refusa cœlitus mysteria,
Et profunda, quæ notavit, mente narrat ardua.

Accipit Dei Parentem in suis præcordiis,
Ut minister veritatis administret Virgini;
Quæ Deum enixa, sola virgo semper adstitit.

Iste supra pectus illud sempiterni Numinis
Corporis usu reclinis, hauriebat intima;
Spirituque indicabat veritatis gratia.

Ad crucem tractus Redemptor, esse matris filium.
Dicit istum; rursus ipsam esse matrem præcipit.
Carne unus, spiritus alter, ut manerent filii.

Ultimæ prænotus horæ, scindere tunc præcipit.
Terram fossam ministris, qua reclinis inruit,
Mortis et vice quievit omne vivens sæculo.

Te rogamus, te precamur, sancte Christi Apostole,
Tolle pestem, aufer ulcus, et foveto languidos:
Pelle morbum, cæde hostem, et remove scandalum.

Non adurat terram ignis, aerem non sauciet;
Non refundat ultioni triste cœlum turbines;
Non reclinet in ruinam Orbem ira funditus.

Dedicat delictum omne; subsequatur gratia.
Auferatur culpa tota, sit salutis copia;
Sit remoda cuncta lues; augeatur charitas.

Gloria Deo Patri sit, gloria sit Filio.
Sit Paraclito manenti semper ingens gloria;
Qui Deus vivit per omnia sæcula sæculorum.
Amen.

Supplicatio. Oremus Dei Patris Omnipotentis misericordiam, supplices imploremus; nos gratia Christi sui Domini nostri Jesu Christi, et per intercessionem Sancti Johannis Apostoli, et Evangelistæ propitius justificare dignetur. ℟. Præsta Æterne omnipotens Deus.

Kyrie, eleison. ℟. Christe, eleison. Kyrie eleison.

Capitula. Ineffabilia sunt, Domine, fluenta uteri tui, quibus præ cæteris dilectus ille à te discipulus, recubans in sinu tuo, saciari promeruit: quæsumus ergo, ut, mortificatis membris nostris, tuis semper mereamur inhærere vestigiis: ut intercessu hujus Sancti Johannis, ita nos ignis amoris tui concremet, et absumat, qualiter beneplacitum nos tibi in toto holocaustum efficiat.

Pater noster. Liberati a malo.

Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit. ℟. Et cum spiritu tuo.

Benedictio. Christus Dominus, qui dilectum à se discipulum suo fecit recubare in pectore, illæsos nos custodiat in sinu matris Ecclesiæ. R. Amen. Et qui fluentis gratiæ ex sinu suo præmanantibus recubantis animam maduit, dono nos sempiterni muneris jubeat consolari. ℟. Amen. Ut per quem discipulus hic dilectus effectus est virgo, per eum peccatores in Angelorum transmutatione evocentur consortio. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius.

Lauda. Germinabunt ossa tua quasi salices. Alleluia. P. Juxta fluentes aquas. Alleluia. Alleluia. ℣. Et erit tamquam lignum, quod transplantatum est. P. Juxta fluentes aquas. ℣. Gloria. P. Juxta. A

Oratio. Domine Jesu Christe, qui beatissimum Johannem Apostolum tuum. *Quære fol.* 55.

Ad Matutinum. Antiphona. Labia mea, Domine, aperies. **55** P. Et os meum annuntiabit laudem tuam. *Psalmus* L.

Oratio. Laudet te, Domine, lingua nostra annuntiando justitias tuas, et exultent labia nostra præconio veritatis, ut non dissolvantur vaniloquio falsitatis; ut qui tibi confitendo remissis criminibus in te exultamus, et in congregatione justorum sacro agmine decantantes, vitæ beatæ efficiamur heredes. ℟. Amen,

Per misericordiam.

Antiphona 1. Caro mea requiescet in spe. P. Qui non derelinques animam meam in infernum; nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. ℣. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, et delectationes in dextera tua usque in finem. P. Quoniam non derelinques. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Quoniam non derelinques.

Oratio. Christe, Dei Filius, qui virgini discipulo virginitatis præmia etiam in hac vita posito contulisti, ut de sorte mortis posset suscitare membra morientia, qui in membris suis mortiferæ libidinis dominari non passus est incentiva; adesto nobis precibus ejus, ut post lapsus, quibus lascive in hac C vita decidimus, mundatis ad te cordibus et corporibus accedamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Facies tua tamquam munda illuminabitur. P. Vultus autem tuus sicut Lucifer orietur, a meridiana parta germinabit tibi vita. ℣. Per diem sol non uret te, neque luna per noctem. P. Vultus autem, ℣. Gloria, et honor, etc. P. Vultus autem.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui beatissimum Johannem Apostolum tuum nec in vinculis exilii deseris, nec in effossa fovea derelinquis; annue nobis precibus ejus, ut ita nos semper pietas foveat, qualiter hic et in æternum, te protegente, sceptrum nos sempiterni regni usquequaque possideat. ℟. Amen.

Per misericordiam. D

Antiphona 2. Custodi corpus meum ab omni pollutione. P. Odor tuus, Domine, concupiscentias in me excitavit æternas. ℣. Notas mihi fecisti vias vitæ, et implebis in lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem. P. Odor tuus. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Odor tuus.

Oratio. Dilectus a te, Domine Jesu Christe, ineffabile testimonium discipulis perhibuit, dum, quod admiraremur, tuo de pectore sumpsit, mirifice reputare promeruit; principium ergo quod et mystica fide cognovit, et verbis mysticis exoravit: esto in ore nostro ad complementum virtutis, ad affectum piæ operationis; ut tibi sine fine jungamur, cujus potentiam magnifice confitemur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

℟. Vir iste in populo suo mitissimus apparuit senectute gravi, et gloria dignus. P. Iste est, qui orat pro populo et pro civitate ista. ℣. Vir iste consecravit legem Dei excelsi, et in tentatione inventus est fidelis. P. Iste est. ℣. Gloria, et honor, etc. *Reiteretur* ℟. Vis iste.

Oratio. Memores præceptorum tuorum, Domine Jesu Christe, quibus nos memoriis sanctorum communicare præcepisti, beatissimi Apostoli tui Johannis, sparsos per orbem meritorum titulos celebramus, qui coronam, quam nominis sui interpretatione promeruit, privilegio sanctitatis obtinuit: præsta igitur, eodem interveniente, ut, qui præconia ipsius, religionis cultu veneramur, patrocinia ejus impensius consequamur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Ad Canticum. Antiphona. Thronum gloriæ hereditas illius dat votum optanti, et benedicet annos justi.

Canticum (*I Regum*, II).

Confirmatum est cor meum in Domino,* et exaltatum est cornu meum in Deo salutari meo:

Dilatatum est super inimicos meos os meum: * lætor mihi in sanctitate tua. Quoniam non est alius Deus, quomodo Deus noster:

Neque justus præter te, Domine,* et non est sanctus præter te.

Nolite gloriari excelse, et nolite alta loqui in superbia; * et ne exeat magniloquium ex ore vestro: quoniam Deus scientiæ Dominus est:

Deus, qui parat adinventiones suas,* arcus potentium infirmatus est, et infirmi virtute præcincti sunt.

Pleni panibus minorati sunt, * et esurientes transierunt terram:

Sterilis peperit septem,* et fœtosa in filiis infirmata est.

Deus mortificat et vivificat, * ducit ad inferos et reducit.

Deus pauperem, et divitem facit, * humiliat et exaltat.

56 Suscitat de terra inopem,* et a stercore erigit pauperem:

Et sedere facit eum cum principibus populi sui,* et thronum gloriæ hereditatem dabit illi.

Dat votum optanti, et benedicet annos justi, * quia non in viribus potens est vir.

Omnem enim infirmum * facit adversarium ejus Dominus sanctus:

Non glorietur sapiens in sapientia sua, * neque glorietur dives in divitiis suis.

Neque glorietur fortis in fortitudine sua, sed in hoc glorietur: * qui gloriatur scire, et intelligere Dominum; facere judicium, et justitiam super terram.

Dominus ascendit in cœlos, et tonat: ipse judicat extrema terræ.

Potens est, et dat virtutem regibus, *et exaltat cornu Christi sui. A

Reiteretur Antiphona.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedictio Domini in mercedem justi festinat.

Canticum. Benedictus es Domine Deus. *Quære fol.* 6.

Sono. In conspectu Angelorum psallam tibi, Domine, Alleluia. ℣. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo, Domine. P. Psallam tibi.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis: Alleluia. Laudate eum in excelsis. Alleluia.

Alia Lauda. Alleluia. Confessio ejus super cœlum, et terram. Alleluia. Exaltabit cornu populi sui. Alleluia. ℣. Hymnus est omnibus sanctis ejus. Alleluia: *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Sapientiæ Salomonis (*Cap.* X).

℟. Deo gratias.

Sapientia justum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam Sanctorum: honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius. In fraude circumvenientium illum affuit, et honestum illum facit. Custodivit illum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum, et certamen fortium dedit illi ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia. Hæc vinctum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit illum: descendit cum eo in foveam, et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, et potentiam adversus eos, qui eum deprimebant: et mendaces ostendit, qui maculaverunt eum, et dedit illi claritatem æternum, ℟. Amen.

Hymnus. Iste electus Johannes. *Quære supra in Vesp. fol.* 54. *Supplicatio, ut supra.*

Capitula. Christus Dei Filius, qui te principium, quod ipse es, in ore a te dilecti discipuli ita confiteri dedisti, ut illuc cor ejus ascenderet, quo nullus alius valuisset, fac nos tui muneris gratia cor semper in supernis habere: ut, exinde capientes veritatis omnimodæ disciplinam, quod hic professi fuerimus ex ore, futuro consequamur in munere.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Germinabunt ossa tua. *Benedictio.* Christus Dominus, qui dilectum. *fol.* 54.

In nomine Domini.

IN ALLISIONE INFANTIUM, SIVE SANCTORUM INNOCENTIUM.

Ad Vesperos.

Lauda. Exortum est in tenebris lumen rectis corde: misericors, et miserator Dominus. ℣. Directam fecit viam justorum, et præparavit iter sanctorum. P. Misericors.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper. ℣. Et cum.

Sono Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Alleluia. ℣. Visi sunt in oculis insipientium mori, æstimata est malitia exitus illorum: illi autem sunt in pace. Alleluia.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper. ℣. Et cum.

Sono. Alleluia. Justi in perpetuum. ℣. Et apud Dominus est merces eorum. Alleluia. Alleluia.

Dicat Presbyter. Dominus sit. ℣. Et cum.

Antiphona. Hi sunt, qui sequuntur agnum quocumque ierit: hi sunt empti ex hominibus primitiæ Deo, et Agno. P. Et in ore eorum non est inventum mendacium: quoniam sine macula sunt in conspectu Dei sui. ℣. Justi vero in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum. P. Et in ore. ℣. Gloria. P. Et in ore.

Lauda. Hi sunt, qui non inquinaverunt vestem suam: mecum ambulabunt in albis, quoniam digni sunt. P. Et quicumque vicerit, sic vestietur. Alleluia. Veste candida. Alleluia. Alleluia. Alleluia. ℣. Et clamaverunt justi ad Dominum, cum tribularentur:
B de necesssitatibus eorum sæpe liberavit eos. P. Et quicumque. ℣. Gloria. P. Et quicumque.

Hymnus.

Deus sanctorum, psallimus,
Christi canentes præmia,
Qui sancto largus Spiritu
Triumphum dedit parvulis.

57 Ex ore quoque infantium
Perfecta laude Domini,
Totum potens in omnibus
Artes destruxit Zabuli.

Qui mentem regis impii
Visorum agens stimulis,
Deum regemque Dominum
Posse persuasit perimi.

Magi sequuntur indicem C
Ducentis faciem sideris,
Quæ ortu sui luminis
Æterno serviret regi.

Herodes natum metuit
Regem Judææ debitum,
In qua externus genere
Succedi timebat sibi.

E dicto cœli posito,
Magis in terram territus
Totius causam sæculi
Cæcus ignorat ambiens.

Verbisque mitis primum
Gaudere sese simulat,
Adoraturum pollicens
Natum regressi ut prodeunt. D

Sed postquam Deo moniti,
Dolis terra evanuit:
Immane tentat facinus,
Cunctis ignotum sæculis.

Christum Bethlehem audierat
Divino nasci oraculo,
Urbis audito nomine,
Parente quo nascitur nescius.

Nascentis tempus computans,
Infra bimatum pueros,
Matrum raptos ab uberibus,
Necare jubet impius,

Quos testes sibi Dominus

Certo passurus tempore,
Pius Redemptor omnium
Laude sacravit perpetim,
Oblatis Matrum fletibus,
Ostendens seri lachrymis,
Ad futuram gloriam
Certis metetur gaudiis.
Memento salutis Auctor,
Quod nostri quondam corporis
Ex illibata Virgine
Nascendo formam sumpseris.
Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de Virgine, etc.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut nos per gratiam nativitatis ejus et per intercessionem Sanctorum Innocentium parvulorum martyrum nobis salutem animæ et corporis, et remissionem peccatorum et pacem propitius tribuere dignetur. ℟. Præsta, æterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison. ℟. Christe eleison. Kyrie eleison.

Capitula. Christe, inenarrabile lumen mundi, qui adhuc in ipsis cunabulis constitutus, nondum effectus martyr, martyrii palma catervas Infantium dedicasti: qui, nec dum loqui valentes, sub mucrone sævientim varios fecisti mugitus emittere: quorum animas de abditis infernorum, te spontanee pro nobis omnibus moriente, maluisti eripere; inspira eis, sine intermissione orare pro parvulis: ut, qui propriis non valeamus supplicationibus emundari a crimine, eorum, qui te, quocumque ieris, cum hymnis, et canticis adsequentur, et hic et in æternum postulationibus abluamur.

Pater noster. Liberati a malo. *Require fol.* 2.

Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Benedictio. Unigenitus Dei filius, quo nacente in terris, Bethlehemitica rura occisorum pro se Infantium cruore infecta sunt, det nobis habere semper pro se optabile votum, et remunerationis parile præmium. ℟. Amen. Quique illos non ex ætate, sed de sanguine victores effecit, ipse nos confessores efficiat criminis nostri. ℟. Amen. Ut cum his quorum et vox sanguinis ad Deum clamat de terra, remuneranda quandoque admittatur a Christo confessio nostra R. Amen

Per misericordiam.

Lauda. Candidati sunt nazaræi tui, Sion, supra nivem: P. Comparati saphiro pulchriores inventi sunt, dederuntque gloriam Deo, Alleluia. ℣. Accedite ad Deum, et illuminamini; et vultus vestri non erubescent. P. Comparati saphiro pulchriores. ℣. Gloria, et honor Patri, et filio, et Spiritui Sancto. *P*. Comparati saphiro pulchriores.

Oratio. Christe, Dei filius, qui parvulos ad te cœlestis. *Require infra in Matutinis istius festi.*

Ad Matutinum. Antiphona. Da nobis lætitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma nos, Domine. *Psalmus* L.

A *Oratio*. Redde nobis ætitiam salutaris tui, Domine: quam amisimus inique gerendo, **58** et prætermisimus negligendo: tu nos ad eam revoca, et eam nobis restaura: ut peccato expulso, succedat justitia; et mœstitia repulsa, æterna adsit lætitia; da quæsumus, hanc jocunditatem, ut pervenire mereamur ad æternam salutem. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Sinite Infantes venire ad me; P. Et nolite prohibere eos: talium est enim regum cœlorum ℣. Accedite ad Deum, et illuminamini: et vultus vestri non erubescent. P. Et nolite prohibere. ℣. Gloria, et honor etc. P. Et nolite.

Oratio. Christe, Dei Filius, qui parvulos ad te cœlestis magisterii doctrina invitas; fac nos semper
B esse malitia parvulos, et mandatorum tuorum observatione perfectos; et qui talium esse regnum cœlorum pronuntias, nos illis quos bonos apud te comprobas, sine fine conjungas. ℟. Amen

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Vocem sanguinis ad te clamantis. P. Audi, Domine: memorare invictissimas mortes Innocentium parvulorum tuorum. ℣. Effuderunt sanguinem innocentem in circuitu Hierusalem, et non erat qui sepeliret. P. Audi, Domine, memorare ℣. Gloria et honor Patri, etc. P. Audi, Domine memorare.

Oratio. Memorare, Domine, invictissimorum parvulorum tuorum pro tuo nomine occisorum, et præsta, ut vocem sanguinis eorum pro nobis ad te
C clamantem, sic clementer exaudias; ut nobis omnibus peccata dimittas. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Sapientia aperuit os mutorum, P. Et linguas infantium fecit disertas. ℣. invocabant Dominum, et ispse exaudiebat eos: in columna nubis loquebatur ad eos. P. Et linguas infantium. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P*. Et linguas infantium.

Oratio. Vera Dei Sapientia Patris, qui os mutorum aperis, et linguas infantium disertas efficis; da in ore nostro perfectam legis tuæ custodiam: ut, te immaculato corde sequentes, illud semper labiis prædicemus, et opere impleamus: unde te, qui es vera sapientia, sine fine laudemus. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam

℟. Hi sunt, qui non inquinaverunt vestem suam,
D P. Cum Domino ambulaverunt in albis, quoniam digni sunt: et quicumque vicerit, sic vestietur candida veste. ℣. Sequuntur agnum, quocumque ierit, et in ore eorum non est inventum mendacium. P. Cum Domino ambulaverunt. ℣. Gloria et honor Patri, etc. P. Cum Domino ambulaverunt.

Oratio. Isti sunt, Domine, qui non polluerunt vestimenta sua, quibus nulla: utique potuit peccandi suboriri illecebra: concede ergo nobis per indulgentiæ donum illis esse participes, quos apud te pro meritis approbas esse felices. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Ad Canticum. Antiphona. Infirmi virtute præcincti

sunt. Non glorietur fortis in fortitudine sua sed in A hoc glorietur : Qui gloriatur scire et intelligere Dominum.

Canticum. Confirmatnm est cor meum. *Require fol.* 55.

Ad Benedictus. Antiphona. Sancti et humiles corde, spiritus et animæ justorum, benedicite Dominum.

Canticum. Benedictus es Domine, Deus patrum nostrorum. *Require fol.* 6.

Sono. Salus justorum a Domino est. P. Et salvabit eos. Alleluia. Alleluia. ℣. Quia speraverunt in Deum vivum. P. Et salvabit eos.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis. Alleluia : laudate eum in excelsis. Alleluia. *Psalmut.* CXLVIII.

Lectio libri Hieremiæ Prophetæ (*Cap.* XXXI).

℟. Deo gratias. B

Hæc dicit Dominus : Vox in Rama audita est lamentationis, fletus, et luctu, ploratus, est ululatus multus. Rachel plorans filios suos, et noluit consolari super eos, quia non sunt. Hæc dicit Dominus: Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lachrymis: quia est merces operi tuo, ait Dominus et revertentur de terra inimici. Et erit spes novissimis tuis, ait Dominus : et revertentur filii tui ad terminos suos. Audiens audivi Ephraim transmigrantem : Castigasti me, et eruditus sum, quasi juvenculus indomitus : converte me, et revertar: quia tu es Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam : et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum, et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. Si filius meus honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus : quia ex quo locutus sum C de eo, adhuc recordabor ejus. **59** Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum: miserebor miserans ejus, ait Dominus omnipotens. *Respondeat* Amen.

Hymnus.

Caterva matrum personat :
Conlisa defert pignora,
Quarum tyrannus millia
Christo sacravit victima.
Miraculis dedit fidem
Habere se Deum Patrem,
Infirma sanans corpora,
Et suscitans cadavera.
Orat salutem servulo
Nixus genu Centurio, D
Credentis ardor plurimus
Extinxit ignes febrium.
Petrus per undas ambulat
Christi levatus dextera ;
Natura quam negaverat,
Fides paravit semitam.
Honor matris et gaudium,
Immensa spes credentium
Per atra mortis pocula
Resolvit nostra crimina.
Memento salutis auctor,
Quod nostri quondam corporis
Ex illibata Virgine
Nascendo, formam sumpseris.
Gloria tibi, Domine,
Qui natus, etc.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi. *fol.* 57

Capitula. Turba Innocentium parvulorum quæ pro sui Redemptoris nomine proprio est delibuta cruore, non cesset Dominum pro servulis exorare : quo, te impetrante, licet immeriti, pro ejus nomine post hujus vitæ excursum sanctorum queamus adunari cohortibus, qualiter cum eis perenniter hymnum decantare in jubilo mereamur.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Candidati sunt nazaræi. *Benedictio.* Unigenitus Dei Filius. *Quære fol.* 57.

In nomine Domini

Sancti Thomæ Archiepiscopi, et Martyris. Omnia dicantur ut in Communi unius Martyris Pontificis.

IN FESTO SANCTI JACOBI APOSTOLI.

Ad Vesperos.

Lauda. Gloria et honore coronasti eum, P. Domine. ℟. Gloriam, et magnum decorum imposuisti super eum. P. Domine.

Sono. Alleluia. Beatus vir, qui timet Dominum : Alleluia. P. In mandatis ejus cupiet nimis. Alleluia, alleluia. ℣. Gloria, et divitiæ in domo ejus : et justitia ejus manet in sæculum sæculi. Alleluia.

Antiphona. Oculus Dei adspexit justum in bono. P. Et elegit illum ad humilitate sua : audivit eum, et vocem ipsius. ℣. Beatus vir qui intelligit super egenum, et pauperem : in die mala liberabit eum Dominus. P. Et elegit illum ℣. Gloria, et honor. P. Et elegit.

Lauda. In memoria æterna erit justus. Alleluia. P. Ab auditu malo non timebit. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generatio rectorum benedicetur. P. Ab auditu malo. ℣. Gloria, et honor. P. Ab auditu malo.

Hymnus.

Clara Sanctorum una Hierusalem
Mater conlauda : nimium lætare ;
Filii multi quia sunt desertæ,
Quam virum habens.
Jacobus, ob hoc, tuus, dictus justus
Sacram conscendit sacer, et sacerdos
Intrat Sanctorum solus hic in Sancta,
Virgo quod extat.
Carne hic frater Domini vocatus,
Gratia fretus et Apostolatu
Imbuit plebes, pia custodire
Dogmata Christi.
Ardua post hinc positus in arce
A malis : Christum, ut neget vènisse:
Confutat dogma disserte impiorum
Pharisæorum.
Ad hoc impulsus solo, et projectus
Stat, sed inlæsus memorat, quod prius ;
Moxque fullonum unus fuste sacrum
Cerebrum quatit.

Poscimus mœsti, pie et benigne
Martyr excelse, plebique connexe:
Plebi convulsæ durum jugum pelle :
Bella remove.
Sit salus œgris, sit quies defunctis:
Sit vigor fessis, sit remota pestis :
Vitiis pulsis, miseris sit cœlis
Aditus patens.
Sit Deo laus Patri, atque Nato:
Triplici honor nimium cum Sancto :
Nomini Trino : Deitati soli.
Sidera clament.

℟. Amen.

Supplicatio dicatur, ut in festo Sancti Johannis Apostoli mutato nomine fol. 54.

60 *Capitula.* Omnipotens Pater, qui beatissimo Apostolo et martyri tuo Jacobo præcipuo munere præstitisti, ut per te fieret de fragili fortis, de minimo grandis, de milite dux, de servo amicus, de supplici mirificus advocatus ; præsta placatus, ut interventu sedulo iisdem nunc de quibus ipse electus est membris, adhibeat fragilitati potentiam, humilitati gloriam, militiæ disciplinam, servituti libertatem, necessitati advocationem.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Benedictio. Beatissimi Jacobi Apostoli et Martyris sui nos Dominus intercessione custodiat. ℟. Amen. Sperantium in se necessitates placatus intendat. ℟. Amen. Ut ejus secuti vestigia ad cœlestia regna pergere valeamus. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius.

Lauda. Justus ut palma florebit. Alleluia. *P.* Sicut cedrus Libani multiplicabitur. Alleluia, alleluia. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generatio rectorum benedicetur. P. Sicut cedrus. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Sicut cedrus.

Oratio. Homo iste glorificatus, *Require infra in Matutinis.*

Ad Matutinum. Antiphona. Labia mea, Domine, aperies : Et os meum annuntiabit laudem tuam. *Psalmus.* L.

Oratio. Exultent, Domine, labia nostra præconio veritatis ; ut non resolvantur vaniloquio falsitatis ; sicque lingua nostra judicium veritatis loquatur, ut D Christum tuum verum judicem promptissima devotione laudet : atque ita præcepta tua assidue in nostro corde versentur, ut gressus nostri ab insidiosis decipulis minime supplantentur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Iste homo honorificatus est valde, et confregit Deus corda inimicorum ejus. P. Et properavit in domo Domini Dei sui perfecto corde, et viderunt omnes quæ magnifica fecit Deus per ipsum. ℣. Maxima est gloria ejus in salutari tuo : gloriam, et magnum decorem impones super eum. P. Et properavit. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Et properavit.

A *Oratio.* Homo iste glorificatus, Christus exultat, qui cognominari promeruit justus, ut tua promissa justis præmia populis prædicaret : hujus in honore acclives exposcimus flebili oratione, ut preces nostras suscipere digneris mitis atque placabilis, nosque tuis facias semper inhærere mandatis. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Iste sanctus clamavit, et Dominus exaudivit eum. P. Et ex omnibus tribulationibus ejus liberavit eum. ℣. Et sic benedicetur homo, qui timet Dominum. P. Et ex omnibus. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Et ex omnibus.

Oratio. Cognoscens itaque vir sanctus Jacobus B Apostolus tuus malitiam populi Judæorum, a quibus sublimatas pinnaculo templi, tuique pro nominis confessione inde dejectus, lapidibus impressus obruitur : advocatus suprema inter supplicia, per misericordiam tuæ pietatis amicam assistat pro nobis miseris interpellator assiduus, ut malorum a pressuris erui mereamur contuentes gloriam tuam. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Stolam gloriæ induit eum Dominus P. Jocunditatem et exultationem thesaurizavit super eum, et nomine æterno hereditavit illum. ℣. Potens in terra erit semen ejus ; generatio rectorum benedicetur P. Jocunditatem. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Jocunditatem.

Oratio. Exultans plebs tua, Domine, in hoc festo Jacobi tui Apostoli summis te flagitat precibus idem, C ut sicut ab omnibus cognominatus est justus, itaque nos appellari mereamur cultores justitiæ, et misericordiæ sectatores. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

℟. Justus justificetur : et sanctus sanctificetur adhuc. Beatus, qui lavit stolam suam. P. Ut si potestas ejus in ligno vitæ. ℣. Et quicumque vicerit, sic vestietur candida veste, et non delebo nomen ejus de libro vitæ. P. Ut sit potestas. ℣. Gloria, et honor, etc. *Reiteretur.* ℟. Justus justificetur.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Tu solus Dominus, quia non est alius, neque justus præter te, neque sanctus præter Deum nostrum.

Canticum. Confirmatum est. *Quære fol.* 55.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedictio Domini in mercedem justi festinat.

Canticum. Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum. *Require fol.* 6.

61 *Sono.* Alleluia. Beatus vir, qui timet. *Require fol.* 59.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis. Alleluia : laudate eum in excelsis. Alleluia, alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Hymnus. Clara Sanctorum una Hierusalem. *Require fol.* 59.

Lectio libri Sapientiæ Salomonis (*Cap.* XVIII)

℟. Deo gratias.

Tetigit justum tentatio mortis, et commotio in

eremo facta est multitudinis; sed non diu perman- A sit ira tua. Properans enim homo sine querela propugnavit, proferens servitutis suæ scutum, orationem, et per incensum deprecationem allégans, restitit iræ, et finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus. Vicit autem turbas, non virtute corporis, nec armatura potentiæ, sed verbo Dei vexatorem projecit, juramenta parentum commemorans. Cum enim jam catervatim cecidissent super alterutrum mortui, interstetit, et amputavit impetum, et divisit illam, quæ ad vivos ducebat viam. In veste enim poderis, quam habebat, totus orbis terrarum, et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta, et magnificentia tua in diademate capitis illius erat inscripta. ℟. Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Domi- B num nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut nos gratias nativitatis suæ, et per intercessionem Sancti Jacobi Apostoli sui nobis salutem animæ et corporis, et remissionem peccatorum, et pacem propitius tribuere dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus. Kyrie eleison, ℟. Christe eleison. Kyrie eleison.

Capitula. Juste Domine, a quo justis merito justitia teneri conceditur, qui per te juste vivere cupiunt, da justitiam, quam retinent mente, ostendant in opere, ex quo sanctum Apostolum tuum Jacobum recte justum ab omnibus cognoscimus vocitatum; cujus justa eloquia reproborum confutavit malitia, cum illi cum fallacia nequitiæ suæ, et justum appellarent, et injustitiam docere optarent: ob hoc quip- C pe eum in sublimi loco arcessitum statuerunt, ut longe lateque ejus prædicatio resonaret, quam vera loquentem recipere nolunt, sed mox præcipitatum, atque decoratum passione efficiunt: fac nos ejus meritis, et justitiam tenere in mente, et eam prædicare labenter; ut sicut ille operando justitiam, Justificatus ad te pervenit per martyrii gloriam, ita nos ejus suffragiis per dignam pœnitentiam pervenire mereamur ad consequendam indulgentiam.

Pater noster.

Liberati a malo, *fol.* 2.

Lauda. Justus ut palma florebit. *Benedictio*. Beatissimi Jacobi. *Quære fol.* 60.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Ad Vesperos.

D

Lauda. Laudaverunt te, Domine, omnes Angeli tui, et cecinerunt Hymmum, dum perficeres fabricam cœli: tuus est dies, et tua est nox. P. Tu fecisti solem, et lunam. ℣. Tu confirmasti in virtute tua mare, contribulasti capita draconum super aquas. P. Tu fecisti.

Sono. Alleluia. Justitia plena est dextera tua. Lætetur mons Sion, et exultent filiæ Judæ. P. Propter judicia tua. Alleluia, alleluia. ℣. Alleluia. Magnus Dominus, et laudabilis valde in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus: Dilatans exultationes universæ terræ. P. Propter judicia.

Antiphona. Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. P. Jubilate Deo universa terra: cantate et exultate et psallite. ℣. Psallite Domino nostro, psallite; psallite regi nostro, psallite. P. Jubilate. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Jubilate Deo.

Oratio. Domine, quem ex homine natum homines conspexerunt, et prædictum fines terræ viderunt, qui ante aliqua tempora prædictus es vocibus Prophetarum, et in tempore visus, et glorificatus modulis populorum: concede proptius vasa nos tua tibi permanere mundissima, ut lucis auctor nos et jugiter illustres, et indesinenter inhabites. ℟. Amen. Per misericordiam tuam.

Antiphona. Viderunt oculi mei salutare tuum, Domine, quod parasti in conspectu populorum. P. Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel. ℣. Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in universa terra. P. Lumen ad revelationem. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Lumen.

Lauda. Notum fecit Dominus salutare suum, ante conspectum gentium revelavit justitiam suam. **62**
Alleluia, alleluia. ℣. Memor fuit misericordiæ suæ Jacob, et veritatis suæ domui Israel. P. Ante conspectum. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Ante conspectum.

Hymnus.

Sacer OCTAVARUM dies
Hodiernus rutilat,
Quo sæcundum carnem Christus
Circumcisus traditur:
Patri, non adoptione,
Sed coæternus genere.

Spiritu completur alvus
Incorrupta Virginis,
Quæ pariens mansit cælebs
Virgo, quam puerperam
Inlibatam Genitricem
Proles castam elegit:

Inde Simeon grandævus
Ovans ulnis accipit,
Amplexansque videbatur
Salutare Domini:
Resolve jam nunc in pace
Artus istos fragiles.

Sed nec illa impar Anna
Continentia gradiens.
Quam in flore juventutis
Conjux viduaverat
Vagientem confitetur
Fore mundi Principem.

Tunc veneranda ex lege
Offeruntur munera
Turturum, colnmbarumque
Bina in sacrificia;
Quæ corporis, animæque
Puritatem docerent.

Impleta est priscæ in
Legis Circumcisio:

Utriusque ut Testamenti
Se auctorem ostenderet,
Qui manens in Trinitate
Universa condidit.
Gloria, et honor Deo
Usquequaque altissimo
Una Patri, Filioque,
Inclyto Paraclito,
Cui laus, et potestas
Per æterna sæcula
℟. Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut nos gratia Circumcisionis suæ propitius justificare dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus. Kyrie eleison. ℟. Christe eleison. Kyrie eleison.

Capitula. Jesu Domine, cujus admirabile nomen Angelus prædixit, Mater imposuit, Simeon cognovit, Anna laudavit; salva populum tuum in universo mundo, cujus extat nomen magnificum in cœlo: ut, qui solus es potentia gloriosus; sic etiam perditis miserationis indulgentia pius.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Dominus Jesus Christus, qui ad confirmandas promissiones Patrum minister Circumcisionis voluit esse, ipse cordium nostrorum immunditias dignetur auferre. ℟. Amen. Idem, qui præcepto legis suæ signum desectæ carnis accepit, omnes a nobis sordes sui amoris connexione depurget: ℟. Amen. Et qui filios Abrahæ in seipso, qui est semen ejus, benedicere promisit, hereditatis beatæ nos collatione munificet. ℟. Amen, Per misericordiam ipsius.

Lauda. Annuncietur in Sion nomen Domini: P. Et laus ejus in Hierusalem. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Et timebunt Gentes nomen tuum Domine, et omnes reges terræ gloriam tuam. P. Et laus. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Et laus ejus.

Oratio Omnipotens Pater et Domine. *Require infra in Matutinis sequentibus.*

Ad Matutinum. Antiphona. Domini est salus: et super populum tuum benedictio tua. *Psalmus* III.

Oratio. Tu es, Domine, salus. *Require fol.* 46.

Antiphona. Cum inducerent parentes puerum Jesum in templum, P. Ut facerent pro eo secundum legem Moysi: accepit eum Simeon in manibus, et benedixit Deum. ℣. Magnus Dominus, et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. P. Ut facerent pro eo. ℣. Gloria et honor Patri, etc. P. Ut facerent.

Oratio. Omnipotens Pater, et Domine Deus, largire credenti tuo populo pacem: ut in templo tuo videamus Salutare tuum, quem Simeon justus ulnis suis accepit: ut qui lumen ad revelationem Gentium extitit, indultor criminum eorummet credentium sentiatur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam.

Antiphona. — Tu es Deus, et in te est Deus, P. Et præter te non est alius Deus Salvator Israel, quem A nos ignorabamus. ℣. Domine Deus virtutem quis similis tibi? potens es Domine, et veritas tua in circuitu tuo. P. Et **63** præter te. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Et præter te.

Oratio. Tu es Deus, et in te est Deus, et non est alius præter te: ab ore egressum verbum non regredietur; quia utique natus filius non ipse, qui pater est, creditur, dum tamen ipsum, quod pater est, fateamur: dona ergo nobis, ut qui verbum a te genitum, nasciturum misisti in carne, nos in te renatos, sic nunc a criminibus exuas, ut tibi soli, cum veneris, sine fine conjungamur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. De quo locuti sunt Prophetæ priores: ego sum ipse, et nunc adveni. P. Beati, qui B annuntiant vobis bona, et videbunt quem nunc videtis, et audiunt quem nunc auditis. ℣. Audi populus meus, et loquar: Israel, et testificabor tibi. Israel, si me audieris. P. Beati, qui annuntiant. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Beati.

Oratio. Ad præsepe tuum, Domine, devotis cordibus accedentes, inveniamus te de quo locuti sunt Prophetæ priores; da ergo nobis, ut qui notitiam nominis et majestatis tuæ cognovimus, ad plenam notionem tuæ dulcedinis veniamus: ut tu liberator in futuro nobis sis omnibus, qui verus Deus et homo verus, Unus crederis Christus. ℟. Amen. Per misericordiam.

℟. Lætamini, cœli, quoniam misertus est Dominus populo suo: clamate fundamenta terræ, et C exultate montes, et colles, et omnia ligna silvæ. P. Quoniam redemit nos Deus Israel. ℣. In voce exultationis annuntiate, et auditum facite hoc, et ferte illud usque ad extremum terræ, et dicite. P. Quoniam redemit. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Quoniam redemit.

Oratio. Laudent te, Domine, cœli, et terra, quia misertus es populo tuo, dum montes, et colles coram te laudem fecisti clamare, cum tota viventia in te approbasti: concede ergo nobis, ut laudes, quas glorioso nomini tuo offerimus, acceptas tibi semper ipse efficias: ut qui mundum redempturus in salutis signo ostensus es, mundum iterum judicaturus non ultorem, sed liberatorem te nostris oculis manifestes. ℟. Amen. Per misericordiam.

D *Antiphona.* Dum convenirent ad circumcidendum infantem. P. Vocaverunt nomen ejus Jesum, quod dictum erat ab Angelo priusquam conciperetur in utero. ℣. Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu Gentium revelavit justitiam suam. P. Vocaverunt. ℣. Gloria. P. Vocaverunt.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui figuris crebrescentibus in lege veteri nunciatus, in te impleta omnia ostendere voluisti, dum in te Deo vero et homine, et Circumcisio secundum legem exprimitur, et veritas nominis approbatur: adesto plebi tuæ ad te ex Circumcisione, et præputio venienti, et præsta incrementa munerum, et ut gratia be-

nedictionis multiplicetur in abundantia pacis. ℟. Amen. Per misericordiam.

Antiphona. Simeon in templo elevavit vocem dicens. *P.* Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace : quia viderunt oculi mei salutare populi tui, ℣. Domine Deus virtutum, quis similis tibi? potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo. P. Nunc dimittis. ℣. Gloria. P. Nunc.

Oratio. Beatam, Domine, illam justi tui Simeonis vocem fac in nobis pari diligentia personare : ut quia videmus, et credimus salutare tuum; in pace, cum jusseris, dimittamur : non quo a te dimissos finis vitæ accipiat; sed per te absolutos à debito, in fine pax sempiterna possideat. ℟. Amen. Per misericordiam tuam.

Antiphona. Vidimus gloriam Domini, gloriam quasi Unigeniti a Patre. P. Plenum gratia, et veritate. ℣. Sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri : Deus fundavit eam in æternum. P. Plenum gratia. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Plenum.

Oratio. Vidimus gloriam tuam, Domine, gloriam quasi Unigeniti a Patre, primogenitum Deitate, primogenitum munere : illic unicum Patris, hic præci puum inter fratres : ibi cum Patre unum, hic in fratribus primum ; illic æqualiter subsistentem, et in sinu Patris manentem, hic socios non derelinquentem : largire ergo tuo fieri participes regno, quibus es propitiatus in mundo ; quibusque advenisti prius Redemptor, existe in futuro remunerator. ℟. Amen. Per misericordiam tuam. ℟. Iste, qui natus est Redemptio nostra, et Dominus, et Deus est. P. Ipse consolabitur nos a plaga nostra, et a labore in terra captivitatis **64** nostræ. ℣. Parvulus natus est nobis, filius datus est nobis, et factus est principatus ejus super humeros ejus. P. Ipse consolabitur. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Ipse consolabitur.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui es Redemptio nostra, et salus nostra, sana plagam contritionis nostræ, qui suscepisti carnem fragilitatis humanæ; et, qui veniens onera nostra sublevare dignatus es, quæsumus, ut a malis operibus nostros labores evacues, nostraque studia pius in bono confirmes. ℟. Amen. Per misericordiam tuam.

Antiphona. Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Dominus. P. Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam conciperetur in utero. Tulerunt autem illum in Hierusalem, et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini : crescebat puer, et confortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo. ℣. Quoniam ecce reges terræ congregati sunt, et convenerunt in unum. P. Vocatum est. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Vocatum est.

Oratio. Christe, Dei Filius, qui natus ex muliere, factus sub lege ad confirmandas promissiones Patrum, minister circumcisionis es factus ; ut, qui promissus fueras ex lege, plenitudo ipsius legis esses

A in tempore, dum octavi diei ministerium consecrans in gloriosa carne tua, et circumcisione vetus signaculum excipis, et nomen tibi nunciatum ab Angelo accipis : largire nobis indignis, ut cum hæc tua mysteria Incarnationis plena credulitate suscepimus, pleniori te affectu mentium diligamus : et ut in te quoque secundum legem Domini salutis nostræ mysteria universa perfecta sunt, sic credamus, sic amemus, sic operum efficientiam impleamus; ut de perfectione tuorum mandatorum et in hac peregrinatione consistamus indemnes et ad te post transitum mereamur pervenire felices. ℟. Amen. Per misericordiam. Dominus sit. ℟. Et cum.

In laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Lætabuntur omnes, qui
B sunt super terram : ros enim qui abs te est, sanitas est nobis. ℣. De nocte vigilat spiritus meus.

Canticum (*Isaiæ*, XXVI).

De nocte vigilat spiritus meus ad te, Deus : * quia lux præcepta tua sunt super terram.

Justitiam discite, qui habitatis terram : * cessabit enim impius.

Omnis enim, qui non didicerit justitiam super terram, veritatem non faciet * tollatur impius, ne videat majestatem Domini.

Domine excelsum est brachium tuum, et nescierunt : cum autem cognoverint, confundentur :

Zelus apprehendit populum ineruditum : * et nunc ignis adversarios consumit.

Domine Deus noster, pacem da nobis : * omnia
C enim dedisti nobis.

Domine Deus noster, posside nos : * Domine, præter te alium non novimus : nomen tuum invocabimus.

Mortui autem vitam non videbunt, * neque medici exuscitabunt :

Ideo super induxisti, * et perdidisti et tulisti omne masculum eorum.

Adde illis, Domine, mala, * adde mala gloriosis terræ.

Domine, in tribulatione modica memor fui ; * in tribulatione modica facta est nobis.

Sicut parturiens proxima est partui, et in dolore suo clamat : * ita facti sumus delicto :

Propter timorem tuum, Domine, in utero acce-
D pimus, * et parturivimus spiritum salutis, quem fecisti super terram.

Exurgant mortui, et resurgant qui in monumentis sunt : * et lætabuntur omnes, qui sunt super terram :

Ros eum qui abs te est, sanitas est illis ; * terra vero impiorum peribit.

Ambula popule meus, et intra recessus tuos absconde pusillum aliquantulum, * donec transeat ira Domini.

P. De nocte vigilat.

Gloria, et honor Patri, etc.

P. Lætabuntur omnes.

Oratio. Deus, qui notum fecisti in populis salutare

tuum ante conspectum Gentium, revelando justitiam tuam, miserationum tuarum nobis copiam manifesta, ut, qui salutaris tui notitia relevamur, revelatione justitiæ consolemur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam.

Ad Benedictus. Antiphona. Tibi soli Deo honor, et gloria, virtus, et potestas in sæcula sæculorum.

Psalmus. Benedictus es Dominus Deus patrum nostrorum. *Quare fol.* 6.

Sono. Alleluia. Justitia plena. *Quare fol.* 61.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis. Alleluia, alleluia, alleluia. Laudate eum in excelsis. **65** Alleluia. Laudate eum omnes Angeli ejus : laudate eum omnes virtutes ejus. Alleluia. *Psalmus* CXLVIII. *ut supra.*

Lectio libri Esaiæ Prophetiæ (*Cap.* XLVIII).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Audi me Jacob, et Israel, quem ego voco : ego ipse, ego primus, et ego novissimus. Manus quoque mea fundavit terram, et dextera mea mensa est cœlos ; ego voco eos, et stabunt simul. Congregamini omnes vos, et audiet : quis eis annuntiavit hæc? Dominus dilexit eum, faciet voluntatem suam in Babylone, et brachium suum in Chaldæis. Ego locutus sum, et vocavi eum : adduxi eum, et directa est via ejus. Accedite ad me, et audite hoc : non a principio id abscondito locutus sum : ex tempore antequam fieret, ibi eram : et nunc Dominus Deus misit me, et spiritus ejus. Hæc dicit Dominus Redemptor tuus sanctus Israel : Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via, quam ambulas. Utinam attendisses mandata mea : facta fuisset quasi flumen pax tua, et justitia tua sicut gurgites maris. Et fuisset quasi arena semen tuum, et stirps uteri tui, ut lapilli ejus : non interissent, et non fuissent nomen ejus attritum a facie mea. Egredimini a Babylone, fugite a Chaldæis, in voce exultationis annuntiate : et auditum facite hoc, et ferte illud usque ad extremum terræ : et dicite : Redemit Dominus servum suum Jacob. ℟. Amen.

Hymnus. Sacer octavarum dies. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi. *fol.* 61.

Capitula. Notum factum est salutare, Domine virtutum ; factum est, prædictum Prophetarum præconio ; visumque populorum aspectu ; dum Simeon ulnis gestavit senex, quod Vates cecinerunt priores : pro quo et promissa et inchoata cognoscitur prophetia, ut requiesceret in pace, dum aspiceret pacem : et Jesus Dominus lumen in revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel, et promissus prodiret, et prodiens appareret : lumenque ejus præveniret n sæculo, quos cæcitas oppresserat tenebrarum in mundo ; Præsta proinde precibus Ecclesiæ tuæ, ut quos mirabilia hæc fecisti agnoscere, ad te facias in pace pervenire.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Annuntietur in Sion. *Benedictio.* Dominus Jesus Christus. *fol.* 62. In nomine Domini.

A IN DOMINICO ANTE EPIPHANIAM, SIVE APPARITIONEM DOMINI.

Ad Vesperos.

Lauda. Laudaverunt te, Domine. *fol.* 61.

Sono. Intende, Domine. P. Procede, et regna. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Eructavit cor meum verbum bonum : dico ego opera mea regi. P. Procede.

Antiphona. Lætare, lætare, Hierusalem : et diem festum agite, omnes qui diligitis eam. P. Gaudete gaudio magno omnes, qui lugebatis super eam. ℣. Lauda Hierusalem Dominum : et collauda Deum tuum Sion. P. Gaudete gaudio. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Gaudete.

Lauda. Alleluia. Visitavit nos oriens ex alto. P.
B Ut luceret eis, qui in tenebris sunt : ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri : Deus fundavit eam in æternum. P. Ut luceret. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Ut luceret.

Hymnus.

Agni genitor Domine :
Verbum natum de Virgine,
Conceptum sine semine,
Dux luminis, et fons vitæ :
Esto nobis in salutem
Filius Dei unice :
Gubernator Jesu Christe
Ad precem nostram aspice.
C In mundum nobis missus es
Captivos repræsentare,
Lumen cæcis reformare,
Mutorum linguas solvere.
Ne nos relinquas, Domine
Omnium conditor pie,
Propitius miserere,
Qui nullum cupis perdere :
Rectorque mundi Domine
Salvator Unigenite,
Tu nos a morte protege
Ut capti dulci opere.
Christus Dominus vigilet,
Fidesque nostra germinet,
Zabuli discedat munimen,
Non valeat subrepere.
D Per Jesum Christum Dominum,
Qui regnat cum Deo Patre,
Et nos dignavit docere,
Credamus in Trinitate.
66 Trino Deo, ac Domino
Omnes dicamus gloriam :
Quia Pater in principio
Semper fuit cum Filio. Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus ; ut Ecclesiæ suæ sanctæ catholicæ fidem augeat, et pacem tribuat, defensionemque concedat. ℣. Præsta æterne omnipotens Deus.

Capitula. Deus sine initio, sine fine, a quo est totius mundanæ creaturæ initium; da nobis, ut extrema, vel media anni hujus cum placita tibi prosperitate ducamus, qui initia ejus tibi dedicanda porrigimus, ut et substantiis abundemus, et operibus sanctitatis fulgeamus.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Dominus noster Jesus Christus, qui est corona totius a se formatæ Ecclesiæ, det nobis hunc annum placabilem ducere. ℟. Amen. Consotetur nos frugibus, et dignetur munerare virtutibus. ℟. Amen. Ut prosperitate sibi placita lætabundi, totius anni spatia mereamur pertransire illæsi, ℟. Amen. Per misericordiam ipsius.

Lauda. Alleluia. Lætabitur deserta, et invia. P. Et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium. Alleluia, alleluia. ℟. Jubilitate Deo omnis terra : servite Domino in lætitia. P. Et exultabit. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Et exultabit.

Oratio. Discute a nobis Unigenite. *Require infra in Matutinis.*

Hymnus. Æterne rerum Conditor. *Require fol.* 3.

Oratio. Omnipotens æterne Deus, et misericors, qui temporum das tempora, et qui singulis temporibus das gratiam, quam administrent : tu, ne mens prolixitate tenebrarum exæstuet, gallo nos consolaris canente ; ut dum præco diei sonat, diurni operis meditatio reviviscat : respice ergo nos jugiter, et instiga, ne profundæ noctis errore persuasi diei obliviscamur perennis ; sed labentes in tenebris erige, et videndo nos corrige, ut cum Petro resipiscamur errata, et paribus lachrymis crimina defleamus commissa. ℟. Amen. Per misericordiam. uam.

Antiphona. 1. Salus tua, Domine, super populum tuum, et benedictio. *Psalmus.* III.

Antiphona. 2. Dele, Domine, iniquitates nostras : et a peccatis nostris munda cor nostrum. *Psalmus* L.

Antiphona 3. Clamabo ad Deum altissimum : Deum conditorem omnium, qui benefecit mihi. *Psalmus* LVI.

Oratio. Discute a nobis Unigenite ingeniti Patris somnum corporis; et clemens placatus nostris parce piaculis : ut in te redemptorum copia piis frequentetur vigiliis, tuisque habeatur digna obtutibus sacris : et quod nunc serit ignobilis carnis fragilitas ; divinitatis tuæ dono surgat in gloria : tu igitur, Domine, cunctis in te confidentibus juvamen largum impende ; et ad supernam patriam alarum tuarum obumbratione nos atrahe. ℟. Amen. Per misericordiam tuam.

Antiphona. Dominus possedit me, priusquam terram faceret. P. Antequam montes stabilirentur : ante autem omnes colles genuit me. ℣. Eructavit cor meum verbum bonum : dico ego opera mea regi. P. Antequam. ℣. Gloria, et gonor etc. P. Antequam.

Oratio. Coæterna Dei sapientia Patrsi, qui te cum
A Patre fuisse testaris, priusquam terram faceret, aut excelsa montium stabiliret, dum te ante omnium creationem collium generaret, te quæsumus, te rogamus, ut, qui hujus incorruptæ nativitatis tuæ gaudia celebramus ovando, ad te remuneraturi perveniamus credendo : ut, qui ante montium conditionem ex Patre nasceris, et in plenitudine temporis natus de utero Virginis, sic in te credentes sanctifices, ut sanctificatos gloria æternitatis remuneres. ℟. Amen. Per misericordiam tuam.

Antiphona. Populus, qui sedebat in tenebris. *P.* Vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux clara orta est eis. ℣. Omnes gentes plaudite manibus : jubilate Deo in voce exultationis. P. Vidit lucem magnam. ℣. Gloria, et honor,
B etc. P. Vidit lucem.

Oratio. Unigenite Dei Filius, qui habitantibus in regione umbræ mortis lumen videre fecisti; qui lumen per susceptæ Incarnationis Mysterium claruisti : da nobis te illustrante defigi, ut qui nativitatis tuæ diem ovando suscepimus, divinitatis tuæ muneribus consolemur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam.

67 *Antiphona.* Visitavit Dominus omnipotens populum suum domum Juda. P. Et constituet illum sicut equum speciosum in certamine. ℣. Sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri : Deus fundavit eam in æternum. *P.* Et constituet illum. ℣. Gloria, et honor, etc. *P.* Et constituet.

Oratio. Domine omnipotens, qui visitasti popu-
C lum tuum domum Juda ; visita nos a somno facinorum : ut, dum fulgore tuo peccatorum tenebras effugamus, virtute tua mortis potestatem evacues : quo sic te nunc apparente illustremur, ut, te repugnante, a mortis imperio liberemur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam.

℟. Justus meus hic est Salvator meus. *P.* Ipse liberavit civitatem suam : et peccata populo suo dimittet, non in pretio, nec in quæstu pecuniæ. — Levate in cœlum oculos vestros, et videte quis creavit hæc. Dominus Deus, qui creavit terminos terræ. *P.* Ipse liberavit. ℣. Gloria, et honor, etc. *P.* Ipse liberavit.

Oratio. Hic est justus honor, in quo sperabamus fide, præcinente Propheta, et ad quem pervenimus
D apparentem per gratiam : proinde poscamus clementiam ejus, ut liberet nos, et peccata populo suo dimittat, qui nobis impendi dignatus est totus. ℟. Amen. Per misericordiam tuam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Filius accrescens, et decorus aspectu : ipse est, et dans eloquia pulchritudinis.

Canticum. Vocavit Jacob filios suos. *fol.* 50.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedictus es, Domine, et benedictum nomen gloriæ tuæ. *P.* Benedicite Dominum omnes electi ejus : sit nomen sanctum ipsius benedictum in omnia sæcula sæculorum.

Canticum. Benedictus es, Domine. *fol.* 6.

Sono. Intende Domine, procede. *fol.* 65.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis : laudate eum in excelsis. *Psalmus* CXLIII.

Lectio libri Proverbiorum Salomonis (*Cap.* VIII) R. Deo gratias.

Dominus possedit in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret a principio. Unctus sum a sæculo, antequam terram faceret. Nec dum erant abyssi, et ergo jam conceptus eram : necdum fontes aquarum eruperant : necdum montes gravi mole constiterant: antequam colles ego partuirebar : adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terræ. Quando præparabat cœlos, aderam. quando certa lege, et gyro vallabat abyssos : quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminos, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos : quando appendebat fundamenta terræ. Cum eo eram cuncta componens : et delectabar per singulos dies, ludens coram eo in orbem terrarum : et delitiæ meæ erant cum filiis hominum. Nunc ergo filii audite me : Beati, qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abjicere eam. R. Amen.

Hymnus.

Splendor Paternæ gloriæ
De luce, lumen proferens,
Lux lucis, et fons luminis
Dies diem illuminans.
Verusque sol inlabere,
Micans nitore perpeti :
Jubarque Sancti Spiritus
Infunde nostris sensibus.
Votis vocemus et Patrem,
Patrem perennis gloriæ :
Pater potentis gratiæ
Culpam releget lubricam.
Informet actus strenuos,
Dentem retundat invidi,
Casus secundet asperos,
Donet gerendi gratiam.
Mentem gubernet et regat,
Casto, fideli corpore :
Fides calore ferveat,
Fraudis venena nesciat.
Christusque nobis sit cibus,
Potusque noster sit fides :
Læti bibamus sobriam
Ebrietatem spiritus.
Lætus dies hic transeat.
Pudor sit, ut diluculum ;
Fines, velut meridies :
Crepusculum mens nesciat.
Aurora cursus provehit,
Aurora totus fulgeat :
In Patre totus filius,
Et totus in Verbo Pater.
Gloria Patri ingenito
Gloria Unigenito,
Una cum sancto Spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

68 *Capitula.* Deus sine initio. *Et Lauda.* Alleluia. Lætabitur deserta. *Et Benedictio.* Dominus noster Jesus Christus. *fol.* 66. In nomine Domini nostri Jesu Christi.

INCIPIT OFFICIUM JEJUNIORUM IN KALENDIS JANUARII

Observatur tribus diebus ante festum Epiphaniæ, prout sequitur.

PRIMO DIE.

Ad Matutinum. Antiphona. Tu autem, Domine, susceptor meus, et gloria mea, et exaltans caput meum. *Psalmus* III.

Oratio. Quamvis, Domine, plurima malignantium multitudo abneget salutem nostram esse in te Domino Deo nostro ; nobis tamen ob hoc robur spei multum augetur, quia tu susceptor noster esse dignatus es : obstruatur itaque os loquentium iniqua, cum sperantes in te misericordia circumdat assidua. ℟. Amen. Per misericordiam tuam.

Antiphona 1. Quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum? *Psalmus.* XVII.

Oratio. Fortitudo nostra, dona nobis dilectionem tui nominis perpetim possidere : dignare esse nostra contra adversantes virtus : firmamentum contra impugnantes : liberator a captivantibus ; ut, tuis ex toto defensaculis circumcincti, sic adversa mundi mens nostra non metuat, ut blanda non requirat : tua semper gratia contenta muneribus gaudeat. ℟. Amen. Per misericordiam tuam.

Antiphona. 2. Delicta, qui solus intelligis : a peccatis nostris munda nos, Domine. *Psalmus* XVIII.

Oratio. Ab ocultis nostris munda nos, Domine, purgando conscientiam, quæ internis ac propriis inficitur maculis : ab alienis quoque parce servis tuis, ut ea indulgeas, quæ vel malorum exemplis addiscimus, vel pravis inlecti persuasionibus perpetramus ; ut qui te proprium agnoscimus Dominum, peccatorum nequaquam sentiamus ulterius dominatum. ℟. Amen. Per misericordiam tuam. *Antiphona* 3. Exaudi nos in die, qua invocaverimus te, Domine Deus noster. *Psalmus* XIX.

Oratio. Tribulationes cordis nostri, quas pœnitendo facinorum ob metum judicium pandit, per misericordiam tuam, Domine, ad indulgentiæ lætitiam adtrahe : mitte itaque nobis auxilium de sancto ; et nostrorum mœstitias cordium pingue tibi facito holaucaustum : ut mentibus nostris et concilium, quo delecteris, inspires ; et opus, quo placeris, insinues : petitiones nostras ita suppleas, ut peccata deleas : et ad illam regionem ubi sine termino, vivitur, propitius intromittas. ℟. Amen. Per misericordiam tuam.

℟. Adveniens Dominus abstulit omnem caliginem noctis, ubi non erat lux, facta est claritas. P. Et apparuit dies. ℣. Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lumen magnum : habitantibus in regione um-

bræ mortis lux orta est eis. P. Et apparuit. — Gloria, et honor, etc. P. Et apparuit.

In Laudibus.

Antiphona. Averte faciem tuam a peccatis nostris: et omnes iniquitates nostras dele: *Psalmus* L.

Oratio. Averte faciem tuam a peccatis nostris, Domine; et omnes iniquitates nostras dele: remove ab oculis tuis malarum nostrarum facinus voluptatum; nostræque confessioni clementer tuum appone auditum: miserere, quæsumus, rogantibus nobis, qui propitius respicis in adversis, et qui desperatis cor pœnitens tribuis, confessionibus nostris gloriæ tuæ præsta subsidium. Sed quia publicanus a longe stans, et percutiens pectus suum, sola confessione purgatus est; similiter, et nos peccatores exaudi: ut sicut illi meritos petitionis suæ fructus donasti, ita et nobis supplicantibus indignis servis tuis veniam digneris impendi peccatis. ℟. Amen. Per misericordiam tuam.

Ad Canticum. Antiphona. Exurge, Domine Deus, et libera plebem tuam: nequando dicant adversarii: Manus nostra excelsa est, et non Deus fecit hæc omnia.

Canticum. Attende cælum, et loquar. *fol.* 4.

Reiteretur Antiphona. Exurge, Domine.

Oratio. Montes cantent nobis, et terra audiat: sicut Moysi famulo tuo in confessionem mirabilium et præceptorum tuorum: et descendat super nos, Domine, gratia misericordiæ Domini nostri Jesu Christi filii tui, sicut ros super terram, et sicut imber super gramen, et sicut nix supra fœnum: quæ nos **69** insensibiliter ab arte impietatis emundet illic, ubi peccatorum nostrorum numerositas nulla pôssit satisfactione pensari. Tu autem, Domine, qui es cæcorum lumen, errantium via, resurrectio mortuorum, respectu clementiæ tuæ conscientiæ nostræ tenebras inlumina; peccantes ad pœnitentiam revoca, pœnitentibus veniam pompta in te semper miseratione largire. ℟. Amen. Per misericordiam tuam.

Matutinarium Antiphona. Exortum est in tenebris lumen rectis corde. P. Misericors, et miserator, et justus Dominus. ℣. Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur: et de necessitatibus eorum liberavit eos. P. Misericors. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Misericors.

Lauda. In sanctis ejus laudate eum in excelsis. *Psalmus* CXLVIII

Lectio libri Sapientiæ Salomonis (*Cad.* XIV,XV) ℟. Deo gratias.

Fili, benedictum est lignum, per quod fit justitia. Per manus autem, quod fit idolum, maledictum est et ipsum, et qui fecit illud: quia ille quidem operatus est: illud autem cum esset fragile, Deus cognominatus est. Similiter autem odio sunt Deo impius, et impietas ejus. Etenim quod factum est, cum illo, qui fecit, tormenta patietur. Propter hoc, et in idolis rationum erit non respectus: quoniam creaturæ Dei in abominationem factæ sunt, et in tentationem A animis hominum, et in muscipulis pedibus insipientium. Initium fornicationis est exquisitio idolorum, et adinventio illorum corruptio vitæ. Infandorum enim idolorum cultura omnis mali causa est, et initium, et finis. Aut enim dum lætantur, insaniunt: aut vaticinantur falsa, aut vivunt injuste, aut perjurant cito. Dum confidunt in idolis, quæ sunt sine anima, male jurantes noceri se non sperant. Utraque ergo illis venient juste, quoniam male senserunt de Deo, attendentes in idolis, et injuste juraverunt, in idolo contemnentes justitiam. Non enim juratorum est virtus, sed peccantium pœna perambulat semper super injustorum prævaricationem. Tu autem Domine Deus noster, suavis, et verus est, patiens, et in misericordia disponis omnia. Etenim si peccavi- B rimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam: et si non peccaverimus, scimus quoniam apud te computati sumus. Nosse enim te, consummata justitia est: et scire justitiam, et veritatem tuam, radix est immortatis. ℟. Amen.

Hymnus.

Benignitatis fons Deus,
Qui non habens finem boni
Super malum scelestium,
Semper pius, semper bonus.

Mœstum satis cor cædimus,
Et triste pectus tundimus,
Aquas pupillæ fundimus,
Mœstas genas inducimus.

Egisse multum pœnitet.
C Horrens, tetrum, vel pessimum;
Turpissimum, ad sordidum
Fatemur omne noxium.

Elata vox te postulat,
Tu parce, dicit, Conditor,
Jam parce clamat obsecrans,
Ignosce quod commisimus.

Non ira mœstos sorbeat,
Non pœna fessos conterat:
Solare contritos cito,
Et gaudium nobis dato.

Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito.
Regnans per omne sæculum.
D Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut nos gratia ipsius, et per intercessionem Sanctæ Mariæ Virginis Genitricis suæ in sacro sancto jejunio remissionem peccatorum, pacemque nobis propitius donare dignetur. ℟. Præsta, æternæ omnipotens Deus. Kyrie, Eleison. ℟. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Capitula. Dilectissimi fratres, qui omnia idola gentium cum Psalmista dœmonia esse creditis; illorum, quæso, ut ritus et monstruos actus omnimodo respuamus: et si aliquem ex Ecclesiæ filiis talia, aut agere aut delectari prospicitis, vestra admonitione

corripite, et ad viam salutis ab erroribus revocate; ut verba Dominicæ orationis, quæ ipso Domino docente didicistis, et simul mecum et cum illis proclamare liberi possitis e terris dicentes:

Pater noster. A malo nos libera. *fol.* 10.

Lauda. Alleluia, Lætabitur deserta et invia et exultabit solitudo. P. Et florebit quasi lilium, Alleluia, alleluia. ℣. Jubilate Domino omnis terra: servite Domino in lætitia. P. Et. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Et.

70 *Benedictio*. Christus Dominus, qui cum Patre et Spiritu Sancto unus extat conditor et annorum et temporum; ipse in initio hujus anni vestrum acceptare dignetur jejunium. ℟. Amen. Sit vobis semper ductor, qui extitit totius mundi Redemptor. ℟. Amen. Ut, cujus in nativitate solemnia jam strenue peregisti, apparitionis festa etiam cum gaudio celebretis. ℣. Amen. Per. In nomine.

Ad Tertiam Prophetia et omnia alia successive. Proverbiorum Salomonis (*Cap.* III).

℟. Deo gratias

Fili, nec obliviscaris legis meæ, et præcepta mea custodiat cor tuum. Longitudinem enim dierum, et annos vitæ, et pacem apponet tibi. Misericordia, et veritas non te deserant, circumda eas gutturi tuo, et scribe in tabulis cordis tui: et invenies gratiam, et disciplinam bonam coram Deo, et hominibus. Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo et ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos. Ne sis sapiens apud temetipsum: time Dominum, et recede a malo. ℟. Amen.

Lectio libri Exodi (*Cap*, XXXII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Videns populus, quod moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus adversus Aaron, ait: Surge, fac nobis deos, qui nos præcedant: Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit. Dixitque ad eos Aaron: Tollite inaures aureas de uxorum, filiorumque et filiarum vestrarum auribus, et afferte ad me. Fecitque populus quæ jusserat, deferens inaures ad Aaron. Quas cum ille accepisset, formavit opere fusorio, et fecit ex eis vitulum conflatilem: dixeruntque: Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Quod cum vidisset Aaron ædificavit altare coram eo, et præconis voce clamavit dicens: Cras solemnitas Domini est. Surgentesque mane, obtulerunt holocausta, et hostias pacificas, et sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere. Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: Vade, descende: peccavit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti. Recesserunt de via, quam ostendisti eis: feceruntque sibi vitulum conflatilem, et immolaverunt, atque immolantes et hostias, dixerunt: Isti sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Rursumque dixit Dominus ad Moysen: Cerno, quod populus iste duræ cervicis est. Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam. Moyses autem orabat Dominum suum, dicens: Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti, in fortitudine magna, et in manu robusta? Ne quæso dicant Ægyptii: Callide eduxit eos, ut interficeret in montibus, et deleret de terra: quiescat ira tua, et esto placabilis super nequitiam populi tui. Recordare Abraham Isaac, et Israel servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum, dicens: Multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli: et universam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, et possidebitis eam semper. Placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum. Et reversus est Moyses de monte, portans duas tabulas téstimonii in manu scriptas ex utraque parte et factas opere Dei: scriptura Dei quoque erat in tabulis. Audiens autem Josue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moysen: Ululatus pugnæ auditur in castris. Qui respondit: Non est clamor adhortantium ad pugnam neque vociferatio compellentium ad fugam: sed vocem cantantium ego audio. Cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum, et choros: iratusque valde, projecit de manu tabulas, et confregit eas ad radicem montis: arripiensque vitulum quem fecerat, combussit, et contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, et dedit ex eo potum filiis Israel. Dixitque ad Aaron: Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum? Cui ille respondit: Ne indignetur Dominus meus: tu enim nosti populum istum, quod pronus sit ad malum: dixerunt mihi: fac nobis deos, qui nos præcedant: huic enim Moysi, qui nos eduxit de terra Ægypti, nescimus quid acciderit. Quibus ego dixi: Quis vestrum habet aurum? Tulerunt et dederunt mihi: et projeci illud in ignem, egressusque est hic vitulus. Videns ergo Moyses populum quod esset nudatus (spoliaverat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, et inter hostes nudum constituerat): et stans in castrorum porta, ait: Si quis es Domini, jungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi: quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus **71** Israel: Ponat vir gladium super femur suum: ite, et redite de porta usque ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem suum et amicum suum et proximum suum. Feceruntque filii Levi juxta sermonem Moysi, cecideruntque in die illo quasi viginti tria millia hominum. Et ait Moyses: Consecrastis manus vestras hodie unusquisque in filio, et in fratere suo, ut detur vobis benedictio. ℟. Amen.

Lectio libri Esaiæ Prophetiæ (*Cap.* XXXIII).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: Audite qui longe estis, quæ fecerim, et cognoscite vicini fortitudinem meam. Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit timor hypocritas. Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitat ex vobis cum ardoribus

sempiternis? Qui ambulat judiciis, et loquitur veritatem, qui projicit avaritiam, et calumniam, et excutit manus suas ab omni munere, qui obdurat aures suas ne audiat, et ne effundat sanguinem, et cludit oculos suos ne videat malum. Iste in excelsis habitat, munimenta saxorum sublimitas ejus: panis ejus datus est, aquæ ejus fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longe. Cor ejus meditabuntur timorem: ubi est litteratus? ubi verba legis ponderans? ubi doctor parvulorum? Populum imprudentem, non videbis, populum alti sermonis: ita ut non possis intelligere disertitudinem linguæ ejus, in quo nulla est sapientia. ℟. Amen.

Sequentia Epistoli Pauli Apostoli ad Corinthios (*I. cap.* x.)

℟. Deo gratias.

Fratres, nolumus vos ignorare, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt, et in nube, et in mari: et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt (bibebant autem de spirituali, consequenti eos, petra: petra autem erat Christus), sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut illi concupierunt: neque idolatrœ efficiamini. sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum est: Se dit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Neque fornicemini, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia. Neque tentemus Christum: sicut quidam eorum tentaverunt, et à serpentibus perierunt. Neque murmuraverimus sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in figura contingebant illis; scripta sunt enim ad correctionem nostram in quos fines sæculorum devenerunt. Itaque qui se exstimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non appréhendat nisi humana: fidelis autem Deus est, atietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet et cum tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere. Propter quod, charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura: Ut prudentibus, loquor, vos judicate quod dico. Calix benedictionis, cui benedicimus nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus nam omnes de uno pane, et de uno calice participamus. Videte Israel secundum carnem nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, dœmonibus immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, et calicem dœmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. An æmulamur Dominum? Numquid fortiores illo sumus? Omnia mihi licent sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. omne, quod in macello venumdatur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini est terra, et plenitudo ejus. Si quis vocat vos infidelium, et vultis ire: omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis: nolite manducare propter illum qui indicavit propter conscientiam. Conscientiam autem dico non tuam, sed alterius. Ut quid enim libertas mea judicatur ab alia conscientia? Si ergo cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quod gratias ago? Sive ergo manducatis, sive biberitis, vel aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite. Sine offensione estote Judæis, et Gentibus, et Ecclesiæ Dei: Sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis; ut salvi fiant. ℟. Amen.

72 *Antiphona* 1. Simulacra Gentium, opera manuum hominum; similes illis fiant, qui faciunt ea: et omnes, qui confidunt in eis. Qui autem timent Dominum, sperent in Domino: adjutor eorum, et protector eorum est. *Psalmus* CXIII.

Oratio. Domine, qui sursum in cælestibus habitans, terrenas potestates contines et gubernas: da nomini tuo gloriam, da peccantibus veniam: quodque de tua misericordia præsumimus, in veritate, quod quæramus, hauriamus, ut misericordia tua de Ecclesiæ cœtu simulacra excludat, et veritate, quod tui agnitionem dubia corda convertat; adjice, quæsumus, Domine, benedictionem tuam super populum tuum, et super filios eorum; quique timentibus te factus es salus in vitam perpetuam, quam promisisti, concede coronam; ut non peccatis mortui, a tua benedictione abjiciamur, sed vitæ participes facti, nomen tuum in sæcula conlaudemus. ℟. Amen. Per misericordiam, etc.

Antiphona 2. Exultate Deo adjutori nostro: jubilate Deo Jacob. *Psalmus* LXXX

Oratio. Tibi adjutori nostro Domino exultatione fidei et spei plaudentes oramus, ut petitio nostra in tribulatione diffusa tuis auribus appropinquet, et necessitatum nostrarum causas insinuet; tua quippe bonitas singulorum precibus semper adsit, ut liberes: et ereptis nobis tribue desiderii ardorem ad te pertendere, et unitatem trinæ majestatis devote concorditer clamitare; ut, tuis semper laudibus dediti, tuarum justificationum tramitem adsecuti in te quæsumus exultationis ornamenta, et spei remedia et fidei adquiramus coronam. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster, etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Antiphona 3. Cognoscant Gentes quoniam nomen tibi Dominus; tu solus Altissimus super ommen terram. *Psalmus* LXXXII.

℟. Propitiare, Domine, peccatis nostris propter nomen tuum. *P.* Nequando dicant in Gentibus: Ubi est Deus eorum? ℣. Adjuva nos, Deus salutaris noster: et propitius esto peccatis nostris. *P.* Nequando di-

cant, etc. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *Reiteretur* A Propitiare, Domine.

Preces. Ad te clamamus, Domine. P. Miserere, et parce populo tuo. ℣. Sacerdotes orate : flectentes genua dicite : P. Miserere. ℣. Ignosce mala, quæ gessimus, et esto nobis propitius. P. Miserere. ℣. Arentem terram jam respice, et imbrem gratiæ tribue. P. Miserere, et parce populo tuo.

Capitula. Cognoscant Gentes, Christe, quod nomen tibi sit Dominus, pro quibus es patibulo Crucis appensus : quosque ignaviæ ignorantia dedit, scientia restituat conditori, ut fide convertatur conscientia, et spe lætentur in gloria.

Pater noster. ℣. A malo nos libera. *fol.* 10.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus, et vivis, et omnia regis in sæcula sæculo- B rum. ℟. Amen Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. ℣. In nomine Domine nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

Isto ordine finiuntur Horæ, videlicet, Tertia, Sexta, et Nona de diebus jejuniorum, hoc est, Kalendarum Januarii tribus diebus ante Epiphaniam Domini quarta feria, quinta feria, sexta feria, et Sabbato quod est Vigilia sanctæ Pentecostes; tribus diebus ante festum sancti Cypriani; Kalendarum Novembrium tribus diebus ante festum sancti Martini, et in feriis, quæ infra annum sunt præter illas, quæ benedictionem habent.

Ad Sextam.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* XXXI).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Quomodo si rugiat leo, et C catulus leonis super prædam suam, cum occurrerit ei multitudo pastorum, a voce eorum non formidabit, et a multitudine eorum non pavebit: sic descendet Dominus exercituum, ut prælietur super montem Sion, et super collem ejus. Sicut aves volantes, sic proteget Dominus exercituum Hierusalem, protegens et liberans, transiens, salvans. Convertimini, sicut in profundum recesseratis filii Israel. In die illa abjiciet vir idola argenti sui, et idola auri sui, quæ fecerant vobis manus vestræ in peccatum. Et cadet Assur in gladio non viri, et gladius non hominis vorabit eum, et fugiet non a facie gladii: et juvenes ejus vectigales erunt. Et fortitudo ejus a terrore transibit, et pavebunt fugientes principes ejus: dicit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Hierusalem. Ecce in justitia regnabit rex, et principes in judicio præerunt. **73** Et erit vir, sicut qui absconditur a vento, et celat se a tempestate. Sicut rivi aquarum in siti, et umbra petræ permanentis in terra deserta. Non caligabunt oculi videntium, et aures audientium diligenter auscultabunt. Et cor stultorum intelliget scientiam, et lingua balborum velociter loquetur et plane. Non vocabitur ultra is, qui insipiens est, princeps, neque fraudulentus appellabitur major, ait Dominus omnipotens. ℟. Amen.

Antiphona 1. Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nobis. *Psalmus* CXXII.

Oratio. Ad te, Domine, oculos nostros erigimus, quem cœlestia, et terræ machinam virtute contineri fatemur. Miserere igitur nostri, Domine, miserere; et peccatis nostris, pro quibus te metuimus, parce : ut contemptum nostrum pietate elementi respicias, et a delictorum opprobrio dextera nos tuæ virtutis eripias. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum, etc.

Antiphona 2. Benefac, Domine bonis, et rectis corde. *Psalmus* CXXIV.

Oratio. Benefac Domine, bonis et rectis corde regimen salutaris impende, atque in tuæ plebis custodia semper vigila, et malignantium rabiem tua dextera refrena. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Speret Israel in Domino ex hoc nunc et usque in sæculum. *Psalmus* CXXX. ℟. Miserere quia Deus es. P. Misericors miserere, quia peccavimus tibi. ℣. Ad te levamus oculos nostros, qui habitas in cœlis. P. Misericors. ℟. Miserere.

Preces. Ad te clamamus, Domine. P. Precamur ut exaudias. ℣. Audi vocem supplicum, et da vitæ remedium. P. Precamur. ℣. Causas peccati amove, et da locum veniæ. *P*. Precamur. ℣. Da nobis auxilium, qui tollis periculum. P. Precamur. ℟. Audi Deus viduas, et orphanorum lachrymas. P. Precamur.

Capitula. Exalta cornu nostrum, Domine, fidei catholicæ merito; ne maculetur mens superbiæ morbo, gressusque nostros super mundi, hujus latitudine tribue ambulare : ne noxii incedamus in compedes, sed humiliter sentiendo, ad plenitudinem spei nobis condones properare.

Pater noster, etc. A malo nes libera. *fol.* 10.

Dominus, etc. ℟. Et cum spiritu, etc. In nomine Domine, etc.

Benedictio. Quære in Sexta, quæ dicitur per totam annum.

Ad Nonam.

Proverbiorum Salomonis (*Cap.* III).

℟. Deo gratias.

Fili, noli prohibere eum qui potest benefacere : si vales, et ipse benefac. Ne dicas amico tuo : Vade, revertere, et cras dabo tibi : cum statim possis dare. Non enim scis quid superventura pariet dies. Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat D fiduciam. Ne contendas adversus hominem frustra, cum ipse tibi nihil malefecerit. Ne æmuleris hominem injustum, nec imiteris vias ejus : quia abominatio est Domini omnis inlusor, et cum simplicibus sermocinatio ejus. Egestas a Domino in domum impii, tabernacula autem justorum benedicentur. Inlusores ipse inludet, et mansuetis dat gratiam. ℟. Amen.

Lectio libri Exodi (*Cap.* XXXII, XXXIII).

℟. Deo gratias.

In diebus illis: Locutus est Moyses filiis Israel dicens: Peccastis peccatum maximum : ascendam ad Dominum, si quomodo, eum, quivero, deprecabor

pro scelere vestro. Reversusque ad Dominum, ait: A
Obsecro, Domine, peccavit populus iste peccatum maximum,feceruntque sibi deos aureos : aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. Cui respondit Dominus:Qui peccaverit mihi ; delebo eum de libro meo; tu autem vade, et duc populum istum quo locutus sum tibi : Angelus meus præcedet te.Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum.Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.

Locutusque est Dominus ad Moysen : Vade, ascende de loco isto tu, et populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti, in terram,quam juravi Abraham, Isaac et Jacob, dicens : Semini tuo dabo terram, et mittam præcursorem tui Angelum, ut B
ejiciam Chananæum. Hethæum,et Amorrhæum, et Cethæum,et Pherezæum,et Hevæum, et Jebuzæum, et intrent in terram fluentem lacte et melle. Non enim ascendam tecum,quia populus duræ cervicis es : ne forte disperdam te in via. Audiensque populus sermonem **74** hunc pessimum, luxit: et nullus ex more indutus est cultu suo. Dixitque Dominus adMoysen:Loquere filiis Israel: Populus duræ cervicis es,semel ascendam in medio tui, et delebo te.Jam nunc depone ornamentum tuum, ut sciam quid faciam tibi.Deposuerunt ergo filii Israel ornamentum suum a monte Horeb. Moyses quoque tollens tabernaculum,tetendit extra castra procul, vocavitque nomen ejus, Tabernaculum fœderis. ℟. Amen. C

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* XLVI).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: Audite me, domus Jacob, et omne residuum domus Israel,qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva. Usque ad senectam ego ipse, et usque ad canos ego portabo:ego feci, et ego feram : ego portabo, et salvabo.Cui assimilastis me, et æquastis, et comparastis me et fecistis similem?Qui confertis aurum de sacculo, et argentum statera ponderatis : conducentis artificem, ut faciat deum : et procidentes, adoratis. Portant illum in humeris gestantes, et ponentes in loco suo : et stabit, et de loco suo non movebitur: sed et cum clamaverint ad eum,non exaudiet : de tribulatione non salvabit.Mementote istud,confun- D
damini:redite prævaricatores ad cor. Recordamini prioris sæculi, quoniam ego sum Deus, et non est ultra Deus,nec est similis mei:Adnuntians ab exordio novissimum,et ab initio quæ necdum facta sunt, dicens : Consilium meum stabit,et omnis voluntas mea fiet : Vocans ab oriente avem, et de terra longinqua virum voluntatis meæ : et locutus sum, et adducam illum : creavi, et faciam illum. ℟. Amen

Sequentia Epistolæ Pauli Apostoli ad Corinthios secundæ (*Cap.* VI, VII).

℟. Deo gratias.

Fratres,os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis : angustiamini autem in visceribus vestris : eadem autem habentes remunerationem,tanquam filiis dico, dilatamini et vos.Et nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate?Aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ enim conventio Christi ad Belial ? Aut quæ pars fideli cum infideli ? Qui autem consensus templo Dei cum idolis ? Vos enim estis templum Dei vivi,sicut dicit Dominus: Quoniam habitabo in illis, et inter eos ambulabo, et ero illorum Deus,et ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus Omnipotens, et immundum ne tetigeritis : et ego recipiam vos:et ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios,et in filias, dicit Dominus. Has igitur habentes promissiones,charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. ℟. Amen.

Antiphona 1. Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo, et in terra, in mari, et in abyssis, educens nubes ab extremo terræ. P*salmus*. CXXXIV.

Oratio. Domine, qui educens nubes ab extremo terræ ; orbem universum sanctis replesti doctoribus, fulgura in pluviam converte misericors, ut præceptis tuis, quibus famulos tuos, ut corrigas, terres, benedicendo reficias, tuaque repletos gratia uberius benedicas. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam. Deus noster, etc.

Dominus sit semper, etc. ℟. Et cum, etc.

Antiphona 2.Quis Deus magnus sicut Deus noster tu es Deus,qui facis mirabilia solus. P*salmus* LXXVI.

Oratio.Precamur,Domine,ut tua nos non repellas propitiatione : sed obtinendæ misericordiæ adhuc tempus appone : ut dextera, quæ fuit vindex in ultione facinorum ; ipsa sit nobis contritis remedium sempiternum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster, etc.

Antiphona 3.Qui diligitis Dominum,odite malum. P*salmus* XCVI.

P*reces*. Averte,Domine,iram furoris tui, et miseratus parce populo tuo. P. Et miserere.℣. Omnium precibus pium auditum præbe,teque rogamus sancte, cito concede. P. Et miserere. ℣. Tu, Christe, flebiles gemitus intuere, vincula mortis solve,et vitam largire. P. Et miserere. ℣. Jam vide lachrymas, intellige lugentes : tandem delicta nostra clemens ignosce. P. Et miserere. ℣. Nullus ex nobis est, quem audias libenter, tu propter temetipsum, Christe, succurre. P. Et miserere.

Capitula. Deus, cujus in regno credentium terra exultat, cujus justitiam cœli adnuntiant,**75** cujus dominationem Angelorum legiones adorant;custodi servorum tuorum animas:ac ne peccati auctorem sequentes,intereamus:tu libera, tu protege, tu conserva :ut, cum ante faciem tuam ignis comburens præjerit,non nos meritorum pœna exurendos accipiat,sed clementia creatoris, ut vivamus, eripiat.

Pater noster. Et ne nos, etc. A malo nos libera. A
Quære fol. 10.

Ad Vesperum.

Lauda. Vespere, mane, et meridie te laudamus, Domine.

Antiphona. Salva plebem tuam, Domine, et benedic hereditatem tuam. *Psalmus* XXVII.

Lauda. Veniat super nos, Domine, misericordia tua : et salutare tuum, et eloquium tuum. ℣. Et respondebo exprobrantibus mihi verbum : quia speravi in sermonibus tuis. P. Et eloquium tuum. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Et eloquium tuum.

Hymnus. Benignitatis fons Deus. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi. *Capitula.* Dilectissimi fratres. *Benedictio.* Christus Dominus, qui cum Patre. *Lauda.* Alleluia. Lætabitur deserta. *Omnia supra* B
dicta require fol. 69, 70. *Oratio.* Domine, exaudi orationem nostram. *Require in isto folio.*

IN SECUNDO DIE

Ad Matutinum.

Antiphona. Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum. *Psalmus* III.

Oratio. Quamvis Domine. *Quære fol.* 68.

Antiphona 1. Magnus Dominus, et laudabilis nimis. *Psalmus.* XLVII.

Oratio. Magne Domine valdeque laudabilis, dilata in omnes fidem Ecclesiæ tuæ : ut in cujus gradibus Deus agnosceris; in ea etiam plena fidelium devotione lauderis : ejusque preces propitius suscipe ; et inter sæculi procellas sollicitos gubernator custodi : ut civitatem, quam fundasti in sæcula, mise- C
ricordia tua introeuntes, suscipiamur in illa, narrantes in turribus mirabilia tua. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

Antiphona 2. Memento congregationis, Domine, quam creasti ab initio. *Psalmus* LXXIII.

Oratio. Memento Domine congregationis tuæ, quam ab initio creasti, quamque mirabiliter ac misericorditer tui sanguinis pretio redemisti ; qui hanc ipsam in possessionem tuam de Gentibus elegisti. Libera ergo virgam hereditatis tuæ a supplantatoris incursibus : ac sic eam rege justificando præsenti in sæculo, ut ipsam hæreditet in sæculo post futuro : et quæ regnum tuum advenire divina traditione exorat : ad idem regnum indulto piaculo hereditaria successione perveniat. ℣. Amen.

Per misericordiam tuam, etc. D

Antiphona 3. Clamor noster ad te perveniat; et ne avertas faciem tuam a me. *Psalmus* CI.

Oratio. Domine, exaudi orationem nostram ; et clamor noster ad te remoto impedimento perveniat : quocumque autem die te invocamus, velociter tibi nostra patescat oratio : nec avertas faciem tuam a gemitibus ; nec gubernationem tuam a nostris cohibeas moribus : ut gratulemur adipisci postulata; dum ad te nostra pervenerint desideria. ℣. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

℟. Hierusalem erit tibi Dominus lux æterna, et Deus honor tuus non enim in hoc casu tibi veniet, sol et luna non deficient. *P.* In æternum tempus ℣. Hierusalem non erit tibi sol amplius ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te in nocte ; sed erit tibi Dominus in luce. *P.* In æternum,

In Laudibus.

Antiphona. Averte faciem tuam à peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele. *Psalmus* L.

Oratio. Averte faciem tuam. *Require fol.* 68.

Ad Canticum. Antiphona. Non est Deus sicut homo, ut mentiatur : nec ut filius hominis, ut immutetur.

Canticum Numeri (*Cap.* XXIII).

De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus Orientis : veni, inquit, et maledic Jacob: * propera, et detestare Israel. Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus ?

Qua ratione detester, * quem Deus non detestatur ?

De summis silicibus videbo eum, * et de collibus considérabo illum.

Populus solus habitabit, et inter gentes non reputabitur.

Quis dinumerare possit pulverem Jacob, * et nosse numerum stirpis israel ?

Moriatur anima mea morte justorum, * et 76
fiant novissima mea horum similia.

Sta Balac et ausculta, * audi fili Sepnor:

Non est Deus sicut homo, ut mentiatur : * nec ut filius hominis, ut immutetur.

Dixit ergo, et non faciet ? * locutus est, et non adimplebit?

Ad benedicendum adductus sum, * benedictionem prohibere non valeo.

Non est idolum in Jacob, * nec videtur simulacrum in Israel.

Dominus Deus ejus cum eo est, * et clangor victoriæ regis in illo.

Deus eduxit eum de Ægypto, * cujus fortitudo similis est rhinoceroti.

Non est augurium in Jacob, * nec divinatio in Israel.

Temporibus suis dicetur Jacob et Israel * quid operatus est Deus.

Populus ecce ut leæna consurgit, * et leo erigitur.

Non accubabit, donec devoret prædam, * et occisorum sanguinem bibat.

Oratio. Tu es, Domine, stella veritatis oriens ex Jacob, homoque consurgens ex Israel : et novo sidere ostenderis Deus, et præsepio positus Deus et homo, unus crederis Christus : Propter magnam ergo misericordiam tuam, visionis tuæ horum proroga gratiam : ut appareat in nos lucis tuæ radiabile signum, quod expellat omnes tenebras vitiorum : et qui visionis tuæ desiderio anhelamus visionis tuæ præmio consolemur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster.

Matutinarium Antiphona. Lux auroræ oriente sole mane P. Absque nubibus rutilat. ℣. Deus mi-

sereatur nobis,et benedicat nos:illuminet Dominus A vultum suum super nos. *P.* Absque etc. ℣. Gloria et honor Patri, etc. *P.* Absque.

Lauda. In potentatibus ejus laudate eum. *Psalmus* CL.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* II).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus:ingredere ad petram,abscondere fossa humo a facie timoris Domini, et a gloria majestatis ejus. Oculi sublimes hominum humiliati sunt,et incurvabitur altitudo virorum;et exaltabitur Dominus solus in die illa.Quia dies Domini exercituum super omnem sup erbum,et excelsum, et super arrogantem:et humiliabitur.Et super omnes cedros Libani sublimes et erectas,et super omnes quercus Basan.Et super omnes montes excelsos,et super B omnes colles elevatos.Et super omnem turrim excelsam,et super omnem murum munitum,et super omnes naves Tharsis, et super omne lignum,quod visu pulchrum est.Et incurvabitur omnis sublimitas hominum,et humiliabitur altitudo virorum,et elevabitur Dominus solus in die illa: et idola penitus conterentur: Et introibunt in speluncas petrarum, et in voragines terræ a facie timoris Domini, et a gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram. In illa die projiciet homo idola argenti sui, et simulacra auri sui, quæ fecerunt sibi, ut adorarent talpas, et vespertiliones. Et ingredietur fixuras petrarum, et cavernas saxorum a facie formidinis Domini, et gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram. Quiescite ergo ab ho- C mine, cujus spiritus in naribus ejus est,quia excelsus reputatus est ipse. ℟. Amen.

*Hymnus.*Benignitatis fons. *Capitula.* Dilectissimi fratres. *Lauda.*Alleluia.Lætabitur.*Benedictio.*Christus Dominus qui cum Patre. *Require fol.*69 et 70. *Oratio.* Magne Domine.*Quære in principio Matutini. fol.* 75.

Ad Tertiam.

Sapientia Salomonis Proverbiorum (*Cap.* XXI).

℟. Deo gratias.

Fili,qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur. Munus absconditum extinguit iras,et donum in sinu indignationem maximam. Gaudium justo est facere judicium,et pavor operantibus iniquitatem.Vir,qui er- D raverit a via doctrinæ,in cœtu gigantum commorabitur. Qui diligit epulas, in egestate erit; et qui amat vinum, et pinguia, non ditabitur. Pro justo datur impius: pro recto iniquus.Melius est habitare in terra deserta,quam cum muliere rixosa et iracunda. Thesaurus desiderabilis, et oleum in habitaculum justi: et imprudens homo dissipat illud. Qui sequitur justitiam, et misericordiam, inveniet justitiam, et vitam, et gloriam. ℟. Amen.

Lectio libri Deuteronomii (*Cap.* V, VI).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Vocavit Moyses omnem Israel, et dixit ad eum:Audi, Israel,**77** cærimonias atque judicia,quæ ego loquor in auribus vestris: hodie discite ea,et opere complete.Dominus Deus noster pepigit nobiscum fædus in Horeb. Non cum patribus nostris inivit pactum,sed nobiscum qui in præsentiarum sumus, facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis. Ego sequester,et medius fui inter Deum, et vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus: Timuistis enim ignem,et non ascendistis in montem, et ait Dominus Deus tuus,qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis. Non habebis deos alienos in conspectu meo.Non facies tibi sculptile, nec similitudinem hominum, qui in cœlo sunt desuper, et quæ in terra deorsum,et quæ versantur in aquis sub terra. Non adorabis ea,neque coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus:Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam et quartam generationem his qui oderunt me, et faciens misericordiam in multa milia diligentibus me, et custodientibus præcepta mea. Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra: quia non erit impunitus qui super vana nomen ejus admiserit. Honora patrem tuum et matrem, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus,ut longo vivas tempore, et bene sit tibi in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.Non occides. Neque mœchaberis.Furtum non facies.Nec loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.Non concupisces uxorem proximi tui, non domum,non ancillam,non bovem, non asinum,et universa, quæ illius sunt: Hæc sunt præcepta et cærimoniæ atque judicia,quæ mandavit Dominus Deus vester, ut docerem vos,et facietis ea in terra ad quam transgredimini possidendam: ut timeas Dominum Deum tuum, et custodias omnia mandata et prœcepta ejus, quæ ego præcipio tibi, et filiis, ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ,ut prolongentur dies tui.Audi Israel, et observa ut facias ea,et bene sit tibi,et multiplicaris amplius, sicut pollicitus est Dominus Deus patrum tuorum dare tibi terram lacte et melle manantem. ℟. Amen.

Lectio libri Ezechielis Prophetæ (*Cap.* XVIII).

℟. Deo gratias.

Factus est sermo Domini ad me dicens: Quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud, dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescent? Vivo ego, dicit Dominus,si fuerit vobis ultra parabola hæc in proverbium in Israel. Ecce omnes animæ, meæ sunt: ut anima patris, ita et anima filii mea est: anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. Et vir si fuerit justus, et fecerit judicium et justitiam, in montibus non comederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel: et uxorem proximi sui non violaverit, et ad mulierem menstruatam non accesserit: Et hominem non contristaverit: pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit: panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento: Ad usuram non commodaverit,et amplius

non acceperit: ab iniquitate averterit animam suam judicium verum fecerit inter virum et virum ; in præceptis meis ambulaverit, et judicia mea custodierit, ut faciat veritatem : hic justus est, et vita vivet et non morietur, ait Dominus Omnipotens. ℟. Amen.

Sequentia Epistolæ Pauli Apostoli ad Corinthios primæ (*Cap.* VIII)

Fratres, cogito quod ego spiritum Dei habeo. De his autem, quæ idolis sacrificantur, scimus quoniam omnes sapientiam habemus. Scientia inflat, charitas vero ædificat. Si quis se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire. Si quis diligit Deum, hic cognitus est ab eo. De escis autem, quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus Deus, nisi unus. Nam etsi sunt qui dicuntur dii, sive in cœlo, sive in terra (siquidem sunt dii, multi, et domini multi) : Nobis autem unus Deus, Pater, ex quo omnia et nos illuminat unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum scientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant : et conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur. Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si non manducaverimus, deficiemus : neque si manducaverimus, abundabimus. Videte autem ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si autem quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem : nonne conscientia ejus cum sit infirma, ædificatur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua scientia frater, per quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in **78**
fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christo peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum : non manducabo carnem in æternum, ne fratrem scandalizem. Non sum liber? Non sum Apostolus ? Nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi ? Nonne opus meum vos estis in Domino ? Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum : nam signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino. ℟. Amen.

Antiphona 1. Idola Gentium jam nonerunt a facie timoris Domini, et a majestate virtutis ejus, quoniam venit. *Psalmus* CXIII.

Oratio. Domine, qui sursum in cœlestibus habitas. *Require fol.* 72.

Antiphona 2. Omnis terra adoret te, Deus, et psallat tibi : et psalmum dicat nomini tuo. Altissime. *Psalmus* LXV.

Oratio. Omnis terra adoret te, Domine ; et tibi psallat vitæ participio incorruptæ : ut sicut sunt omnia tuo formata opificio, ita cuncta tuo pariter subdantur imperio. ℟. Amen.

Per, etc.

Antiphona 3. Ego cognovi quod magnus est Dominus, et Deus noster præ omnibus diis. *Psalmus* CXXXIV.

℟. Sapientiam suam Deus revelavit populo suo;

A Verbum ejus processit in fines terræ, clamate. P. Per civitates Juda ecce Salvator advenit in monte Sion. ℣. Exultate in lætitia Jacob, et inite contra caput Gentium personate, canite et dicite. P. Per civitates, etc. ℣. Gloria, etc. P. Per civitates.

Preces. Clamamus ad te Domine, tu miserere nobis. P. Et dona indulgentiam. ℣. Rex altissime et perennis Domine, precem, quam effundimus, accipe. P. Et dona. ℣ Ægros visita et captivos revoca, pupillos et viduas adjuva. P. Et dona. ℣. Nos peccavimus et a te recessimus, tu Redemptor omnium salva nos. P. Et dona. ℣. Pœnitentibus miserere, Domine, et peccati maculas ablue. P. Et dona.

Oratio. Laumus te, Domine, quia benignus, ac
B suavis es : præsta itaque, ut dum in tua laudatione insistimus, vel a mundi nos illecebris advoces, vel perfectorum societati adglomeres.

Pater noter.

Ad Sextam.

Lectio Libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* XIX).

℟. Deo gratias.

Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et movebuntur simulacra Ægypti a facie ejus, et cor Ægypti tabescet in medio ejus. Et concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios : et pugnabit vir contra fratrem suum, et vir contra amicum suum, et civitas adversus civitatem, et regnum adversus regnum. Et disrumpetur spiritus Ægypti in visceribus ejus, et consilium
C ejus præcipitabo : et interrogabunt simulacra sua, et divinos suos, et pythones et ariolos. Et tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, et rex fortis dominabitur eis, ait Dominus Omnipotens. ℟. Amen.

Antiphona. 1. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus. *Psalmus* CXXIII.

Oratio. Esto in nobis Domine Deus Israel : et malorum infestationem, ne deglutiamur, a nobis repelle : nocivamque iracundiam, ne obsorbeamur comprime : sicque in nobis torrens tuæ voluptatis redundet, ut vitiorum torrentem anima nostra se sine discrimine pertransisse exultet neque inimicorum dentibus laniemur ; sed ereptos nos de venantium laqueis gratulemur : et tu adjutor noster
D heredita nos in possessione æterna; qui, cooperante Verbo tuo Sanctoque Spiritu, fecisti cœlum et terram. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in austro. *Psalmus* CXXV.

Oratio. Convertere Domine captivitatem nostram, ad inlecebrosis inimici seductionibus redimendo : et reple consolatione indulgentiæ, quos desolatos prospicis ob admissionem nequitiæ : da nobis, quæsumus, contriti cordis humilitatem quærere ; et inquinamenta, quæ nos polluunt. fluentis lachrymarum abluere : sic etiam confessionis re-

media seramus in lachrymis, ut indulgentiæ fructus metamus in gaudiis. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. *Psalmus* CXXVII.

℟. Miserere nobis, Domine. P. Miserere nobis. ℣. Ad te levamus oculos nostros, qui habitas in cœlis. P. Miserere nobis. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Miserere nobis.

79 *Preces.* Clamemus omnes una voce. P. Domine miserere. ℣. Amara nobis est vita nostra. P. Domine miserere. ℣. Delicta dele, pacem concede. P. Domine miserere. ℣. Inclina aurem tuam ad precem nostram. P. Domine miserere. ℣. Parce delictis. et subveni de cœlis. P. Domine miserere.

Oratio. Deus, qui timentes te, beatos prophetali voce pronuntias ; da in nobis tui timoris obsequia beneplacita ; ut ex hoc in viis tuis ambulare nos facias : sitque, te gubernante, labor noster tuis oculis placitus; cujus fructus tempore remunerationis efficiatur suavissimus : ac sic labor ipse de charitate studeatur, ut apud te fruges ejus in beatitudine recondeantur.

Pater noster, Et ne nos, etc.

Ad Nonam.

Proverbiorum Salomonis (*Cap.* XXI).

℟. Deo gratias.

Fili, qui custodit os suum, et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam. Superbus et arrogans vocatur indoctus, qui in ira operatur superbiam. Desidia occidit pigrum : noluerunt enim quicquam manus ejus operari : tota die concupiscit et desiderat : qui autem justus est, tribuet, et non cessabit . Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere. Testis mendax peribit : vir obediens loquitur victoriam. Vir impius procaciter obfirmat vultum suum : qui autem rectus est, corrigit viam suam. Non est sapientia, neque prudentia, non est consilium contra Dominum. Equus paratus ad diem belli : Dominus autem salutem tribuit. ℟. Amen.

Lectio libri Deuteronomii (*Cap.* VI).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Locutus est Moyses ad omnem cœtum filiorum Israel, et dixit ad eos : Audi Israel, Dominus Deus vester, Deus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota fortitudine tua. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo : et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis sedens in domo tua, et ambulans in itinere dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine et ostiis domus tuæ. Cumque introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, pro qua juravit patribus tuis, Abraham, Isaac, et Jacob : et dederit tibi civitates magnas et optimas, quas non ædificasti, domos plenas cunctarum opum, quas non extruxisti, cisternas, quas non fodisti, vineta et oliveta, quæ non plantasti, et comederis, et saturatus fueris : cave diligen-

A ter, ne obliviscaris Dominum, qui eduxit te de terra Ægypti, et de domo servitutis. Dominum Deum tuum timebis, et ipsi servies, ac per nomen illius jurabis. Non ibitis post deos alienos cunctarum gentium, quæ in circuitu vestro sunt : quoniam Deus æmulator, Dominus Deus in medio tui ; nequando irascatur furor Domini Dei tui contra te, et auferat te desuper faciem terræ. Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis. Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia et cærimonias, quas præcepit tibi et fac quod placitum est et bonum in conspectu Domini, ut bene sit tibi : et ingressus possideas terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. ℟. Amen.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* XLIX).

℟. Deo gratias.

B Hæc dicit Dominus : Leva in circuitu oculos tuos, et vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi : vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris. Hæc dicit Dominus : Ecce ego levo ad gentes manum meam, et, ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas super humeros portabunt. Et erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ : vultu in terram dimisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent. Et scies quia ego Dominus, super quo non cunfundentur qui expectant eum. Numquid tolletur a forti præda? Aut quod captum fuerit a robusto, salvum esse poterit? Quia hæc dicit Dominus : Equidem et captivas a forti tolletur : et quod ablatum fuerit a robusto, salvabitur. Eos vero, qui judicaverunt te, C ego judicabo, et filios tuos ego salvabo. Et cibabo hostes tuos ego carnalibus suis : et quasi musto, sanguine suo inebriabuntur : et sciet omnis caro, quia ego Deus salvans te, et Redemptor tuus sanctus Israel, ℟. Amen.

Sequentia Epistolæ Pauli Apostoli ad Ephesios (*Cap.* IV).

℟. Deo gratias.

Fratres, hoc dico, et testificor in Domino, ut non jam ambuletis, sicut Gentes ambulabant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum, **80** qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam. Vos D autem ita non didicistis Christum, si tamen illum audistis, et in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu; deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis. ℟. Amen.

Antiphona 1. Deus autem noster in cœlo et sursum in cœlo, et in terra, omnia quæcumque voluit, fecit. *Psalmus* CXXXIV.

Oratio. Laudamus te, Domine, quia benignus et magnus es : cujus magnitudinem et bonitatem et

mirabilia testantur, et opera : magnus es igitur, Domine, te ex nihilo tam stupenda tamque multiplicia creare ; benignus autem, dum pereuntem mundum Christi tui sanguine reparas : magnus, dum exmortuis cadavera suscitas; benignus, cum excitatis vitam interminabilem donas : Tribue omnipotens Deus nobis supplicibus tuis et tantæ magnitudinis intelligere potestatem, et benignitatis tuæ suscipere pacem. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

Antiphona 2. Deus, quis similis tibi? ne taceas, neque sileas, Deus. *Psalmus* LXXXII.

Oratio. Deus, quis similis tibi tam in bonitate quam in virtute ? qui sanctos tuos et bonitate erudis, et virtute defendis : qui inimicorum ora frementia comprimis, et tuorum obsecrationes agnoscis : da nobis de tua bonitate confidentibus operum bonorum particulam, quæ nos ab inimici consilio tutos efficiat, et mundatos a crimine tibi placere ostendat : et tu nos perducas ad gloriam æternam, qui solus es Altissimus super omnem terram. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum, etc.

Antiphona 3. Surge, Deus, judica terram : quoniam tu dominaris omnibus Gentibus. *Psalmus* LXXXI.

Preces. Ad te clamamus, Domine, precamur. P. Ut exaudias. ℣. Christe Redemptor omnium exaudi preces supplicum. P. Ut exaudias. ℣. Concede nobis donum gratiæ, et fructum pœnitentiæ. P. Ut exaudias. ℣. Remove a nobis gladium, famem, et pestilentiam. P. Ut exaudias. ℣. Solve delicti piaculum, et dona indulgentiam. P. Ut exaudias.

Capitula. Exurge, Deus, qui judicas terram : et brachio fortitudinis rege, quos trophæo Crucis dignatus es comparare : ac pro quibus fusio sacri sanguinis extat redemptio, ab his tibi deferatur votiva confessio : et qui passionem redemptionis nostræ credimus, gloriosam resurrectionem fatemur, atque ascensum ad æthera prædicamus, reditumque tuum terribili recursu timemus ; ad vocem tubæ cum præconaverit, gaudentes in adventum tuum properemus: Et tu, clementissime Domine, quos conspicis ita solemnia colere, hos de gehennæ ardoribus erue ; et gloriosæ resurrectionis fieri præsta consortes.

Pater noster.

Ad Vesperum

Lauda. Sol agnovit occasum suum. Posuisti tenebras, et facta est nox.

Antiphona. Disrumpe, Domine Deus, vincula peccatorum : ut sacrificemus tibi hostiam laudis. *Psalmus* CXV.

Lauda. Tu mandasti mandata tua custodire nimis ℣. Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas.

Hymnus. Benignitatis fons Deus. *Supplicatio*. Oremus Redemptorem. *Capitula*. Dilectissimi fratres. *Benedictio*. Christus Dominus. *Lauda*. Alleluia. Læ-

A tabitur. *fol*. 69 et 70. *Oratio*. Ne projicias nos. *Quære infra in Matutinis sequentibus*.

De jejunio Epiphaniæ.

Omnes jejunemus ad exorandum Dominum nostrum Jesum Christum pro peccatis nostris, ac pace impetranda; vel ad sacras lectiones audiendas Ecclesiam Domini frequentemus.

TERTIO DIE QUOD EST VIGILIA EPIPHANIÆ DOMINI.

Ad Matutinum.

Antiphona. Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum. *Psalmus* III.

Oratio. Quamvis, Domine. *Require fol*. 68.

Antiphona 1. Bene nuntiate de die in diem salutare
B ejus. *Psalmus* XCXV.

Oratio. Cantet tibi novum canticum numerositas redemptorum : nova fecisti miracula: novum lumen ortum ex Virgine, quod tamen Dietati non erat novum, sed novum est insolito monstrato miraculo novum regenerationis **81** mysterium; in quo totum innovas mundum : nova genera virtutum in curatione ægrorum : novum humilitatis ac patientiæ modum in superbia persequentium : novum stupendumque genus virtutis in gloria resurgentis: nova humanis visibus tuæ ostenditur majestatis potestas; cum verum hominem ad cœlorum sublimitatem deportas : Concede pro quibus tam nova miracula gloriosus opifex indidisti, hos et vestigiorum tuorum sequaces, et gloriæ facias coheredes; atque melodiam carmi-
C nis, nec non inter Sanctorum fragores, et nostras voces admisceas perstrepentes. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Dominus in Sion magnus : et excel sus super omnes populos. *Psalmus* XCVIII.

Oratio. Redemptor noster, Domine, qui super omnem altitudinem excelsus, et in Sion agnosceris magnus ; credulitatem Ecclesiæ tuæ in te amplians perfice ; et populos in ejus sinceritate fac coalescere : ut nomen tuum, quod magnum est confitentes; ac regiæ gloriæ honorem tibi, fidei servitute offerentes ; tu nos miseratus de excelso prospice : et ab hac humilitate terrarum in mansionibus commuta cœlorum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

D *Antiphona* 3. Dominus memor fuit nostri : et benedixit nobis. *Psalmus* CXIII.

Oratio. Domine, qui sursum. *Require fol*. 72.

℟. Hierusalem civitas sancta ultra non eget sole : quia claritas Dei illuminat eam. P. Splendor ejus agnus est. ℣. Turres Hierusalem auro ædificabuntur, et propugnacula ejus auro mundo. P. Splendor ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P*. Splendor.

In Laudibus

Antiphona. Ne projicias nos, Domine, a facie tua : et spiritum sanctum tuum ne auferas a nobis, *Psalmus* L.

Oratio. Ne projicias nos, Domine, a facie tua ; neque auferas misericordiam tuam a nobis : ut quos

reatus facinorum tenet obnoxios miserationis tuæ A clementia faciat absolutos. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

AdCanticum. Antiphona. Splendor lucis illuminat eam, et lucerna ejus agnus est.

Canticum Tobiæ (*Cap.* XIII).

Luce clara fulgebis in omnibus finibus terræ : * Nationes multæ de longinquo venient tibi, et habitatores a novissimis partibus terræ ad nomen Domini Dei :

Ut munera sua in manibus habentes, regi cœlorum offerunt cum lætitia. * Et nomen Domini magnum erit in omnibus sæculis sæculorum.

Maledicti omnes qui spernunt te, * et omnes qui blasphemant te :

Maledicti omnes qui oderunt te, * et omnes qui B dixerunt in te verbum durum :

Maledicti omnes qui deponunt te, et omnes qui destruunt muros tuos, * et omnes qui subvertunt turres tuas, et omnes qui succendunt habitationes tuas:

Et benedicti erunt in te * omnes qui ædificant te, in æternum.

Tunc gaude et lætare cum filiis justorum, * quia omnes colligentur, et benedicent Dominum in æternum.

Felices qui diligunt te*, felices qui gaudent in pace tua.

Et felices omnes homines qui contristabuntur in omnibus flagellis tuis, *quoniam gaudebunt, et videbunt omne gaudium tuum in sæcula. C

Anima mea benedicet Dominum regem magnum, * quia liberavit Hierusalem.

Et ædificabitur iterum domus ejus, * in omnibus sæculis sæculorum confitebitur nomini regis cælorum.

Ostia Hierusalem smaragdo et sapphiro fabricabuntur : * et lapides pretiosi omnes muri tui.

Turres Hierusalem auro ædificabuntur, * et propugnacula ejus auro mundo.

Plateæ Hierusalem canticum lætitiæ dicunt, * et omnis vicus ejus, Alleluia.

Benedictus Dominus, qui exaltat te, et benedictus in omnibus sæculis sæculorum : * quoniam in te benedicetur omne sanctum in æternum.

Matutinarium. Antiphona. Emitte lucem tuam, D Domine, et veritatem tuam. ℣. Ipsa me deduxerunt, et perduxerunt in monte sancto tuo. Gloria, et honor Patri, etc.

Lauda. Omnis spiritus laubet Domninum. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* XLVIII).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Audite me hæc, domus Jacob qui vocamini nomine Israel, et de aquis Juda existis, qui juratis in nomine Domini Israel, recordamini non in veritate, neque injustitia. De civitate enim sancta vocati sunt, et super Deum Israel constabiliti sunt : Dominus exercituum nomen ejus. Priora ex tunc adnuntiavi, et ex ore meo **82** exierunt, et audita feci ea :repente operatus sum, et venerunt. Scio enim quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ærea . Prædixi tibi ex tunc ; et antequam venirent indicavi tibi, ne forte diceres : Idola mea fecerunt hæc, et sculptilia mea et conflatilia mandaverunt ista. Quæ audistis, vide omnia : vos autem non adnuntiastis. Audita feci tibi nova ex tunc, et conservata quæ nescis: nunc creata sunt, et non ex tunc : et ante diem, et non vidisti ea, ne forte dicas : Ecce cognovisti ea, Neque audisti neque cognovisti, neque ex tunc aperta est auris tua: scio enim quia prævaricans prævaricabis, et transgressorem ex ventre vocavi te. Propter nomen meum longe faciam furorem meum : et laude mea infrenabo te, ne intereas. Ecce excoquam te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis. Proter me faciam, ut non blasphemer : et gloriam meam alteri non dabo. ℟. Amen.

Hymnus. Benignitatis fons. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi. *Capitula.* Dilectissimi fratres qui omnia. *Lauda.* Alleluia. Lætabitur deserta. *Benedictio.* Christus Dominus, qui cum Patre. *Require fol.* 69 *et* 70.

Ad Tertiam.

Proverbium Salomonis (*Cap.* XV).

℟. Deo gratias.

Fili, Labia sapientium disseminabunt scientiam : cor stultorum dissimile erit. Victimæ impiorum abominabiles Domino : vota justorum placabilia. Abominatio est Domino via impii : qui sequitur justitiam, diligitur ab eo. Doctrina mala deserenti viam vitæ : qui increpationes odit, morietur. Infernus, et perditio coram Domino : quanto magis corda filiorum hominum ? Non amat pestilens eum, qui se corripit : nec ad sapientes graditur. Cor sapientis exhilarat faciem : in mœrore animi dejicitur spiritus. Cor sapientis quærit doctrinam : et os stultorum pascitur imperitia. Omnes dies pauperis, mali : secura mens quasi juge convivium. Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni, et insatiabiles. Melius est vocare ad olera cnm charitate quam ad vitulum saginatum cum odio. Vir iracundus provocat rixas : qui patiens est mitigat excitatas. Iter impiorum quasi sepes spinarum : via justorum absque offendiculo. ℟. Amen.

Lectio libri Deuteronomii (*Cap.* VII, VIII).

℟. Deo gratias.

In diebus illis : Locutus est Moyses filiis Israel dicens : Audi Israel, Dominus Deus tuus in medio tui est, Deus magnus et terribilis : ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris delere eos pariter : ne forte multiplicentur contra te bestiæ terræ. Dabitque eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo : et interficiet illos donec penitus delebis eos. Tradet reges eorum in manus tuas, et disperdas memoriam eorum sub cœlo : nullus poterit resistere tibi, donec conteras eos Sculptilia eorum igne combures : non concupisces

argentum et aurum, de quibus facta sunt, neque adsumas de his tibi quicquam, ne forte offendas, propterea qui abominatio est Domini Dei tui. Ne inferas quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut et illud est. Quasi spurcitiam detestaberis, et velut inquinamentum ac sordes abominationis habebis, quia anathema est.

Omne mandatum, quod precipio tibi hodie, cave diligenter ut facias : ut possitis vivere, et multiplicemini ingressique posssideatis terram, pro quia juravit Dominus patribus tuis. Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadringintas annis per desertum, ut affligeret te atque tentaret, et nota fierent quæ in tuo animo versabantur utrum custodires mandata illius an non. Afflixit te penuria : dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu et patres tui : ut ostendere tibi quod non in solo pane vivet homo, sed in omni verbo quod egredietur ex ore Dei. ℟. Amen.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* XXX)

℟. Deo gratia.

Expectat Dominus ut misereatur vestri : et ideo exaltabitur parcens vobis : quia Deus judicii Dominus ; beati omnes, qui expectant eum. Populus enim Sion habitabit in Hierusalem : plorans nequaquam plorabis, miserans miserebitur tui : ad vocem clamoris tui statim ut auderit, respondebit tibi. Et dabit tibi Dominus panem arctum, et aquam brevem : et non faciet avolare a te ultra doctorem tuum : et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis : Hæc via, ambulate in ea : neque ad dexteram, neque declinetis ad sinistram. Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui, et vestimemtum conflatilis auri tui, et disperges ea sicut immunditiam menstruatæ. Egredere, dices ei : Et dabitur pluvia semini tuo, ubicumque seminaveris in terra : et panis frugum terræ erit uberrimus, et pinguis : pascentur in pos sessione tua in die illa agnus **83** spatiose : et tauri tui, et pulli asinorum, qui operantur terram, commistum migma comedent, sicut in area ut ventilatum est. Et erunt super omnem montem excelsum, et super omnem collem elevatum rivi currentium aquarum, in die interfectionis multorum cum ceciderit turris. Et erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, et percussuram plagæ ejus sanaverit. ℟. Amen.

Sequentia Epistolæ Pauli Apostoli ad Ephesios (*Cap.* V).

℟. Deo gratias.

Fratres, Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi : et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem sauvitatis. Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur inter vos, sicut decet sanctos : aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet ; sed magis gratiarum actio. Hoc

A enim scitote intelligentes : quod omnis fornicator, aut impudicus, aut immundus, aut avarus, quod est dolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi, et Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis : propter hoc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis autem aliquando tenebræ : nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulatè : fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate : probante qui sit beneplacitum Domino : et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem et redarguite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est dicere. Omnia autem, quæ arguuntur, a lumine manifestantur : omne autem, quod manifestatur, lumen est. Propter quod dicit : Surge qui dormis,
B exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. ℟. Amen.

Antiphona 1. Magnus Dominus noster : et terribilis super omnes deos. Quia omnes dii Gentium dæmonia : Dominus autem cœlos fecit. *Psalmus* XCXV.

Oratio. Domine, qui est supra omnes gentes excelsus, et in cœlestibus habitas gloriosus ; humilitatem nostram, ab excelso intende placatus : ac sicut Ecclesia tua, quæ erat sterilitatis vitio impedita, nunc est. in te credens, virtutum meritis plena, et filiis numerosa ; ita mens nostra, ab sterilitate operum infecunda, te tribuente possit et semen verbi suscipere et copiosis fructibus redundare : nomenque tuum, a solis ortu usque ad occasum præclarum, cordis ambiat unanimitate diligere, et fidei assentione laudare. ℟ Amen

C Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Servite Domino Deo vestro : et nolite adorare deos alienos ; quia dominus sanctus est. Exultate Deo adjutori nostro : jubilate Deo Jacob. *Psalmus* LXXX.

Oratio. Tibi adjutori nostro Domino exaltatione fidei. *Require fol.* 72

Antiphona 3. In toto corde vestro convertimini ad Deum et auferte deos alienos de medio vestri, et servite Domino soli, et liberabit vos de manu inimicorum vestrum. Audite hæc omnes gentes : auribus percipite, qui habitatis orbem. *Psalmus.* LXVIII.

℟. Apparuit claritas Dei in nube *P.* sicut in temporibus Moysi. Et manifestabitur quemadmodum Salomon déprecatus orabat. ℣. Manifestatus est
D Dominus, quoniam habitavit in excelso : implevit Sion judicio, et justitia : et erit fides in temporibus suis. P. Sicut in temporibus. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Sicut.

Preces. Clamamus ad te, Deus, exaudi nos. P. Et a flagello iræ tuæ libera. ℣. Contritos fove, et humiliatos tuere, elisos erige, deprecantibus misérere. P. Et a flagello. ℣. Deus excelse, clamorem nostrum attende, peccata dimitte, et pluviam cito largire. P. Et a flagello. ℣. Exaudi flentes, et consolare lugentes ; gaudium captivis, et patriam redde peregrinis. P. Et a flagello.

Supplicatio. Oremus Auctorem lucis Dominum no

strum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut nos claritate sua propitius inlustrare dignetur. ℟, Præsta æterne, omnipotens Deus.

Capitula. Aperiat, quæsumus, Domine os nostrum sapientia: et corde meditemur, et lingua loquamur prudentiam: et ne jumentis insipientibus comparemur, disciplinis divinæ legis erudiamur: ut te solummodo intelligentia nostra adsequens ambiat, quem æterno in gaudio cum Sanctis omnibus laudans, præmia sempiterna suscipiat.

Pater noster, etc.

Ad Sextam, omnia dicantur ut in Sexta, quæ dicitur per totum annum. Ad Nonam, dicantur ut in secundo die præterito jejuniorum.

---

85 IN FESTO APPARTITIONIS DOMINI.

Ad Vesperos.

Lauda. Qui fecit solem P. In splendorem diei: lunam, et stellas in luminare noctis. ℣. Qui turbat B mare, et resonat fluctus ejus, Dominus omnipotens nomen est ei. P. In splendorem diei.

Oratio. Domine, apud quem est fons vitæ, et in cujus lumine aspicimus lumen; enutri in nos tuæ scientiæ splendorum: ut sitientibus nobis vitalem impartias potum; et caligantium animarum super no lumine restituas intelleetum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Sono. Ante solem permanet nomen ejus, et ante lunam sedes ejus: et benedicentur in eo onmes tribus terræ. Alleluia. ℣· Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis: donec extollatur luna. Et dominabitur a mari usque ad mare; et a fluminibus usque ad fines terræ. Coram illo Æthiopes procident. Alleluia. Dominus sit semper. ℟. Et cum. C

Antiphona. Rex magnus apparuit in Israel, et venerunt reges terræ. *P.* Adorare eum: et obtulelerunt ei minera aurum, thus, et myrrham. ℣.

Quoniam ecce reges terræ congregati sunt. et convenerunt in unum. P. Adorare eum: et obtulerunt. ℣. Gloria et honor Patri etc. P. Adorare eum: et obtulerunt·

Oratio. Domine Jesu Christe, qui Magorum munera, in mysterio oblata, Deum te, regemque, hominemque declarant: ut primitias Gentium in his acceptares, plenitudinem Gentium tu salutare perficiens; adesto nobis per ea, quæ in te divisa, inconfusa constare veraciter credimus: dum pro nobis et ut homo innocens pateris, et ut rex potens vinci, et ut Deus omnipotens incorruptibilis permanes: D cujus utique et Passionis myrrha et Regno aurum, et Deitati debetur incensum. ℟. Amen

Per misericordiam.

Antiphona. Germinaverunt campi eremi germen odoris Israel; P. Quia venit rex dominus cum lætitia in lumine majestatis suæ: ut adorent eum, ℣. Lætentur cæli, et exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus ℟. Quia venit rex. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Quia. Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Adorent eum omnes Angeli ejus, Alleluia: P. Audivit, et lætata est Sion. Alleluta, alleluia. ℣. Dominus regnavit, exultet terra: lætentur insulæ multæ. P. Audivit, et lætata est. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, etc. P. Audivit, et lætata est.

Hymnus.

Inluminans Altissimum
Micantium astrorum globum
Pax, vita, lumen, veritas,
Jesu, fave precantibus:

Sed mystico baptismate
Fluenta Jordanis, retro
Conversa quodam tempore,
Præsenti sacravit die.

Seu stella partum Virginis
Cœlo micans signaverit,
Et hic adoratus diė,
Præsepe Mangos duxerit.

Vel hydriis plenis aquæ
Vini saporem infuderit.
Hausit minister conscius.
Quod ipse non impleverat

Aquas colorari videns
Inebriari flumina
Mutata elementa stupent
Transire usus alteros:

Sic quinque millibus viris
Dum quinque panes dividunt,
Edentium sub dentibus
In ore crescebat cibus

Multiplicabatur magis
Dispendio panis suo,
Qui hæc videns mirabatur
Juges meatus fontium.

Inter manus frangentium
Panis rigatur profluus,
Intacta, quæ non fregerant
Fragmentis subrepunt viri.

Memento salutis auctor, etc,
Gloria tibi Domine, etc.

Supplicatio. Oremus Auctorem lucis Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus: ut nos lumine claritatis suæ propitius illuminare et illustrare **86** dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison. ℟. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Capitula. Alpha et Omega initium et finis. Deus et homo, infinitus et præfinitus: in quo et principium Deitas, et ultimum sentitur Humanitas: excédens omnia; vivificans cuncta, et continens universa; miserere nobis, quia dignatus es nasci pro nobis dum in te permanes, et nobis appares: dum in te subsistis, et nobis subvenis: dum nusquam a Patre poten-

tialiter dees, et ad salvandos miseros clementialiter ades : dum cœlestia reples, et terrena non deseris; perfice in nobis, quæsumus, beneficia piissimi Redemptoris, dum conservas gloriam inæstimabilis Conditoris : ut pietate, qua redemptor adsistis, indultor quoque criminum sentiaris.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Benedictio. Benedicat vobis Alpha et Omega cognominatus Omnipotentis Dei Patris Unigenitus Filius. ℟. Amen. Qui est initium et finis : ipse nos secum victuros attollat temporibus infinitis ; ℟. Amen. Atque, ereptos a malis, ita illustret lumine claritatis, ut vos et gloriæ præmiis, et donis ditet æternitatis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius.

Lauda. Misit me sanare contribulatos corde, Alleluia ; *P.* Prædicare captivis redemptionem, et cæcis reddere lumen. Alleluia, alleluia. ℣. Redemptionem misit Dominus populo suo : mandavit in æternum testamentum suum. *P.* Prædicare captivis. ℣. Gloria, et honor patri, etc. *P.* Prædicare captivis.

Oratio. Domine Deus, qui adventum Unigeniti Filii tui Johannem puerum præcurrere voluisti ; ut missus a te viam Christo incredulorum cordibus præpararet, sanando contribulatos corde, et cæcis restituendo luminis claritatem : suffragio ejus et cæcitatem cordis illumina, et tribulationes cordium nostrorum in æternum gaudium muta ; ut qui nativitatem Unigeniti Filii tui gaudio christiano attollimur, in adventu judicii ejus nullis pœnarum vinculis contristemur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. In nomine Domini.

Ad Matutinum.

Antiphona. Domini est salus : et super populum tuum benedictio tua. *Psalmus* III.

Oratio. Tu es, Domine, salus. *Quære fol.* 46.

Antiphona 1. Hierusalem in te apparebit Dominus ; *P.* Et honor ejus super te videbitur. Et ibunt reges in lumine tuo, et Gentes in splendore tuo ambulabunt. ℣. Et permanebit cum sole, et ante lunam, in generatione et in sæculum sæculi. *P.* Et honor ejus, ℣. Gloria, et honor, etc. *P.* Et honor ejus.

Oratio. Fac nos, Domine, beatæ illius Hierusalem visione lætari, et in gremio ejus perpetua jocunditate attolli, in qua tu lux æterna, radiare promittis, et cujus honor esse polliceris : Largire ergo nobis, ejus desiderio carnalibus exui nugis et vestiri virtutibus copiosis : ut eam, cui tu apparendo factus es indeficiens lumen, nos amplectamur semper meritis genitricem. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Gloriosus est aspectus ejus, et inter filios hominum forma ejus. *P.* Ante eum continuerunt reges os suum. Quibus non est nuntiatum de eo, adoraverunt eum. ℣. Coram illo procident

A Æthiopes : et inimici ejus terram lingent. *P.* Ante eum continuerunt. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Ante eum.

Oratio. Deus, Dei Filius, cujus inter homines et forma et aspectus est gloriosus, glorificandos nos tibi adsume, et in partis dexteræ coronandos conlocatione statue, ut qui ora nostra in tuis laudibus aperimus, carnis sensibus non gravemur : et qui gloriosi aspectus tui solamen exquirimus, visionis tuæ consolatione omnimoda potiamur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. In diebus Herodis regis ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, *P.* Dicentes : Ubi est, qui natus est Rex Judæorum ? vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum.
B ℣. Quoniam ecce reges terræ congregati sunt, et convenerunt in unum. *P.* Dicentes : Ubi est. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Dicentes : Ubi est.

Oratio. Rex omnium sæculorum, Christe Deus altissime, qui in diebus Herodis regis de Virgine natus, Magis, quærentibus te, novo es in sidere declaratus : appareat in nobis virtutis tuæ præsidium ad depellendas omnes pernicies tenebrarum, quo sic Majestatis tuæ **87** sidus in nobis resplendeat, ut ad te quærendum nulli se nobis errorum obices interponant, quo et ad te videndum curramus alacriter, et te viso jocundemur instanter. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

℟. Hierusalem ecce apparuit in te rex regum, et commovebuntur insulæ de locis suis. Omnes princi-
C pes Gentium descendent de thronis suis, et afferent diadema de capite suo. *P.* Et offerent ei de lapidibus pretiosis aurum, thus, et myrrham. ℣. Ecce reges terræ congregati sunt, et convenerunt in unum, *P.* Et offerent. ℣. Reges Tharsis, et insulæ munera offerent : reges Arabum et Saba dona Deo adducent. *P.* Aurum. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Hierusalem.

Oratio. Deus, Dei Filius, Patris ineffabilis virtus, qui novo sidere in Gentibus rex regum ostenderis magnus, et in civitate illa beata appares gloriosus : quem insulæ tremunt : cui principes et nationes Gentium obsequuntur, dum tibi omnia regna cedunt, tibi regum diademata substernuntur ; dignare jam gratia, nostris te ostendere sensibus pium, et
D in conversationibus manifestum : ut primitias spiritus habentes, ea tibi semper per munera dedicemus, per quæ introire beatam illam Hierusalem placitis cordibus mereamur, ut tibi mundissimum aurum nostrorum operum deferentes, regni tui mereamur esse participes. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Reges Tharsis, et insulæ munera offerunt : reges Arabum et Saba dona adducent. *P.* Et adorabunt in conspectu ejus omnes reges terræ : omnes Gentes serviunt illi : Quoniam ipse liberavit egenum a potente ; et pauperem, cui non erat adjutor. ℣. Ex usuris et iniquitate liberavit animas

Deducente nos gratia dexteræ tuæ, domine Jesu A Christe; qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivis, et omnia regis in sæcula sæculorum.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

℟. Luce clara fulgebis in omnibus finibus terræ. Nationes multæ de longinquo venient tibi, et habitatores à novissimis partibus terræ in manibus habentes munera. *P*. Regi cœlorum offerunt cum lætitia : et nomen Domini magnum erit in omnia sæcula. ℣. Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes. *P*. Regi cœlorum. ℣. Gloria, et honor, etc. *P*. Regi cœlorum.

Oratio. Abundet, quæsumus Domine, in diebus nostris lux claritatis tuæ in finibus terræ : ut, quos Apparitionis tuæ luce irradias, abundantia pacis usquequaque sustollas : ut, dum deputatis officiis B obsequii dependimus votum, æthereæ lucis luminosum capiamus effectum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Signum magnum visum est in cœlo : Mulier amicta erat sole, et luna sub pedibus ejus, et super caput ejus corona stellarum duodecim. Et festinabat, ut pareret ; et peperit filium. *P*. Qui recturus est omnes gentes in virga ferrea. ℣. In sole posuit tabernaculum suum : et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. *P*. Qui recturus est. ℣. Gloria, et honor, etc. *P*. Qui recturus est.

Oratio. Deus sanctificator diei hodiernæ, qui sanctæ hujus festivitatis nomen de mirabilibus, indidisti ; da Ecclesiæ tuæ, ut sicut Epiphania, id est hodierna solemnitas, et **89** declaratio et apparitio nuncupa- C tur : ita in populo tuo claritas Majestatis tuæ fulgescat, et sanctitatis lumen appareat, ut plebs hæc, in tuo nomine consecrata, hoc habeat jugiter in conversatione, quod hæc festivitas appellatur ex nomine. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cœli, et de pinguedine terræ. *P*. Ut serviant tibi Gentes, et adorent te tribus. ℣. Pete à me, et dabo tibi Gentes hereditatem tuam, et possessionem terminos terræ. *P*. Ut serviant tibi Gentes, et adorent. ℣. Gloria, et honor, etc. *P*. Ut serviant.

Oratio. Gloriose Deus pater et Domine, qui Unigenito et coæterno filio tuo servire Gentes et adorare tribus dedisti : poscimus, tua ipsi possessio simus ; D ut ab ejus filii tui non deviemus præceptis, ut ei nos indivise connectes, quem ex te genitum gloriose pronuntias. ℟. Amen.

Quia tecum summe Pater et cum Spiritu Sancto unus est Deus in sæcula sæculorum.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Dixit auditor sermonum Domini, qui visionem Omnipotentis intuitus est. *P*. Videbo eum, sed non modo : intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Jacob et consurget homo de Israël. ℣. Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus : et sapientiæ ejus non est numerus. *P*. Videbo eum. ℣. Gloria, et honor, etc. *P*. Videbo.

Oratio. Tu es, Domine, stella veritatis oriens ex Jacob, homoque consurgens ex Israël : et in novo sidere ostenderis Deus, et in præsepio positus Deus et homo, unus crederis Christus ; propter magnam misericordiam tuam visionis tuæ nobis proroga gratiam : appareat in nobis lucis tuæ radiabile signum, quod expellat omnes tenebras vitiorum : ut, qui visionis tuæ desiderio anhelamus, visionis tuæ præmio consolemur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam,

℟. Fulget Cœlum, et Terra splendet à claritate Dei, qui processit de habitaculo sancto suo sanare contribulatos corde, et cæcis reddere lumen. *P*. Gaudete hodie, universæ Gentes, qui in medio vestri Salvator apparuit : jam nolite pavere. ℣. Illuxit enim gratia Dei Salvatoris nostri in omnibus hominibus. *P*. Gaudete hodie. ℣. Gloria, et honor, etc. *P*. Gaudete hodie.

Oratio. Fulget, Domine Cœlum rutilum serenitate astrorum, Terraque ipsa refulgenti lumine serenatur, quia apparere dignatus es mundo de habitaculo sancto tuo ; sana ergo cordis nostri mœstitiam, quia ad hoc venisti, ut redimas universa : illudque nostris oculis lumen attribue, quo te purificati semper mereamur aspicere : ut qui Apparitionis tuæ gaudia lætabunda nuntiamus in Gentibus, infinita tecum lætitia gaudeamus. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Ego sum Alpha, et Omega, primus, et novissimus : principium et finis. *P*. Ego sum radix, et genus David, stella splendida, et matutina. Sponsus, et sponsa dicunt : Veni. Et qui sitit, veniat : et accipiat aquam vitæ, gratis. ℣. Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram. *P*. Ego sum. ℣. Gloria, etc. *P*. Ego sum Alpha, et Omega.

Oratio. Alpha, et Omega, principium, et finis, radix, et genus filius, Dominusque David, Christus Deus et homo, per quem utique est ille, ex quo esse dignatus es ; esto nobis propitius, dum nos et ut David Dominus regis, et ut humilis misericors redimis : ut sceptro tuo subjiciens devotionem nostram, solus nos possideas in æternum, qui solus victor factus es infernorum. ℟. Amen.

Et permanes Deus benedictus in omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Dominus sit. ℟. Et cum.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Benedictus es Domine Deus Israël, quia visitasti nos, et fecisti redemptionem plebis tuæ.

Canticum Zachariæ (*Cap*. I).

Et erexit cornu salutis nobis, * in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum, * qui a sæculo sunt, prophetarum ejus :

Salutem ex inimicis nostris, * et de manu omnium odio qui oderunt nos :

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris : * et memorari testamenti sui sancti.

eorum, et præclarum nomen eorum coram illo. *P.* Et adorabunt. ℟. Gloria, etc. *P.* Et adorabunt.

Oratio. Domine Jesu Christe, cui reges et insulæ munera offerunt; qui invicta virtute liberare venisti pauperem a potente; et ex hostis antiqui potentia fragile humanum genus eripere miseratione superna: cum nos a te prolungati, tuarumque miserationum inopes facti; illius iniquitati subditi, vinculisque peccaminum teneremur addicti: Sic tua nos jam pietas et ab ejus sævitia eruat, et restitutos tibi, tecum permansuros commendet: ut qui nos te mimiserante redemptos fatemur: remunerati te donante postmodum gloriemur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Domine, qui te nutriunt, reges erunt et reginæ nutrices tuæ. *P.* Vultu in terra inclinato adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent, et cognosceris Dominus, in quo non confundentur omnes, qui te expectant. ℣. Natio, et progenies collaudabunt opera tua, et potentiam tuam pronuntiabunt. *P.* Vultu in terra. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Vultu in terra.

Oratio. Domine, quem inclinato in terram plebes vultu adorant, dum tuo subjiciuntur imperio universa; largire indefessam populis Christianis lætitiam, et hodiernæ Apparitionis tuæ gaudia protende in Gentibus dedicanda; nobis quoque ita esto semper placabilis, ut propitius in judicio sentiaris, quo vitæ nostræ ex vultu tuo tam indesinens solamen existat, ut a te nostrorum nullus depereat, qui te unum et verum Deum expectat. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Interrogabat Magos Herodes: Quod signum vidistis super natum regem? *P.* Stellam vidimus fulgentem, et venimus adorare Deum. ℣. Omnes Gentes plaudite manibus: jubilate Deo in voce exultationis. *P.* Stellam vidimus. *P.* Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Stellam vidimus.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui ad interrogationem Herodis ita Magorum ora præconio veritatis tuæ irradias, ut te regem regum per eos nuntiatum ostendas; dum se vidisse ajunt stellæ refulgentis indicium, quod mundum illuminet universum; te quæsumus, te precamur, ut des in Ecclesia tua visionis tuæ lumen optatum: appareas etiam in ea sidus omnibus pretiosum, quod nulla adversarii interrogatione deterriti, sic magnalia tua prædicemus ore diffuso, ut in æternæ lucis radiemur usquequaque præsidio. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Apparuit vir in majestate sua circumdatus fulgore, et a claritate adventus Domini illuminabitur terra, et erit lætitia, et gaudium omni populo, *P.* Ita, et reges, principesque venient, et adorabunt eum. ℣. Regnum ejus regnum sempiternum, et usque ad antiquum dierum pervenit; et data est omnis potestas. *P.* Ita, et reges. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Ita, et reges.

88 *Oratio.* Deus, qui brevissimum sidus voluisti

A gratia repentini vestire fulgoris; ostende, quæsumus, faciem tuam populis Christianis: ut, sicut Magis errantibus tandem tramitem veri demonstrasti itineris, ita nobis delinquentibus tribuas portum æternæ salutis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt: te adorabunt, teque deprecabuntur: Tantum in te est Deus, et non est præter te. P. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israël Salvator. ℣. Domine Deus virtutum quis similis tibi? Potens es Domine, et veritas tua in circumitu tuo. P. Vere tu es Deus. ℣, Gloria, et honor, etc. *P.* Vere.

Oratio. Adorabunt te, Domine Jesu Christe, omnes viri sublimes atque excelsi terrœ, quoniam ipse, ut

B salvares homines, humilis nasci dignatus es in terris; in te enim vere Deus est, quia tu verbum in carne absconditum, non mutatum, unum cum Patre possides nomen; confundatur proinde omnes, qui adversantur tibi: dum aut sic erubescunt, ut ad te redeant: aut in te confundantur, si ad te minime convertantur; noster ergo Salvator salvandis nobis appareas, dum nos in te credere, et ad te transire, et te toto corde diligere præstas. ℟. Amen.

Per misericordiam. Et tu es Deus benedictus, et gloriosus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Antiphona. Erit lumen lunæ sicut lumen solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum. *P.* In die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, et percussuram plagæ ejus sanaverit: Ecce enim

C Dominus cum lætitia venit. ℣. Et timebunt Gentes nomen tuum Domine, et omnes reges terræ gloriam tuam, *P.* In die qua. ℣. Gloria, et honor, etc. *P.* In die qua.

Oratio. Deus, qui ligare venturus es vulnus populi tui, percussuram plagæ nostræ sanaturus, adesto: ut ita quicquid in nobis est vitiosum, vel lubricum, divinitatis tuæ luce illumines, ut nec per noctem hujus sæculi luna nos concremet, nec per diem futuri examinis sol veritatis exurendos tristificet. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Ecce stella, quam viderant Magi ab oriente, antecedebat eos, donec veniret supra, ubi erat puer. *P.* Videntes autem Magi stellam, gravisi sunt gaudio magno. ℣. Ipsi videntes sic admirati

D sunt, conturbati sunt, et commota sunt omnia viscera eorum. *P.* Videntes autem. ℣. Gloria, et honor, etc. *P.* Videntes.

Oratio. Stella illa, Domine, quæ natum te in terris regem Magis stupentibus nuntiavit, non sidereas in cœlum vias tenuit, cum novo Virginis partu novum sidus apparuit, sed ad demonstrandum te hominibus Christum usque ad ipsum nativitatis tuæ loculum præcucurrit; unde profusis precibus te imploramus, ut, qui ejus indicio absque errore Magorum direxisti itinera, nostra, te apparente, sanctifices corda: ut in iniquitate coram te gradientes atque justitia, pervenire mereamur ad gaudia repromissa. ℟. Amen.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem A nostrum, * daturum se nobis :

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum * liberati, serviamus illi ;

In sanctitate et justitia coram ipso, * omnibus diebus nostris.

Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis : * 90
præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus :

Ad daudam scientiam salutis plebi ejus, * in remissionem paccatorum eorum :

Per viscera misericordiæ Dei nostri : * in quibus visitavit nos, oriens ex alto

Illuminare his, qui in tenebris, et umbra mortis sedent : ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Antiphona. Benedictus es Domine Deus Israël. Gloria, et honor, etc. *P.* Quia visitavit nos. B

Oratio. Deus Omnipotens, cujus continuo filii efficimur, dum tinctione salutaris aquæ purgamur ; fac nos ita benedictionis tuæ percipere donum, ut merito supernæ civitatis Hierusalem filii appellemur : ut, qui Gentibus es manifestatus in sidere, credentibus appareas in salutem ; et, qui nos renovasti benedictionis aqua per lavacrum, renoves in futuro per indultæ gratiæ repromissum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Ad aliud Canticum. Antiphona. Adest lumen tuum Hierusalem, et majestas Domini in te videbitur.

Canticum Esaiæ (*Cap.* LX).

Surge, illuminare Hierusalem : * quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est.

Quia ecce tenebræ operient terram, * et caligo C populos :

Super te autem orietur Dominus, * et gloria ejus in te videbitur.

Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, * et reges in splendore ortus tui.

Leva in circumitu oculo tuos, et vide : * omnes isti congregati sunt, venerunt tibi :

Filii tui de longe venient, * et filiæ tuæ de latere surgent.

Tunc videbis, et afflues, * et mirabitur et dilatabitur cor tuum.

Quando conversa fuerit ad te multitudo maris, * fortitudo Gentium venerit tibi.

Adest lumen tuum, Hierusalem, * et majestas Domini in te videbitur.

Reiteretur Antiphona. Adest lumen tuum. D

Oratio. Christe, Filius Dei, qui præcessione radiantis stellæ teipsum in præsepio positum Magis te quærentibus voluisti ostendere ; præcedente nos, vel subsequente gratia tua æternum nobis sidus refulgeat, quo te quotidie inveniamus edendum, qui cibus factus es redemptorum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Ad Benedictus. Antiphona. Tibi soli Deo, honor, et gloria, virtus, et potestas in sæcula sæculorum.

Canticum. Benedictus es, Domine. *fol.* 6.

Sono. Ego sum Alpha, et Omega, principium, et fini, dicit Dominus Deus. Alleluia. ℣. Alleluia. Ego sum primus, et novissimus : ego sum radix, et origo David : ego sum stella splendida, et matutina. Alleluia.

Lauda. Laudate Dominum de Cœlis. Alleluia. Laudate eum in excelsis. Alleluia, alleluia. Laudate eum omnes Angeli ejus : laudate eum omnes virtutes ejus. Alleluia, alleluia, alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* XLV).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Labor Ægypti, et negotiatio Æthiopiæ, et Sabaim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt : Post te ambulabunt, vincti manicis pergent : et te adorabunt, teque deprecabuntur : Tantum in te est Deus, et non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israël Salvator. Confusi sunt, et erubuérunt omnes : simul abierunt in confusionem fabricatores errorum. Israël salvatus est in Domino salute æterna : non confundamini, et non erubescetis in sæculum sæculi. Quia hæc dicit Dominus creans cœlos, ipse Dominus formans terram, et faciens eam, ipse plastes ejus : non in vanum creavit eam : ut habitaretur, formavit eam : ego Dominus, et non est alius. Non in abcondito locutus sum in loco terræ tenebroso : non dixi semini Jacob : Frustra quærite me : ego Dominus loquens justitiam, annuntians recta. Congregamini, et venite, et accedite simul qui salvati estis ex Gentibus : nesciebant qui levabant sculpturas suas simul, et rogant Deum non salvantem. Annuntiate, et venite, et consolamini simul : quis auditum fecit hoc, ex tunc prœdixit illud? nunquid non ego Dominus, et non est ultra Deus absque me ? Deus justus, et salvans non est præter me. Convertimini ad me, et salvi eritis omnes fines terræ. ℟. Amen.

Hymnus.

Hostis Herodes impie,
Christum venire quid times ?
Non arripit mortalia,
Qui regna dat cœlestia.

Ibant Magi, quam viderant,
Stellam, sequentes præviam :
91 Lucem requirunt lumine :
Deum fatentur munere.

Lavacra puri gurgitis
Cœlestis Agnus attigit :
Peccata, quæ non detulit,
Nos abluendo sustulit.

Novum genus potentiæ :
Aquæ rebescunt hydriæ,
Vinumque jussa fundere
Mutavit unda originem.

Quarto die jam fœtidus
Vitam recepit Lazarus,
Mortisque liber vinculis,
Factus superstes est sibi.

Rivos cruoris horridi
Contacta vestis obstruit :
Fletu rigante supplicis
Arent fluenta sanguinis.

Solutus omni corpore

Jussus repente surgere,
Suis vicissim gressibus
Æger vehebat lectulum.
Tunc ille Judas carnifex
Ausus Magistrum tradere
Pacem ferebat osculo,
Quam non gerebat pectore.
Verax datur fallacibus:
Pium flagellat impius:
Crucique fixus innocens
Conjungitur Latronibus.
Aromata post Sabbatum
Quædam vehebant corpori,
Quas alloquunturA ngeli.
Vivum sepulcro non tegi.
Hymnis venite dulcibus,
Omnes canamus subditum
Christi triumpho tartarum,
Qui nos redemit venditus.
Zelum Draconis invidi,
Et os Leonis pessimi
Calcavit Unicus Dei,
Seseque cœlis reddidit.
Gloria tibi Domine,
Qui apparuisti hodie,
Cum Patre, Sancto spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus auctorem lucis. *fol.* 83, Kyrie, eleison. ℟. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Capitula. Gloriose, sancte, omnipotens Deus, qui varios humani generis miseratus semper errores, propterea sine dubio etiam Magis, in tenebrosa superstitione, sive caligine constitutis, prævium sideris lumen usque ad tua sancta cunabula ministrasti: ut omnibus generaliter, in suo errore degentibus desiderium tuæ agnitionis accenderes; accende nos etiam, precamur, salutifero tui amoris ardore: ut, qui te jam dono tuæ illuminationis agnovimus, tuæ quoque dilectionis ardore flagrantes, tibi adhærere in perpetuum mereamur.

Pater noster. Liberati a malo *fol.* 2.

Lauda. Misit me sanare. *Benedictio.* Benedicat vobis Alpha, et Omega. *fol.* 86.

In nomine Domini.

Octava Epiphaniæ, omnia dicantur ut in die fol. 85.

IN PRIMO DOMINICO POST OCTAVAM EPIPHANIÆ DOMINI,

Ad Vesperos.

Lauda. Elevatio manuum mearum sacrificium. *P.* Vespertinum. ℣. Dirigatur, Domine, oratio mea in conspectu tuo sicut incensum. *P.* Vespertinum.

Oratio. Deus, cujus nomen a solis ortu usque ad occasum laudabile est: sicut incensum in conspectu tuo nostra dirigatur oratio; tibique elevatio manuum nostrarum, sacrificium vespertinum, impleat solemnitatem. ℟. Amen,

Per misericordiam tuam.

Sono. Alleluia. Ad vesperum demorabitur fletus: et ad matutinum lætitia. Alleluia, ℣. Alleluia. Convertisti, Domine, planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, et præcinxisti me lætitia. Alleluia. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Antiphona. Qui est iste, cujus stellæ splendiderunt in custodiis suis, et lætate sunt, cum vocaret eas? reluxerunt cum lætitiœ ei, qui fecit eas. ℣. Fecit lunam in tempora: sol agnovit occasum suum. *P.* Et lætatæ sunt. ℣ Gloria, et honor, etc. *P.* Et lætatæ sunt. Dominus sit semper vobiscum. ℟ Et cum.

Lauda. Alleluia. Confitebor tibi Domine in directione cordis mei. Alleluia. *P.* In eo quod didici judicia justitiæ tuæ. Alleluia, ℣. In tuis justificationibus meditabor: non obliviscar sermones tuos. *P.* In eo quod. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* In eo quod.

Hymnus.

Inventor rutilis dux bone luminis,
Qui certis vicibus tempora dividis,
Merso sole chaos ingruit horridum,
Lucem Christe tuis redde fidelibus.
92 Splendent perspicuo lumine ardua,
Flammis mobilibus scilicet atria:
Absentemque diem lux agit æmula,
Noctem inluminans fulgore prævio.
Nos festis trahimus per pia gaudia
Noctem conciliis, votaque prospera
Concentu parili, suavi sonantibus
Hymnorum modulis ora resolvimus.
Ores digna Deus, quam tibi residuæ
Noctis principio Grex tuus offeret:
Luce, quam tribuis, nihil pretiosius,
Luce, qua reliqua præmia cernimus.
Tu lux vera oculis, lux quoque sensibus
Intus, tu speculum, fons: lumen
Quod delibat plebs tua, suscipe,
Tinctum pacifici chrismatis unguine.
Per Christum Genitum summe Pater tuum,
In quo visibilis stat tibi gloria,
Qui noster Dominus, qui tuus unicus
Spirat de patrio corde Paraclitum:
Per quem splendor, honor, laus, sapientia,
Majestatis, bonitas, et pietas: Tu
Regnum contines Nomine triplici,
Texens perpetuis sæcula sæculis.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem, *fol.* 66.

Capitula. Dirigatur oratio nostra Domine, sicut incensum in conspectu tuo: ut non patiaris in nobis demorari vespertinum fletum; sed lætitiæ tranquilla in matutinis sacrificiis tribuatur, suscipiantur orationes nostræ per Angelum tuum, sicut Tobiæ et Saræ desideria exaudire dignatus es: cura nos ab infirmitatibus nostris, et sana omnes languores nostros; ut quemadmodum credimus diem hanc oblatam, noctis advenientis caligo diem vitæ retributionis inveniat per eum, qui nos docuit orare.

Pater noster. Liberati a malo. *Quære fol.*

Benedictio. Flammam benedictionis cælorum super vos Dominus benignus infundat, et Trinitas inseparabilis a vobis nunquam recedat. ℟. Amen. Bella adversariorum vestrorum adterat, et acies eorum ignis cœlestis consumat. ℟. Amen. Dominetur in vobis charitas individua, et conservet vos sempiterna majestas. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius.

Lauda. Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me, Deus: Alleluia. *P*. Quia mandatis tuis credidi. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Cogitavi vias meas: et converti pedes meos in testimonia tua. *P*. Quia mandatis. ℣. Gloria, et honor, etc. *P*. Quia mandatis.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui credentes in te. *Require in Matutinis istius Dominici. fol.* 3.

In principio Matutini dicimus per dies Dominicos, scilicet: Hymnus. Æterne rerum Conditor.

Oratio. Æternum te auctorem. *Quære fol.* 3.

Antiphona. Domine quid muliplicati sunt qui tribulant me? Tu autem, Domine, susceptor meus es. *Psalmus* III.

Antiphona. Lava me ab injustitia mea: et a peccato meo munda me, Domine. *Psalmus* L.

Antiphona 3. In te confidit anima mea, libera me, Domine. *Psalmus* LVI.

Antiphona. Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me? Tu autem, Domine, susceptor meus es. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Antiphona. Lava me ab injustitia mea: et à peccato meo munda me, Domine. ℣. Sicut erat in principio, et nunc, et semper.

Antiphona. In te confidit anima mea: libera me, Domine. *P*. Et in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui credentes. *Quære fol.* 3.

Antiphona. 1. Servite Domino in timore: et exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam. *P*. Nequando irascatur Dominus, et pereatis a via justa ℣. Quare fremuerunt Gentes, et populi meditati sunt inania? *P*. Nequando. ℣. Gloria, et honor, etc. *P*. Nequando.

Oratio. Servientes tibi, Domine, in timore, disciplina tua nos erudiendo possideat; et exultantes cum tremore jocunditas modesta sustollat: nec nos efficiamur a via justa recedendo perditi; sed id te confidendo mereamur esse beati. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. In tribulatione nostra, Deus, dilatasti nos. *P*. Miserere nobis, et exaudi orationem nostram. ℣. Cum invocarem, exaudisti me Deus justitiæ meæ: in tribulatione mea dilatasti mihi. Miserere mei, et exaudi orationem meam. *P*. Miserere nobis, et exaudi. ℣. Gloria, et honor, etc. *P*. Miserere nobis.

Oratio. Domine, qui semper invocantibus ades, et in tribulatione constitutis opem ferre **93** misericordiæ delectaris: dona, ut odientes sæculi vanitatem refutantesque mandacium, Christum tuum

A (quem a te magnificatum agnoscimus) nostrorum esse summum æternumque præmium gaudeamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. 3. Converte Domine, eripe animas nostras: salvos nos fac propter misericordiam tuam. *P*. Quia non est in morte qui memor sit tui. ℣. Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. *P*. Quia non est. ℣. Gloria, et honor, etc. *P*. Quia non est.

Oratio. Domine neque in ira tua nos arguas; neque in tuo nos furore corripias; sed ab asperitate verberis unge nos clementia lenitatis: ut non perditionem pœna; sed eruditionem nobis tua conferat disciplina. ℟. Amen.

B Per misericordiam.

℟. Abundaverunt iniquitates nostræ super numerum arenæ maris. *P*. Et nunc juste comprimimur ad nos erigendum caput nostrum: peccavimus, Domine, peccavimus. ℣. Peccavimus cum patribus nostris: injuste egimus, iniquitates fecimus. P. Et nunc juste. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Et nunc.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Date magnitudinem Domino.

Canticum. Attende Cœlum. *Quære fol.* 4.

Oratio. Descendat, Domine, ut pluvia eloquium tuum; et sicut ros, verba tua super nos effundantur: ut, ubertim tua miseratione rigati, tibi magnitudinem demus, cujus opera bona esse cognosci-
C mus: omnes viæ tuæ, judicia; et iniquitas procul est a rectitudine tua: proinde nos, qui proclives ad malum sumus, a tua gubernatione, etiam cum tui obliviscimur, non defraudemur: ut et si serviliter facinore sciscitamur, lenitate paterna a te corrigi sentiamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Benedictus Antiphona. Benedictus es Deus, et benedictum nomen gloriæ tuæ. Benedicite Dominum omnes electi ejus: sit nomen sanctum ipsius benedictum in omnia sæcula sæculorum.

Canticum Benedictus es Domine. *Quære fol.* 6.

Oratio. Domine Deus patrum nostrorum; laudabilis enim et superexaltatus in sæcula tu es: Recte ergo tuæ gloriæ nomen benedicetur in æternum; et
D vel in magnis vel in modicis tu creator, tu opifex sapientissimus declamaris: ideo quæsumus; ut qui te orando pro universitatis conditione Dominum benedicimus, benedictæ sanctitatis illustratione lætemur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Sono. Verba mea auribus percipe Domine. Alleluia. ℣. Intellige clamorem meum rex meus, et Deus meus. Quoniam ad te orabo. Alleluia.

Lauda. Laudate Dominum de Cœlis: Alleluia, alleluia. Laudate eum in excelsis, alleluia, alleluia, alleluia, *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Proverbiorum Salomonis (*Cap.* XXV).

℟. Deo gratias.

Gloria Dei celare verbum, et gloria regum inve- A stigare sermonem. Cœlum sursum, et terra deorsum, et cor regnum inscrutabile. Aufer rubiginem de argento, et egredi etur vas purissimum. Aufer impietatem de vultu regis, et firmabitur justitia thronus ejus. Ne gloriosus appareas coram rege, et in loco magnatorum ne steteris. Melius est enim ut dicat tibi : Ascende huc ; quam ut humilieris coram principe. Quæ viderint oculi tui, ne proferas in jurgium cito : ne postea emendare non poteris, cum dehonestaveris amicum tuum. Causam tuam tracta cum amico tuo, et secretum extraneo ne reveles : ne forte insultet tibi cum audierit, et exprobare non cesset. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Inauris aurea, et margarita fulgens, qui arguit sapientem, et aurem obe- B dientem. Sicut frigus nivi in die messis, ita legatus fidelis ei, qui misit eum, cum requiescere facit animam illius. ℟. Amen.

Hymnus. Splendor paternæ gloriæ. *Quære fol.* 67.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum. *Quære fol.* 66.

Capitula. Exultantes gaudio magno pro redditu nobis hujus diei, lucem Dei Patris omnipotentis et misericordiam deprecemur, ut diem Dominicæ Apparitionis solemniter celebrantibus pacem tranquillam, lætitiamque specialem prestare dignetur : ut a vigilia matutina usque ad noctem clementiæ suæ favore protecti, exultantes in Domino gaudeamus.

94 Pater noster, Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Cantate Domino cauticum novum. Alle- C luia, alleluia. ℣. Laus ejus in Ecclesia sanctorum. *P.* Alleluia, alleluia. ℣. Gloria, et honor etc. *P.* Alleluia, alleluia.

Oratio. Tibi, Domine. in Ecclesia sanctorum cantamus : tibique gratiam præconamus : tribue nobis, laudes tuas promere ; in quo coæternum nos crédimus præmium obtinere. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Exeunte vespera Lauda. Usque ad vesperum quam magnificata sunt opera tua, Domine, Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Antiphona. Cantet tibi gloria mea, et non compungar. *P.* Domine Deus meus in æternum confitebor tibi. ℣. Hæc facta est mihi : quia justificationes tuas exquisivi. *P.* Domine Deus meus. ℣. D Gloria, et honor. *P.* Domine Deus. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Antiphona. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. ℣. Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. *P.* Elevatio. ℣. Gloria, et honor, etc. *P.* Elevatio. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lauda. Laudate pueri Dominum : laudate nomen Domini. Alleluia. *P.* Sit nomen Domini benedictum. Alleluia, alleluia. ℣. A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini. *P.* Sit nomen Domini. ℣. Gloria, et honor, etc. *P.* Sit nomen.

Hymnus.

Altissimi Verbum Patris,
Alme Jesuque Virginis
Bis nostro natus gaudio,
Carnisque Factor et caro.
Decursa transit jam dies,
Exaudi preces supplicum ;
Fovensque lætus vesperi
Gloriosum lumen suscipe.
Hoc soli ad finem tibi
Incensum sacrum damus :
Cœleste ut nostris tuum
Lumen ténebris fulgeat.
Mentemque fessam dum sopor
Noctis paratam detinet,
Obscura cedant somnia,
Pectusque purum luceat.
Quietem nullus corporis
Rapiat dolus lasciviæ ;
Sed te Deus mens sonet,
Tecum cor altum vigilet.
Vocibus simul cum cordibus
Christo, Patrique, Spiritui
Hymnum sonantes in choro
Mela canamus perpetim.
Amen.

Supplicatio. Oremus pium et exaudibilem Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus ; ut nobis salutem animæ et corporis, et remissionem peccatorum, et pacem propitius tribuere dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus

Capitula. Omnipotens sempiterne Deus, cujus præcepto sol illustra diem, luna clarificat noctem, vespertinis laudibus non dignanter exaudi : ut et placidum supervenientis spatium peragere mereamur, et transacto tenebrarum cursu, matutinis nos iterum sacrificiis apta, ne ullam offensionum maculam dies repræsentet exoriens.

Pater noster. Liberati à malo. *fol.* 2. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit vemper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Benedicat omnipotens Dominus præsentem familiam, qui Crucis portavit injuriam. ℟. Amen. Ipse nos perducat cæleste in regnum, qui pependit in ligno. ℟. Amen. Ipse ad dexteram Patris non conlocet, qui causa nobis factus est pacis. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius.

Lauda. Cantabiles erant mihi, Domine. *P.* Justificationes tuæ. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Hæc facta est mihi : quia justificationes tuas exquisivi, *P.* Justificationes. ℣. Gloria, et honor, etc. *P.* Justificationes.

Oratio. Concede nobis, Domine, ob amorem. *Quærere infra in istis Matutinis.* In nomine Domini nostri.

Istis peractis, fiat Commemoratio de Devotatione Ecclesiæ, et aliarum festivitatum, quarum devotionem habes.

FERIA SECUNDA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. *Psalmus* L. *Reiteretur Antiphona.* Miserere.

Oratio. Miserere nobis Domine secundum magnam misericordiam tuam : et unde nos erubescimus, tu indulgeas: et ea, quæ egisse nos pœnitet, tu clementer ignoscas. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 1. Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit. **95** *Psalmus* I. Gloria, et honor Patri, etc. *Reiteretur Antiphona.* Beatus vir, qui.

Oratio. Concede nobis, Domine, ob amorem beatitudinis concilia declinare iniquitatis ; cathedram itaque pestilentiæ procul a nobis sepone, ut pestiferæ doctrinæ tabes non adhæreat conviventiæ nostræ ; sed voluntatem nostram a malitiæ sessione tu rémove: et meditatione legis tua jugi nos tibi amore conjunge. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Nunc reges intelligite : erudimini omnes qui judicatis terram. Servite Domino in timore. *Psalmus* II. *Reiteretur Antiphona.* Nunc reges.

Oratio. Servientes tibi Domine in timore ob metum judicii, exultantes cum tremore ob fiduciam spei, doce nos apprehendere disciplinam, qua judicantes terram corporis nostri, véteris hominis figulum confringamus ; et exterioris terræ purgamenta calcemus : ac secundum Cœlestis imaginem Hominis reformati, in hereditatem tuam servitute humili, et in possesionem tuam cultu perpeti transferamur. ℟. Amen

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino. *Psalmus* IV.

Oratio. Domine, qui semper invocantibus ades, et in tribulatione constitutis opem ferre misericordiæ delectaris : dona, ut odientes sæculi vanitatem, refutantesque mendacium, Christum tuum (quem a te magnificatum agnoscimus) nostrum esse summum æternumque præmium gaudeamus. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

℟. Ad te, Domine, levavi animam meam. *P.* In te confido Deus meus, non erubescam. ℣. Vide humilitatem meam, et laborem meum : et dimitte mihi omnia peccata mea. *P.* In te confido. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur* P. Ad te Domine.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Benedicam enim vobis, et multiplicabo vos sicut stellas cœli, dicit Dominus.

Canticum Genesis (*Cap.* XII, XIII, XVII).

Egredere de terre tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, * et veni in terram quam monstravero tibi.

Faciamque te in gentem magnam, et benedicam A tibi, * et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus.

Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, * atque in te benedicentur universæ cognationes terræ.

Leva oculos tuos, et vide a loco, * in quo nunc es, ad aquilonem et meridiem, ad orientem et occidentem.

Omnem terram, quam conspicis, * tibi dabo et semini tuo in sempiternum.

Benedicam enim vobis, * et multiplicabo vos sicut stellas cœli, et velut arenam, quæ est in littore maris ;

Possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum, * et benedicentur in semine tuo omnes gentes B terræ.

Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldœorum, ego Deus omnipotens : * ambula coram me, et esto perfectus.

Ponamque fœdus meus inter me et te, * et multiplicabo te vehementer nimis. Ego sum, et pactum meum tecum,

Erisque pater multarum gentium. * Et ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur.

Et statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno : * ut sim Dominus Deus tuus, et semini tuo post te.

Daboque tibi et semini tuo terram peregrinationis tuæ, * in possessionem æternam, eroque Deus C eorum.

Matitunarium. Antiphona. Rex meus et Deus meus : ad te orabo, Domine. ℣. Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum. P. Rex meus, et Deus meus. ℣. Gloria, et honor, etc. *P.* Rex meus.

Lauda. Laudate Dominum in sanctis ejus : Alleluia, alleluia. Laudate eum in firmamento virtutis ejus. Alleluia, alleluia. *Psalmus* CL P. Laudate Dominum in sanctis ejus. Alleluia, alleluia. ℣. Gloria. et honor Patri et Filio, et Spiritui Sancto. P. Laudate eum in firmamento virtutis ejus. ℣. Sicut erat in principio, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. P. Alleluia, alleluia.

Lectio libri Proverbiorum Salomonis (*Cap.* III).

℟. Deo gratias.

D Fili, Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuus. Ne sis sapiens apud **96** temetipsum : time Dominum, et recede a malo. ℟. Amen.

Hymnus.

Fulgentis auctor ætheris,
Qui lunæ lumen noctibus,
Solem dierum cursibus
Certo fundasti tramite.

Nox atra jam repellitur,
Mundi nitor renascitur,
Novusque jam mentis vigor.

Dulces in altum egerit.
Laudes sonare jam
Dies relatus ammonet,
Vultuque cœli blandior
Nostra serenet pectora.
Vitemus omne lubricum,
Declinet prava spiritus,
Vita facta non inquinet,
Linguam culpa non implicet,
Sed sol diem dum conficit,
Fides profunda ferveat,
Spes ad promissa provocet,
Christo conjungat charitas.
Deo Patri sit gloria.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut per gratiam ipsius, et per intercessionem Sanctæ Mariæ Virginis, et genitricis suæ, et omnium Sanctorum suorum nobis salutem animæ, et corporis, et remissionem peccatorum, et pacem propitius tribuere dignetur. ℟. Præsta, æterne omnipotens Deus.

Kyrie, eleison. ℟. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Capituta. Rex noster, et Deus noster depelle a cordibus nostris erroris, et ignorantiæ noctem; ut renovando nos in novum hominem, mane nostras exaudiens voces, fac nos in bonis operibus tibi adstare diluculo; et ad contemplandum te, nobis Apparitionis tuæ tribue sacramentum.

Pater noster. A malo nos libero. *Require fol.* 10.

Lauda. A peccatis nostris munda nos, Domine. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Et ab alienis parce servo tuo. *P.* Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Gloria et honor, etc. *P.* Alleluia, alleluia, alleluia.

Antiphona 2. Custodi nos Domine ab omni malo. *P.* Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Sub umbra alarum tuarum protege nos. *P.* Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Gloria, et honor. *P.* Alleluia, alleluia, alleluia.

Benedictio. Benedicat omnipotens Dominus. *Quære. fol.* 94.

Et sic finiuntur Matutini in Benedictionibus. Et statim fac Commemorationes Vocationis Ecclesiæ, et alias quas volueris in quibus devotionem habueris. Postea Pater noster sub silentio; quo finito, fiat commemoratio.

Lauda. Ad annuntiandum mane. *Oratio.* Mane, Domine, oratio. *Quære fol.* 7. *Lauda de fonte.* Apud te est, Domine, fons vitæ. Alleluia. ℣. Et in lumine tuo videbimus lumen. *P.* Alleluia. ℣. Gloria, et honor, etc. *P.* Alleluia.

Ad Tertiam.

Lectio libri Proverbiorum Salomonis (*Cap.* 7). ℟. Deo gratias.

Fili, Custodi sermones meos, et præcepta mea reconde tibi. Serva mandata mea, et vives. ℟. Amen.

Antiphona 1. Intellige clamorem meum, Domine. Intende voci orationis meæ. *Psalm.* v.

A *Oratio.* Deduc nos, Domine, in bonis; ac dirige in conspectu tuo viam nostram: ut fides nostra, salutaris tui vocatione, te, qui es Rex noster, et Deus noster, et vestigio comitetur innoxio, et cursu occupet expedito. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Ne in ira tua arguas me, Domine. *Psalmus* vi.

Oratio. Domine, ne ira tua nos arguas; neque in tuo nos furore corripias: sed asperitatem verberis unge clementia lenitatis: ut non perditionem pæna; sed eruditionem nobis tua conferat disciplina. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Justum adjutorium meum a Domino,
B qui salvos facit rectos corde. *Psalm.* vii. *Reiteretur Antiphona.* Justum Dominus sit semper. ℟. Et cum.

℟. Adverte faciem tuam a peccatis meis, Domine. *P.* Et omnes iniquitates meas dele. ℟. Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam: et secundum multitudinem miserationum tuarum. *P.* Et omnes iniquitates meas. ℣. Gloria, et honor, etc. *Reiteretur* ℟.

Lauda. Alleluia, alleluia, alleluia. Gaudebunt labia mea dum cantavero tibi, Deus, laudem tuam *P.* Alleluia, alleluia. ℣. Et ego confitebor tibi in vasis Psalmorum, Deus, **97** psallam tibi. *P.* Alleluia. ℣. Gloria, et honor, etc. *P.* Alleluia, alleluia, alleluia.

Preces : Alius non est, qui rogetur, pie Domine :
C ℣. Alleva jugum, colla prementum inclina. *P.* Pie, bella reprime, pacem concede. ℣. Captivos eripe, demersos erige. *P.* Pie, bella. ℣. Dona veniam, præsta gratiam, pie Domine, *Reiteretur primus* ℣. *Preces scilicet* : Alius non est.

Capitula. Gloriose, potens, ac misericors Deus, erue nos ab insidiis inimici; et ne anima nostra rugientis leonis raptu rapido rapiatur, protectio dexteræ tuæ in nostri custodiam deputetur: nedum non est qui redimat, ille sævus occidat: aut, si non qui salvum faciat, ille subvertat. Sed tu Leo de tribu Juda in ira tua exurge; et severitate judicii insidiosi hostis catervas interime: nosque in præcepto, quod mandasti, credere et permanere concede.

Pater noster. A malo nos libera. *fol.* 10.

D *Ad Sextam, omnia dicantur ut in Sexta, quæ dicitur per totum annum. Ad Nonam. ut supra.*

Ad Vesperos.

Lauda. Tu illuminans lucernam meam, Domine. Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Quam admirabile est nomen tuum, Domine, in universa terra. *Psalmus* viii.

Lauda. In lege Domini, Alleluia, meditabitur die, ac nocte. Alleluia. *P.* Et fructum suum dabit in tempore suo. Alleluia, alleluia. ℣. Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. ℟. Et fructum suum dabit. ℣. Gloria, et honor, etc. *P.* Et fructum.

Hymnus.

Christe salvator omnium,
Cœlorum sublimis Deus.
Tuam rogamus gloriam,
Dum prona volvitur dies.
Jam sol, urgente vespere,
Occasu suo graditur,
Mundum concludens tenebris,
Suum observans ordinem.
Sic nos, excelse Domine,
Precantes tuos famulos
Labore fessos diei
Quieta nox suscipiet.
Ut non fuscatis mentibus,
Dies abscedat luminis;
Sed tua protecti gratia
Cernamus lucem prosperam.
Deo Patri sit gloria.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi. *Quære fol.* 96. Kyrie, eleison. ℟. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Capitula. Illuminatio salusque nostra, Domine, amove a nobis mœroris, et ignorantiæ noctem; tribue veritatis, et scientiæ lumen, ut in te nostra spes fixa permaneat; et omnis conventus malignantium, qui nos oppugnare nititur, contabescat: Sit in petra exaltatio nostra; ut conroborati per Christum, in ipso efficiamur charitate sublimes, in quo ædificamur fide credentes.

Pater noster. A malo nos libera. *fol.* 10.

Benedictio. Dignare, Domine, hanc familiam tuam placito vultu respicere, quam cernis solemnia tua cum gaudio celebrare. ℟. Amen. Sanctam in se habeant devotionem, dignumque teneant in tua fide fervorem. ℟. Amen. Ab omni adversitate dextera tua eos defende, et in tua Ecclesia jugiter immaculatos perseverare concede. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius.

Lauda. Super Sion alleluia montem sanctum ejus Alleluia. *P.* Prædicans præceptum Domini. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. *P.* Prædicans præceptum Domini. ℣. Gloria, et honor, etc. *P.* Prædicans præceptum.

Oratio. Adverte Domini inimicos nostros. *Require infra.*

TERTIA FERIA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Secundum magnam misericordiam tuam dele Domine iniquitates meas. *Psalmus* L.

Oratio. Secundum multitudinem miserationum tuarum dele Domine iniquitates nostras: ut quia istæ nos aggravant, illæ nos erigant: Cor contritum et humiliatum ne spernas in nobis: sed per ineffabilem potentiam Trinitatis inhabitet in nobis Spiritus Sanctus; innovet spiritus rectus; confirmet spiritus principalis; atque unius testimonii sit virtus: ut confirmatos nos per Patrem, et innovatos per Fi-

A lium, custoditos nos esse gaudeamus per Spiritum Sanctum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 1. Lætabor et exultabo in te: et psallam nomini tuo Altissime. *Psalmus* IX. **98**

Oratio. In toto corde nostro confitebimur nomini tuo Domine, quod inimicum nostrum retrorsum redire fecisti; dum eum potentialiter ignea catena vinxisti; et nos de portis mortis, passionis tuæ victoria liberasti. Esto nunc, quæsumus, custos redemptorum, qui pretium factus es peccatorum: esto refugium pauperum, defensio viduarum, et protectio pupillorum: ut dum singulorum necessitatibus singulari favore subveneris, singulari fide a cunctis incessabiliter collauderis. ℟. Amen.

B Per misericordiam tuam.

In Laudibus.

Antiphona 2. Tibi derelictus est pauper: pupillo tu eris adjutor. *Psalmus* IX. *Divisio.*

Oratio. Adverte Domine inimicos nostros retrorsum; ut, dum aspicis, infirmentur; atque ipse adjutor in opportunitatibus in tribulatione, opportunitatum nobis gratiam præsta; et tribulationem pondus attenua: ut nec prosperitas nos revocet ad negligentiam, nec angustia pertrahat ad ruinam: sed miseratio tua nos perducat ad veniam. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Desiderium pauperum exaudit Dominus. *Psalmus* IX. *Divisio.*

Oratio. Desiderium tuorum Domine pauperum sic
C intende propitius, ut et donorum cælestium copiam nobis tribuas; et amorem prætereuntium rerum à nobis avertas: auris quoque tua nostram ita orationem intelligat, ut dum pupillo humilique judicium feceris, paterna nobis indulgentia blandiaris; et pro humiliatione præsentium gaudia retribuas æternorum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

℟. Auxiliator meus es tu, Domine, ne derelinquas me. P. Et ne despicias me, Deus salvator meus. ℣. Legem mihi constitue Domine in via tua, et dirige me in semita recta. *P.* Et ne despicias. ℣. Gloria, et honor, etc. *Reiteretur.* ℟.

Ad Canticum. Antiphona. Deus omnipotens nomen est ei, benedicat nobis, et crescere non faciat
D in turmas populorum.

Canticum Genesis (*Cap.* XXVII, XXVIII).

Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, * cui benedixit Dominus.

Det tibi Dominus de rore cœli, et de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, vini, et olei, * et adurent te tribus:

Esto Dominus fratrum tuorum, * et incurventur ante te filii matris tuæ:

Deus autem omnipotens benedicat tibi, * et crescere te faciat, atque multiplicet: ut sis in turmas populorum.

Et det tibi benedictiones Abraham, et semini tuo

post te : * ut possideas terram peregrinationis tuæ.

Antiphona. Deus omnipotens nomen est ei, benedicat nobis, et crescere nos faciat in turmas populorum.

Matutinarium. ℟. Mane exaudies vocem meam, Domine. *P.* Mane adstabo tibi, et adorabo te. ℣. Verba mea auribus percipe, Domine : intellige clamorem meum. *P.* Mane adstabo. ℣. Gloria, et honor, etc. *Reiteretur* ℟. Mane exaudies.

Lauda. In sanctis ejus laudate Dominum. Alleluia, alleluia : in firmamento virtutis ejus laudate Dominum. Alleluia, alleluia. *Ps.* CL.

Prophetia. Fili, Habe fiduciam in Domino. *Quære fol.* 95.

Hymnus.

Deus æterni luminis
Candor inenarrabilis,
Venturus diei judex,
Qui mentis occulta vides.
Tu regnum cœlorum tenes,
Et totus in verbo tu es,
Per Filium cuncta regis
Sancto Spiritui fons es.
Trinum nomen alta vides,
Unum per omnia potes,
Mirumque per signum Crucis
Tu rector immensæ lucis.
Tu mundi constitutor es,
Tu sempiterno throno sedes
Judex, ex alto Humilis
Venisti pati pro nobis.
Tu Sabaoth omnipotens,
Tu Hosanna summi culminis,
Tibi laus est mirabilis,
Tu es prima Anastasis.
Tu fidei auditor es.
Et humiles tu respicis,
Tibi altum vides thronum,
Tibi divinus est honor.
Christoque, æterno Deo
Patri, cum Sancto Spiritu,
In te solvamus munera
A sæculis in sæcula.
Amen.

99 *Supplicatio.* Oremus redemptorem mundi. *Require,* fol. 96.

Capitula. Auribus tuis, omnipotens Deus, percipe verba oris nostri ; et tuorum diluculo clamorem pie scrutator intellige : ac tuæ voluntatis scuto ita nos pæmuniri concede, ut vitiosa suggestio mentis nostræ non valeat inrepere : sit quoque orandi ad te jugis ac fida devotio, ut contemplatio tua nobis tribuatur in matutino.

Pater noster. A malo nos libera. *Require fol.* 10.

Lauda. Confortentur manus Domini in Sanctis ejus. Alleluia. *P.* Et ossa eorum velut herba germinabunt. Alleluia, alleluia. ℣. Plantati in Domo Domini, in atriis domus Dei nostri. *P.* Et ossa eorum.

A ℟. Gloria, et honor, etc. *P.* Et ossa eorum. Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Alia Lauda. Clamor noster ad te perveniat, Deus, Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Deus exaudi orationem nostram. *P.* Clamor noster. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Alleluia, alleluia, alleluia.

Benedictio. Dignare, Domine, hanc. *Quære fol.* 97. *Et statim fac commemorationes quas consuevisti facere, scilicet.* Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, etc.

Oratio. Mane, Domine, oratio nostra. *Quære fol.* 7.

Lauda de fonte. Fons iste vitæ nobis es. Alleluia P. Quia Sanctis tuis circumdatus es. Alleluia. ℣. Rigans montes de superioribus tuis : de fructu operum tuorum satiabitur terra. P. Quia Sanctis tuis. ℣.
B Gloria, et honor, etc. P. Alleluia, alleluia.

Ad Tertiam.

Prophetia. Fili, Custodi sermones. *Quære fol.* 96,

Antiphona 1. Justus Dominus et justitiam dilexit : æquitatem vidit vultus ejus, *Psalmus* X.

Oratio. Justus es, Domine, et justitiam diligis atque aspicis æquitatem : dona nobis ante oculos tuos tibi placita et placitura perficere ; et semper digna tuæ justitiæ atquæ æquitatis opera consummare. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Tu, Domine, servabis nos : et custodies nos à generatione in progenie. *Psalmus* XI.

Oratio. Custodi nos, Domine, in generatione, et progenie ; nec cum præsenti volvamur sæculo, qui tuo jam inhæsimus fundamento : sed miseriarum
C nostrarum consolator exurge, et proventu lætitiæ mœrores nostros absterge. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Cantabo Domino Deo meo, qui bona tribuit mihi : Deus meus, tibi psallam. *Psalmus* XII.

Reiteretur Antiphona.

℟. Absconde me in tabernaculo tuo, Deus. P. In die malorum meorum libera me. ℣. Exaudi, Domine, vocem meam qua clamavi ad te : miserere mei, et exaudi me. P. In die malorum. ℣. Gloria, et honor, etc. *Reiteretur.* ℣.

Dominus sit semper. ℣. Et cum.

Lauda. Alleluia, alleluia. Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus : P. Alleluia. ℣. Et sapien-
D tiæ ejus non est numerus. P. Alleluia, alleluia. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Alleluia, alleluia.

Preces. Exaudi nos, Deus. P. Exaudi. ℣. Ad te clamantes, Deus. P. Exaudi. ℣. Bone Redemptor Deus. P. Exaudi. ℣. Contritos corde, Deus. P. Exaudi. ℣. De tuis cœlis, Deus P. Exaudi.

Capitula. Respice, et exaudi nos, Domine, Deus noster : et ad placendum tibi conatus nostro adjuva, quos ipse tribuisti : da finem operis, qui dedisti principium voluntatis : da, ut possimus implere, quæ dedisti, ut velimus incipere.

Pater noster. A malo nos libera. *Quære fol.* 10.

Ad sextam, omnia dicantur ut in Sexta, quæ dicitur per totum annum. Ad Nonam, ut suprà.

Ad Vesperos.

Lauda. Illuminatio mea, et salus mea est Dominus. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Antiphona. In advertendo Dominus captivatem plebis suæ, lætetur Jacob, et exultet Israël. *Psalmus* XIII. Dominus sit semper vobiscum. ℣. Et cum.

Lauda. Irascimini, et nolite peccare. Alleluia. Dicite in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini. P. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Sacrificate sacrificium justitiæ, sperate in Domino ; multi dicunt : Quis ostendit nobis bona ? P. Alleluia. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Alleluia, alleluia, alleluia.

100 *Hymnus.*

Christe lumen perpetuum,
Astrorum fulgor siderum
Noctem nostram illumina,
Conserva pura pectora.
Nullis incedat laqueis,
Nullis gravetur hostibus ;
Nec maculentur corpora
Lascivia per soporem.
Custodi corda omnium,
Fideliumque maxima
Protectione, propria
Tua, Christe, potentia.
Ut gratuletur anima,
Vidisse lucem prosperam
Implesse vota debita,
Reddenda tibi, Trinitas.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
In sempiterna sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem. *fol.* 96.

Capitula. Omnipotens Deus, tuam indigni quæsumus gloriam, ac petimus, ut ad sedem tuæ pietatis nostras preces admittas, auxilium petentibus tribuas, nostrorum omnium peccaminum maculam abstergas, flagellum removeas, languentibus medelam apponas, inimicorum impetum frangas ; pacem, securitatem, et quietem temporum largiaris, et quidquid sua illecebratione vicerat inimicus, misericordia consueta reparare digneris in melius.

Pater noster. A malo nos libera. *Quære fol.* 10.

Benedictio. Dominus nos sua benedictione locupletet, et regnorum cœlestium faciat coheredes. ℟. Amen. Det nobis præsenti vitæ spatium, et propitius attribuat consortium electorum. ℟. Amen. Atque nos ita eripiat semper à malo, ut custodiat, et conservet clementer in bono. ℟. Amen. Per misericordiam.

Lauda. Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, Domine, Alleluia. P. In æternum, et exultabunt. Alleluia. P. Et inhabitatis in eis. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Et lætentur in te omnes, qui sperant in te. P. In æternum. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Et inhabitabis.

Oratio. Notas fac, Domine, vitas vitæ : atque imple nos delectatione dexteræ tuæ : et jugum, quod suave

A est ipsa super nos manus tuæ moderatione constitue. ℟. Amen. Per misericordiam tuam.

In nomine Domini.

Commemoratio, ut dictum est in secunda Feria.

QUARTA FERIA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Dele, Domine, inquitates meas : et a peccatis meis munda me. *Psalmus* L.

Oratio. Miserere nobis, Domine, miserere : ut qui nostram agnoscimus miseriam, tua nos præveniat misericordia : Sit igitur vox confessionis prompta, venia proxima ; atque de tua propitiatione sit exauditio cito ; ut nostra deleas universa peccata ; et tribuas virtutem, per quam tua faciamus præcepta. ℟. Amen. Per misericordiam tuam.

B *Antiphona* 1. Adimple nos lætitia cum vultu tuo : delectationes in dextera tua usque in finem. *Psalmus* XV.

Oratio. Notas fac nobis, Domine. *Require suprà.*

Antiphona 2. Ego clamavi, quia exaudisti me, Deus : inclina aurem tuam mihi, et exaudi me. *Psalmus* XVI. *usque* A resistentibus dexteræ.

Oratio. Exaudi nos Deus clamantes ad te Domine ; gressus nostros in tuis semitis perfice : ut dum legis tuæ angustam gradimur viam, charitatis latitudine portam introire mereamur justitiæ. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Custodi me, Domine, ut pupillam oculi. Sub umbra alarum custodi me, Domine. *Psalmus* XVI.

C *Oratio.* Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi, ne innocentiæ nostræ lumina carnalis concupiscentiæ turbo corrumpat : protege nos sub umbra alarum tuarum, ne insidiantium capiamur illecebris voluptatum : ut qui adjuti gratia durante subsistimus, satiari nos cum apparuerit tua gloria mereamur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

℟. Adjutor, et liberator noster es. P. Tu, Domine. ℟. Deus in adjutorium nostrum intende : ad adjuvandum nos festina. P. Tu, Domine. ℣. Gloria, et honor, etc. *Reiteretur* ℟. Adjutor.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Domine, qui dixisti mihi : Revertere **101** in terram tuam, et in locum nativitatis tuæ.

D *Canticum Genesis* (*Cap.* XXXII).

Deus patris nostri Abraham, et Deus patris nostri Isaac : * Domine, qui dixisti mihi : Revertere in terram tuam, et in locum nativitatis tuæ, et benefaciam tibi :

Memor sum cunctis miserationibus, * et veritati quam explesti servo tuo.

In baculo meo transivi Jordanem istum : * et nunc cum duabus turmis regredior.

Erue me de manu fratris mei Esaü, quia valde eum timeo : * ne forte veniens percutiat matrem cum filiis.

Tu enim locutus es ut bene mihi faceres, * et dila-

tares semen meum sicut arenam, quæ præ multitudine numerari non potest.

Gloria, et honor Patri, etc.

Ad Matutinarium. Antiphona. Præceptum Domini lucidum. *P.* Illuminans oculos. ℣. Timor Domini sanctus, permanet in sæculum sæculi. *P.* Illuminans oculos. ℣. Gloria, et honor. *P.* Illumimans oculos.

Lauda. In sanctis ejus laudate Dominum : Alleluia, alleluia. *P.* In firmamento virtutis ejus. Alleluia. *Psalmus* CL.

Prophetia, Fili, Habe fiduciam. *fol.* 95.

Hymmus.

Deus pater ingenite
Et Fili unigenite,
Quos Trinitatis unitas
Sancto connectat Spiritui.
Te frustra nullus invocat,
Nec cassis umquam vocibus
Amator tui luminis
Ad, cœlum vultus erigit.
Et tu suspirantem, Deus,
Vel vota supplicantium,
Vel corda confitentium,
Semper benignus aspice.
Nos lucis ortus admonet,
Grates deferre debitas;
Tibique laudes dicere,
Quod nox obscura præterit.
Diem precamur bonum;
Et nostros, Salvator, actus
Sinceritate perpeti
Pius benigne instruas.
Deo patri sit gloria, etc.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi. *Quære fol.* 96.

Capitula. Lex tua indeficiens ac irreprehensibilis convertat animas nostras : et testimonium tuum fidele præstet parvulis sapientiam : tuæ quoque justitiæ corda nostra lætificent, nec contristent : tuumque præceptum oculos mentium nostrarum illuminet.

Pater noster. A malo nos libera. *Quære fol.* 10.

Lauda. Odor Sanctorum tuorum. *P.* Sicut odor Libani. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. *P.* Sicut odor. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Alleluia, alleluia, alleluia.

Alia Lauda. Sanctus es, Domine, et in Sanctis habitas. Alleluia. *P.* Et cum Sanctis tibi semper laus. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Quoniam magnus Dominus, et laudabilis. *P.* Et cum Sanctis. ℣. Gloria, et honor, etc. *P* Alleluia, alleluia, alleluia.

Benedictio. Dominus nos sua benedictione. *Quære fol.* 100.

Lauda ad fontem. Rigans montes, de superioribus tuis. Alleluia. *P.* De fructu tuo replébitur terra. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Quoniam percussit petram, et fluxérunt aquæ. *P.* De fructu. ℣. Gloria et honor, etc. *P.* Alleluia, alleluia, alleluia.

Hic faciat Commemorationes, ut in fol. 94.

In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

Ad tertiam.

Prophetia. Fili, Custodi sermones meos. *Quære fol.* 96.

Antiphona 1. Virtus mea, Domine, diligam te firmamentum meum. *Psalmus* XVII, *usque* Et retribuit mihi Dominus.

Oratio. Refugium nostrum, Domine, in tuum semper collocemus arbitrium : ut nec scopulis alidamur, nec tumentium mundanorum fluctibus; sed in cunctis adversis, dexteræ tuæ fortitudine protegi mereamur ; disciplina tua doceamur ; doctrina tua dirigamur ; et incrementis spiritualibus dilatemur: Famulatum fidei tibi Domino inpendamus : ut a te gloriæ coronam in remuneratione percipere mereamur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Laudans invocabo Dominum : et ab inimicis meis salvus ero. *Psalmus* XVII. Et retribuit, *usque* Deus, qui præcinxit.

Oratio. Domine, firmamentum nostrum, et refugium nostrum, de tentatione nos eripe: da protectionem salutis tuæ ; et dextera tua **102** nos suscipe et disciplina tua nos edoce, et immaculatam viam nostram, vitamque constitue : et quia tu sanctus in Sanctis es ; nos quoque tibi collatione sanctitatis associa. *Respondeat Chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. 3. Quis Deus præter Deum nostrum? aut quis Deus præter Dominum ? *Psalm.* XVII. *Reiteretur. Antiphona.* Quis Deus.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

℟. Audiam, Domine, vocem laudis tuæ.

P. Et enarrem universa mirabilia tua. ℣. Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ, *P.* Et enarrem. ℣. Gloria, et honor, etc. *Reiteretur.* ℟.

Lauda. Alleluia, alleluia. Salvos nos fac, Domine Deus noster. Alleluia, alleluia. ℣. Et congrega nos de gentibus. *P.* Alleluia, alleluia. ℣. Gloria, et honor, etc. *P.* Alleluia, alleluia.

Preces. Averte iram tuam a nobis, P. Et miserere. ℣. Adsit potentia tua, Domine. P. Et miserere. ℣. Benedic hereditati tuæ, Domine. P. Et miserere. ℣. Concede pacem Ecclesiæ tuæ. P. Et miserere. ℣. Delicta dele, veniam concede Domine. P. Et miserere. *Reiteretur.* Averte Domine.

Supplicatio. Oremus Redemptorem. *fol.* 96. Kyrie, eleison. ℟. Christe, eleison, Kyrie, éleison.

Capitula. Fortitudo nostra Domine dona nobis, dilectionem tui nominis perpetim possidere: dignare esse nostra contra adversantes virtus; firmamentum contra impugnantes; liberator contra captivantes: ut tuis ex toto defensaculis circumcincti, sic adversa mundi mens nostra non metuat, ut et blanda non

requirat: tuaque semper gratia contenta, muneribus gaudet. A

Pater noster. A malo nos libera. *fol.* 10.

Ad Sextam, omnia dicantur ut in Sexta, quæ dicitur per totum annum. Ad Nonam, ut suprà.

Ad Vesperos.

Lauda. Vespere, mane, et meridie te laudamus Domine.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Antiphona 1. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? *Psalmus* XIV.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Antiphona 2. Justus Dominus. Alleluia. P. Justitiam dilexit. Alleluia, alleluia. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Alleluia, alleluia. B

Hymnus.

Adesto nostris precibus,
Adesto jam propitius
O Christe! mundi gloria
Fuso lumine irrigua.
Te vespertina oratio,
Te matutina concinit,
Tibi indefesse personet
Hymnus cum dulci carmine.
Deo Patri sit gloria, etc.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi. *Quære fol.* 96.

Capitula. Ad vespertinum, Domine, venientes occasum, te Dominum postulamus æternum; ut tenebrosi operis culpas à nobis jubeas ablui: iniquitatem non meditemur in sensibus nostris, neque mentes nostræ enerventur inlusæ: sed cingulo castitatis constrictæ matutino in tempore corde et corpore puro mereamur servire. C

Pater noster. A malo nos libera. *Quære fol* 10.

Benedictio. Concedat nobis Dominus præmium sincerissimæ charitatis; ut cum omnibus semper in pace vivamus. ℟. Amen. Inimicorum omnium superemus insidias, et præsentem vitam sine crimine peragamus. ℟. Amen. Simus et a reatu conscientiæ liberi; ut nihil metuamus judici post futuro. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius.

Lauda. Confitebor Domino, Alleluia. Secundum justitiam ejus. Alleluia. P. Et psallam. Alleluia. ℣. Lætabor et exultabo in te et psallam nomini tuo Altissime. P. Et psallam. ℣. Gloria, et honor Patri. etc. P. Et psallam. *Oratio.* Imple omnes petitiones nostras. *Quære infra in Matutinis de feria quinta sequenti. Commemorationes ut supra in secunda feria. Quære fol.* 94. D

FERIA QUINTA

Ad Matutinum. Antiphona. In nomine Domini nostri Jesu Christi lumen cum pace. ℟. Deo gratias. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Antiphona. Iniquitates meas tu dele, Deus meus. *Psalmus* L.

Oratio. Agnoscentibus nobis iniquitates nostras, et propria tibi Domino pandentes piacula, ejulantes lachrymis, pectore verberato supplices oramus: ut avertas a nostris sceleribus faciem tuam; et deleas, quæ gessimus, **103** cuncta peccata: Crea itaque Deus in corde nostro, quod ames; et propitiatione solita dimitte, quod odis: ac si te crebro ad irascendum nostra iniqua exasperant vitia; tua te nobis placabilem reddat indulgentia copiosa. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster, etc.

Antiphona 1. Delicta qui solus intelligis; à peccatis nostris munda nos, Domine. *Psalmus* XVIII.

Oratio. Ab occultis nostris munda nos Domine purgando conscientiam, quæ internis ac propriis inficitur maculis: ab aliénis quoque parce servis tuis, ut ea indulgeas, quæ vel malorum exemplis addicimus, vel pravis inlecti persuasionibus perpetramus: ut qui te proprium agnoscimus Dominum, nequaquam peccatorum sentiamus alterius dominatum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Exaudi nos in die, qua invocamus te, Domine Deus noster. *Psalmus* XIX.

Oratio. Imple Domine omnes petitiones nostras; ac mitte nobis auxilium de sancto: memor esto omnis sacrificii nostri, quod tibi non solum oblatione, sed etiam oratione atque afflictione dicamus ut nos tibi humiles semper facias, et contritos attendas. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Cantabimus et psallemus virtutes tuas, Domine. *Psalmus* XX.

Oratio. Domine qui nos prævenire dignatus es gratia redemptionis, præveni item in benedictione dulcédinis: et qui vitam temporalem cunctis mortalibus tribuis, vitam penitus æternam nobis omnibus largiaris. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

℟. Adjutorium nostrum. P. In nomine Domini. ℣. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus. P. In nomine Domini. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *Reiteretur.* ℟. Adjutorium.

Ad canticum. Antiphona. Ne extermines plebem tuam Domine et hereditatem quam liberasti.

Canticum Deuteronomii (*Cap.* IX).

Domine Domine rex deorum cœlorum, * ne extermines populum tuum.

Et hereditatem tuam, quam liberasti de terra Ægypti, * in virtute tua magna, et brachio tuo excelso.

Commemorare Abraham, Isaac, et Jacob famulorum tuorum, * quibus jurasti per temetipsum:

Ne respicias duritiam populi hujus, * et impietates et peccata eorum:

Ne dicant in cordibus suis inhabitantes terram, * unde nos eduxisti,

Dicentes: Eo quod non potuit introducere illos Deus in terram, * quam dixerat eis; et cum odisset, necare ejecit eos in eremo:

Et hic populus tuus, et operatio tua, * quos eduxisti de terra Ægypti in virtute tua magna, et brachio tuo extento.

Gloria, et honor Patri, etc.

Ad Matutinarium. Antiphona. In tuo Deus lumine. *P.* Videbimus lumen. ℣. Ostende misericordiam tuam scientibus te; et justitiam tuam iis, qui recto sunt corde. *P.* Videbimus lumen. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, etc. *Reiteretur. Antiphona.* In tuo Deus.

Lauda. Laudate Dominum in sanctis ejus, Alleluia, alleluia, alleluia : laudate eum in firmamento virtutis ejus. Alleluia. P*salm.* CL.

Prophetia. Fili, Habe fiduciam. *Require fol.* 95.

Hymnus.

In matutinis surgimus
Reddentes laudes debitas,
Deo, Jesuque Domino
In unitatem gloriæ.

Sanctorum choro psallimus.
Cervices nostras flectimus,
Ft genua prosternimus.
Peccata nostra pandimus,

Oremus Deum jugiter,
Vincamus in bono malum
Cum fructu pœnitentiæ,
Votum perenne reddere.

Christum rogemus, et Patrem,
Christi Patrisque Spiritum ;
Ut det nobis auxilium,
Et repellat hostem individum.

Deo Patri sit gloria, etc.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi. *Require fol.* 96.

Capitula. Deus, cujus arbitrio condita sunt omnia, veritate subsistunt manentia, cœlum continetur et terra ; misericordiam tuam rogamus, coram oculis nostris prætende, ne a summo bono tumore dejiciamur superbiæ : semper humilitatis gradu ad cœlum mereamur conscendere : et quia tu fons et vitæ fluens, ex te hauriamus quod fide sitimus,
104 et in tuo lumine lumine scientiæ luceamus, ac justitiæ fructum sempiterna in exaltatione metamus.

Pater noster. A malo nos libera. *Require fol.* 10.

Lauda. In Sanctis tuis, Domine, omnes dicamus : Gloria, et honor. P. Ubi sunt repositæ Sanctorum reliquiæ. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Exaltabunt in gloria : et lætabuntur in cubilibus suis. P. Ubi sunt repositæ.

Alia Lauda. Vox lætitiæ, et salutis. Alleluia. P. In tabernaculis justorum. Alleluia, alleluia. ℣. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me. P. In tabernaculis. ℣ Gloria, et honor Patri, etc. P. In tabernaculis.

Benedictio. Concedat nobis Dominus. *Require fol.* 102.

In nomine Domini.

Lauda de Fonte. Magnus est Dominus super omnes gentes. Alleluia. P. Sitienti populo demonstra-
A vit fontes. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt : *P.* Sitienti populo. ℣. Gloria, et honor, etc. *P.* Sitienti populo.

Prophetia. Fili, Custodi sermones meos. *Require fol.* 96.

Antiphona 1. Deus Deus noster respice nos ; non nos derelinquas sperantes in te, *Psalmus* XXI *usque* Tu autem Domine, ne elongaberis.

Oratio. Christe, qui de patibulo ad Patrem, ut quid te dereliquerit, adclamasti ; qui Cruce tua hominem peccato perditum redemisti ; illumque peccati auctorem æternis arsurum ignibus tradidisti : postulamus sanctam clementiam tuam, ut nos, qui in te credimus, numquam derelinquas ; nec confidentiam nostram a tua Deitate repellas : sed per
B diem clamorem nostrum suscipe, et in nocte placito tibi famulatu servire concede : semperque corda nostra in amorem tui flagantia spirituali succende ; et gratiam tuam, quam peccando amisimus, convertendo restitue. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Ad defensionem nostram Deus noster respice. *Psalmus* XXI.

Oratio. Respice in nos Domine Deus noster ; nec avertendo faciem tuam a nobis, nos aliquatenus derelinquas : vere enim salvi erimus, si vultus tui in nos aspectum converteris, et hilariter nostris te animabus conjunxeris : ut quia in te speraverunt patres nostri, et salvi facti sunt, nos hereditariæ fac eorum spei succedere ; et parilitate horum, æter-
C naque cum eis exultatione gaudere. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. In medio Ecclesiæ laudabo te, Domine. *Psalmus* XXI. *Et reiteretur.*

℟. Adjuva me, Domine Deus meus : *P.* Et salvum me fac in tua misericordia. ℣. Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eripias me. *P.* Et salvum me fac. ℣. Gloria, et honor, etc. *Reiteretur* ℟.

Lauda. Alleluia, alleluia, alleluia, alleluia, alleluia. *P.* Cantabo Domino in vita mea, Alleluia, alleluia : ℣. Psallam Deo meo quandiu ero. P. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣ Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Cantabo Domino.

Preces. Domine Jesu Christe, exaudi nos Domine. ℣. Bellis imminentibus eripe nos Domine. ℣. Custodiis Angelicis defende nos Domine. ℟. Delictorum
D vinculis absolve nos Domine. *Reiteretur* Domine Jesu Christe, exaudi nos Domine.

Kyrie, eleison. ℟. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Capitula. Ad defensionem nostram Domine Deus noster, dignanter respice, eripe a framea animas nostras : et ne doctrina pascamur letali, nos tutamine rege ; simulque de ore leonis, rapere nos cupientis, libera : et ab oblatrantis perfidia canis, pervigili contuitu, sollicita nos protege cura.

Pater noster.

Ad Sextam, omnia dicantur ut in Sexta, quæ dicitur per totum annum. Ad Nonam, ut supra.

Ad Vesperos de Infirmis. A

Lauda. Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo?

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Sono. Sana Domine omnes languores nostros, Alleluia. Redime de interitu vitam nostram, Alleluia, alleluia.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Antiphona. Christe Domine, qui es medicus salutaris, *P.* Tribue languidis subsidium medicinæ cœlestis. ℣. O Domine, salvos nos fac! O Domine! bene prosperare. *P.* Tribue languidis. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Tribue.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lauda 1. Salvos nos faciat dextera tua. Alleluia.
105 P. Exaudi nos Domine Deus noster, Alleluia, alleluia. ℣. Ut confiteamur nomini sancto tuo: et gloriemur in laude tua. P. Exaudi nos. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Exaudi nos.

Alia Lauda. Salvos nos fac Domine Deus noster: Alleluia. P, Et congrega nos de nationibus. Alleluia, alleluia. ℣. Ut confiteamur nomini sancto tuo: et gloriemur in laude tua. P. Et congrega. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Alleluia, alleluia.

Hymnus.

Christe cœlestis medicina Patris,
Verus humanæ medicus salutis
Providæ plebis precibus potenter
Pande favorem.

En ob infirmos tibi supplicamus,
Quos nocens pestis valitudo cassat;
Ut pius morbum releves jacentum,
Quo quatiuntur.

Qui potestate manifestus extans,
Mox Petri socrum febribus jacentem,
Reguli prolem, puerumque salvans
Centurionis.

Ferto languenti populo vigorem;
Effiue largam populis salutem;
Pristinis more solito reformans
Viribus ægros.

Corporum morbos animæque sana;
Vulnerum causis adhibe medelam:
Ne sine fructu cruciatus urat
Corpora nostra.

Omnis impulsus penitus recedat;
Omnis incursus crucians liquescat;
Viror optatæ foveat salutis
Membra dolentis.

Jam Deus nostri miserere fletus,
Pro quibus te nunc petimus mederi;
Ut tuam omnis recubans medelam
Sentiat æger:

Quo per illata mala dum teruntur,
Eruditorum numero decori
Compotes intrent, sociante fructu,
Regna polorum.

Gloriam psallat chorus, et resultet,
Gloriam dicat, canat, et revolvat;
Nomini Trino, Deitati soli
Sidera clament.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum cum omni supplicatione rogemus, ut vulnera famulorum suorum omnium fidelium infirmorum propitius curare dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus. Kyrie, eleison. ℟. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Capitula. Precamur Domine, ut nos in ira tua non arguas; et furorem tuum in nos desævire non sinas: sed placidus corrector tolle peccandi usum; ne nos arguendo durius, propellat ad nihilum. Miserere ergo infirmitati nostræ: et famulorum tuorum omnium fidelium infirmorum tuam imperti
B medelam et quos cernis proprio turbati peccato, quietos deputa, misericorditer indulgendo.

Pater noster. A malo nos libera. *fol.* 10.

Benedictio. Omnipotens Dominus, qui fidelissimis famulos suos omnes fideles infirmos corporali corripit vulnere, ipse illos, et nos a corporis mentisque ægritudinibus expiet. ℟. Amen. Quique nostram in se suscepit infirmitatem, ipse nobis, et illis tribuat tolerantiæ sine fine mercedem. ℟. Amen. Sic omnes in communi ejus pietas foveat; ut nec corrupta nostra salus desæviat, nec desperationi infirmitas illata succumbat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Salvos nos fac Domine Deus noster: Alleluia. ℟. Ut confiteamur nomini sancto tuo. Alleluia.
C P. Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo. P. Ut confiteamur. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Ut confiteamur.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus. *Quære infra.*

FERIA SEXTA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Ne projicias nos Domine a facie tua: et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a nobis. *Psalmus.* L.

Oratio. Ne projicias nos Domine a facie tua; nec auferas misericordiam tuam a nobis: ut quos reatus facinoris tenet obnoxios, miserationis tuæ clementia faciat absolutos. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

D *Antiphona* 1. Salvator noster salva nos in dilectione tua. P. Et indulgentia tua libera nos. ℣. Ad te levamus oculos nostros, qui habitas in cœlis. P. Et indulgentia. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Et indulgentia.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus inclina aurem tuam supplicationibus nostris, et famulis tuis omnibus fidelibus infirmis adversa corporis valetudine laborantibus cœlestis **106** gratiæ medicinam concede. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Ostende nobis Domine misericordiam tuam: P. Et salutare tuum da nobis. ℣. Ut confiteamur nomini sancto tuo: et gloriemur in laude tua

P. Et salutare. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Et salutare.

Oratio. Deus, qui confitentium tibi corda purificas, et accusantem conscientiam ab omni vinculo iniquitatis absolvis : da indulgentiam famulis, et cœlestis gratiæ sinceram medicinam eorum tribue corporibus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Convertere, Domine, et eripe animas nostras : P. Et salvos nos fac propter misericordiam tuam. Quia non est in morte, qui memor sit tui. ℣. Domine, ne in furore tuo arguas nos, neque in ira tua corripias nos. P. Et salvos. ℣. Gloria, et honor, etc. Et salvos nos.

Oratio. Adesto, quæsumus, Domine supplicibus nostris : et quibus austeritatem justæ correctionis infligis, propitius adhibe auxilium misericordissimæ consolationis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Virtus nostra, Domine, esto firmamentum infirmis, *P*. Esto refugium, et liberator oppressis. ℣. Esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis. P. Esto refugium. ℣. Gloria, et honor, etc. *Reiteretur*. ℟.

Ego occidam, et vivere faciam : percutiam, et ego sanabo.

Canticum Deuteronomii (*Cap*. XXXII).

Vidit enim eos fatigatos, * et defectos in obductione, et dissolutos.

Et dixit : Ubi sunt dii tui Israel, * in quibus confidebas in ipsis ?

De quorum adipe sacrificiorum edebatis, * et bibebatis vinum libationum eorum :

Exurgant nunc, et adjuvent vos, * et fiant vobis protectores

Videte, videte quoniam ego sum Dominus, * et non est alius præter me :

Ego sum, qui occidam, et vivere faciam : * percutiam, et ego sanabo.

Gloria, et honor Patri, etc.

Reiteretur Antiphona.

Matutinarium. Antiphona. Illumina, Domine, vultum tuum super nos, et miserere nobis. P. Ut cognoscamus in terra viam tuam. ℣. Deus misereatur nostri, et benedicat nos. P. Ut cognoscamus. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Ut cognoscamus.

Lauda. Laudate Dominum omnes Gentes : Alleluia, alleluia. P. Et collaudate eum omnes populi, ℣. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus : et veritas Domini manet in æternum. P. Et collaudate eum. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Et collaudate eum.

Lectio libri Hieremiæ Prophetæ (*Cap*. XXIX),

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Ecce ego visitabo vos : et suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum. Ego enim scio cogitationes, quas cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis, et non afflictionis, ut dem vobis fidem,

A salutem, et patientiam. Et invocabitis me, et timebitis : orabitis me, et ego exaudiam vos. Quæretis me, et invenietis : cum quæsieritis me in toto corde vestro. Et inveniar a vobis, ait Dominus omnipotens. ℟. Amen.

Hymnus. Christe cœlestis. *Supplicatio*. Oremus Redemptorem mundi. *Require fol*. 108.

Capitula. Respice Domine super famulos tuos omnes fideles ægrotos tui nominis invocatione audentes : tribue eis medicinam cœlestem ; tutelam mentis infunde, et ab omni infirmitate, et languore eos liberare dignare.

Pater noster. A malo nos libera. *Require fol*. 10.

Lauda. Salvos nos fac. *Benedictio*. Omnipotens Dominus. *Require fol*. 105.

B *Per Horas diei, ut in alio tempore ; excepto quod ad Tertiam dicantur hæc omnia, quæ sequuntur*.

Prophetia. Fili, Custodi sermones meos *Require fol*. 95.

Antiphona 1. Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.

Oratio. Domine fortis et potens, Domine virtutum, ipse es rex gloriæ : ab omni peccato cor nostrum munda, et manus nostras innoxias serva ; et animas nostras a vanitate dissocia : ut in loco sancto tuo stare, et a te Domino Deo nostro benedictionem mereamur percipere. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

107 *Antiphona* 2. Ad te Domine levavi animam

C meam, Deus meus. *Psalmus* XXXIV.

Oratio. Ad te Domine formam animæ nostræ, spei adminiculo erigentes, precamur ; sic eam desideriis spiritualibus imbuas, ut carnaliter conversari desistat : ne inimici derideant promittendo terrena sed specialis gratia pertrahat ad superna. Tu itaque Deus omnipotens id sapere concede, ut veritati potius quam mandatio ambiat inhærere ; sic libeat humilitati insistere, ut per id et morbum superbiæ caveat, et tuorum præmia bonorum cum Sanctis participare suescat. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Vide humilitatem meam, Domine, vide laborem meum : et dimitte peccata mea. *Psalmus* XXIV.

D ℟. Ad adjuvandum nos festina, Domine ; ad liberandum nos. P. Ne tardaveris. ℣. Deus in nomine tuo salvos nos fac : et in virtute tua libera nos. P. Ne tardaveris. ℣. Gloria, et honor, etc. *Reiteretur*. ℟.

Lauda. Alleluia, alleluia, alleluia, alleluia, alleluia, alleluia. Laus tibi, laus tibi, laus tibi, laus tibi, Jesu Christe. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio cum Sancto Spiritus per cuncta sæcula. Amen. P. Alleluia, alleluia.

Preces. Non est alius. P. Nisi tu Deus. ℣. Quæ orari poscit. P. Nisi tu Deus. ℣. Qui misereri poscit. P. Nisi. ℣. qui contritos sanet. P, Nisi. ℣. Qui infirmos visitet. P. Nisi. ℣. Qui captivos liberet. P. Nisi. *Reiteretur*. Non est alius.

Capitula. Ad te Domine levantes animas nostras A precamur, ut eas spirituali sustollas desiderio, quæ carnali sæpius demerguntur voto, dona humilitatem, quam ipse videas, et perfice fructuosum laborem, ut peccata dimittas : simplicitas et æquitas nostris inhæreant animis; dolus et injustitia procul recedant, in nobis.

Pater noster. A malo nos libera. *fol.* 10.

Ad Sextam, omnia dicantur, ut in Sexta, quæ dicitur per totum annum. Ad Nonam ut supra.

SABBATO SANCTÆ MARIÆ.

Sciendum est, quod omnibus Sabbatis per totum annum (præter si non occurrerit festum novem lectionum) semper facimus officium B. M. V. modo sequenti : Incipiendum est.

Ad Vesperos. B

Lauda. Virgo Israel, ornare tympanis tuis. P. Et egredere in choro psallentium. ℣. Beata es regina, quæ propicis quasi lumen. P. Et egredere in choro.

Oratio. Virgo Israel, quæ utique mater Videntis intelligeris : adorna tympana tua, id est, membra Ecclesiæ tuæ ; ut te habeamus patronam in sæculo, quam beatam reginam credimus permanere in futuro : ut prospicientes te lumen credulitatis nostræ sine dubio esse, te interpellante, favorem beatitudinis mereamur firmissimæ obtinere. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Sono. Dominus Deus cœli benedicat tibi, honorem regni dabit in manu tua. P. Et adorabunt coram te filii multarum Gentium. Alleluia. ℣. Audi, filia, quia exaltata es, et facies fulget in templo Dei : sol justitiæ in ingressu tuo orietur. P. Alleluia. C

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Antiphona. Benedicta tu a Deo Altissimo, præ omnibus mulieribus. P. Propter hoc non discedet laus tua ab ore hominum usque in sæculum. ℣. Beatam me dicent omnes generationes. Quia ancillam humilem respexit me Deus. P. Propter hoc. ℣ Gloria, et honor, etc. P. Propter.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Alleluia. Gaude, filia Sion : lætare, et exulta in omni corde, filia Hierusalem. P. Quoniam abstulit inimicos tuos rex Israel Dominus. Alleluia, ℣. Lauda Hierusalem Dominum : et collauda Deum tuum Sion. P. Quoniam abstulit. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Quoniam. D

Hymnus.

O decus sacrum Virginum,
Quem Virgo vehit Unicum,
Et virgines Almificum
Sequuntur sanctæ Dominæ.
Qui plaustrum domicilium.
Faxisti jam virgineum,
Quo cum cuneis, virginum
Cluit caput præcipuum.
Hoc templum jam terrigenum
Numen cudit cœlicolum.
A qua redemptum sæculum
Extat, et omnis tartarus.
Qui sic suscepit Virginem,
Poli terræque Reginam ;
Et Angelorum compotem
Fecit in arcem sublimem.
Illic Virgo sanctissima,
Nostra defer precamina.
108 Quo tu tranasti gloria,
Commemorationis inclyta.
Per tuum Unigenitum,
Quem genuisti Dominum,
Cæli petamus gremium
Diu per omne sæculum. Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus ; ut nos gratia ipsius, et per intercessionem Sanctæ Mariæ Virginis genitricis suæ nobis salutem animæ, et corporis propitius tribuere dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus.

Kyrie, eleison. ℟. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Capitula. Virgo Christi genitrix, et humani generis reparatrix, implorantium preces auribus offer divinis : ut tuo gaudeamus munere digni, intercessu tuo peccaminum apud Deum obtinere remissionem, cujus sexus absque pudoris corruptione omnium genuit Salvatorem.

Pater noster. Liberati a malo. *Quære fol.* 2.

Benedictio. Dominus Jesus Christus, qui olim ex Virgine dignatus est nasci, suæ nos Genitricis intercessione sanctificet. ℟. Amen. Quique matrem servavit a corruptelæ contagio, sinum nostri cordis emaculet a delicto. ℟. Amen. Et qui eam fecit Virginem manere post partum, cœlum nobis tribuat possidere post transitum. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri, etc.

Lauda. Rami mei, rami honoris, et gratiæ. Alleluia, P. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Domini, sperabo ; et in misericordia Dei mei in æternum, et in sæculum sæculi. *P.* Ego quasi vitis. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Ego quasi vitis.

Oratio. Mira satis, Domine, radix Ecclesiæ tuæ, quæ proficit, et crescit usque ad perfectum diem, cujus rami Martyres, cujus præpendicula effecti sunt Confessores, inter quos Beatissima Virgo Maria Genitrix tua, quasi vitis vera fructificans, dum odorem gratiœ fidelibus propinat in sæculo, æterno promeretur consolari de præmio : quæsumus ergo, ut suffragiis ejus odore virtutum odores criminum fugiamus, ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster.

In nominè Domini.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea, Domine, aperies : et os meum annuntiabit laudem tuam, *Psalmus* L.

Oratio. Exultent in te, Domine, labia nostra præconio veritatis ad collaudandam veram commemorationem illibatæ Mariæ genitricis : et quæ de terris potentialiter meruit supernis sedibus divinitus at-

tolli, mereamur ob ejus favorem ab omnibus hic A peccatis erui, et illic beatorum fulgentibus choris misericorditer induci. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster.

Antiphona 1. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum. P. Beata tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. ℟. Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. P. Beata tu inter mulieres. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Beata tu inter mulieres.

Oratio. Gratiam plenam habere te credimus, o Virgo Christi genitrix, et humani generis reparatrix gloriosa Maria; quæ tanta nobis gaudia pariendo contulisti, ut fructus ventris tui, qui est Christus filius Dei a dominio in nos sævientis eriperet inimici, et in regno æterno consortes faceret sibi me- B tipsi: proinde te quæsumus, teque rogamus; ut adsis patrona nobis, ut et merito tuo nos Filius tuus a delicto exules reddat, et post in regno suo perenniter habitaturos introducat. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Antiphona 2. Magnum miraculum jam vidimus in Virginis Conceptione; ut nec virginitatem amitteret, nec genitricis pondera didicisset. ℣. Sola meruit Deum ferre post cœlos; sola meruit Virgo venire post partum. ℣. Domini est terra, et plenitudo ejus: orbis terrarum, et universi qui habitant in eo. *P.* Sola meruit Deum. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Sola meruit. C

Oratio. Magnum valde miraculum vidimus in Virginis Conceptione; ut nec decore pudoris careret, nec genitricum onera sustineret: nec enim fas erat, ut illa haberet suspiria, quæ omnium gaudia pariebat: aut origo lætitiæ nosceret, vim doloris: sic etenim sola meruit virgo venire post partum, **109**
quia in ipsa verbum est caro factum: ob hoc te precamur, Jesu bone, quod sicut Genitrici tuæ contulisti hoc præmium, ita nobis miseris adsis concedendo remedium. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster.

Antiphona 3. Magnificat anima mea Dominum: et exultavit spiritus meus in Deo solutari meo. *P.* Quoniam respexit humilitatem ancillæ suæ. ℣. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera D mea regi. *P.* Quoniam respexit. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Quoniam respexit.

Oratio. Quanta tibi Sanctissima Virgo Dei, et Mater, divina pietas, magna et ampliora distribuit! ut cum esses Virgo terrigena, facta es Altissimi Mater et vernula: ut qui sanctum ipsius nomen in omni generatione, et prosapia nuntiasti, nobis infirmis succurrat detersa male rancoris suggestione: Et qui tibi affluit optimus habitator, in nobis præesse dignetur mitissimus retributor: ut per unum Deum in Trinitate perfectum, et credulitatis merita vigeant, et distributionis gaudia coalescant: Et immeriti hoc deposcimus te, regina et Mater Creatoris omnium sæculorum; ut per te fruamur paradisi florea voluptate, quæ integra permansisti Virgo Deifica. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

℟. Placuit Deo castitas, et Immaculata virginitas. *P.* Propter hoc in utero ejus ingressa est sancta pietas de verbo; et partum ostendit admirabile: Genuisse virginem Deum et hominem. ℣. Annuntiaverunt cœli justitiam Dei: et viderunt omnes populi gloriam ejus. *P.* Propter hoc. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *Reiteretur* ℟. Placuit Deo.

Oratio. O sacratissima Verbi ancilla, et mater, quam ostendit generatio Virginem, et virginitas comprobat Genitricem; patulo pietatis sinu concurrentem ad te populum suscipe; tu profusis pietatis tuæ visceribus pascito gregem, quem suo Filius ex te progrediens mercatus est sanguine: simus tuo præmuniti præsidio, qui suavi servitutis tuæ delectamur perfrui jugo: ut hic nos tu multiplici affectu tuearis in sæculo, et post ex te Genitus regnaturos possideat in æternum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Fecit magna qui potens est: et sanctum nomen ejus. Et misericordia ejus in omni progenie et generatione.

Canticum. Magnificat anima mea Dominum. *Require fol.* 50.

P. Fecit mihi magna qui potens est: et sanctum nomen ejus. Gloria, et honor Patri, etc. P. Et misericordia ejus in omni progenie et generatione.

Ad Renedictus. Antiphona. Filia Sion benedic Domino Deo excelso in omni benedictione et laude.

Canticum. Benedictus es Domine. *Require fol.* 6.

Sono. Dominus Deus cœli benedicat. *Quære fol.* 107.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis: Alleluia. Laudate eum in excelsis. Alleluia. *Psalmus* CXLVIII. *Lectio libri Cantici Canticorum Salomonis* (*Cap.* IV).

℟. Deo gratias.

Hortus conclusus soror mea, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus (*Cap.* VI). Una est columba mea, et perfecta mea, una est matris suæ, electa genitricis suæ. Viderunt illam filiæ, et beatissimam prædicaverunt; reginæ et concubinæ, et laudaverunt eam. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? (*Cap.* VIII). Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delitiis affluens, innixa super dilectum suum? Pone me ut signaculum super brachium tuum, ut signaculum super cor tuum: et vera Dei permanet dilectio. ℟. Amen.

Hymnus. O decus sacrum Virginum. *fol.* 107.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi. *fol.* 108.

Capitula. Matutinis precibus te, Domine, exoramus piissimum; ut sicut illustris gloriosissima Virgo Maria in cœlis est coronata, ita per meritum ejus

acceptabilissimi favoris apud te conlætari merea- A
mur in cœlestibus regnis.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Rami mei. *Benedictio.* Dominus Jesus Christus, qui olim. *Quære fol.* 108.

In nomini Domini.

IN SECUNDO DOMINICO POST OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Ad Vesperos.

Lauda. Die mandavit Dominus misericordiam suam, **110** et nocte declaravit. ℣. Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo : Susceptor meus es, *P.* Et nocte declaravit.

Oratio. Deus, qui tuam in die mandas misericordiam, et in nocte declaras : quæsumus, ut in die nos protegas ad salutem ; et in nocte defendas ad re- B
quiem. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Sono. Te decet hymnus in Sion : et tibi reddetur votum. P. In Hierusalem. Alleluia. ℣. Exaudi, Domine, orationem nostram : ad te omnis caro veniet. P. In Hierusalem. Alleluia.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Antiphona. Alleluia. Deus sapiens corde, et fortis robore. Qui commovet terram de loco suo. Qui prohibet soli, et non oriemur ; et stellas claudit quasi sub signaculo. Qui extendit cœlos solus, et graditur super fluctus maris. P. Qui facit magna, et mirabilia, quorum non est numerus. ℣. Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus : et sapientiæ ejus non est numerus. P. Qui facit. ℣. Gloria, et C
honor, etc. P. Qui facit.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. In toto corde meo exquisivi te : Alleluia. P. Ne repellas me a mandatis tuis. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Da mihi intellectum, et præscrutabor legem tuam : et custodiam illam in toto corde meo. P. Ne repellas me. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Ne repellas me.

Hymnus.

Christe lux mundi, salus, et potestas.
Qui diem solis radiis adimples,
Noctem et fulvam faciens corusco.
Sidere pingis.
Certis ut totum moribus peractum
Temperes mundum vicibus recursis,
Atque resolvat omnium labores D
Sorte quietis.
Ecce vergentem rotat hora solem
Vesperis rursum remeantis ortum,
Hinc et astrorum chorus omnis alto
Surgit Olympo.
Nos pio cultu tibi præcinentes.
Vocibus sacris modulamus Hymnis,
Sensibus totis simul excitamur,
Pangere laudes
Thura libamus tibi, magne rector,
Lumen et sacrum Domino exhibemus,
Fervidum guttans, madidumque summo
Vertice nectar.
Præstet ut votum ; ferat ut medelam ;
Donet ut nostris veniam delictis ;
Firmet ut sensus ; placida quiete
Mulceat artus.
Et licet noctis subeant profunda
Horridis mundi tenebris operta ;
Mens tamen nostra fidei supernæ
Splendeat ortu.
Desinant culpæ, vigilet vicissim.
Noster inlabens animus ; nec ulla
Sensus involvat gravior vagantum
Spirituum turma.
Cor enim nostrum vigilet sopore,
Somniet Christum, Dominumque semper
Insonet Psalmis, meditetur Hymnis
Nocte dieque.
Gloria summo celebret Parenti
Gloria Christo, pariterque Sancto ;
Prædicet Trinum pia voce nomen.
Omne per ævum.

Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem. *Quære fol.* 108.

Capitula. Laus tibi omnipotens Deus, quoniam jam dies tetris molitur horis : jam occasus metitur in vesperum : jam soporifera quies fessos refecit artus : jam Olympi tramitem fere curricula laxant : jam vespertina polifera visibilia lustrat, pervigilesque mentes sobrietatis cantica psallant : ut reciproco lucis obortu sospitatis pudicitiæque flagrent protinus : rursusque nos aurea crepuscula lustrent ; ut, noctis expoliati velamine, dies nos alterna reposcat.

Pater noster. Liberati a malo. *Quære fol.* 2.

Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Benedictio.

Æternus Dominus, qui humilitate potius quam sacrificio placatur : ipse vobis peccata dimittat, et clementiæ suæ miseratio semper subveniat. ℟. Amen. Vestra vota, desideriaque Christus Dominus in bono adimpleat, et salutis copiam animabus vestris concedat. ℟. Amen. Qui larga miseratione peccatoribus veniam donat, ipse vobis miscricordiæ suæ dona attribuat. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius Dei.

Lauda. Tu mandasti mandata tua. Alleluia. *P.* Custodiri nimis. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas. *P.* Custodiri nimis. ℣. Gloria, et honor, etc. *P.* Alleluia, alleluia, alleluia.

111 *Oratio.* Desiderium tuorum Domine. *Require infra in Matutinis istis.*

Ad Matutinum.

Hymnus. Æterne rerum Conditor. *Require fol.* 3.

Oratio. Æternum te Dominum, rerumque. *Require fol.* 14.

Antiphona. Domine quid multiplicati sunt, qui

tribulant me? tu autem Domine susceptor meus es. A
Psalmus III.

Antiphona. Dele, Domine, iniquitates meas. *Psalmus* L.

Antiphona. In te confidit anima mea. *Psalmus* LVI.

Oratio. Domine Deus, apud quem confitentes medelam salutis inveniunt : dele piaculorum vulnera de cordibus hominum : et ostende super nos clementiæ tuæ clarissimum vultum; tuumque clamoribus supplicum inclina sanctum auditum : Effunde mentibus nostris tuæ gratiæ donum : et concede postulantibus remedium quæsitum : ac cui ad impendendum debitum nostræ servitutis consurgimus; effunde benedictionis et salutis abundantiam super populum tuum : ac dele misericors scelus contra- B
ctum : et fac nos esse liberos a reatu facinorum : audi gemitus pœnitentium : largire indulgentiæ fructum ; et clamoribus pulsantum fidelium concede singulis suffragium postulatum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 1. Desiderium pauperum exaudivit Dominus : præparationes cordis eorum exaudiet auris tua. Judicare pupillo et humili. *P.* Ut non apponat ultra magnificare se homo super terram. ℣. Exurge Domine, non prævaleat homo : judicentur gentes in conspectu tuo. *P.* Ut non apponat. ℣. Gloria, et honor, etc. *P.* Ut non apponat.

Oratio. Desiderium tuorum Domine pauperum sic intende propitius, ut et donorum cœlestium nobis
copiam tribuas; et tumorem prætereuntium rerum C
a nobis avertas : Auris quoque tua nostram ita orationum intendat, ut dum pupillo humilique judicium feceris, paterna nobis indulgentia blandiaris; et pro humiliatione præsentium gaudia retribuas æternorum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Propter miserias inopum, et gemitum pauperum. P. Nunc exurgam, dicit Dominus. ℣. Eloquia Domini, eloquia casta : argentum igne examinatum, terræ purgatum septuplum. P. Nunc exurgam. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Nunc exurgam.

Oratio. Deus, qui superbis resistis, et linguam magniloquam labiaque dolosa disperdis; fac nos
fasta eloquia tua, quæ velut argentum igne probatum D
sunt examinata, percipere : ut, omni arrogantiæ tumore dejecto, expositoque corruptionis nostræ contagio, geminæ dignitatis splendorem sicut a te inditum in nostra conditione suscepimus, ita per te renovatum per omnia retineamus. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Usquequo, Domine, oblivisceris nos in finem? quousque avertis faciem tuam a nobis? P. Respice, et exaudi nos Domine Deus noster. ℣. Quandiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? P. Respice. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Respice.

Oratio. Respice et exaudi nos Domine Deus noster : ad placandum timidos conatus nostros adjuva : da finem operis, qui dedisti principium voluntatis : da, ut possimus implere, qui dedisti, ut velimus incipere. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

℟. Habeant, Domine, finem peccata nostra : deleatur iniquitas, et induamur justitia sancta tua. *P.* Ut lætetur iterum Hierusalem. ℣. Tu exurgens misereberis Sion : quia venit tempus miserendi. *P.* Ut lætetur. ℣. Gloria, et honor, etc. *Reiteretur.* ℟.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Deus, vera sunt opera tua, et omnes viæ tuæ judicio.

Canticum. Attende cœlum. *Require fol.* 4.

Oratio. Descendat Domine, ut pluvia. *Require fol.* 93.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum in omnia sæcula sæculorum.

Canticum. Benedictus es Domine Deus. *Require fol.* 6.

Oratio. Domine Deus, qui super Cherubim sedens, laude magnificaris creaturæ subjectæ : ut dum magna condideris, incomparabiliter tu magnificentissimus æstimeris : tibi ad nutum obtemperant cuncta, quæ te auctore subsistunt; et hoc illis est in honore,
112 quod sunt à te condita, et sunt subjecta : Proinde ita proficere præsta, ut dum labia in tuis benedictionibus pandimus, benedictionem cœlestis gratiæ impetremus. ℟. Amen.

Sono. Emitte lucem tuam, Domine, et veritatem tuam. Alleluia. ℣. Judica me Domine, et discerne causam meam de gente non sancta. Alleluia.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis : Alleluia. Laudate eum in excelsis. Alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Eclesiastes Salomonis (*Cap.* III).

℟. Deo gratias.

Fili, homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, et intelligentiam, et lætitiam : peccatori autem dedit afflictionem, et curam superfluam, ut addat, et congreget, et tradat ei qui placuit Deo : sed hoc vanitas et causa solicitudo mentis. Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub sole. Tempus nascendi, et tempus moriendi. Tempus plantandi, et tempus evellendi quod plantatum est. Tempus occidendi, et tempus sanandi. Tempus destruendi, et tempus ædificandi. Tempus flendi, et tempus ridendi. Tempus plangendi, et tempus saltandi. Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi. Tempus amplexandi, et tempus longe fieri a complexibus. Tempus acquirendi, et tempus perdendi. Tempus custodiendi, et tempus abjiciendi. Tempus scindendi, et tempus consuendi. Tempus tacendi, et tempus loquendi. Tempus dilectionis, et tempus odii. Tempus belli, et tempus pacis. Quid habet amplius homo de labore suo? Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea. Cuncta fecit bona in tempore

suo, et mundum tradidit disputationi eorum, ut non A inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem. Et cognovi quod non esset melius nisi lætare, et facere bonum in vita sua. ℟. Amen.

Hymnus. Splendor paternæ gloriæ. *Require fol.* 67.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi. *Require fol.* 66.

Capitula. Decantet tibi Ecclesia tua, Domine, novum canticum in choro fideliter ; teque crebra meditatione in tympanis concinat confidenter. Tu itaque clemens tribue, ut sic tibi beneplaceat in populis, quemadmodum gloriose jocundaris in Angelis : et quomodo te in Matutinis diversitas redemptorum concelebrat, sic tibi in lumine placitum famulatum B sui officii repræsentet. Da igitur populo tuo, omnipotens Deus, tibi affatim complacere : laudemque tuam plena sanctitate proferre : Sicque nos facias hujus diei momenta transcurrere, ne gressus ad te properantium adversarius suus valet in compede præpedire : ut quos mercatus es sanguine, salvastique per crucem, et sublevasti per fidem ; resuscites in virtute ; et ad cœlum provehas inenarrabili majestate : Quique te nunc mœsto lumine suspectant e terris, et gemebundis cordibus prosequuntur ab imis ; dextera tua adtrahantur in supernis : et gloriæ amicti stolis, te in Hymno novo glorificent perenni jocunditate cum Sanctis.

Pater noster. Liberati a malo. *Quære fol.* 2.

Lauda. Cantate Domino canticum novum : Alle- C luia. *P.* Laus ejus in Ecclesia sanctorum. Alleluia, alleluia. ℣. Lætetur Israel in eo, qui fecit ipsum : et filiæ Sion exultent super regem suum. *P.* Laus ejus. ℣. Gloria et honor, etc. *P.* Laus ejus.

Benedictio. Æternus Dominus, *Quære fol.* 110. In nomine Domini.

Commemorationes. Quære fol. 94.

Exeunte Vespera Lauda. Illumina oculos meos, Domine, ne unquam obdormiam. *P.* In morte. ℣. Respice, et exaudi me, Domine Deus meus : ne quando dicat inimicus meus : Prævalui adversus eum. P. In morte.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Sono. Deus, in te speravi Domine, non confundar in æternum : in tua justitia libera me. Alleluia. D ℣. Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum, ut salvum me facias, Deus. Quia firmamentum meum, et refugium meum es tu. Alleluia.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Antiphona. Non est alius Deus præter me : ego fundavi terram, et hominem super eam : *P.* Ego firmavi cœlos, et omnes stellas, lucem mandavi. ℣. Domine Deus virtutum converte nos : et ostende faciem tuam : et salvi erimus. P. Ego firmavi cœlos. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Ego firmavi cœlos.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Lauda. In corde meo abscondi eloquia tua : Alleluia. *P.* Ut non peccem tibi. Alleluia. ℣. Benedictus es Domine ; doce me justificationes tuas. *P.* Ut non peccem. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. ℣. Ut non peccem.

113 *Hymnus.*

O Lux beata Trinitas :
Et principalis Unitas :
Jam sol recedit igneus,
Infunde lumen cordibus.

Jam noctis tempus advenit :
Quietem nobis tribue,
Diluculo nos respice
De cœlo clementissime.

Tu Christe solve vincula,
Absterge nostra vitia,
Relaxa prius crimina,
Et indulge facinora.

Oramus, ut exaudias :
Precamur, ut subvenias,
Christe Jesu omnipotens,
Tu nos a malo libera.

Te mane laudum carmine,
Te prædicamus vespere ;
Te nostra supplex gloria
Per cuncta laudet sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi. *Require fol.* 66.

Kyrie, eleison. ℟. Christe, eleison, Kyrie, eleison.

Capitula. Illuminatio salusque nostra. *Et Benedictio.* Dignare, Domine, hanc familiam tuam. *Require fol.* 97.

Per misericordiam tuam.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Lauda. Cantabiles erant mihi, Domine, *P.* Justificationes tuæ. Alleluia, alleluia. ℣. Hæc facta es mihi : quia justificationes tuas exquisivi. P. Justificationes tuæ. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Justificationes.

Oratio. Desiderium tuorum Domine. *Require retro fol.* 111. *Commemorationes fol.* 94.

IN TERTIO DOMINICO POST OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Sabbato Vesperum.

Lauda. Illumina oculos meos, Domine, ne umquam obdormiam. P. In morte. ℣. Respice, et exaudi me Domine Deus meus : nequando dicat inimicus meus : Prævalui adversus eum P. In morte.

Oratio. Illumina oculos nostros Domine : ut in te fidei nostræ defixo obtutu, et consilium anima nostra amoris tui dulcedine capiat, et dolorem in corde nostro timoris tui recordatione concludat. ℟. Amen. Per misericordiam.

Sono, et Antiphona, Lauda, Hymnus dicantur, ut in Exeunte de secundo Dominico præterito fol. 110.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi. *Quære fol.* 66.

Capitula. Deus, qui vicissitudinem diei, et noctis esse jussisti, ut fatigata mundi actibus membra, spatio interveniente, requiescerent : præsta nobis noctem quietam, ut ad confessionem nominis tui sine ullo peccato diluculo consurgamus : et auxilium virtutum tuarum, tuam clementiam deprecemur, ut confirmes nos in præceptis tuis, et sapientiæ tuæ splendore semper illumines; nec ulla vitiorum caligine, mentes nostras enervare permittas.

Pater noster. Et ne. Liberati à malo, etc. *fol.* 2.

Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Christus Dominus qui erraticam ovem humeris suis in cœlum reduxit, ipse vos a sordibus peccatorum expurget. ℟. Amen. Qui latroni affixo peccata donavit; eumque paradiso restituit, ipse vos à cunctis peccatis mundet, et præsentia suæ claritatis illustret. ℣. Amen. Abstergat à vobis omne scelus peccaminum, et in cætu conlocet omnium Beatorum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Concupivit anima mea desiderare judicia tua. P. In omni tempore : Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Memento verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti. P. In omni tempore. ℣. Gloria, et honor. P. Alleluia, alleluia, alleluia.

Oratio. Ab occultis nostris. *Require infrà.*

Ad matutinum.

Hymnus. Æterne rerum Conditor. *Require fol.* 3.

Oratio. Te omnipotentem Dominum, omniumque rerum Dominatorem : te humani generis Redemptorem, cuncta ubique diffusa confitetur Ecclesia, firmissime supra petram fundata : in qua te precantes exaudis, et flentium culpas abluis, luctumque mœrentium in gaudium vertis : sic gallo canente spem tribuis cunctis : sic valetudine peccatorum detemptos, facis fiducialiter convalescere ægros : proinde rogamus, ut respectu pietatis tuæ, errantes à fide placatus corrigas, ac cunctis tuis supplicibus indulgentiam culparum concedas : et ut vox nostra te primum, semperque excelsum personet matutinis officiis, te verum Deum prædicando, et laudando, pervigilet. ℟. Amen.

Per misericordiam.

114 *Antiphona.* Multi dicunt animæ meæ : non est salus ipsi in Deo ejus. P*salmus* III.

Antiphona. Lava me ab injustitia mea Deus meus : et à peccato meo munda cor meum. P*salmus* L.

Antiphona. Exaltare super cœlos Deus : et super omnem terram gloria tua. P*salmus* LVI.

Oratio. Clementissime Domine, qui es animarum, etc. *Quære. fol.* 14.

Antiphona 1. Delicta nostra tu solus intelligis : a peccatis nostris munda nos Domine. P. Et ab alienis parce servis tuis, Domine. ℣. Cœli enarrant glo-
A riam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. P. Et ab alienis. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Et ab alienis.

Oratio. Ab occultis nostris munda nos Domine purgando conscientiam, quam internis ac propriis inficimus maculis : ab alienis quoque parce servis tuis, ut ea indulgeas, quæ vel malorum exemplis addiscimus, vel pravis inlecti persuasionibus perpetramus : ut qui te propriam agnoscimus Dominum, peccatorum nequaquam sentiamus ulterius dominatum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona 2. Mitte nobis Domine auxilium de sancto : P. Et de Sion tuere nos Domine. ℣. Exau-
B diat te Dominus in die tribulationis : protegat te nomen Dei Jacob. P. Et de Sion. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et de Sion.

Oratio. Imple Domine omnes petitiones nostras ac mitte nobis auxilium de sancto : memor esto omnis sacrificii nostri, quod tibi non solum oblatione, sed etiam oratione, atque afflictione dicamus : ut nos tibi humiles semper facias, et contritos adtendas. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Desiderium animæ nostræ dona nobis Domine. P. Prævenit nos in benedictione dulcedinis. ℣. Vitam petiit : et dedisti ei in longitudine dierum in æternum, et in sæculum sæculi. P. Præveni nos : ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Præ-
C veni nos in.

Oratio. Domine, qui nos prævenire dignatus es gratia redemptionis, præveni item in benedictione dulcedinis : et qui vitam temporalem cunctis mortalibus tribuis, vitam petentibus æternam nobis omnibus largiaris. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℣. Bonus est Dominus sustinentibus eum : animæ quæ inquirit eum. Bonum est confidere et sperare in salutare Domini. Bonum est viro. P. Cum tulerit jugum grave à juventute sua. ℣. Beatus vir, qui confidet in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. P. Cum tulerit. ℣. Gloria etc. *Reiteretur* ℟.

In Laudibus .

D *Ad Canticum. Antiphona.* Deus fidelis, in quo non est iniquitas : justus et sanctus Dominus Deus.

Canticum. Attende Cœlum. *fol.* 4.

Oratio. Deus fidelis, in quo nulla est iniquitas : tu justus et sanctus, et Dominus : qui et si nostris operibus provide irritaris ; non tamen, ut peccavimus, vindictam exerces; nec condigna retributione prævaricantes corripis : admones terrore ; et adloqueris pietate : ut et justitiam teneas, et misericordiam non omittas : Porta ergo nos alis tuis, ut pupillos ; et protege ac filios tuos : quo nos, et in fortitudinem terræ deducas ; et plenitudine virtutum ac frugum enutrias. ℟. Amen.

Per misericordiam.

*Ad Benedictus.Antiphona.*Supra thronum regin A
in firmamento cœli, benedictus Dominus.

Canticum. Benedictus es Domine Deus. *fol.* 6.

Oratio. Domine Deus patrum nostrorum. *fol.* 93.

Sono. Deus Deus meus ad te de luce vigilo. P. Sitivit anima mea. Alleluia, alleluia. ℣. In matutinis meditabor in te : quia fuisti adjutor meus, Domine. Et in velamento alarum tuarum sperabo. P. Alleluia, alleluia.

Lauda. Laudate Dominum de Cœlis : Alleluia, alleluia. P*salmus* CXLVIII.

Lectio libri Ecclesiastes Salomonis (*Cap.* IX).

℟. Deo gratias.

Fili, sunt justi ac sapientes, et opera eorum in manu Dei : et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit : sed omnia in futurum reservantur B
incerta, eo quod universa æque eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas, et sacrificia contemnenti : sicut bonus, sic et peccator : ut perjurus, ita et ille, qui verum dixerat. Hoc est pessimum inter omnia, quæ fiunt sub sole, quia eadem cunctis eveniunt : unde et corda filiorum hominum implentur malitia et contemptu in vita sua, et post hæc ad inferos deducentur. Nemo est qui semper vivat, et qui hujus rei habeat **115** fiduciam : melius est canis vivens leone mortuo. Viventes enim sciunt se morituros. Mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem : quia oblivioni tradita est memoria eorum. Amor quoque, et odium, et invidia simul perierunt, nec habent partem in hoc sæculo, et in opere quod C
sub sole geritur. Vade ergo et comede in lætitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum : quia Deo placent opera tua. ℟. Amen.

Hymnus. Splendor paternæ. *fol.* 67.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi. *Quœre fol.* 66.

Capitula. Quantam tibi, Domine, creatura tua offerat laudem? numquid humanis laudibus aliquid proficis, aut eges quidpiam, ut terrenorum laudibus delecteris? qui tam laudabilis laudabiliter conlaudaris in sanctis; tantisque acclamaris præconiis legis? Sed ideo partem laudis delectaris accipere, qui plenam laudationem etiam laudatoribus nosti conferre. Da ergo Domine dignum in nobis, quod digne conlauderis à nobis : Te potentatus cœlestis militiæ indesi- D
nenter conlaudet : et magnitudinem tuam confessionis magnitudo concelebret : Te in tubis præconia jubilent Prophetarum, et psalmorum cantica citharæ depromat dulcedo : Te in tympanis personet perfectio sanctitatis : Teque virginum vasa sacra circumdent in thronis : Te omnium corda crebra meditatione permulceant : et in specialibus organis dulci fragore perstridant. Ut cuncta creatura tua, in cymbalis labiorum fide tinniens, jugi motu clamitet : teque omnis spiritus debita laudatione persultet : et in te omnis creatura redempta, beatitudine perfecta tripudiet.

Pater noster. Et ne nos. Liberati à malo, etc. *Quœre fol.* 2.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda Cantate Domino canticum novum : Alleluia, alleluia. ℣. Laus ejus in Ecclesia sanctorum Alleluia.

Benedictio. Christus Dominus, qui erraticam ovem *Quœre fol.* 113.

In nomine Domini, etc.

Commemorationes dicantur, ut in fol. 94. *Item in exeunte Vespera, omnia dicantur, ut in exeunte Vespera de primo Dominico post Octavam Epiphaniæ, fol.* 94. *exceptis Epistola, et Benedictione quæ sequuntur.*

Kyrie, eleïson. Christe, eleïson. Kyrie, eleïson.

Capitula. Omnipotens Deus tuam indigni.

Benedictio. Dominus nos sua benedictione. *fol.* 100. *Omnia alia ut suprà fol.* 94.

IN QUARTO DOMINICO POST OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Sabbato ad Vesperum.

Lauda. In noctibus extollite manus vestras in sancta, P. Et benedicite Dominum. ℣. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. P. Et benedicite.

Oratio. In noctibus manus nostras ad te extollimus Domine, ut nos in Ecclesia tua fixos statuas ; ac dum mundialibus imprimimur sarcinis, nostra laudare te actione concedas. ℟. Amen. Per misericordiam.

Sono. Refugium meum : Deus meus sperabo in eum. Quoniam ipse P. Liberavit me de muscipula venantium, et à verba aspero. Alleluia. ℣. Qui habitat in adjutorium Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Dicit Deo ; Susceptor meus es tu Deus meus. P. Liberavit.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Ecce clamat custos ; Veni mane, et nocte. P. Si quæritis, quærite. Convertimini, venite. ℣. Venite, exultemus in Domino : jubilemus Deo salutari nostro. P. Si quæritis. ℣. Gloria, etc. Si quæritis.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Adhæsit pavimento anima mea, Domine : P. Vivifica me secundum verbum tuum. Alleluia. alleluia, alleluia. ℣. Vias meas annuntiavi, et exaudisti me : doce me justificationes tuas. P. Vivifica me. ℣. Gloria, etc. P. Vivifica me.

Hymnus. Inventor rutilis dux boni. *fol.* 91 *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *Quœre fol.* 66.

Capitula. Deus auctor luminis, conditor claritatis, qui submovisti omnia opera tenebrarum ; ut in nobis lucis tuæ plenitudo regnaret : respice, quæsumus, super hoc lumen accensum, et hanc gratiam benedictionis, à nobis omnibus exoratus, infunde : ut sicut hæc flamma ad altaris tui obsequium constituta vincit tenebras, ac repellit : ita illuminatio tua a sensibus nostris superet omnem fomitem vitiorum.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Benedictio. Christus Dominus nos custodiat propitius, et benedicat placatus. ℟. Amen. **116** Clementia sua nos protegat, et a cunctis malis incessanter defendat. ℟. Amen. Ejus vos gaudeatis munere digni, qui peccatorum veniam concedit benignus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Tu mandasti mandata tua. Alleluia. *P.* Custodire nimis. Alleluia, alleluia. ℣. Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas, in omni tempore. *P.* Custodire nimis. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, etc. P. Custodire.

Oratio. Deus virtus, et refugium. *Require in Matutinis sequentibus.*

Ad Matutinum.

Hymnus. Æterne rerum Conditor. *Quære fol.* 3.

Oratio. Deus, qui provida majestate, creaturæ totius gubernationem impendis, et diurnis curis quietem nocturnam opponis : tu ne mens prolixitate tenebrarum exæstuet, gallo nos consolaris canente, ut dum præco diei sonat, diurni operis meditatio reviviscat : respice nos jugiter clementi intuitu, et instiga, ne profundæ noctis rore persuasi, diei obliviscamur perennis ; sed labentes in tenebris erige, et videndo nos corrige : ut cum Petro resipiscamus errata, et paribus lachrymis crimina defleamus commissa. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Gloria mea, et exaltans caput meum. *Psalmus* III.

Antiphona. Tibi soli peccavi, miserere mei Deus. *Psalmus* L.

Antiphona. Mitte de Cœlo, et libera me Domine : da opprobrium conculcantes me. *Psalmus* LVI.

Oratio. Omnipotens Domine, cui in cœlestibus rite offertur summa ab Angelis gloria; tribue, ut in te sit gloriatio nostra; perveniatque ad te humilis confessio populorum : et de quibus te, peccando offendimus, ad fructum indulgentiæ te propitio redeamus : ut miserando errata ignoscas, et ad promerendum te inclyta virtute subvenias. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 1. Deus nostrum refugium, et virtus. P. Adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. ℣. Propterea non timebimus dum conturbabitur terra, et transferentur montes in cor maris. P. Adjutor. ℣. Gloria, et honor. P. Adjutor.

Oratio. Deus, virtus, et refugium nostrum, esto nobis adjutor in tribulationibus ; ut in nullo nostra metuat conscientia, cum te judicante, conturbata fuerit terra : fluminis tui impetus, tanquam in Sanctis tuis habitans, lætificat civitatem : atque in ea sumat ex vultu tuo adjutorium, cum Sancti Spiritus te largiente perceperit donum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Converte nos Deus Salvator noster;
A et averte iram tuam a nobis. P. Ne in æternum irascaris nobis. ℣. Deus tu convertens vivificabis nos : et plebs tua lætabitur in te. P. Ne in æternum. ℣. Gloria, et honor. P. Ne in æternum.

Oratio. Converte nos Deus salutaris noster; et averte iram tuam a nobis : ac super populum tuum præsta pacem, quam loqueris ; ut plebs tua lætetur in te; ac salutare tuum custodia salutis intelligens, vel misericordiam tuam temporum prosperitate cognoscat, vel benignitatem tuam fructum fœcunditate suscipiat. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Deus Deus noster, respice. P. Nos sperantes in te, non nos derelinquas. ℣. Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt : in te speraverunt, et
B non sunt confusi. P. Nos sperantes. ℣. Gloria, et honor. P. Nos sperantes.

Oratio. Respice in nos Domine Deus noster ; ne avertendo faciem tuam a nobis, nos aliquatenus derelinquas : vere enim salvi erimus, si vultus tui in nos aspectum converteris, et hilariter nostris te animabus conjunxeris : ut quia in te speraverunt patres nostri, et salvi facti sunt, nos hereditariæ fac eorum spei succedere ; et parilitate horum, æterna cum eis exultatione gaudere. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

℟. Domine, ne despicias cor contritum, et humiliatum ne spernas. P. Intende Domine, placare nobis : fac Domine, noli tardare. ℣. Convertere Domine aliquantulum : et delectare super servos tuos.
C P. Intende Domine. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur* ℟.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Deus scientiarum Dominus est; ipse mortificat, et vivificat, ducit ad inferos et reducit.

117 *Canticum.* Confirmatum est cor meum. *Quære fol.* 55.

P. Deus scientiarum Dominus est : ipse mortificat, et vivificat, ducit ad inferos et reducit.

Oratio. Domine Deus scientiarum ac sapientiæ immensæ: tu præparas adinventiones tuas, ut infirmes arcus potentium; et infirmos ardore succingas: dum in se fidentes dejicis ; et in te sperantes attollis : dum plenos attenuas panibus; et esurientes sufficientia reples : qui scientia tumentes excludis ; et humiliter sapientes nec magniloquio fidere, nec su-
D perbe de tuis muneribus gloriari jubes: sed ita esse studiosos doctrina, ut tibi demus gloriam : nobis autem reservemus obedientiam. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster.

Ad Benedictus. Antiphona. Noctes, et dies, lux, et tenebræ Dominum Deum nostrum benedicite.

Canticum. Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum. *fol.* 6. *Oratio.* Domine Deus, qui super, *Quære fol.* 111.

Sono. Alleluia. In matutinis meditabor in te Domine: quia factus es adjutor meus. Alleluia, alleluia. ℣. Deus Deus meus, ad te de luce consurgo. Sitit te anima mea.

Lauda. Laudate Dominum de Cœlis : Alleluia : A
laudate eum in excelsis. Alleluia, alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Sapientiæ Salomonis (*Cap.* VI).

℟. Deo gratias.

Reges populi, diligite justitiam, ut in perpetuum regnetis : quid est autem sapientia, et quemadmodum facta sit, referam : et non abscondam a vobis sacramentum Dei, sed ab initio nativitatis investigabo, et ponam in luce scientiam illius, et non præteribo veritatem : neque cum invidia tabescente iterabo : quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ. Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum : et rex sapiens populi stabilimentum est. Ergo accipite disciplinam per sermones meos,
et proderit vobis. (*Cap.* VII.) Sum quidem et ego B
mortalis homo, similis omnibus, et ex genere terreno illius, qui prius factus est, et in ventre matris figuratus sum caro, novem mensium tempore coagulatus in sanguine, et semine hominis, et delectamento homini conveniente. Et ego natus accepi communem aerem, et similiter in factam decidi terram, primam vocem similem omnibus emisi plorans. In volumentis nutritus sum, et in cunis vagiens. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium. Unus ergo omnibus est introitus ad vitam, et similis exitus. Propter hoc optavi, et datus est mihi sensus et invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ. ℟. Amen.

Hymnus. Splendor paternæ gloriæ. *fol.* 67.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi. C
Quære fol. 66.

Capitula. Emitte Domine lucem tuam et veritatem tuam in reditu dierum, et in corda credentium; in ordine temporum, et in devotione populorum ; in munere gratiæ, et in ministerio creaturæ : ut lux tua aperiat aspectum, et veritas intellectum : ut lux tua illuminet, et veritas informet : ut lux tua discutiat tenebras, et veritas errorem : ac per utriusque rei efficientiam, nec interior homo noster vacillet lubrico fluctuandi ; nec exterior sordeat contagione peccati ; sed sint opera in nos lucis, atque opera veritatis : Ut lux tua procuret in tempore, et veritas confirmet in munere.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Cantate Domino canticum novum : Alleluia, alleluia. ℟. Laus ejus in Ecclesia sanctorum. D
Alleluia.

Oratio. Tibi Domine in Ecclesia Sanctorum cantamus ; tibique gratiam præconamus : tribue nobis, laudes tuas promere ; in quo coæternum nos credimus præmium obtinere. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini, etc.

Commemorationes dicantur, ut in fol. 94. *Item in exeunte Vespera, omnia dicantur, ut in exeunte Vespera de primo Dominico post Octavam Epiphaniæ fol.* 94. *excepto, quod dicantur Capitula, et Benedictio subsequentes.*

Kyrie, eleison. ℟. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Capitula. Vespertinis precibus te Dominum deprecamur perpetuum ; ut mala facinora nostra omittas, criminibus parcas, flammam malæ concupiscentiæ benignus extinguas : et illum ignem Spiritus tui Sancti, in nobis accendas, quo tua possimus mandata servare. Mortem effuga, vitam dona, virtutem insinua, et clemens vitia reseca : orationes suscipe, et miserationes concede; **118** ut noctis hujus caliginem superemus : et pervenientes ad diem in lumine ambulemus, ne a via veritatis erremus. In te quæsumus piissime Pater surgamus, et tuo Sancto Spiritu animemur; atque in Christo filio tuo, æternis splendoribus fulgeamus.

Pater noster. Et ne nos. Liberati a malo, etc. *fol.* 2.

Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit. ℟. Et cum spiritu tuo.

Benedictio. Ad Dominum ascendat orationum vestrarum fusa petitio. ℟. Amen. Quicquid ab eo poscitis, Clementissimus Pastor adtribuat. ℟. Amen. Regat mentes vestras consilio salutaris, et animas vestras in tentationem non patiatur induci. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda dicatur ut in Exeunte de primo Dominico post Octavam Epiphaniæ; et similiter Oratio. 94.

IN QUINTO DOMINICO POST OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Sabbato ad Vesperum.

Lauda. Ad Vesperum demorabitur fletus ; P. Et ad Matutinum lætitia. ℣. Convertisti planctum meum in gaudium mihi : conscidisti saccum meum, et præcinxisti me lætitia. P. Et ad Matutinum lætitia.

Oratio. Sana nos, Domine, dum clamamus ad te : et ut fletus nostros vespertinos in gaudium vertas, matutina lætitia nobis, te opitulante, citius occurrat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Sono. Intrate portas Domini, in confessione : atria ejus in hymnis confessionum. Alleluia. ℣. Laudate nomen ejus, quoniam suave est : in æternum misericordia ejus, et usque in sæculum sæculi veritas ejus. Alleluia.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Benedicam te Domine Deus meus : P. Et laudabo nomen tuum quia tu es, qui facis mirabilia. ℣. Exaltabo te Domine Deus meus, et rex meus : et benedicam nomen tuum in æternum, et in sæculum sæculi. P. Et laudabo. ℣. Gloria, et honor. P. Et laudabo.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Alleluia. Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me, Deus : Alleluia. P. Quia mandatis tuis credidi. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Bonitatem fecisti cum servo tuo Domine, secundum

verbum tuum. *P.* Quia mandatis. ℣. Gloria, et ho- A
nor, etc. *P.* Quia mandatis.

Hymnus. Christe lux mundi. *Quære fol.* 110. *Supplicatio.* Oremus. *Quære fol.* 66.

Capitula. Deus omnipotens, qui sine exceptione horæ alicujus, ac temporis spem nobis invocandi te, tribuis: convenientes nunc nos ad vespertina solemnia, et agentes divini munus Officii, propitius exaudire digneris, et præsta: ut hujus diei acti, nullius peccaminis rei, nullius criminis teneamur obnoxii, et siquid illud est, quod fragilitatis nostræ error admisit, tuæ miserationis clementia tergatur.

Pater noster. Et ne nos. Liberati a malo. *fol.* 2.

Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit. ℟. Et cum, etc.

Benedictio. Repleat vos Dominus donis spiritua- B
libus, et participes faciat regni cælorum. ℟. Amen. Carnem vestram mortificet fine vitiorum, et animas vivificet inchoatione virtutum. ℟. Amen. Atque ita vos plenitudine gratiæ suæ locupletet, ut in vestris semper delectetur cordibus habitare. ℟. Amen.

Per.

Lauda. Bonum mihi est Alleluia. *P.* Lex oris tui Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Bonitatem, et disciplinam et scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi. *P.* Lex oris tui. ℣. Gloria, et honor, etc. *P.* Lex oris tui.

Oratio. Fiat misericordia tua Domine super nos. *In eodem fol. Commemorationes, ut supra fol.* 94.

Ad Matitunum.

Hymnus. Æterne rerum Conditor. *Require fol.* 3. C

Oratio. Deus, quem totius Opificem operis laudando concelebrat condita magnitudo, cujusque potentiam intelligibilis creatura miratur: tibi supplices honorem deferimus, te cordis vocibus invocamus; ut qui nos ad Matutinum Officium, gallo præconante, exuscitas, placita tibi nostri famulatus vota efficias, ut tuo fulti præsidio, delinquendo sorduimus abluas; et jugiter prece justificationis tuæ gratiam nobis impertias. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster, etc.

Antiphona. Salus tua Domine super populum tuum; et benedictio. P*salmus* III.

Antiphona. Dele Domine iniquitates meas. *Psalmus.* L.

Antiphona. Clamabo ad Deum altissimum: Deum D
conditorem omnium, qui benefecit mihi. *Psalmus.* LVI.

119. *Oratio.* Domine Deus, cui ad impendendum debitum nostræ servitutis consurgimus; effunde benedictionis et salutis abundantiam super populum tuum: dele misericors scelus contractum; et fac nos esse liberos a reatu facinorum: Audi gemitus pœnitentium; et largire indulgentiæ fructum: et clamoribus pulsatus fidelium, concede singulis remedium postulatum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus, etc.

Antiphona. 1. Avertisti Domine faciem tuam nobis, et facti sumus turbati. Ad te Domine clamamus. et te Deum nostrum deprecamur. P. Ut exaudias nos, et miserearis nobis. ℣. Ad te levamus oculos nostros, qui habitas in cœlis. *P.* Ut exaudias nos. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Ut exaudias nos.

Oratio. Exaltamus te Domine, magnificantes nomen tuum; ut non avertas faciem tuam a nobis; et ne conturbes nos in ira tua; quia ad te Deum nostrum clamamus, et te deprecamur, ut nos exaudias et ut nostri miserearis: converte cor nostrum ad te in bonitate: ut laudemus nomen tuum; et enarmus instanter mirabilia tua. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

Antiphona. Ecce oculi Domini super timentes eum: et in eos, qui sperant in misericordia ejus. P. Ut eripiat a morte animas eorum. ℣. Anima autem nostra patiens est Domino, quoniam adjutor, et protector noster. P. Ut eripiat. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio. P. Ut eripiat a morte.

Oratio. Fiat misericordia tua Domine super nos: ut qui singillatim corda hominum fingis; specialius ea sanctifices: et quia sunt oculi tui super eos, qui te metuunt; timoris tui da nobis plenitudinem: ut agnitionis tuæ nobis conferas largitatem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde: et humiles salvabit. P. Nec derelinquet omnes, qui sperant in eum. ℣. Multæ tribulationes justorum: et de his omnibus liberabit eos Dominus. P. Nec derelinquet. ℣. Gloria. P. Nec derelinquet.

Oratio. Inquirentes te, Domine, dignanter exaudi; atque ut in te gaudeat anima nostra propitius indultor imperti: et qui juxta es his, qui tribulato sunt corde, aurem tuam ad contritionem nostri spiritus pande: et ad pacem tuam, quæ exuberat omnem sensum, corpora nostra et corda converte. ℟. Amen. Per misericordiam tuam.

℟. Domine, omnis conscientia nostra rea est ante te: P. Sed tu Deus potens es mundare nos a peccatis nostris; quia delicta nostra a te non sunt abscondita. ℣. Peccavimus cum Patribus nostris, injuste egimus, iniquitates fecimus. P. Sed tu Deus. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur* ℟.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Dominus humilem facit, et exaltat. Suscitat a terra inopem, et a stercore erigit pauperem: et sedere facit eum cum potentibus populi.

Canticum. Confirmatum est cor meum. *Quære fol.* 55. *Oratio.* Domine Deus scientiarum. *Quære fol.* 117.

Ad Benedictus. Antiphona. Maria et flumina benedicite Dominum: Benedicite fontes Dominum.

Canticum. Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum. *Require fol.* 6. *In primo Dominico de Adventu. Oratio.* Domine Deus Patrum. *Quære fol.* 93.

Sono. Exitus matutini et vespere delectaberis, Deus. Alleluia, alleluia. ℣. Visitasti terram multiplicasti locupletare eam, Deus. Alleluia, alleluia.

Lauda. Laudate Dominum de Cœlis : Alleluia. Laudate eum in excelsis, Alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Ecclesiastici Salomonis (*Cap* I).

℟. Deo gratias.

Fili, omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum. Arenam maris, et pluviæ guttas, et dies sæculi quis dinumerabit ? Altitudinem cœli, et latitudinem terræ, et profundum abyssi quis mensus est? Sapientiam Dei omnia præcedentem quis investigavit? Prior omnium creata est sapientia, et intellectus prudentiæ ab ævo. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, et ingressus illius mandata æterna. Radix sapientiæ cui revelata est et manifestata est ? Et multiplicationem ingressus illius quis intellexit ? Unus est Atissimus Creator omnipotens, Rex potens et metuendus nimis, sedens B super thronum, et Dominus Deus. Ipse creavit illum Spiritu Sancto. ℟. Amen.

120 *Hymnus.* Splendor paternæ, etc. *Quære fol.* 67. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi. *fol.* 66.

Capitula. Dies Dominicus, fratres charissimi, a nobis pia devotione colendus est : illuxit dies Resurrectionis, et pacis : dies veræ lucis, et vitæ : in qua Christus credentium vita resurrexit a mortuis, uberes Deo gratias, laudesque referamus ; ut diem Dominicæ Resurrectionis solemniter celebrantibus, pacem tranquillam, lætitiam specialem nobis dignetur offerre ; ut a vigilia matutina usque ad noctem, misericordiæ suæ favore protecti, Redemptoris nostri munere gaudeamus.

Pater noster. Et ne nos. A malo nos libera, etc. C *Quære fol.* 10.

Lauda. Cantate Domino canticum novum : Alleluia, alleluia, ℣. Laus ejus in Ecclesia Sanctorum. Alleluia.

Oratio. Tibi Domine in Ecclesia. *Require fol.* 117. *Commemorationes ut supra fol.* 94.

Item exeunte Vespera omnia dicantur, ut in primo Dominico, ut supra fol. 94, *excepto quod dicantur Capitula, et Benedictio subsequentes.*

Kyrie, eleison. ℟. Christe eleison, Kyrie, eleison.

Capitula. Jam nos, Domine, nocturnæ caligini propinquatos, nihil verius, nec eligere plus est melius, nisi tibi omnipotens veniam petere delinctorum, quem nostrum cognoscimus factorem te, Domine : adesto D Domine, in orationibus populi tui, et largiter omnium peccata dimitte : non memores, initio peccasse hominem, cum tibi in divinitate similem nostrum conspicis Redemptorem : tu nosti quantum nobis insidiet inimicus : quæsumus, ut nullum de nobis inveniat, quem lucretur, quibus tua gloriosa Trinitas adoranda assidue in Catholica Ecclesia prædicatur.

Pater noster. Et ne nos. Liberati a malo, etc. *fol.* 2.

Benedictio. Omnipotens Dominus, in quo est pietatis immensitas, omni vos benedictione repleat. et propitius a malo defendat. ℟. Amen. Omnibus peccatis vestris Dominus clementer ignoscat, et sibi vos in æternum placituros efficiat. ℟. Amen, Atque ipsius sitis protectione securi, cujus estis gratiæ dignatione redempti. ℟. Amen.

Per misericordiam, etc.

IN SEXTO DOMINICO POST OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Sabbato ad Vesperum

In nomine Domini nostri Jesu Christi, lumen cum pace. ℟. Deo gratias.

Lauda. Apud te est Domine fons vitæ : et in lumine tuo. P. Videbimus lumen. ℣. Filii hominum, in protectione alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab uberibus domus tuæ : et torrente voluptatis tuæ potum dabis eis. P. Videbimus lumen.

Oratio. Domine, apud quem est fons vitæ, et in cujus lumine aspicimus lumen ; enutri in nos tuæ scientiæ splendorem : ut sitientibus nobis vitalem impertias potum ; et caligantium animarum superno lumini restituas intellectum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Sono. Tenebræ non obscurabuntur a te. P. Et nox sicut dies illuminabitur : Alleluia. ℣. Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur : dies formabuntur. Alleluia. P. Et nox sicut.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Benedicite Dominum in omnibus operibus suis. Date nomini ejus magnificentiam. P. Et confitemini in voce laudis, et in canticis labiorum. ℣. Laudate pueri Dominum : laudate nomen Domini. P. Et confitemini. ℣. Gloria, et honor. P. Et confitemini.

Dominus sit semper. ℣. Et cum spiritu.

Lauda. Veniant nihi miserationes tuæ, ut vivam Alleluia. P. Quia lex tua meditatio mea est Alleluia, alleluia. ℣. Fiat nunc misericordia tua ut consoletur me, secundum eloquium tuum cum servo tuo. P. Quia lex. ℣. Gloria, et honor. P. Quia lex.

Hymnus. O lux beata Trinitas. *Require fol.* 113.

Supplicatio. Oremus Redemptorem. *Quære fol.* 66.

Capitula. Defensio nostra, Domine, et illuminatio copiosa, illumina cordis nostri obscura, quæ sordis facinus, et crassum Chaos obnubilat : illumina arcana pectoris, ut contemplare possimus clementiam Redemptoris : suscipe vota fidelium, et pænitentiæ dona remedium : suscipe sacrificium vespertinum cum officio laudis, et restitue **121** beneficium matutinum cum dono æternitatis, ac presta : ut, qui te hic Omnipotentem credimus, in Resurrectione omnium, bona tua copiosius hauriamus.

Pater noster. Et ne. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Benedicat vobis omnipotens Dominus, qui vos dignatus est plasmare de nihilo. ℟. Amen. Ipse sanet languores vestros, qui solus est omnium Dominus et Redemptor. ℟. Amen. Atque ipsi Domino nostro sit semper cura de vobis, in quo est plenitudo vestræ salutis. ℟. Amen. Per misericordiam.

Lauda. Secundum misericordiam tuam, Domine, vivifica me. P. Ut custodiam testimonia oris tui. Al-

leluia, alleluia. ℣. In æternum Domine, permanet A verbum tuum in cœlo. P. Ut custodiam. ℣. Gloria. P. Ut.

Oratio. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. *Quære infra Commemorationes, ut supra fol.* 94.

Ad Matutinum.

Hymnus. Æterne rerum. *Quære fol.* 3.

Oratio. Deus, qui omnem mundum complexum tenebris, splendoris tui radio illuminas, præsentemque diem Apparitionis tuæ miraculo in usibus nostris exuscitas : præsta æterne Deus, ut a nostris lapsibus resurgentes, discusso infidelitatis sopore, pervigili cura in laudibus tuis toto excitemur affectu : ut exuti operibus tenebrarum, sequamur te verum principem lucis, ut sicut nocturnæ caliginis densitatem, claritas diei infusa dispergit, ita ægrotis medicinæ opus in- B fundas, anxiis consolationem concedas ; errantibus viam salutis ostendas ; pœnitentibus donum indulgentiæ tribuas ; quærentibusque, mitis clara luce appareas ; ut, splendore tuæ gloriæ in nobis refulgente, cuncta tua Ecclesia spe, fide, et charitate resplendeat. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster, etc.

Antiphona. Tu autem Domine susceptor meus, et gloria mea, et exaltans caput meum. *Psalmus* III.

Antiphona. Secundum magnam misericordiam tuam, dele Domine iniquitates meas. *Psalmus* L.

Antiphona. Mitte de cœlo, et libera me Domine ; da in obprobrium conculcantes me. *Psalmus* LVI.

Oratio. Susceptor noster Domine exalta caput nostrum in gloria, et locupleta nos in tua misericordia : C lava intima cordis nostri ad injustitia ; et a peccati inquinamentis purifica : mitte de cœlo, et erue nos a conculcantis opprobrio : ut alacres ad hoc tuum recurramus altarium ; et matutinum sacrificium tibi offeramus in templo. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus, etc.

Dominus sit semper. ℟. Et cum spiritu tuo.

Antiphona 1. In te speraverunt patres nostri Domine : P. Speraverunt, et liberasti eos. ℣. Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt : in te speraverunt, et non sunt confusi. P. Speraverunt. ℣. Gloria et honor. P. Speraverunt.

Oratio. Respice in nos Domine Deus noster ; et avertendo faciam tuam a nobis, nos aliquatenus de- D relinquas : vere enim salvi erimus, si vultus tui in nos aspectum converteris, et hilariter nostris te animabus conjunxeris : ut quia in te speraverunt patres nostri, et salvi facti sunt, nos hereditariæ fac eorum spei succedere ; et parilitate horum, æterna cum eis exultatione gaudere. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

Antiphona 2. Misericordia tua Domine subsequatur nos. P. Omnibus diebus vitæ nostræ. ℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam : et salutare tuum da nobis. P. Omnibus diebus vitæ nostræ. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio. P. Omnibus diebus vitæ nostræ.

Oratio. Ostende nobis Domine misericordiam, teque populum præstolantem reple lætitia : quo et plebis tuæ iniquitatem remittas, et peccata nostra ab ira mitigatus, operias. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus, etc.

Antiphona 3. Revertatur impius a via sua mala ; et iniquus cesset delinquere. P. Et veniam ad vos in jocunditate, dicit Dominus. ℣. Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere : divitiæ si affluant, nolite cor apponere. P. Et veniam ad vos. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et veniam ad vos.

Oratio. Effundentibus nobis coram te corda in oratione, tu Domine, qui spes omnium es, exaudi et miserere ; tibique nos servituros subde ; et subditis peccato propitia benignitate occurre ; fac nos iniquitatis rapina **122** carere ; et divitiarum tuarum ornamenta conquirere : atque te concupiscere, te nosse, teque omni vitæ nostræ tempore Deum mereamur habere. P. Amen.

Per misericordiam.

P. Domine inique egimus ; omnis ætas ream habet conscientiam : peccavimus tibi Domine. P. Convertere ad misericordiam. ℣. Peccavimus : impie gessimus, et recessimus, et declinavimus a mandatis tuis. P. Convertere. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur* P.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Non infernus confitebitur tibi Deus, nec mors laudabit te. Vivens vivens confitebitur tibi ; et notam faciet misericordiam tuam.

Canticum Ezechiæ (*Esaiæ* XXXVIII).

Ego dixi : In dimidio dierum meorum * vadam ad portas inferi.

Quæsivi residuum annorum meorum : * dixi : Non videbo Dominum Deum in terra viventium.

Non aspiciam hominem ultra, * et habitatorem quietis.

Generatio mea ablata est a me, convoluta est, quasi tabernaculum pastorum.

Præcisa est velut a texente telam vita mea : dum adhuc ordirer, succidit me : * de mane usque ad vesperum finies me.

Sperabam neque ad mane, * sicut leo sic contrivit omnia ossa mea :

De mane usque ad vesperum finies me : * sicut pullus hirundinis sic clamabam, meditabar ut columba.

Attenuati sunt oculi mei, * suspicientes in excelso.

Domine vim patior, responde pro me. * Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerim?

Recogitabo omnes annos meos * in amaritudine animæ meæ.

Domine si sic vivitur, et in talibus est vita spiritus mei, * corripies me, et vivificabis me.

Ecce in pace amaritudo mea amarissima : * tu autem eripuisti animam meam ut non perirem, et projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te : * non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam.

Vivens vivens confitebitur tibi, sicut et ego hodie : A * pater filiis notam faciet veritatem tuam.

Domine salvos nos fac, * et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.

℣. Gloria, et honor.

P. Non infernus confitebitur tibi, nec mors P. Laudabit te. Vivens vivens confitebitur tibi ; et notam faciet misericordiam tuam.

Oratio. Eripe Domine animas nostras, ut non pereamus in interitu : nostrorum omnium facinora peccatorum pone post tergum tuum ; ut non dejiciamur perditi in infernum; sed a te vivificati, hic fateamur, et veritatem tuam expectantes, psalmos nostros in domum tuam jugiter decantemus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Benedictus. Antiphona. Filii hominum benedicite Dominum Israel ; et omnes sacerdotes servi Dei, benedicite Dominum. B

Canticum. Benedictus es Domine Deus. *fol.* 9.

Sono. Deus misereatur nobis, P. Benedicat nos, Alleluia. ℣. Illuminet Dominus vultum suum super nos, P. Et benedicat.

Lauda. Laudate Dominum de Cœlis. Alleluia, alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Ecclesiastici Salomonis (*Cap.* VI, VII).

℟. Deo gratias.

Fili, cogitatum habe in præceptis Dei, et in mandatis illius maxime assiduus esto : et ipse dabit tibi cor ; concupiscentia sapientiæ dabitur tibi. Noli facere mala, et non te apprehendent. Discede ab iniqua, et deficient mala abs te. Non semines mala C in sulcis justitiæ, et non metes ea in septuplum. Noli quærere ab homine ducatum, neque a rege cathedram honoris. Non te justifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est : et penes regem noli velle videri sapiens. Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute inrumpere iniquitates : ne forte extimes eas faciem potentis, et pones scandalum in agilitate tua. Non pecces in multitudine civitatis, neque mittas te in populo neque diliges duplicia peccata : nec enim immunis eris in uno. Noli esse pusillanimis in anima tua : exorare, et facere eleemosynam ne despicias. Ne dicas : In multitudine munerum meorum respiciet Deus, et offerente me, Altissimus suscipiet munera mea. Non irrideas hominem in amaritudine animæ suæ : est enim qui humiliat et exaltat, D circumspector Deus. ℟. Amen.

Hymnus. Splendor paternæ. *fol* 67. **123** *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *Quære fol.* 66.

Kyrie, eleison. ℟. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Capitula. Jam fulget oriens, jam properat dies, jam fugatis tenebris, aurora rubescit in luce purissima : cœlum, et sol refulgens, radios suos infert mundo : cuncta properant, cuncta festinant, optant Dominum habere propitium; quem suum auctorem semper agnoscunt, pariter et defensorem.

Pater noster. Et ne nos. Liberati a malo, etc.

Lauda. Cantate Domino canticum novem : Alleluia, alleluia. ℣. Laus ejus in Ecclesia sanctorum. Alleluia.

Oratio. Tibi Domine in Ecclesia sanctorum cantamus ; tibique gratiam præconamus : tribue nobis, laudes tuas promere ; in quo coæternum nos credimus præmium obtinere. ℟. Amen.

Per.

In nomine.

Commemorationes dicantur ut fol. 94.

Item in exeute Vespera omnia dicantur, ut in exeunte de primo Dominico fol. 94. *exceptis Capitula, et Benedictione, quæ dicantur, ut subsequentur.*

Kyrie, eleison. ℟. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Capitula. Ad Vespertinum Domine.

Benedictio. Concedat nobis Dominus. *fol.* 102.

IN SEPTIMO DOMINICO POST OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Sabbato ad Vesperum.

Lauda. Die mandavit Dominus. *Oratio.* Deus qui tuam, *Quære fol.* 110.

Sono. Alleluia Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia. Alleluia. ℣. Alleluia. Convertisti, Domine, planctum meum in gaudium mihi : conscidisti saccum meum, et præcinxisti me lætitia, Alleluia.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Antiphona. Tuum Domine regnum : tu es super omnes principes. P. In manu tua fortitudo, et potentia : in manu tua virtus, et imperium. ℣. Domine Deus virtutum converte nos : et ostende faciem tuam : et salvi erimus. P. In manu tua. ℣. Gloria, et honor Patri. P. In manu tua fortitudo

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Fundasti terram, et permanet : Alleluia. P. Ordinatione tua perseverat dies : Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. In æternum Domine permanet verbum tuum in Cœlo. P. Ordinatione. ℣. Gloria.

P. Ordinatione.

Hymnus. Inventor rutilis. *fol.* 91. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *fol.* 66.

Capitula. Si quantam ab originis reatu nostrorum pœnam meremur consequi delictorum : olim humanum genus ad terram proclivum pervenisset ; nisi nos pretio sanguinis sui a tali vinculo resolutos, tibi Domino reformasset : nunc vero, quid tibi populus tuus pro tantis beneficiis proclamet in laudibus ? qualia tibi disponat exhiberi munera, quæ ab illis minime fuerint largita ? Sed nunc Domine, te exposcimus, ut hoc vespertinum, quod tibi lumen incendit, sit oculis tuis acceptum, sit placidum, sit velut ille ignis inextinguibilis, qui populum tuum in columna ignis nocte præcessit in eremo : sit velut ille, qui Eliam rapuit ab hoc mundo, igneoque curru cœlitus provexit : quem Eliseus propriis cernendo oculis aspexit : et dum patrem relinquere noluit, currus Israël, et auriga ejus, vivida voce clamavit : quem Moyses videre promeruit, et cum Domino se locutum, populo nunciavit.

Pater noster. Liberati a malo. *Quære fol.* 2.

Benedictio. Devotionem vestram Dominus dignanter intendat, et remedia vobis opportuna restituat. ℟. Amen. Tranquillam vobis conferat vitam, et bonis omnibus abundare vos faciet. ℟. Amen. Talique vos subsidio pietatis regat in sæculo, ut beatitudinis merito sustollat in cœlum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Quomodo dilexi legem tuam Domine? Alleluia. P. Tota die meditatio mea est. Alleluia, alleluia. ℣. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo! P. Tota die. ℣. Gloria, et honor. P. Tota die.

Oratio. Clamantes ad te Domine. *Require fol.* 124.

Commemorationes, ut in Vesperis de primo Dominico de Adventu Domini.

Ad Matutinum.

Oratio. Domine Deus, Pater omnipotens, inspirator. *Quære fol.* 26.

Antiphona. Gloria mea Deus meus, et exaltans caput meum. *Psalmus* III.

Antiphona. Tibi soli peccavi; miserere mei Deus. *Psalmus* L.

124 *Psalmus.* Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea. *Psalmus* LVI.

Oratio. Ad te Domine clamorem nostræ vocis emittimus; tibique, ut nos de monte sancto tuo exaudias, supplicamus: et quia tu nosti subjectionis nostræ infirmam virtutem, nos dextera tua corrobora: dele mala nocentia; et ad sequendum te corda excita nostra: nam quia salvari per se non confidit humana fragilitas: eripiat animas nostras emissa de cœlo misericordia tua. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster, etc.

Antiphona 1. Benedic Domine hæreditatem tuam: P. Et rege eam, et extolle usque in sæculum. ℣. Quia tu Domine suavis, ac mitis es, et multum misericors invocantibus te. P. Et rege eam. ℣. Gloria, et honor. P. Et rege eam.

Oratio. Clamantes ad te Domine, precamur: ut in consolatione nostra non sileas: nec nos secundum desideria cordis nostri relinquendo, simul cum peccatoribus tradas; salva plebem tuam, quam tu ipse creasti: et benedic hereditatem tuam, quam pretioso sanguine redemisti. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Da virtutem Domine, populo tuo: P. Et benedic in pace plebem tuam: ℣. Et rege eam, et extolle usque in sæculorum. P. Et benedic. ℣. Gloria, et honor. P. Et benedic.

Oratio. Da Domine virtutem populo tua contra adversitatum omnium mala; plebemque tuam pacis conlatione locupleta: ut pro abundantia quietis, omnes in templo tuo tibi gloriam concinant; laudemque pariter et honorem, malis vitæ hujus obliti, tuæ semper deferant majestati. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster.

A *Antiphona* 3. Esto nobis Domine in Deum protectorem. P. Et in locum munitum, ut salvos nos facias. ℣. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! et perfecisti sperantibus in te, in conspectu filiorum hominum. P. Et in locum. ℟. Gloria, et honor Patri. P. Et in locum munitum.

Oratio. Esto Domine in Deum protectorem; ne incolis obsidentibus, nostrarum integritas mentium feriatur: pro loco autem munito tuum habere mereamur auxilium: Nam te nobis obrumbante, nulla virtute valebit inrumpere: nec recessus tentationum penetrabit nostros, si tu intra extraque adfueris, et firmamentum refugiumque nostram tuam dexteram dederis. ℟. Amen.

B Per misericordiam tuam.

℟. Domine virtutum, cum tranquillitate judicas peccatores, et cum reverentia corrigis errantes. P. Tu das peccanti locum pœnitentiæ: tu dona tempus, et moram, per quod possimus mundari a malitia. ℣. Et Domine Deus virtutum, suavis, ac mitis es, patiens, et cum misericordia disponis nos. P. Tu das peccanti. ℣. Gloria, et honor, etc. *Reiteretur* ℟.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. De nocte vigilat spiritus meus ad te Deus: quia lux præcepta tua sunt terram. P. Justitiam discite.

Canticum. De nocte vigilat. *Require fol.* 64.

Oratio. De nocte vigilantem ad te spiritum nostrum, luce Deus decora præceptorum tuorum illustra: C et in tempestate requirentium vigil, ut lux adesto meridiana: Nullæ nos tenebræ te sequentes impediant; nec injustitiæ amor nostra a te vestigia retrahat: sed valeamus justitiam discere, te auctorem justitiæ proficienti postulamus aviditate: ac dum visu perpeti amplecti concupiscimus, tuæ quoque sapientiæ amplexibus perenniter hæreamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Benedictus.

Antiphona. Sacerdotes servi Dei excelsi, Dominum nostrum benedicte.

Canticum. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum. *Quære in primo Dominico de Adventu* D *Domini fol.* 6. *Oratio* Domine Deus patrum. *fol.* 93.

Seno. Illuminans tu mirabilis. Alleluia. P. A montibus æternis. Alleluia. ℣. Cogitatio hominis confitebitur, Deus: et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. P. A montibus.

Lauda. Laudate Dominun de cœlis: Alleluia. Laudate eum in excelsis. Alleluia, alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Sapientiæ Ecclesiastici Salomonis (Cap. XXXII, XXXIII).

℟. Deo gratias.

Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœniteberis. In viam ruinæ **125** non eas, et non offendes in lapide: nec reddas te viæ laborio-

sæ, nec ponas animæ tuæ scandalum: et a viis tuis cave, et a domesticis tuis attende. In omni opere crede ex fide animæ tuæ: est enim conservatio mandatorum. Qui credit Deo, et ejus attendit mandatis : et qui confidunt in illo, non minorabuntur. Timenti Dominum non occurrunt malo, sed in tentatione Deus illum conservat, et liberat a malo. ℟. Amen.

Hymnus. Splendor paternæ. *fol*. 67. *Supplicatio*. Oremus Redemptorem mundi. *fol*. 66.

Capitula. Quam magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti: ecce jam tetræ noctis sidereo splendore caligo respergitur, et incipientis diei aureum luminis decus ingreditur: ecce jam noctis peracto cursu, lux de candido cœli fastigio promicat, et toto orbe terrarum, claritatis tuæ splendore, et fulgore coruscat: ecce jam post gallorum concentum, passerum garrulæ voces diverso modulationis resonant cantu, diversaque volucrum genera, remigio alarum aures ad astra petunt: unde largam tuæ pietatis, Pater omnipotens, indefesse poscimus clementiam, ut hunc diem nos sine peccato transire permittas: ut sicuti omnibus omnipotentiæ tuæ claritatem dispensas, ita parvæ scintillæ tuæ divinitatis cordibus nostris fulgorem immittas.

Pater noster. Et ne nos. Liberati a malo, etc. *Quære fol*. 2.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Lauda. Cantate Domino canticum novum : Alleluia, alleluia. ℣. Laus ejus in Ecclesia sanctorum. Alleluia.

Oratio. Tibi Domine in Ecclesia sanctorum. *fol*. 117. *Commemorationes ut in fol*. 94.

Item exeunte Vespera, omnia dicantur ut in exeunte Vespera de primo Dominico post Epiphaniam fol. 94, exceptis Capitulo, et Benedictione, quæ sequuntur.

Capitula. Deus, qui illuminasti primum tenebras, et fundasti ex instabili creatura substantiam visibilem: aspice nos vultu mitissimo, et nostras preces pro sacrificio accipe vespertino, ut nullis in hac nocte terrorum vitiis capiamur; sed præsta nobis cor castum, et animum ab omnibus criminibus alienum, ut nullum in nobis inimicus nocendi inveniat locum.

Pater noster. Liberati a malo. *fol*. 2.

Benedictio. Ostende Domine, misericordiam tuam super nos famulos tuos, et sancto Angelo tuo excubante, custodi. ℟. Amen. Veniat in his Domine, assidua lætitia, et gaudium sempiternum. ℟. Amen. Perseveret in eis cœleste signaculum, quod in illis conferre dignatus es per Spiritum Sanctum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Cantabiles mihi erant. *Quære fol*. 94.

Oratio. Clamantes ad te Domine. *Quære fol*. 124.

IN OCTAVO DOMINICO POST OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Sabbato ad Vesperum.

Lauda. Illumina oculos meos. *Oratio*. Illumina oculos nostros, Domine, *Require fol*. 113.

Sono. Te decet hymnus Deus in Sion : et tibi reddetur votum. P. In Hierusalem. Alleluia. ℣. Exaudi Deus orationem nostram : ad te omnis caro veniet. P. In.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit cœlos prudentia. P. Sapientia illius eruperunt abyssi, et nubes rore concrescunt. ℣. Fecit lunam in tempore : sol agnovit occasum suum. P. Sapientiæ illius. ℣. Gloria, et honor Patri P. Sapientia.

Dominus sit semper vobiscum. — Et cum spiritu tuo.

Lauda. Ab omni via mala prohibe pedes meos Domine: P. Ut custodiam mandata tua. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. A præceptis tuis intellexi : propterea odio habui omnem viam iniquitatis. P. Ut custodiam. ℣. Gloria. et honor. P. Ut custodiam.

Hymnus. Christe lux mundi. *Quære fol*. 110. *Supplicatio*. Oremus Redemptorem. *Quære fol*. 66.

Capitula. Illumina nos, Domine, requiescentes in hac nocte; ut manibus nostris coram te exhibeamus precibus crucem, ut non timeamus tentatorem ambulantem in tenebris, habentes nobiscum revelationem gentium et gloriam plebis tuæ Israel: tunc enim recedit inimicus, si tu dignatus fueris esse propitius: tunc a furoris sui gladio convertetur, si ad nos tua misericordia revertatur. Noli nos Domine abdicare faucibus luporum, nec dentibus damnare leonum; sed in congregatione Sanctorum tuorum, tuas portas mereamur **126** intrare in confessione spiritualium gaudiorum.

Pater noster. Liberati a malo.

Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Benedictio. Clementissimus Dominus, in cujus manu est universa prosperitas, benedictionis semper et pacis vobis tribuat incrementum. ℟. Amen. In bonis actibus sitis semper unanimes, atque participes; ut a mandatis Domini nullatenus devietis. ℟. Amen. Omnibus peccatis vestris Dominus clementer ignoscat, et perducat vos propitius ad gloriam sempiternam. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius, etc.

Lauda. Voluntaria oris mei comproba Domine : Alleluia. P. Et judicia tua doce me. Alleluia. ℣. Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, et lumen semitis meis. P. Et judicia. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Et judicia.

Oratio. Ad te, Domine, occulos nostros. *Quære in sequenti Matutino.*

Ad Matutinum.

Hymnus. Æterne rerum Conditor. *Quære fol*. 3.

Oratio. Post gallorum canorum concentus, noctisque quietem exclusam, tibi, Domine, matura nox parturit diem, et galli concrepantibus alis, ore præconio matutinum jubilant hymnum : tibi, Domine, aves cœli laudes emittunt: tuo jussu discussis tene-

bris, sol radios infert mundo : tua sint ista miracula omnipotens Pater : nos tantummodo vota portamus, offerentes sancto nomini tuo hæc sacrificia matutina : ut a peccatis præteritis absoluti, de præsenti tribulatione mereamur absolvi. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster, etc.

Antiphona 1. Domini est salus : et super populum tuum benedictio tua. *Psalmus* III.

Antiphona. Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. *Psalmus* L.

Antiphona. In umbra alarum tuarum speramus Deus, dum transit iniquitas. *Psalmus* LVI.

Oratio. Verbum ante sæcula ineffabiliter. *Quære fol.* 33.

Antiphona 1. Exaudi de cœlo Domine. P. Et dimitte peccata servis tuis, et populo tuo. ℣. Quia tu Domine, suavis, ac mitis es ; et multum misericors invocantibus te. P. Et dimitte peccata. ℣. Gloria, et honor. P. Et dimitte peccata servis tuis.

Oratio. Ad te, Domine, oculos nostros erigimus ; quem in cœlestibus habitare, et terræ machinam virtute continere fatemur : Miserere igitur nostri Domine, miserere ; et peccatis nostris, pro quibus te metuimus, parce : ut contemptum nostrum pietate clementi respicias ; et a delicti obprobrio dextera nos tuæ virtutis eripias. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Deus, ut liberes nos, venias. P. Ut auxilieris nobis festina ℣. Qui regis Israel, intende ; qui deducis velut ovem Joseph. Qui sedes super Cherubim appare. P. Ut auxilieris. ℣. Gloria, et. P. Ut auxilieris.

Oratio. Qui regis Israel, intende per misericordiam tuam Domine : qui deducis velut ovem Joseph, pastoris gubernacula, et protectoris impende remedia : converte nos ; et ostende faciem tuam, et salvi erimus ; dum excelsus humilia respicis, et orantium preces propitiatus exaudis. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster, etc.

Antiphona 3. Domine Deus noster. P. Exaudi nos : propitius esto, et salva nos. ℣. Cito nos præveniat misericordia tua, Domine : quia pauperes facti sumus nimis. P. Exaudi nos. ℣. Gloria, et honor. P. Exaudi.

Oratio. Propitius esto peccatis nostris Domine ; et propter honorem nominis tui perfecta nos recrea libertate : ne, dum nostro peccatorum elogio adterimur, in obprobrio gentium redigamur. Ergo ut nos severitate non punias pænæ, causam nobis scelerum ablue : atque in conspectu tuo gemitus compeditorum introeat ; ut de occulto tuo in manifesto nostro gratia indulta præcedat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Deus, qui das locum pœnitentiæ, tu dona veniam peccatis nostris : Quis enim dicet tibi : Quid fecisti ? Aut quis stabit contra judicium tuum ? Non est enim alius Deus præter te. P. Cui est cura de omnibus. ℣. Miserere, Deus, omnium, quoniam omnia potes, et dissimulas peccata hominum pro-

A pter pœnitentiam. P. Cui est cura. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur* ℟.

Aliud Responsorium. Dominus omnipotens audivit vocem Publicani, et peccatoris. P. Verus Deus misericors indulgentiam tribuit **127** fideli confitenti. ℣. Publicanus stans a longe, et non audebat oculos suos levare ad cælos : sed percutiebat pectus suum, dicens : Propitius esto mihi peccatori. P. Verus Deus. ℣. Gloria, et honor, etc. *Reiteretur Responsorium.*

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Lux præcepta tua sunt, Domine, super terram. Justitiam discite habitatores terræ.

Canticum. De nocte vigilat. *Quære fol.* 64.

Oratio. De nocte vigilantem. *Quære fol.* 124.

B *Ad Benedictus. Antiphona.* Benedictus es Deus, et benedictum nomen gloriæ tuæ. Benedicite Dominum omnes electi ejus : sit nomem sanctum ipsius benedictum in omnia sæcula sæculorum.

Canticum. Benedictus es Domine Deus patrum. *Quære fol.* 6. *Oratio.* Domine Deus, qui super Cherubim. *Quære fol.* 111.

Sono. Alleluia. Auditum fac mihi mane potentiam tuam, Domine : quia in te confido. P. Ostende mihi. Alleluia. ℣. Alleluia. Memor fui dierum antiquorum tuorum, Domine, et in opus manuum tuarum meditabor. P. Ostende mihi.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis : Alleluia, alleluia. Laudate eum in excelsis. Alleluia, alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

C *Lectio libri Ecclesiastici Salomonis* (*Cap.* XXXIV). ℟. Deo gratias.

Fili, qui timet Dominum, nihil trepidabit : quoniam ipse est spes ejus. Timenti Dominum beata est anima. Ad quem respiciet, quæ est fortitudo ejus ? Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, et umbraculum meridiani, et precatio offensionis, et adjutorium casus, exaltans animam, et illuminans oculos, dans sanitatem, et vitam, et benedictionem. Immolantis ex iniquo oblatio maculata, et non sunt beneplacitæ subsannationes injustorum. Dominus solus sustinentibus est in via veritatis, et justitia. Dona iniquorum non probat Altissimus, nec oblationes iniquorum : nec in multitudine sacrificiorum
D propitiatur peccatis. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenariis, fratres sunt. Unus ædificans, alius destruens : quid prodest illis nisi labor ? Unus orans, et alius maledicens : cujus vocem exaudiet Deus ? Qui babtizatur a mortuo, et iterum tangit illum, quid proficit lavatio illius ? sic qui jejunat in peccatis suis ; et iterum eadem faciens, quid prosit, humiliando se ? orationem illius quis exaudiet ? (*Cap.* XXXV.) Qui conservat legem, multiplicat orationem. Sacrificium salutare est attendere mandatis, et discedere ab omni iniquitate. Et depre-

catio pro peccatis, discedere ab injustitia. Non apparebis vacuus ante conspectum Domini. Hæc enim propter mandatum Domini figunt. Oblatio justi impinguat altare, et odor suavitatis est in conspectu Altissimi. ℟. Amen.

Hymnus. Splendor paternæ. *fol.* 67.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi. *Quære fol.* 57.

Capitula. In matutinis temporibus invocatus, adesto Lucifer verus ; et qui cœlos tuos in splendore respergis, pectora nostra et corda lætifica : ut fidei illuminatione animati, te semper ducem, et principem luminis adoremus.

Pater noster. Liberati a malo. *fol* 2.

Lauda. Cantate Domino canticum novum: Alleluia, alleluia. ℣. Laus ejus in Ecclesia sanctorum. Alleluia.

Oratio. Tibi Domine. *fol.* 117. *Commemorationes ut supra fol.* 94.

Item exeunte Vespera, omnia dicantur, ut in primo Exeunte de primo Dominico post Octavam Epiphaniæ fol. 94, *exceptis Epistola, et Benedictione, quæ sequuntur.*

Kyrie, eleison. ℟. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Capitula. Deus cujus nunquam fulgor extinguitur, nunquam claritas terminatur, quæsumus te, ut dum dies quotidiana, noctis successione finitur, tuum lumen sensibus nostris semper oriatur, et interior homo noster visitationis tuæ fulgore vegetetur : ut nullis peccatorum tenebris obruamur.

Pater noster. Liberati. *fol.* 2.

Benedictio. Preces vestras Dominus, cui supplicatis, exaudiat, et omnia vobis piacula, solita miseratione dimittat. ℟. Amen. Benedictionis suæ super vos Dominus dona transmittat, et misericordiarum largitor imbres **128** benignus infundat. ℟. Amen. Ipsi in hac vita locum per bona opera vestris in cordibus præparetis : ut justificati in æternum cum Christo regnetis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

IN DOMINICO ANTE DIEM CINERUM.

Sabbato ad Vesperos.

Lauda. In noctibus extollite manus vestras in sancta, P. Et benedicite Dominum. ℣. Quis statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. P. Et benedicite.

Dominus sit. ℟. Et.

Sono. Intrate portas Domini in confessione, atria ejus. P. In Hymnis confessionum. Alleluia. ℣. Laudate nomen ejus : quoniam suave est, in æternum misericordia ejus, et usque in sæculum sæculi veritas ejus. Alleluia. P. In.

Dominus sit. Et cum.

Antiphona. Ecce clamat custos : Venit mane. P. Et nox. Quæritis, quærite : convertimini : venite. ℣. Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini. P. Et nox. ℣. Gloria. P. Et nox.

Dominus sit. ℣. Et cum.

Lauda. Ne memor fueris Deus iniquitates nostras

A antiquas, Alleluia, alleluia, cito nos præveniat misericordia tua, Domine. P. Iniquitates, ℣. Gloria, et honor. P. Iniquitates.

Hymnus. Inventor rutilis. *Quære fol.* 92. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *fol.* 66. *Capitula.* Defensio nostra, et *Benedictio.* Benedicat vobis. *Lauda.* Secundum misericordiam. *fol.* 121.

Ad Matutinum.

Hymnus. Æterne rerum. *Oratio.* Æternum te, *fol.* 3.

Antiphona. Salus tua Domine : super populum tuum benedictio tua. *Psalmus* III.

Antiphona. Dele, Domine, iniquitates meas, et miserere mei. *Psalmus* L.

Antiphona. Clamo ad Deum altissimum : ad Do-

B num qui benefecit mihi. *Psalmus* LVI.

Antiphona 1. Converte nos Deus salutaris noster : et averte iram tuam a nobis. P. Ne in æternum irascaris nobis ? ℣. Deus tu convertens vivificabis nos : et plebs tua lætabitur in te. P. Ne in æternum. ℣. Gloria, et honor. P. Ne in.

Oratio. Converte nos Deus salutaris noster; et averte iram tuam a nobis : ac super populum tuum pacem præsta, quam loqueris ; ut plebs tua lætetur in te ; ac salutare tuum custodia salutis intelligens, vel misericordiam tuam prosperitate cognoscat, vel benignitatem tuam fructu fœcunditatis suscipiat. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Miserator, et misericors Dominus :

C longanimis et multum misericors. P. Non in finem irascetur : neque in æternum indignabitur. ℣. Non secundum peccata nostra facias nobis : neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. P. Non in finem irascetur. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Non in finem.

Oratio. Miserator Domine, et misericors non irascaris nobis in finem ; sed quantum distat Oriens ab Occasu iniquitatem omnem a nobis elonga, et juxta altitudinem cœli a terra tuam in nobis misericordiam dilata. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Miserere, Deus, omnium, quoniam omnia potes, P. Et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. ℣. Ad te levamus oculos no-

D stros, qui habitas in cœlis. P. Et dissimulas. ℣. Gloria, et honor. P. Et dissimulas.

Oratio. Deus, misericordiarum Domine, cujus potestatis hoc est velle, quod proficere : largam in nobis tuam bonitatem ostende, et ab altitudine viæ pessimæ, nostra vestigia amove : et artus sanos per semitas ad te venire concede. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster.

℟. In te confidunt omnes animæ dicentes : Cito Deus miserebitur nobis, quia Dominus locutus est dicens : Gaudebo super unum pœnitentem, P. Quam super nonaginta novem justos non indigentes pœnitentia. ℣. Gaudium erit in cœlo coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, P.

Quam super nonaginta. ℣. Gloria, et honor. A *Reiteretur* ℟.

In Laudibus.

Ad Canticum Antiphona. Tu Domine propter peccatores misericors vocatus es : si enim nostri misertus fueris, vocaberis.

Canticum Esdræ (*Lib. IV, cap.* VIII).

Domine, qui habitas in æternum, * cujus oculi elati et superiora in aëra :

Cujus est thronus inæstimabilis, * et gloria incomprehensibilis :

Cui adstat omnis exercitus Angelorum cum tremore, * quorum observatio in vento et igni convertentur.

Cujus verbum firmum, et dicta perseverantia. * B
129 Cujus disposito fortis, et jussio terribilis :

Cujus aspectus arefacit abyssos. * et indignatio tabescit montes, et veritas testificatur :

Exaudi Domine orationem servi tui, * auribus percipe precem figmenti tui.

Intende in verba mea, dum enim vivo, loquar : * et dum sapio, respondebo :

Nec respicias Domine populi tui delicta ; * ipsi qui tibi serviunt in veritate.

Neque attendas impie agentium studia, * sed qui tua testamenta cum doloribus custodierunt.

Neque cogites perdere qui in conspectu tuo false conversati sunt, * sed memento qui ex voluntate nomen tuum cum timore cognoverunt.

Neque volueris perdere, qui pecudem mores habuerunt : * sed respicias super eos, qui legem splendide docuerunt. C

Neque indigneris eis qui bestiis pejus sunt judicati : * sed diligas eos, qui semper in tua gloria confiderunt.

Quoniam nos, et patres nostri talibus moribus egimus : * tu autem propter nos peccatores misericors vocatus es.

Si enim desideraveris, ut nostri miserearis, * tunc misericors vocaberis :

Nobis enim non habentibus opera justitiæ. Justis autem, quibus sunt opera multa reposita, * apud te Domine ex propriis operibus percipient mercedem suam.

Quid est homo, ut ei indigneris : * aut genus corruptibile, ut ita exacerberis de ipso. D

In veritate enim, nemo de genitis est, qui non impie gessit, * aut de confidentibus, qui tibi non deliquit.

In hoc enim annuntiabitur bonitas tua, et justitia tua Domine, * cum misertus fueris his qui non habent substantiam operum bonorum.

Ad Benedictus Antiphona. Filii hominum benedicite Dominum Israël ; et omnes Sacerdotes servi Dei benedicite Dominum.

Canticum. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum. *Quære fol.* 6.

Sono. Deus misereatur nobis, et benedicat nos : Alleluia. ℣. Illuminet Dominus vultum suum super nos. P. Et benedicat nos. Alleluia.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis : Alleluia, alleluia. Laudate eum in excelsis. Alleluia, alleluia.

Psalmus CXLVIII.

Lectio libri Sapientiæ Ecclesiastici Salomonis (*Cap.* II).

℟. Deo gratias.

Metuentes Dominum sustinent misericordiam ejus : et non deflectatis ab illo ne cadatis. Qui timetis Dominum, credite illum : et non evacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum, sperate in illum, et in oblectatione veniet vobis misericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra. Respicite filii nationum hominum : et scitote, quis speravit in Domino, et confusus est permansit in mandatis ejus, et derelictus est ? et quis invocavit eum, et despexit illum ? Quoniam pius et misericors Deus, et dimittit in tempore tribulationis peccata : omnibus exquirentibus se in veritate. Væ duplici corde, et labiis sceleratis, et peccatori terram ingredienti duabus viis. Væ dissolutis corde, qui non credent Deo : ideo non proteguntur ab eo. Væ, qui perdiderunt sustinentiam, et qui dereliquerunt vias rectas, et diverterunt in vias pravas. Et quid facietis, cum aspicere cœperit Dominus ? Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo ejus : et qui diligunt illum, conservabunt viam illius. Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt illi : et qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius. Qui timent Dominum, parabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas. ℟. Amen.

Hymnus. Splendor paternæ. *fol.* 67. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi. *fol.* 66. *Capitula.* Deus auctor luminis *Quære f.* 115.

Lauda. Irascimini, et nolite peccare : Alleluia. Dicite in cordibus vestris. P. Et in cubilibus vestris compungimini. Alleluia, alleluia. ℣. Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino. Multi dicunt : Quis ostendit nobis bona ? P. Et in cubilibus. ℣. Gloria. P. Et in.

Oratio. Tibi, Domine, in *Quære fol.* 117. *Commemorationes, ut supra fol.* 94.

FERIA QUARTA. IN CAPITE JEJUNII.

Ad Matutinum.

Antiphona. Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum. *Psalmus* III.

Oratio. Quamvis Domine plurima malignantium multitudo abneget, salutem nostram esse in te Domino Deo nostro : nobis tamen **130** ob hoc robur spei multum augetur, quia tu susceptor noster esse dignatus es : Obstruatur itaque os loquentium iniqua ; cum sperantes in te misericordia circumdat assidua. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 1. Venite adoremus, et prosternamus ante Deum : et ploremus coram Domino, qui fecit nos. ℣. Præoccupemus faciem Dei in confessione, et in psalmis jubilemus ei. *Psalmus* XCIV.

Oratio. Præoccupantes faciem tuam, Domine, in

confessione, et in psalmis tibi debita modulatione jubilantes, adoramus ac procidimus ante te, ploratu interno et gemitu deprecantes : ut quia tu fecisti nos, et tu es Deus noster ; nos populum tuum pius Dominus protegas, et oves pascuæ tuæ pastor solicitus attendas : tribuasque his gratiam, pro quibus animam posuisti. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. 2. Misericors, et miserator, et justus Dominus. ℣. Benignus vir, qui miseretur. *Psalmus* CII.

Oratio. Misericors Domine et juste, fac nos semper esse misericordes ; et commoditati alternæ tota adesse facilitate : nec ab auditu malo nos, dum judicaveris, terreas ; sed tuam ad dexteram glorificandos statuas. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam:

Antiphona 3. Quærite Dominum: et confortamini : quærite faciem ejus semper. *Psalmus* CIV.

Oratio. Quærentibus te, Domine, tribue fortitudinem ; et quærendi te jugiter infunde sanctum amorem : ut qui tuam desiderant cernere faciem perniciosam mundi non appetant voluptatem : eosque sæculi blandimenta non detineant usquequaque captivos; ut lux vultus tui clarificet jam beatos. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

℟. Propitiare, Domine, populo tuo, quia peccavit tibi ; et omnes iniquitates eorum ne memineris ; sed fac cum eis misericordiam. *P.* Et exaudi illos, pro quibus invocaverunt te Domine. ℣. Convertere, Domine, aliquantulum, et delectare super servos tuos. *P.* Et exaudi illos. ℣. Gloria, et. *Reiteretur* ℟.

In Laudibus.

Antiphona. Averte faciem tuam a peccatis meis : et omnes iniquitates meas dele. *Psalmus* L.

Oratio. Averte faciem tuam a peccatis nostris Domine ; et omnes iniquitates nostras dele : remove ab oculis tuis malorum nostrarum facinus voluptatum ; nostræque confessioni clementer tuum adpone auditum : Miserere, quæsumus, rogantibus nobis, qui propitius respicis in adversis, et qui desperatis cor pœnitens tribuis ad confessionem gloriæ tuæ. Sed quia Publicanus a longe stans et percutiens pectus suum, sola confessione purgatus est ; similiter et nos peccatores exaudi : ut sicut illi meritos petitionis suæ fructus donasti ; ita et nobis supplicantibus indignis servis tuis veniam digneris impendere peccatis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Canticum. Antiphona. Ne extermines populum tuum, Domine ; et hereditatem tuam, quam liberasti.

Canticum. Domine, Domine, rex deorum cœlorum. *Quære fol.* 103.

Matutinarium Antiphona. Deus misereatur nostri, et benedicat nobis : *P.* Illuminet vultum suum super nos. ℣. Ut cognoscamus in terra viam tuam : in

A omnibus gentibus salutare tuum. *P.* Illuminet. ℣. Gloria, et honor, etc. *P.* Illuminet.

Lauda. In sanctis ejus laudate Dominum. Alleluia, alleluia. In firmamento virtutis ejus laudate Dominum. Alleluia, alleluia. *Psalmus* CL.

Lectio libri Sapientiæ Salomonis (*Cap.* XII).

℟. Deo gratias.

Deus, qui das locum pœnitentiæ, tu dona veniam peccatis nostris. Quis enim dicet tibi : Quid fecisti ? aut quis stabit contra judicium tuum ? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum ? aut quis tibi imputabit, si nationes perierunt, quas fecisti ? Nec enim alius est Deus quam tu, cui cura est de omnibus, ut ostendas quoniam non injuste judicasti. Neque rex neque tyrannus in conspectu tuo B inquirent de his quos perdidisti. Cum sis ergo justus, juste omnia disponis : ipsum quoque puniri qui debet, condemnas, et exterum æstimas à tua virtute. Virtus enim tua justitiæ initium est : ob hoc quod noster Dominus es, omnibus te parcere facis. Virtutem enim ostendis, qui non credideris esse in virtute consummatus ; sed hos, qui sciunt, audaciam traducis. Tu autem Dominator Domine virtutis, **131** cum tranquillitate judicas peccatores, et cum magna reverentia disponis nos : subest enim tibi, cum velles, posse. Docuisti enim populum tuum per talia opera, quoniam oportet justum esse humanum, et bona spe fecisti filios tuos ; quoniam das locum in peccatis pœnitentiæ. Si enim inimicos servorum tuorum, et debitos morti, cum tanta C cruciasti attentione, et liberasti dans tempus, et locum, per quem possunt mundari a malitia ; cum quanta diligentia judicasti filios tuos, quorum parentibus juramenta et conventionem suarum dedisti promissionum ? Cum ergo nobis disciplinam das, inimicos nostros multipliciter flagellas, ut bonitatem tuam cogitemus, judicantes : et cum de nobis judicatur, speremus misericordiam. ℟. Amen.

Hymnus. Benignitatis fons Deus, etc. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *Quære fol.* 69.

Capitula. Erubescimus, Domine, te patrem vocibus appellare, qui filiorum amisimus dignitatem : sed quia paterno affectu nos salvas, cum de propriis delictis nos judicas ; adeo, et si indigni filii, paternæ tamen precem fundimus pietati, petentes, D ut in hoc nostræ afflictionis tempore, nostrum jubeas peccatum dimittere : quo, et si meritis nequimus, saltim affectu cordis, te patrem invocemus, atque dicamus :

Pater noster. Et ne nos. A malo nos libra, etc. *Quære fol.* 10.

Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Irascimini, et nolite peccare : Alleluia. Dicite in cordibus vestris, Alleluia. *P.* Et in cubilibus vestris compungimini. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Sacrificate sacrificium justitiæ, sperate in Domino. Multi dicunt : Quis ostendit nobis bona ? P. Et in·

Benedictio. Omnipotens Deus, qui ob indictum hoc

jejunium nostra pandimus crimina, ab omni nos A delicto immunes efficiat. ℟. Amen. Suscipiens vestræ abstinentiæ precem nunquam vos patiatur a suo dividi corpore. ℟. Amen. Ut sicut admonitio ejus vos prævenit, qua divinæ animadversionis evasistis sententiam : ita miseratio subsequatur, qua perducamini ad coronam. ℟. Amen.

Per.

Commemorationes dicantur ut in fol. 94.

Ad Tertiam.

Prophetia. Fili, custodi sermones. *fol.* 96.

Lectio libri Exodi (*Cap.* XIX, XX).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Vocavit Dominus Moysem de monte, et ait : Hæc dices domui Jacob, et adnuntiabis filiis Israel: Vos ipsi audistis, quæ fecerim Ægyptiis, B quomodo portaverim vos super alas aquilarum, et assumpserim mihi. Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis : meus est enim orbis terræ. Et vos eritis mihi regnum sacerdotale, et gens sancta: hæc sunt verba quæ loqueris ad filios Israel. Venit Moyses : et vocavit majores natu populi, et posuit omnes hos sermones quos mandaverat Dominus. Responditque universus populus simul: Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus. Cumque retulisset Moyses verba populi ad Dominum, ait ei Dominus: Jam nunc veniam ad te in caliginem nubis, ut audiat me populus loquentem, et credat tibi in perpetuum. Nuntiavit ergo Moyses verba populi ad Dominum. Qui dixit ei: Vade ad populum, et sancti- C fica illos hodie, et cras lavent vestimenta sua, et sint parati in diem tertium: die autem tertio descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai. Constituesque terminum populi per circuitum, dicens: Cavete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius: omnis qui tetigerit montem, morte morietur. Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur via, ut confodiatur jaculis: sive jumentum fuerit, sive homo, non vivet: cumque cœperit clangere buccina, tunc ascendunt in montem. Descenditque Moyses de monte ad populum, et sanctificavit eum. Qui cum lavassent vestimenta sua, ait ad eos: Estote parati in diem tertium, nec appropinquetis uxoribus vestris. Jam advenerat dies tertius, et mane inclaruerat: et cœperunt audiri tonitrua, ac micare D fulgura, et nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat: timuitque populus qui erat in castris. Cumque eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radicem montis. Totus autem mons Sinai fumabat: eo quod descendisset Dominus super eum in igne, et ascendit fumus ex eo quasi de fornace : eratque mons terribilis. Et sonitus buccinæ paulatim crescebat in majus, et prolixius tendebatur: Moyses loquebatur, et Dominus respondebat ei. Descenditque Dominus super montem Sinai in ipso montis vertice, **132** et vocavit Moysen in cacumen ejus. Quo cum ascendisset, dixit ad eum : Descende, et contestare populum : ne forte velint transcendere terminos ad videndum Dominum, et pereat ex eis plurima multitudo. Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos. Dixitque Moyses ad Dominum: Non poterit vulgus ascendere in montem Sinai : tu enim testificatus jurasti, dicens : Pone terminos circa montem, et sanctifica illum. Cui ait Dominus : Vade, descende : ascendensque tu etiam, et Aaron tecum: Sacerdotes quoque, et populus ne transeant terminos, nec ascendant ad Dominum, ne forte interficiat illos. Descendit Moyses ad populum, et omnia narravit eis. Locutusque est Dominus cunctos sermones hos : Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis. Non habetis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles : ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitam iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me : et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea. Non assumas nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram, quoniam Dominus Deus tuus dabit tibi. Non occides. Non mœchaberis. Non facies furtum. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui : nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt. Cunctus autem populus audiebat voces, et lampadas, et sonitum buccinæ, montemque fumantem : et perterriti ac pavore concussi, steterunt procul, dicentes Moysi: Loquere tu nobis, et audiamus : non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Et ait Moyses ad populum : Nolite timere : ut enim probaret vos venit Deus, et ut terror illius esset in vobis, et non peccaretis. ℟. Amen.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* LVIII).

℟. Deo gratias.

Hæc dicent Dominus : Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Juda peccata eorum. Me enim de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt : quasi gens, quæ justitiam fecerit, et judicium Dei sui non derelinquerit : rogant me judicia justitiæ : appropinquare Deo volunt. Quare jejunavimus, et non aspexisti : humiliavimus animas nostras, et nescisti ? ecce in die jejunii vestri invenitur voluptas, et omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites, et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie. Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam ? numquid contorquere quasi circulum caput suum, et saccum et cinerem sternere? numquid istud

vocabis jejunium, et diem acceptabilem Domino ? A Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi ? dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes; dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, et omne onus disrumpe. Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet: clamabis, et dices: Ecce adsum : si abstuleris de medio tui catenam, et desieris digitum extendere, et loqui quod non prodest. Cum effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et requiem dabit tibi Do- B minus semper, et implebit splendoribus animam tuam, et ossa vestra liberati, et eris quasi hortus inriguus, et sicut fons aquarum, cui non deficiunt aquæ. ℟. Amen.

Sequentia Epistolæ Pauli Apostoli ad Colossenses (*Cap.* II).

℟. Deo gratias.

Fratres: Sicut accepsistis Christum Jesum, in ipso ambulate, radicati, et superædificati in ipso, et confirmati fide, sicut et didicistis, abundantes in gratiarum actione. Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum; quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Et estis C in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis : in quo et **133** circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliationem corporis carnis, in circumcisionem Christi: et sepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis. Et qui cum mortui essetis in delictis, et præputio carnis vestræ, convivificavit vos cum illo, donans vobis omnia delicta. ℟. Amen.

Antiphona 1. Servite Domino in timore: et exaltate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa. ℣. Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania. *Psalmus* II.

Oratio. Disciplina tua, Domine, nos tibi et sancto D timori conjungat, et ad exultationem tuam timore nos attrahat : ac ne a via justa recedamus, nos contine : et ut in te fidere possimus, beatos esse concede. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus, etc.

Antiphona 2. In tribulatione nostra Deus, dilatasti nos. Miserere nobis, et exaudi orationem nostram, ℣. Cum invocarem te, exaudisti me Deus justitiæ meæ : in tribulatione mea dilatasti mihi. Miserere mei, exaudi orationem meam. *Psalmus* IV.

Oratio. Dum te, omnipotens Deus, nostræ delinquentiæ reddunt adversum, tua inspiratione, quæsumus, nostra te invocatio propitium, et confessio faciat esse placatum : ut, te miserante, nec tribulatio sæcularis nostram mentem dejiciat, nec persuasio nociva possideat, nec infidelitas tenebrosa concludat: sed vultus tui super nos signata lumine fulgeamus ; semperque in eodem splendore stabilitate veræ fidei gradiamur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus, etc.

Antiphona 3. Convertere Domine, et eripe animas nostras : salvos nos fac propter misericordiam tuam. Quia non est in morte, qui memor sit tui. ℣. Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. *Psalmus* VI.

℟. Exurge Domine miserere nobis, quia venit tempus miserendi. Timebunt Gentes nomen tuum, et omnes reges terræ gloriam tuam. P. Respice in orationes pauperum: et ne spernas preces eorum. ℣. Posuisti iniquitates nostras in conspectu : omnes dies nostri defecerunt : et nos in ira tua defecimus. Domini refugium esto nobis a diebus malis. P. Respice in orationes pauperum. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Respice in orationes pauperum.

Preces. Indulgentiam postulamus, Christe, exaudi. P. Placere, et miserere. ℣. Jesu unigenite Dei Patris Filius, qui es immensæ bonitatis, Domine. P. Placare, et miserere. ℣. Cuncti de gemitibus exorantes poscimus; cunctique simul deprecantes quæsumus. P. Placere, et miserere. ℣. Tua jam clementia mala nostra superet : tuo jam sereno vultu in nos respice. P. Placare, et miserere. ℣. Remissionem omnium peccatorum, quæsumus : indulge clemens mala, quæ commisimus. P. Placare, et miserere.

Capitula. Miserere nobis, Domine, miserere ; ne nobis peccatorum infirmitas afferat mortem : Sana nos Domine, ut anima turbata per culpam, sit tranquilla per gratiam : infunde medicinam ægrotis, veniam præstando delictis. ℟. Amen.

Pater noster. Et ne nos.

Ad Sextam. Lectio libri Ezechielis Prophetæ. (*Cap.* 18).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Convertimini, et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris : et non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum rectum : et quare moriemini domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus, revertimini, et vivete. (*Cap.* XXI). Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis loquere senioribus Israel, et dices ad eos : Hæc dicit Dominus : Numquid ad interrogandum me vos venistis ? vivo ego, dicit Dominus, quia non respondebo vobis. Si judicas eos, si judicas fili hominis, abominationes patrum eorum ostende eis. In justitia mea ambulate, et judicia mea custodite, et facite ea : ut sit signum inter me, et vos, et sciatur, quia ego sum Dominus Deus vester. ℟. Amen.

Antiphona 1. Desiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum exaudiet auris tua. Judicare pupillo et humili, P. Ut non apponat

ultra magnificare se homo super terram. ℣. Exurge Domine Deus meus, et exaltetur manus tua: ne obliviscaris pauperem in finem. P. Ut non apponat. ℣. Gloria. et honor. P. Ut non apponat ultra. *Psalmus*. IX.

134 *Oratio*. Desiderium tuorum Domine pauperum sic intende propitius, ut et donorum cœlestium nobis copiam tribuas; et tu amorem prætereuntium rerum a nobis avertas: Auris quoque tua nostram ita orationem intendat, ut dum pupillo humilique judicium feceris, paterna nobis indulgentia blandiaris; et pro humiliatione præsentium gaudia retribuas æternorum. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus, etc.

Antiphona 2. Propter miserias inopum, et gemitum pauperum. *P*. Nunc exurgam dicit Dominus. ℣. Eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum terræ, purgatum septulum. P. Nunc exurgam. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Nunc exurgam. *Psalmus* XI.

Oratio. Deus, qui superbis resistis, et linguam magniloquam labiaque dolosa disperdis; fac nos casta eloquia tua, quæ velut argentum igne probatum sunt examinata, percipere: ut omni arrogantiæ tumore dejecto, expositoque conditionis nostræ contagio, genimine dignitatis splendorem, sanctitate inditum, in nostra conditione suscipiamus; itaque per te renovatum per omnia retineamus. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus, etc.

Antiphona 3. Usquequo Domine oblivisceris nos in finem? quousque avertis faciem tuam a nobis? P. Respice, et exaudi nos Domine Deus noster. ℣. Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? P. Respice, et exaudi nos. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Respice. *Psalmus* XII.

℟. Gemitus populi tui, Deus Domine, exaudi, et angustias quas patimur, vide. *P*. Et velociter miserere. ℣. Tu Domine pater noster, redemptor noster, a sæculo nomen tuum. Quare errare fecisti nos de viis tuis: indurasti cor nostrum ne timeremus te? convertere, Domine, super servos tuos, tribus hereditatis tuæ. P. Et velociter. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *Reiteretur*. ℟.

Preces. Exaudi nos, Domine, exaudi. *P*. Et miseratus, dona nobis veniam. ℣. Altissime factor cœli, et terræ, peccatum nostrum dimitte. P. Et miseratus ℣. Vide Domine plebis tuæ lamenta: effunde pluviam largam. P. Et miseratus. ℣. Dimitte, quæ gementes fatemur; et præsta, quæ postulamus. P. Et miseratus. ℣. Succurre jam pænitentibus Christe; ac preces omnium munda. P. Et miseratus.

Capitula. Respice, et exaudi nos, *fol*. 99.

Prophetia. Fili, Habe fiduciam in Domino. *fol*. 95.

Lectio libri Exodi (*Cap*. XXIII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat ad locum quem præparavi tibi. Observa eum, et audi vocem ejus; nec contemnendum eum putes: quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo. Quod si audieris vocem ejus, et feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te. Præcedetque te Angelus meus, et introducet ad Amorrhæum, et Cethæum, et Pherezæum, Chananæumque, et Jebusæum, quos ego contrivero. Non adorabis deos eorum, nec coles eos: non facies opera eorum, sed destrues eos, et confringes statuas eorum. Servietisque Domino Deo vestro, ut benedicat panibus tuis et aquis, et auferam infirmitatem de medio tui. Non erit infœcunda, nec sterilis terra tua: numerum dierum tuorum implebo. Terrorem meum mittam in præcursum tuum, et occidam omnem populum, ad quem ingredieris: cunctorumque inimicorum tuorum terga vertam, antequam introeas. Non ejiciam eos a facie tua anno uno: ne terra in solitudine redigatur, ei crescant contra te bestiæ. Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis, et possideas terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. ℟. Amen.

Lectio libri Jeremiæ prophetæ (*Cap*. IV),

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: Deserta erit omnis terra, sed tamen consummationem non faciam. Lugebit terra, et mœrebunt cæli desuper: eo quod locutus sum, cogitavi, et non pænituit me, nec aversus sum ab eo. A voce equitis et mittentis sagittam, fugit omnis civitas: ingressa sunt ardua, et ascenderunt rupes: universæ urbes derelictæ sunt, et non habitat in eis homo. Tu autem vastata quid facies? cum vesteris te coccino, cum ornata fueris annulo aureo, et pinxeris stibio oculos tuos, frustra componeris: contempserunt te amatores tui, animam tuam quærunt. Vocem enim quasi parturientis audivi, **135**
angustias ut puerperæ: vox filiæ Sion inter morientis, expandentisque manus suas: væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos (*Cap*. V). Circuite vias Hierusalem, et aspicite, et considerate, et quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, et quærentem fidem: et propitius ero ei. ℟. Amen.

Sequentia Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Colossenses (Cap. III).

℟. Deo gratias.

Fratres, cum Christus apparuerit, vita vestra; tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam, et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus propter quod venit ira Dei super filios incredulitatis: in quibus et vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis. Nunc autem deponite et vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore nolite emittere. Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit eum; ubi

non est Gentilis et Judæus, masculus et femina, circumcisio et præputium, Barbarus et Scytha, servus et liber. ℟. Amen.

Antiphona 1. Delicta nostra, Domine, tu solus intelligis : a peccatis nostris munda nos. P. Et ab alienis parce servis tuis, Domine. ℣. Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. P. Et ab alienis. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Et ab alienis. *Psalmus.* XVIII.

Oratio. Ab occultis nostris munda nos. *Quære fol.* LXVIII.

Antiphona 2. Mitte nobis auxilium de sancto : P. Et de Sion tuere nos, Domine. ℣. Exaudiat te Dominus in die tribulationis : protegat te nomen Dei Jacob. P. Et de Sion. ℣. Gloria, et honor. P. Et de Sion. *Psalmus.* XIX.

Oratio. Imple Domine petitiones nostras; ac mitte nobis auxilium de sancto : memor esto omnis sacrificii nostri, quod tibi non solum oblatione, atque afflictione dicamus : ut nos tibi humiles semper facias et contritos attendas, ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Desiderium animæ nostræ dona nobis Domine : P. Præveni nos in benedictione dulcedinis. ℣. Domine in virtute tuæ lætabitur rex ; et super salutare tuum exultabit vehementer. P. Præveni nos. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Præveni nos. *Psalmus.* XX.

Preces. Miserere, et parce, clementissime Domine, populo tuo, P. Quia peccavimus tibi. ℣. Prostrati lachrymas producimus, pandentes tibi occulta, quæ admisimus : a te Deus exposcimus. P. Quia peccavimus. ℣. Orationes Sacerdotum accipe : et qui veniam postulant, affluenter tribue ; ac tuæ plebi miserere, Domine. P. Quia peccavimus tibi. ℣. Furorem tuum adduxisti super nos, nostra delicta dira turbaverunt nos : et absque ulla spe defecimus. P. Quia peccavimus tibi. ℣. Remissionem peccatorum tribue : et largitatem dona nobis pluviæ : te invocamus, ut adesto. P. Quia peccavimus tibi.

Kyrie, eleison. ℟. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Capitula. Virtus immensa, Domine, tibi subdatur anima, et caro nostra : tibique sincerissime deserviat vita nostra : desiderium animæ, quod ad te perveniat, supple : et labiorum deprecationem, ne nullis formis ille adversarius subripiat, suscipe : occultum hostem devince virtute tua, nosque præveni in benedictione, et per viam vitæ perduc ad gaudia sempiterna.

Pater noster. Et ne. A malo nos libera, etc. *fol.* 10.

Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Sermo beatissimi Patris nostri Isidori Episcopi ad Carnes tollendas.

Fratres charissimi ; Rogo vos, et admoneo vos, ut in isto legitimo, ac sacratissimo die, exceptis Dominicis diebus, nullus prandere præsumat, nisi forte ille, quem jejunare infirmitas non permittit : quia aliis diebus jejunare, aut remedium, aut præmium est : in Quadragesima non jejunare peccatum est : alio tempore qui jejunat, accipit indulgentiam : in Quadragesima, qui potest, et non jejunat, sentiet pœnam. Et ipse tamen, qui jejunare prævalet, sed rectius sibi soli, aut sive alius infirmus cum ipso sibi in domo sua præparet, quod accipiat. Et illos, qui jejunare prævalent, ad prandium non invitent : quia si hoc fecerint, non solum Deus, sed etiam homines possunt illos intelligere, non pro infirmitate non posse, sed pro gula jejunare non valere. Sufficiat illi quod ipse jejunare non prævalet. Et magis cum gemitu, et suspirio, et animi dolore adlucet, **136** pro eo quod aliis jejunantibus, ille abstinere non potest. Et quod opus est, unicuique infirmo secrete, aut sibi soli, aut cum alio similiter infirmo faciat preparari : quia non ei oportet aliquem sanum ut roget ad prandium, ne sibi augeat etiam de alterius gula peccatum. Pro eo tamen quod non potest jejunare, amplius debet erogare pauperibus : ut peccata, quæ non potest jejunando curare, possit eleemosynas dando, redimere. Bonum est jejunare, fratres, sed melius est eleemosynas dare. Si aliquis utrumque potest, duo sunt bona : si vero non potest, melius est eleemosyna. Si possibilitas non est jejunandi, eleemosyna sufficit sine jejunando; jejunium vero sine eleemosyna omnino non suffit. Ergo si aliquis non potest jejunare, eleemosynam faciat. Eleemosyna sine jejunio bona est. Si ergo prævalet jejunium cum eleemosyna, duplex bonum est ; jejunium vero sine eleemosyna nullum bonum est, nisi forte si ita sit aliquis pauper, ut non habeat omnino quid tribuat. His vero, qui non habuerint, unde tribuant, sufficit voluntas bona, secundum illud, quod scriptum est : Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Sed quis erit, qui se possit excusare, cum etiam pro calice aquæ frigidæ mercedem se Dominus esse promiserit ? et quare frigidæ dixit ? ne forte se possit aliquis pauper de lignorum penuria excusare ; aut certe dicere se vasculum, ubi aquam calefaceret, non habere. Denique et per beatum Prophetam, fratres charissimi, Dominus ita hortatur, et admonet eleemosynam fieri, ut prope nullus pauper sit, qui se valeat excusare, sic enim ait : Hoc est jejunium, quod elegi, dicit Dominus : Frange esurienti panem tuum. Non dicit, ut integrum daret, nec forte pauper ille alium non haberet : sed frange, inquit : hoc est dicere : Etiam si tanta sit tibi paupertas, ut non habeas nisi unum panem ; ex ipso tamen frange, et pauperi tribue : et egenum, ac sine tecto induc in domum tuam. Si aliquis ita pauper est, ut non habeat cibum, vel in uno angulo domus suæ præparet peregrino lectulum ; qui nos dicturi sumus fratres ? qualem excusationem habere poterimus, qui amplas et spatiosas domos habentes, vix aliquando dignamur accipere peregrinum ? ignorantibus, imo non credentibus, quod in omni peregrino Christus excipitur, sicut et ipse dixit : Hospes fui et non suscepistis me : et, quamdiu non fecistis uni de minimis iis, nec mihi fecistis. Laboriosum, et fastidiosum nobis est, in pauperibus excipere Christum

in patriam nostram! Timeo, ne nobis ille dicat: Ite, A et non nos recipiat in beatitudine sua. Contemnimus illum in mundo: timeo, ne nos contemnat in cœlo, secundum quod ipse dixit: Esurivi, et non dedistis mihi manducare; et quandiu non fecistis uni de minimis iis, nec mihi fecistis; et quod post sequitur. Fratres, avertat hoc Deus a nobis; hoc enim postea addit dicens: Discedite a me, maledicti; ite in ignem æternum. Ego in hanc sententiam neminem judico: Unusquisque attendat sententiam suam; nec tamen arguo et reprehendo: quia forte aliquoties venit per negligentiam, ut vestimenta, quæ debuerunt accipere pauperes, deformentur a tineis; et timeo, ne ipsi panni ad testimonium proferantur in die judicii, secundum quod Jacobus dicit: Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis, quæ advenient vobis. Di- B vitiæ vestræ putrefactæ sunt. Et omnia sicut dixit, fratres charissimi, qui per Apostolum suum comminatur Christus, licet non nimium terreant; non tamen de Dei misericordia desperandum est. Aut ego, et mei si negligenter, cum Dei adjutorio cum possumus, nos emendare volumus: eleemosynas, quas hucusque parcius fecimus, largius erogemus; et quæ pro peccatis præteritis, cum dolore, et gemitu, et spe repausationis Dominica misericordia docemur. Ergo sicut supra suggessimus, fratres charissimi, jejunia nostra eleemosynarum pinguedo commendet. Quia tale est jejunium sine eleemosyna, qualis sine oleo est lucerna. Mam si lucerna, quæ sine oleo accenditur, fumare potest, lucere non potest: ita jejunium sine eleemosyna carnem quidem cruciat; sed C charitas lumine animam non illustrat. Interim vel quod ad præsens agitur, fratres, sic jejunemus, ut prandia nostra pauperibus erogemus, ut quod pransuri eramus, non in nostris sacculis, sed in visceribus pauperum reponamus; quia manus pauperis gazophylacium Christi est; quidquid accipit, ne inter pereat, in Cœlo reponit: quia quamvis, quod pauper accipit consumatur; merces tamen boni operis in Cœlo reconditur. Nam si prandia nostra exquisitis saporibus, et multiplicatis ferculis expendere studemus ad cœnam: sicut corpori nostro delitiæ non solum non subtrahuntur, sed etiam duplicantur: ac si corpori vestro **137** nihil minuitur; sic animæ nihil augetur. Hoc, fratres, timens magis quam de vobis aliquid sinistrum credens, admoneo. Scio enim ex D vobis plures, Deo propitio, et peregrinos assidue accipere, et pauperibus frequenter dare. Et ideo quod suggero, ad hoc proficiat. Qui vero non facit, aut forte tardius faciebat tam sanctam sibi, et omnino placitam operationem in consuetudinem trahat. Et licet credam quod, Deo inspirante, semper supervenientibus festivitatibus, castitatem, et charitatem ante plures dies, etiam cum propriis uxoribus custodiat Charitas vestra: tamen (licet et superfluo etiam, quod vos facere credo) charitatem contemplationis commoneo; ut per totam Quadragésimam, et usque ad finem Paschæ castitatem, et charitatem, Deo auxiliante, servetis, ut in illa sacrosancta solemnitate, paschali, charitatis lucerna vestiri, eleemosynis dealbari, orationibus, vigilis, et jejuniis, vel aliquibus cœlestibus et spiritalibus margaritis ornari possitis, non solum cum amicis sed etiam cum inimicis; ut pacifici libera, et secura conscientia ad altare Domini accedentes, corpus, ac sanguinem ejus, non ad judicium, sed ad remedium possitis accipere. Sed cum de eleemosynis loquimur, non conturbetur angusta paupertas. Omnia enim complere quisquam poterit, cum fecit, quod potuit: quia voluntas perfecta faciendi, reputatur pro opere facti. Sed hoc ille implet, qui hominem pauperem, quasi se ipsum considerare voluerit, et sic pauperi tribuat, quomodo si ipse in tali necessitate esset, se fieri cupiebat: et qui fecerit sic, et novi, et veteris Testamenti præcepta complevit, implens illud evangelium: Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter. Etenim lex, et Propheta sic impletur ad gloriam, ad quam veræ et perfectæ charitatis legem, pius vobis Dominus sua protectione perducat. Amen. Præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor, et imperium sine fine in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

In nomine Domini nostri Jesu Christi lumen cum pace. ℟. Deo gratias.

Dominus sit semper. ℟. Et cum, etc.

IN PRIMO DOMINICO QUADRAGESIMÆ

Ad Vesperos.

Lauda. Qui fecit luminaria magna solus: P. Quoniam in sæculum misericordia ejus. ℣. Solem in potestatem diei: Lunam, et stellas in potestatem noctis. P. Quoniam in.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Sono. Averte Domine faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele. Alleluia. ℣. Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam: et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitates meas. Usquequaque lava me ab injustitia mea: et a peccato meo munda me. Alleluia. ℣. Iniquitatem meam ego cognosco, Domine: et peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi: et malum coram te feci. Cor mundum crea in me Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis. Alleluia.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Si vero confiteamur delicta nostra: P. Fidelis est, et justus, ut remittat nobis peccata, et emundet nos ab omni iniquitate. ℣. Venite, adoremus, et procidamus ante Deum: ploremus coram Domino, qui fecit nos. P. Fidelis. ℣. Gloria, et.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Dirigam vias tuas, Alleluia. P. In jocunditate exeas, et cum lætitia discedas. Montes, et colles exultabunt exspectantes te cum gloria Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Non accedet ad te malum: et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. P. In jocunditate. ℣. Gloria, et honor Patri, etc.

Hymnus.

Alleluia piis edite laudibus,
Cives ætherei, psallite unanimiter
Alleluia perenne.
Hinc vos perpetui luminis accolæ
Ad summum resonate hymniferis choris
Alleluia perenne.
Vos Urbs eximia suscipiet Dei,
Quæ lætis resonans cantibus, excitat
Alleluia perenne.
Felici reditu gaudia sumite,
Reddentes Domino glorificum melos,
Alleluia perenne.
Almum sidereæ jam Patriæ decus
Victores capite, quo canere possitis
Alleluia perenne.
Illic Regis honor vocibus inclytis
Jocundum reboat carmine perpetim
Alleluia perenne.
Hoc fessis requies, hoc cibus, hoc potus
Oblectans reduces, haustibus affluens
Alleluia perenne.
Te suavisonis conditor affatim
138 Rerum carminibus, laudeque pangimus
Alleluia perenne.
Te Christe celebrat gloria vocibus
Nostris omnipotens, ac tibi dicimus:
Alleluia perenne.
Alleluia perenne.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum cum omni supplicatione rogemus; ut nos gratia ipsius, et per intercessionem Sanctæ Mariæ Virginis, et genitricis suæ ut sancto tempore Quadragesimæ nobis remissionem peccatorum, et pacem nobis donare dignetur.

Capitula. Alleluia in cœlo, et in terra: in cœlo perpetuatur, et in terra cantatur. Ibi sonat jugiter: hic fideliter. Illic perenniter, hic suaviter. Illic feliciter, hic concorditer. Illic ineffabiliter; hic instanter. Illic sine syllabis: hic modulis. Illic ab Angelis: hic a Populis. Quam Christo Domino nascente in laude et confessione nimis ejus, non solum in cœlo, sed et in terra Cælicolæ cecinerunt: dum gloriam in excelsis Deo, et pacem in terra bonæ voluntatis hominibus nuntiaverunt. Quæsumus ergo, Domine, ut quorum ministeria nitimur imitari laudando, eorum mereamur consortium beatæ vitæ vivendo.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Alleluia, quæ ineffabiliter concinnitur in Cœlis, efficatius declaretur in laudibus vestris. ℟. Amen. Et quæ illic sine intermissione decantatur ab Angelis, hic per momenta affectius concinnatur a Populis universis. ℟. Amen: Ut hæc ipsa, quæ laus dicitur Dei, in eaque nunc laude initiari populos facit, æternæ vos adscribat socios mansioni. ℟. Amen.

Lauda. Ibis, Alleluia. Prosperum iter habebis. Alleluia. *P.* Et iterum cum gaudio revertaris ad nos.
A Alleluia. ℣. In manibus enim suis portabunt te: ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum. P. Et iterum. ℣. Gloria, et honor. *Psalmus* XC.

Kyrie, eleïson. ℟. Christe, eleïson. Kyrie, eleïson. Pater noster.

Preces. Domine misericordiarum obliviscere peccata nostra. In principio creasti cœlum, et terram, P. Obliviscere peccata, ℣. Qui fecisti hominem ad imaginem, et similitudinem tuam, P. Obliviscere. ℣. In omnibus gentibus ex Abraham multiplicasti populos. P. Obliviscere.

Oratio. Exaudi orationem nostram Domine; gemitusque nostros auribus percipe: nos enim iniquitates nostras agnoscimus; et delicta nostra coram te pandimus: tibi Deus peccavimus; tibique con-
B fitentes veniam exposcimus. Et quia recesimus a mandatis tuis; et legi tuæ minime paruimus; convertere Domine super servos tuos, quos redemisti, sanguine tuo. Indulge, quæsumus, nobis; et peccatis nostris veniam tribue: tuæque pietatis misericordiam in nobis largiri dignare. ℟. Amen.

Ad Matutinum.

Hymnus. Æterne rerum Conditor. *fol.* 2.

Oratio. Omnipotens, æterne, et misericors Deus, qui temporum das tempora: qui singulis temporibus das gratiam, quam administrent: tu veniens prolixitatem tenebrarum exæstuas, et gallo nos consolaris canente, ut dum præco diei sonat, diurni operis meditatio reviviscat: respice ergo nos jugiter, et instiga, ne profundæ noctis errore persuasi, obli-
C viscamur perennis; sed labentes in tenebris erige, et vivendo nos corrige: ut cum Petro resipiscamus errata, et paribus lachrymis crimina defleamus commissa. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Salus tua Domine super populum tuum, et benedictio tua. *Psalmus* III.

Alia Antiphona. Dele Domine iniquitates meas. *Psalmus* L.

Antiphona. Clamabo ad Dominum: Deum altissimum qui benefecit mihi. *Psalmus* LVI.

Oratio. Discute a nobis Unigenite ingeniti Patris somnum corporis; et clemens placitus nostris parce piaculis: ut modo redemptorum copia piis frequentet vigiliis, tuisque digna habeatur obtutibus
D sacris: et quod nunc serit ignobilis carnis fragilitas; divinitatis tuæ dono surgat in gloria: Tu igitur Domine cunctis in te confidentibus juvamen largius impende; et ad supernam patriam alarum tuarum obumbratione nos attrahe. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 1. Filii hominum: simul in unum dives et pauper. P. Inclinemus Deo corda nostra, ut non timeamus in die mala. ℣. Audite hæc omnes gentes: auribus percipite, **139** qui habitatis orbem. P. Inclinemus. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Inclinemus.

Oratio. Audiant te, Domini, omnes gentes; et dives simul ac pauper aurem tibi cordis accommodent: neque timeamus in die mala; neque fidei honore

relicto jumentis insipientibus comparemur : ut te A solum intelligentia nostra adsequens ambiat, quem æterno in gaudio cum Sanctis omnibus laudans, præmia sempiterna suscipiat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Sperate in Deum omne consilium populorum. P. Effundite coram illo corda vestra : quoniam ipse adjutor noster est. ℣. Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere : divitiæ si fluant, nolite corda apponere. P. Effundite coram. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Effundite coram.

Oratio. Effundentibus nobis coram te corda nostra in oratione, tu, Domine, qui spes omnium es, exaudi, et miserere ; tibique nos servituros, subde ; et subditis peccato propitia benignitate occurre : fac nos iniquitatis rapina carere ; et divitiarum tua- B rum ornamenta conquirere : atque te nosse, vel concupiscere, neque omnibus diebus, vitæque nostræ et tempore Deum mereamur habere. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Converte nos Deus salutaris noster : *P.* Et averte iram tuam a nobis : ac super populum tuum pacem. Ne in æternum irascaris nobis. ℣. Deus tu convertens vivificabis nos : et plebs tua lætabitur in te. P. Et averte iram. ℣. Gloria, et. *P.* Et averte.

Oratio. Converte nos, Deus salutaris noster ; et averte iram tuam a nobis : ac super populum tuum pacem præsta, quam loqueris ; ut plebs tua lætetur in te ; ac salutare tuum custodia salutis intelligens, vel misericordiam tuam temporum prosperitate co- C gnoscat, vel benignitate tua fructum fœcunditatis suscipiat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Ecce venient dies Domini magni eleemosynæ et jejunii : estote parati benefacere oppressis, viduis, et orphanis. P. Ut recipiatis mercedem in novissimis temporibus, dicit Dominus. ℣. Quiescite agere perverse, discite benefacere : quærite judicium, subvenite oppresso. P. Ut recipiatis. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio. P. Ut recipiatis.

Oratio. Deus, qui eleemosynam nos facere præcipis, ut quod gurges humanæ prolapsionis pedorum squalore sordificat, hoc velut porrectum operiat ; fac nos dignas nobis ipsis primum eleemosynas erogare ; et sic indigentibus compatientes existere, ut D primum vitæ nostræ parcamus, piamque nobis bonorum operum substantiam ministremus, dum mores nostros a male actis corrigimus : et sic de bono conscientiæ digniores effecti, proximorum corda, et instructione illustremus doctrinæ, et inopiam reficiamus subsidio gratiæ. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. In mente habete dies sæculi, intelligite annos nationis nationum : interroga patrum tuum, dicet tibi ; seniores tuos, et annuntiabunt tibi.

Canticum. Attende Cœlum. *fol.* 4.

Oratio. Montes, cantate nobis, et terra audiat ; sicut Moysi famulo tuo in confessione mirabilium, et præceptorum tuorum : descendat super nos, Domine, gratia misericordiæ Domini nostri Jesu Christi filii tui, sicut ros super terram, et sicut imber super gramen, et sicut nix supra fœnum : quæ nos insensibili arte, impietatis emundet illic, ubi peccatorum nostrorum numerositas nulla possit satisfactione pensari. Tu autem Domine, qui es cœcorum lumen, errantium via, resurrectio mortuorum, respectu clementiæ tuæ, conscientiæ nostræ tenebras inlumina ; peccantes ad pœnitentiam revoca ; pœnitentibus veniam, promptamque in te semper miserationem largire. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Benedictus. Antiphona. Filii hominum benedicite Dominum Israel : et omnes Sacerdotes servi Dei benedicite Dominum.

Canticum. Benedictus es Domine Deus patrum. *fol.* 6.

Sono. Ne obliviscaris Deus vocem deprecantium te, Alleluia. ℣. Memento congregationis tuæ, quam creasti ab initio virgam hereditatis tuæ.

Lauda. Alleluia. Laudate Dominum de Cœlis : Alleluia. Laudate eum in excelsis. Alleluia. P*salmus* CXLVIII.

140 *Lectio libri* P*roverbiorum Salomonis* (*Cap.* I). ℟. Deo gratias.

Filii hominum convertimini ad correptionem meam, et proferam vobis Spiritum meum, et ostendam verba mea. Quia vocavi, et renuistis : extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis quod timebatis, advenerit. Cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit : quando venerit super vos tribulatio, et angustia : Tunc invocabunt me, et non exaudiam : mane consurgent, et non invenient me eo quod exosam habuerunt disciplinam, et timorem Domini non susceperunt, nec adquieverunt consilio meo, et detraxerint universæ correptioni meæ. Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur. Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet illos : Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, et abundanti a perfruetur, malorum timore sublato. (*Cap.* II.) Fili mi, si susceperis sermones meos, et mandata mea absconderis penes te, ut audiat sapientiam auris tua : inclina cor tuum ad cognoscendum prudentiam. Si enim sapientiam invocaveris, et inclinaveris cor tuum prudentiæ : si quæsieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effuderis illam : tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies : quia Dominus dat sapientiam : et ex ore ejus scientia, et prudentia procedet. Custodiet rectorum salutem, et proteget gradientes simpliciter, servans semitas justitiæ, et viam sanctorum custodiens. Tunc

intelliges justitiam, et judicium, et æquitatem, et omnes semitam bonam. ℟. Amen. A

Hymnus. Alleluia piis. *Quære fol.* 137.

Capitula. Alleluia nomen, quod interpretationem tui laudem resonans Dei, esto consumatrix matutini officii; præbe quoque tu Deus nobis hanc tibi, dum vivimus, diffuso ore concinere; hanc etiam tibi post transitum, peracto mundi termino decantare: ut, in cujus hic renovationem dulcessimus, in ejus te concentu post nostrum obitum copiosius amplectamur.

Pater noster. Et ne.

Lauda. Ibis, Alleluia, prosperum iter. *Quære fol.* 138. *Benedictio.* Alleluia, quæ ineffabiliter. *fol.* 138.

Exeunte Vespera. In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum. ℣. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. B

Oratio. In noctibus manus nostras ad te extollimus, Domine, ut nos in Ecclesia tua fixos statuas; ac dum mundialibus imprimimur sarcinis, nostra laudare te actione concedas. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Sono. Antiphona. In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum. P. Benedicat vos Dominus, qui fecit cœlum et terram. ℣. Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini, P. Benedicat vos. ℣. Gloria, et honor. P. Benedicat.

Lauda. Mane apud nos hodie, et crastina proficisceris, Alleluia. P. Et dum orta fuerit dies, ambulabis via tua. Alleluia, alleluia. ℣. Dominus custodiat te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus. P. Et dum orta fuerit. ℣. Gloria, et honor. P. Et dum orta. C

Hymnus. Alleluia piis. *Quære fol.* 137.

Capitula. Ecce laus tua, Deus, quæ est Alleluia, et cœlos implet, et terram: cum supernarum ineffabili concentu exprimitur, et terrenarum officiis declaratur: quæsumus ergo, Deus, ut cum te in illa die viderint oculi nostri in gloria, lætetur cor nostrum super Alleluia: ut per laudis hujus exhibitionem devotam, hic promereamur criminum veniam, et post, æternam perducamur ad gloriam, cum manifestata fuerit nobis facies tua.

Pater noster.

Benedictio. Alleluia, nomen pium, atque jocundum, dilatetur ad laudem Dei in ora omnium populorum: ℟. Amen. Sit in vicibus credentium clara, quæ in Angelorum ostenditur concentibus gloriosa. ℟. Amen. Et, quæ in æternis civibus sine sonorum strepitu enitet, in vestris cordibus affectu pleniore fructificet. ℟. Amen. D

Per misericordiam.

Lauda. Angelus Domini bonus comitetur tecum, Alleluia: et omnia bona præparet itineri tuo. P. Et iterum cum gaudio revertaris ad nos, Alleluia. ℣. Mittat tibi auxilium de sancto; et de Sion tueatur te. P. Et iterum. ℣. Gloria, et honor. P. Et iterum. *Hic clauditur* Alleluia.

Psalmus. Miserere mei, Deus *totus cum* Gloriæ. *Postea* Kyrie, eleison: Christe, eleison: **141** Kyrie, eleison. Pater noster. *sub silentio.*

Preces. Adverte, Domine, iram tuam a nobis. Adsit nobis potentia tua. P. Averte, Domine, iram. ℣. Benedic, Domine, hereditatem tuam. P. Averte Domine. ℣. Concede pacem Ecclesiæ tuæ. P. Averte, iram tuam a nobis.

Oratio. Exaudi orationem nostram, Domine. *fol.* 138.

FERIA SECUNDA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Tu autem, Domine, susceptor meus *Psalmus* III.

Oratio. Quamvis Domine plurima malignantium multitudo abneget, salutem nostram esse in te: nobis tamen robur spei multum augetur, quia tu susceptor noster esse dignatus es. Obstruitur itaque os loquentium iniqua; cum sperantes in te misericordia circumdat assidua. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 1. In lege Domini sit voluntas nostra, et in lege ejus meditemur die ac nocte. *Psalmus* I.

Oratio. Domine, apud quem est salus plena justitiæ, et perfectio beatitudinis incorruptæ; da nobis, ut in legis tuæ meditatione die ac nocte tempora transeamus, et ab impiorum consilio, atque a peccatorum via, vel a pestilentiæ Cathedra declinemus: quo, velut lignum fructiferum, aquarum decursibus enutritum, et fructibus repleamur, et gratia decoremur. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Nunc, reges, intelligite: erudimini omnes qui judicatis terram. Servite Domino in timore. *Psalmus* II.

Oratio. Disciplina tua, Domine, nos tibi et sancto timori conjungat; et ad exultationem tuam timore nos attrahat: ac ne a via justa recedamus, nos contine: ut beati esse possimus in te fidere concede. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino. *Psalmus* IV.

Oratio. Singulariter in spe tua constitue: ut, qui hic per fidem ambulamus et non per speciem, spes ipsa nos ad rem promissionis adducat: quæ desiderium nostrum tolerantiæ expectationes sustentet, et charitate consummet. ℟. Amen.

Per.

℟. Aperi, Domine, oculos tuos, et vide miseriam nostram: inclina aurem tuam, et exaudi nos servos tuos, ut non pereat vinea tua. P. Quam plantare dignatus es. ℟. Domine Deus virtutem, convertere: nunc respice de cœlo, et vide, et visita vineam tuam. P. Quam. ℣. Gloria. *Reiteretur.* ℟.

In Laudibus.

Antiphona. Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. *Psalmus* L.

Oratio. Miserere Domine miseris: et quia nostram

agnoscimus miseriam, tuam præveniamus misericordiam. Sit igitur vox confessionis prompta, venia proximam; atque de tua propitiatione sit exauditio a te; ut nostra deleas universa peccata; et tribuas virtutem, per quam tua faciamus præcepta. ℟. Amen.

Per.

Antiphona. Benedicam enim vobis, et multiplicabo vos, sicut stellas cœli, dicit Dominus Deus.

Canticum. Egredere de terra tua. *fol.* 95.

Antiphona. Benedicam. Gloria, et honor Patri.

Oratio. Te Domine inspirante atque vocante, terrenum conversationis deserentes abjiciamus: ut spretis carnalibus vitiis, mundanisque affectibus ac voluptatibus abdicatis ad promissa cælestia festinemus; et policitam hereditatem a te supernæ patriæ capiamus. ℟. Amen.

Per.

Ad Benedictus. Antiphona. Mane exaudies vocem meam Domine. Mane adstabo tibi, et adorabo te. ℣. Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum. Intende voci orationis meæ, rex meus et Deus meus. Quoniam ad te orabo, Domine,

Canticum. Benedictus es Dominus. *fol.* 6.

Lauda. Secundum multitudinem magnitudinis ejus laudate Dominum in sanctis ejus. Laudate Dominum de cœlis. *Psalmus* CL.

Lectio libri Sapientiæ Salomonis. ℟. Deo gratias. Fili, Habe fiduciam in Domino, etc. *Require fol.* 95.

Lectio libri Genesis (*Cap.* II).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Perfecti sunt cœli et terra, et omnis ornatus eorum. Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: et requievit die septimo, ab universo opere quod patrarat. Et benedixit diei septimo; et sanctificavit illum: quia in ipso cessaverat **142** ab omni opere suo quod creavit Deus ut faceret. Istæ sunt generationes cœli et terræ, quando creatæ sunt, in die quo fecit Deus cœlum et terram: et omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret: non enim pluerat Dominus Deus desuper terram, et homo non erat qui operaretur terram: Sed fons ascendebat e terra irrigans universam superficiem terræ. Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem. Plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis a principio: in quo posuit hominem quem formaverat. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave: lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni et mali. Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita. Nomen uni Phison: ipse est qui circuit omnem terram Evilath, ubi nascitur aurum: et aurum terræ illius optimum est: ibique invenitur bdellium, et lapis onychinus. Et nomen fluvii secundi

A Geon: ipse est qui circuit omnem terram Æthiopiæ. Nomen vero fluvii tertii, Tigris: ipse vadit contra Assyrios. Fluvius autem quartus ipse est Euphrates. Tulit ergo Dominus hominem, et posuit eum in paradisum voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum: Præcepitque ei, dicens: Ex omni ligno paradisi comede: De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas: in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris. Dixit quoque Dominus Deus: Non est bonum, hominem esse solum: faciamus illi adjutorium simile sibi. Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, et universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea: omne enim quod vocaret Adam animæ viventi, ipsum est nomen ejus. Appellavitque Adam B cuncta animantia nominibus suis, et universa volatilia cœli, et omnes bestias terræ: Adæ vero non inveniebatur adjutorium simile ejus. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc, os ex ossibus meis, et caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro assumpta est. Quamobrem derelinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ: et erunt duo in carne una. Erant autem uterque nudi, Adam scilicet et uxor ejus: et non erubescebant. (*Cap.* III.) Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ C fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Dominus, ut non comederetis de omni ligno paradisi? Cui respondit mulier: De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescemur: De fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, et ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem: nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: et eritis sicut dii, scientis bonum et malum. Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis. aspectuque delectabile: et tulit de fructu illius, et comedit: deditque viro suo, qui comedit. Et aperti sunt oculi amborum: cumque cognovissent se esse D nudos, consuerunt folia fides, et fecerunt sibi perizomata. Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam et mulier ejus a facie Domini Dei in medio ligni paradisi. Vocavitque Dominus Deus Adam, et dixit ei: Adam, Ubi es? Qui ait: Vocem tuam, Domine, audivi in paradiso: et timui eo quod nudus essem, et abscondi me. Cui dixit: Quis enim indicavit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo tibi præceperam ne comederes, comedisti? Dixit Adam: Mulier, quam dedisti sociam mihi, dedit mihi de ligno, et comedi. Dixitque Dominus Deus ad mulierem: quare hoc fecisti? Quæ respondit: Serpens decepit me, et comedi. Et ait Dominus

Deus ad serpentem : Quia fecisti hoc, maledictus es A inter omnia animantia, et bestias terræ : super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen ejus : ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus. Mulieri quoque dixit : Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos : in dolore paries filios: et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. Adæ vero dixit : Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, **143** maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ : spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terræ : in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es : quia pulvis es, et B in pulverem reverteris. Et vocavit Adam nomen uxoris suæ, Hevam: eo quod mater esset cunctorum viventium. Fecit quoque Dominus Deus Adæ et uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos : et ait : Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis, sciens bonum et malum : nunc ergo ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ, et comedat, et vivat in æternum. Emisit eum Dominus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est. Ejecitque Adam : et collocavit ante paradisum voluptatis cherubim, et flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.
℟. Amen.

Hymnus. Fulgentis auctor ætheris, etc. *Quære fol.* 96. *Preces.* Oremus, ut nos sacrosancto jejunio C tempore Quadragesimæ. *Require in primis Vesperis de Dominico primo Quadragesimæ.*

Capitula. Rex noster et Deus noster depelle a cordibus nostris erroris et ignorantiæ noctem : ut renovando nos in novum hominem, mane nostras exaudias voces : fac nos in bonis operibus tibi adstare diluculo ; et ad contemplandum te nobis resurrectionis tuæ tribue sacramentum.

Pater noster. Et.

Lauda. Initium sapientiæ timor Domini. *P.* Intellectus bonus facientibus eum : ℣. Laudatio ejus manet in sæculum sæculi. *P.* Intellectus bonus. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Intellectus bonus.

Oratio. Misericors. Domine, tu principium es timoris et sapientiæ, in isto nos ergo instrue, et in illo D statue : a timore nos inchoa, et sapientiæ perfectione consumma. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Alia Lauda. Utinam, Domine, dirigantur *P.* Viæ nostræ ad custodiendas justificationes tuas. ℣. Tunc non confundar, dum respicio in omnia mandata tua. *P.* Viæ nostræ. ℣. Gloria, et honor. *P.* Viæ nostræ.

Oratio. Dirigantur viæ nostræ, Domine, ad custodiendas justificationes tuas : et, qui legis tuæ nitimur perscrutari secreta, tua quoque perducamur ad præmia. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Ad Tertiam.

Prophetia. Fili, Ne obliviscaris legis meæ. *Quære fol.* 40.

Lectio libri Genesis (*Cap.* IV).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Adam cognovit Hevam uxorem suam : quæ concepit et peperit Cain, dicens : Possedi hominem per Dominum. Rursumque peperit fratrem ejus Abel. Fuit autem Abel pastor, et Cain agricola. Factum est autem post multos dies ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum : et respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus. Ad Cain vero, et ad munera illius non respexit : iratusque est Cain vehementer, et concidit vultus ejus. Dixitque Dominus ad eum : Quare iratus es ? et cur concidit facies tua ? Nonne si bene egeris, recipies: si autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit? sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius. Dixitque Cain ad Abel fratrem suum : Egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit Cain adversus Abel fratrem suum : et interfecit eum. Et ait Dominus ad Cain : Ubi est Abel frater tuus? Qui respondit : Nescio : Numquid custos fratris mei sum ego ? Dixitque ad eum : Quid fecisti ? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit fructus suos. Vagus et profugus eris super terram omnibus diebus vitæ tuæ. Dixitque Cain ad Dominum: Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. Ecce ejicies me hodie a facie terræ, et a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra : omnis igitur qui invenerit me, occidet me. Dixitque ei Deus : Nequaquam ita fiet : sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur. Posuitque Dominus in Cain signum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum. Egressusque Cain a facie Domini, habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Eden. Cognovit autem Cain uxorem suam, quæ concepit, et peperit Henoch : et ædificavit civitatem, et vocavit nomen ejus ex nomine filii sui Henoch. Porro Henoch genuit Irad, et Irad genuit Maviael, et Maviael genuit Mathusael, et **144** Mathusael genuit Lamech. Qui accepit duas uxores, nomen uni Ada, et nomen alteri Sella. Genuitque Ada Jabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum. Et nomen fratris ejus Jubal : ipse fuit pater canentium cithara et organo. Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator et faber in cuncta opera æris et ferri. Soror vero Tubalcain Noema. Dixitque Lamech uxoribus suis Adæ et Sellæ : Audite vocem meam uxores Lamech, auscultate sermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, et adolescentulum in livorem meum. Septuplum ultio dabitur de Cain : de Lamech vero septuagies septies. Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam: et peperit filium, vocavitque nomen

ejus Seth, dicens : Posuit mihi Deus semen aliud A
pro Abel, quem occidit Caïn. Sed et Seth natus est filius, quem vocavit Enos : iste cœpit invocare nomen Domini. ℟. Amen.

Antiphona. 1. Desiderium pauperum exaudi Dominus. *Psalmus* IX.

Oratio. Exalta nos Domine de portis mortis, ut laudes tuas in portis filiœ Sion adnuntiare possimus : Illuc nos pertrahe ; et inde nos remove : ut ad supernam voluntatem, muntis nostræ se tendat erectio, et tenebrarum opera, conversionis nostræ relinquat intentio. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

Antiphona 2. Justus Dominus et justitiam dilexit : æquitatem videt vultus ejus. *Psalm*. X.

Oratio. Justus es Domine, et justitiam diligis, at- B
que aspicis æquitatem : da nobis ante oculos tibi placita et placitura perficere ; et semper digna tuæ justitiæ atque æquitatis opera consummare. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Tu Domine servabis nos : et custodies nos à generatione, in progenie. *Psalmus* XI.

℟. Convertamur ad Dominum Deum nostrum. P. Quoniam benignus ac mitis est ad ignoscendum. ℣. Venite exultemus in Domino : jubilemus Deo salutari nostro. P. Quoniam benignus. ℣. Gloria, et honor Patri. *Reiteretur* ℟.

Preces. Ad te clamamus, Domine. P. Miserere, et parce populo. ℟. Sarcerdotes, orate, et flectentes genua, dicite : P. Miserere, et parce. ℣. Nos C
tibi soli peccavimus, et malum coram te fecimus. P. Miserere.

℣. Agnosce mala, quæ gessimus : esto nobis propitius. P. Miserere. ℟. Arentem terram jam respice ; et imbrem gratiæ tribue. P. Misèrere, et parce populo tuo.

Hymnus dicendus per omnes dies Quadragesimæ ad Tertiam, vel Sextam, vel Nonam infrà hebdomadam.

FERIA SECUNDA.

Hymnus.

O Nazarene, lux Bethlehem, Verbum Patris.
Quem partus alvi Virginalis protulit,
Adesto castis, Christe, parsimoniis,
Festumque nostrum rex serenus adspice,
Jejuniorum dum litamus victimam. D
Nil hoc profecto purius mysterio,
Quo fibra cordis expiatur vividi,
Intemperata quo domantur viscera,
Arvina putrem ne resudans crapulam
Obstrangulatæ mentis ingenium premat.
Hinc subjugatur luxus, et turpis gula,
Vini atque somni degener socordia,
Libido sordens, inverecundus lepos,
Variæque pestes languidorum sensuum
Parcam subactæ disciplinam sentiunt.
Nam si licenter diffluens potu et cibo,
Jejuna rite membra non coerceant :
Sequitur, frequenti marcida oblectamine,
Scintilla mentis ut tepescat nobilis,
Animusque pigris stertat ut præcordiis.
Amen. Honor, potestas, etc.

FERIA TERTIA.

Ad Tertiam.

Hymnus.

Frenentur ergo corporum cupidines,
Detersa et intus emicet prudentia :
Sic excitato perspicax acumine,
Liberque flatu laxiore spiritus
Rerum Parentem rectius precabitur.
Elias tali crevit observantia
Vetus Sacerdos, ruris hospes aridi :
Fragore ab omni quem remotum et segregum
Sprevisse tradunt criminum frequentiam,
Casto fruentem Syrtium silentio.
Honor, potestas.

FERIA QUARTA.

Ad Tertiam.

Hymnus.

Sed mox in auras igneis jugalibus,
Cursuque raptus evolavit præpeti,
Ne de propinquo sordium contagio
Dirus quietum mundus afflaret virum
145 Olim probatis inclytum jejuniis.
Non ante cœli principem septemplicis
Moyses tremendi fidus interpres throni
Potuit videre, quam decem recursibus
Quater volutis sol peragrans sidera
Omni carentem cerneret substantia.
Victus precantis solum in lacrymis fuit :
Nam flendo pernox irrigatum pulverem.
Humi madentis ore pressit cernuo :
Donec loquentis voce perstrictus Dei,
Expavit ignem non ferendum visibus.
Honor, potestas.

FERIA QUINTA.

Ad Tertiam.

Hymnus.

Joannes hujus artis haud minus potens,
Dei perennis præcucurrit Filium :
Curvos viarum qui retorsit tramites,
Et flexuosa corrigens dispendia,
Dedit sequendam calle recto lineam.
Hanc ob equelam præparabat nuncius;
Mox adfuturo construens iter Deo,
Clivosa planis, confragosa ut lenibus
Converterentur, neve quidquam devium
Inlapsa Terris inveniret veritas.
Honor, potestas, etc.

FERIA SEXTA.

Ad Tertiam.

Hymnus.

Non usitatis ortus hic natalibus,
Oblita lactis jam vieto in pectoro
Matris tetendit serus Infans ubera.
Nec ante partum de senili effusus est,
Quam prædicaret Virginem plenam Deo,

Post in patentes ille solitudines, A
Amictus hirtis bestiarum pellibus,
Setisve tectus, hispida et lanugine,
Secessit, horrens inquinari et pollui
Contaminatis oppidorum moribus.
Illic dicata parcus abstinentia,
Potum cibumque Vir severæ industriæ
In usque serum respuebat vesperum,
Parum locustis, et favorem agrestium
Liquore pastum corpori suetus dare.
Honor, potestas, etc.

SABBATO.

Ad Tertiam.

Hymnus.

Hortator ille primus et doctor novæ B
Fuit salutis : nam sacrato in flumine
Veterum pietas lavit errorum notas :
Sed, tincta postquam membra defæcaverat,
Cælo refulgens influebat Spiritus.
Hoc ex lavaro labe dempta criminum
Ibant renati non secus quam si rudis
Auri recocta vena pulchrum splendeat :
Micet mitalli sive lux argentei
Sudum polito prænitens purgamine.
Honor, potestas.

Ad Sextam.

Hymnus.

Referre prisci stemma nunc jejunii
Libet, fideli proditum volumine,
Ut diruendæ Civitatis incolis
Fulmen benigni masuefactum Patris C
Pie repressis ignibus pepercerit.
Gens insolenti præpotens jactantia
Pollebat olim, quam fluentem nequiter
Corrupta vulgo solverat lascivia :
Et inde bruto contumax fastidio,
Cultum superni negligebat Numinis.
Offensa tandem jugis indulgentiæ
Censura, justis excitatur motibus,
Dextram perarmat rhomphæali incendio
Nimbos crepantes et fragosos turbines
Vibrans, tonantum nube flammarum quatit.
Sed pænitendi dum datur diecula,
Si forte vellent improbam libidinem,
Vetere que nugas, condomare ac frangere
Suspendit ictum terror exorabilis, D
Paulumque dicta substitit sententia.
Honor, potestas, etc.

FERIA TERTIA.

Ad Sextam.

Hymnus.

Jonam Prophetam mitis ultor excitat,
Pœnæ imminentis iret ut prænuncius :
Sed nosset ille cum minacem judicem
Servare malle, quam ferire, ac plectere,
Tectam latenter vertit in Tharsos fugam.
Celsam paratis pontibus scandit ratem
Udo revincta fune puppis solvitur ;
Itur per altum : fit procelosum mare :
Tunc causa tanti quæritur periculi :
Sors in fugacem missa vatem decidit.
Jussus perire solus e cunctis reus,
Cujus voluta crimen urna expresserat,
Præceps rotatur, et profundo immergitur ;
Exceptus inde belluinis faucibus,
Alvi capacis vivus hauritur specu.
Honor, potestas.

146 FERIA QUARTA.

Ad Sextam.

Hymnus.

Transmissa raptim præda cassos dentium
Eludit ictus, incruentam transvolans
Impune linguam, ne retentam mordicus
Offam molares dissecarent vividi :
Os omnes transit, et palatum præterit.
Ternis dierum, ac noctium processibus
Mansit ferino devoratus gutture,
Errabat illic per latebras viscerum :
Ventris recessus circumibat tortiles
Anhelus, extis intus æstuantibus.
Intactus exin tertiæ noctis vice,
Monstri vomentis pellitur singultibus,
Qua murmuranti fine, fluctus frangitur
Salsosque candens spuma tundit pumices :
Ructatus exit, seque servatum stupet.
Honor, potestas.

FERIA QUINTA.

Ad Sextam.

Hymnus.

In Ninivitas se coactus percito
Gressu reflectit : quos ut increpaverat,
Pudenda Censor imputans opprobria :
Impendit, inquit, ira summi vindicis !
Urbemque flamma mox cremabit, credite !
Apicem deinceps ardui montis petit,
Visurus inde conglobatum turbidæ !
Fumum ruinæ, cladis et diræ struem,
Tectus flagellis multimodi germinis,
Hic et repente perfruens umbraculo,
Sed mœsta postquam civitas vulnus novi
Auxit doloris heu supremum, palpitat !
Cursant per ampla congregatim mœnia
Plebs, et Senatus, omnia ætas Civium,
Pallens Juventus, ejulantes feminæ.
Honor, potestas.

FERIA SEXTA.

Ad Sextam.

Hymnus.

Placet, fermentem publicis jejuniis
Placare Christum : mos edendi spernitur.
Glaucos amictus induit monilibus
Matrona demptis, proque gemma et serico,
Crinem fluentem sordibus spargit cinis
Squallent recincta veste pullati Patres :
Setasque plangens Turba sumit textiles,
Impexa villis Virgo bestialibus
Nigrante vultum contegit velamine,
Jacens arenis et puer provolvitur.

Rex ipse, Choos æstuantem murices
Lænam, revulsa dissipabat fibula
Gemmas virentes, et lapillos sutiles,
Insigne frontis exuebat vinculum,
Turpi capillos impeditos pulvere.
Honor.

SABBATO.

Ad Sextam.

Hymnus.

Nullus bibendi, nemo vescendi memor,
Jejuna mensas pubes omnis liquerat:
Quin et negato lacte vagientium
Fletu madescunt parvulorum cunulæ,
Succum papillæ parca nutrix denegat.
Greges et ipsos claudit armentalium
Solves virorum cura, ne vagum pecus
Contingat ore rorulenta gramina,
Potum strepentis neve fontis hauriat,
Vacuis querelæ personant præsepibus.
Mollitus his, et talibus, brevem Deus
Iram refrænat, temperans oraculum.
Propere sinistrum: prona nam clementia
Haud difficulter supplicem mortalium
Solvit reatum, fitque fautrix flentium.
Honor, potestas.

FERIA SECUNDA

Ad Nonam.

Hymnus.

Sed cur vetustæ gentis exemplum loquor?
Pridem caducis cum gravatus artubus
Jesus, dicato corde jejunaverit;
Prænuncupatus ore qui prophetico
Emmanuel est, sive nobiscum Deus?
Qui corpus istud molle naturaliter,
Captumque laxo sub voluptatum jugo,
Virtutis arcta lege fecit liberum,
Emancipator servientis plasmatis,
Regnantis ante victor et cupidinis.
Inhospitali namque secretus loco,
Quinis diebus octies labentibus,
Nullam ciborum vendicavit gratiam,
Firmans salubri, scilicet, jejunio
Vas appetendis imbecillum gaudiis.
Honor, potestas.

FERIA TERTIA.

Ad Nnoam

Hymnus.

Miratur hostis posse limum tabidum
Tantum laboris sustinere, ac perpeti.
147 Explorat arte sciscitator callida.
Deus ne menbris sit receptus terreis:
Sed, increpata fraude, post tergum ruit.
Hoc nos sequamur, quisque nunc pro viribus,
Quod consecrati tu Magister Dogmatis
Tuis dedisti, Christe, sectatoribus:
Ut, cum vorandi vicerit libidinem,
Late triumphet Imperator spiritus.
Hoc est, quod atri livor hostis invidet
Mundi, Polique quod gubernator probat,
Altaris aram quod facit placabilem,
Quod dormientis excitat cordis fidem,
Quod limat ægram corporis libidinem.
Honor, potestas, etc.

FERIA QUINTA.

Ad Nonam.

Hymnus.

Perfusa non sic amne flamma extinguitur
Nec sic calente Sole tabescunt nives;
Ut turbidarum scabra culparum seges
Vanescit alvo trita sub jejunio,
Si blanda semper misceatur largitas.
Est quippe et illud grande virtutis genus:
Operire nudos: indigentes pascere:
Opem benignam ferre supplicantibus:
Unam; paremque sortis humanæ vicem
Inter potentes, atque egenos ducere:
Satis beatus quisque dextram porrigit,
Laudis rapacem prodigam pecuniæ,
Cujus sinistra dulce factum nesciat:
Illum perennes protinus complent opes;
Ditatque fructus fœnerantem centuplex.
Honor, potestas, plenitudo gratiæ
Deo perenni, Trinitati simplici,
Æterna, cujus est beata gloria,
Replet globi, rerumque cuncta machina,
Tenetque regnum perpetim per sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus, ut nos sancto jejunio Quadragesimæ. *fol.* 143.

Capitula. Custodi nos, Domine a generatione in progeniem: nec cum præsenti volvamur sæculo, qui tuo jam inhæsimus fundamento. Sed miseriarum nostrarum consolator exurge; et proventu lætitiæ mœrores nostros absterge.

Pater noster. A malo nos libera. *fol.* 10, *Benedictio. Quære in Nona, quæ dicitur per totum annum in diebus feriis.*

Ad Sextam

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* I).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: Audite, audite verbum Domini Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei vestri, populus Gomorrhæ. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum: holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum, nolui. Cum veneritis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis? ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi. Neomeniam, et sabbata, et festivitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri: calendas vestras, odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis et cum multiplicaveritis orationem, non audiam: manus vestræ sanguine plenæ sunt. Lavamini, mundi estote aufere malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse,

discite benefacere quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo defendite viduam. Et venite, et arguite me, dicit Dominus : si fuerint peccata vestra, ut coccinum, quasi nix, dealbabuntur : et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis, ait Dominus omnipotens. ℟. Amen.

Antiphona 1. In avertendo Dominus captivitatem plebis suæ, lætetur Jacob, et exultet Israel. *Psalmus* XIII.

Oratio. Nomen tuum Domine credere semper et invocare nos, facito : ne cum corde insipientium sentiamus, qui infideli voce adclamant : Non est Deus. Corruptionem mentis eorum ad veritatem converte fidelium : ut fideles, eorum pravitas non subvertat ; sed fideles, illos doctrina pietatis adquirant : ut infideles sectam abominabilem respuant; et cum fidelibus, Trinitatis essentiam corde integro fateantur et credant ; ut cum justis generationibus deputentur, et cum Sanctis ejus beatitudinis gloriam potiantur. ℟. Amen.

Antiphona 2. Adimple nos lætitia cum vultu tuo Domine. *Psalmus* XV.

148 *Oratio*. Pars hereditatis nostræ, Domine Deus, in tua consistit æternitate : Unde precamur te Domine, pietate solita hereditatem tuam conserva ; et calicem passionis, quem potasti pro ea, semper ei pro remedio præsta : ut sicut redemptionis præclara sunt munera, ita redemptorum sit adquisitio copiosa : quique redempti sumus cruce tua, simus perpetim hereditas tua : ut nec in infernum animam nostram relinquas ; sed incorrupte tecum semper victuram attollas. ℟. Amen.

Antiphona 3. Virtus mea. *Psalmus* XVII.

℟. Habete fiduciam coram Domino, et multiplicentur corda vestra, P. in sanctificatione. ℣. Perfecti estote : exhortamini : idem sapite : pacem habete, et Deus pacis erit vobiscum. P. In sanctificatione. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio. *Reiteretur* ℟.

Preces. Ad te clamamus Domine. *P*. Precamur, ut exaudias. ℣. Audi vocem supplicum, et da vitæ remedium. *P*. Precamur, ut exaudias. ℣. Causas peccati amove, et da locum veniæ. *P*. Precamur, ut exaudias. ℣. Da nobis auxilium, quod superet periculum. *P*. Precamur, ut exaudias. ℣. Audi, Deus, viduas et orphanorum lachrymas. *P*. Precamur, ut exaudias.

Hymnus. O Nazarene, lux Bethlehem, etc. *Quære fol*. 144. *Supplicatio*. Oremus Redemptorem mundi. *fol*. 138.

Capitula. Refugium nostrum, Domine, in tuum semper conlocemus arbitrium : ut nec scopulis elidamur, nec tumentium mundanorum fluctuum tempestatibus obruamur ; sed in cunctis adversis, dexteræ tuæ fortitudine protegi mereamur ; disciplina tua doceamur ; doctrina dirigamur, et incrementis spiritualibus dilatemur : Famulatum fidei :

A tibi Domino impendamus : ut a te gloriæ coronam in remuneratione percipere mereamur.

Pater noster. Et ne nos.

Ad Nonam.

Ecclesiastici Salomonis (*Cap*. XVII).

℟. Deo gratias.

Fili, Deus creavit hominem de terra, et secundum imaginem suam fecit illum. Et iterum convertit illum in ipsam, et secundum se vestivit illum virtute. Numerum dierum, et tempus dedit illi ; potestatem eorum, quæ sunt super terram, Posuit timorem illius super omnem carnem, et dominatus est bestiarum volatilium. Creavit ex ipso adjutorium simile ipsi : consilium, et linguam, et oculos, et aures, et cor dedit illis excogitandi :
B et disciplina, et intellectu replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor eorum, et mala et bona ostendit illis. Posuit oculum eorum super corda eorum, ostendere illis magnalia operum suorum, ut nomen sanctificationis conlaudent ; et gloriari in mirabilibus illius, et magnalia enarrare operum ejus. Addidit illis disciplinam, et legem vitæ hereditavit illis. Testamentum æternum constituit cum illis, et judicia sua ostendit illis. ℟. Amen.

Ad Nonam.

Lectio libri Genesis (*Cap*. V).

℟. Deo gratias.

Hic est liber generationis Adam. In die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum. Masculum, et feminam creavit eos, et benedixit il-
C lis : et vocavit nomen eorum Adam, in die qua creati sunt. Vixit autem Adam centum triginta annis : et genuit filium ad imaginem, et similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth. Et facti sunt dies Adam, postquam genuit Seth, octingenti anni : genuitque filios et filias. Et factum est omne tempus quod vixit Adam, nongenti triginta anni, et mortuus est. Vixit quoque Seth centum quinque annis, et genuit Enos. Vixit quoque Seth postquam genuit Enos, octingentis septem annis, genuitque filios et filias. Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, et mortuus est. Vixit vero Enos nonaginta annis, et genuit Cainan. Post cujus ortum vixit octingentis quindecim annis, et genuit filios et filias. Factique sunt omnes dies Enos non-
D genti quinque anni, et mortuus est. Vixit quoque Cainan septuaginta annis, et genuit Malaleel. Et vixit Cainan postquam genuit Malaleel, octingentis quadraginta annis, genuitque filios et filias. Et facti sunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, et mortuus est. Vixit autem Malaleel sexaginta quinque annis, et genuit Jared. Et vixit Malaleel postquam genuit Jared, octingentis triginta annis : et genuit filios et filias. Et facti sunt omnes dies Malaleel octingenti nonaginta quinque anni, et mortuus est. Vixit quoque Jared centum sexaginta duobus annis, et genuit Henoch. Et vixit Jared postquam genuit **149** Henoch, octingentis

annis, et genuit filios et filias. Et facti sunt omnes A dies Jared nongenti sexaginta duo anni, et mortuus est. Porro Henoch vixit sexaginta quinque annis, et genuit Mathusalem, et ambulavit Henoch cum Deo: et vixit Henoch postquam genuit Mathusalem, trecentis annis, et genuit filios et filias. Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni. Ambulavitque cum Deo, et non apparuit: quia tulit illum Deus. Vixit quoque Mathusalem centum octoginta septem annis, et genuit Lamech. Et vixit Mathusalem potsquam genuit Lamech, septingentis octoginta duobus annis, et genuit filios et filias. Et facti sunt omnes dies Mathusalem nongenti septuaginta novem anni, et mortuus est. Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, et genuit filium: vocavitque nomen ejus Noe, dicens: Iste B consolabitur nos ab operibus, et laboribus manuum nostrarum, in terra cui maledixit Dominus. ℟. Amen.

Antiphona. 1. Ad defensionem nostram Deus noster respice. *Psalmus* XXI.

Oratio. Ad defensionem nostram Domine Deus noster dignanter respice; eripe a framea animas nostras: et ne doctrina pascamur lethali, tuo nos tutamine rege; simulque de ore leonis, rapere nos cupientis, libera: et oblatrantis perfidiam canis pervigili contuitu, solicita nos protege cura. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Delicta qui solus intelligis, a peccatis nostris munda nos, Domine. *Psalmus.* XVIII.

Oratio. Ab occultis nostris munda nos, Domine, purgando conscientiam, quæ internis ac propriis in- C ficitur maculis: ab alienis quoque parce servis tuis; ut ea indulgeas, quæ, vel malorum exemplis addiscimus, vel pravis inlecti persuasionibus perpetramus: ut, qui te proprium agnoscimus Dominum, peccatorum nequaquam sentiamus ulterius dominatum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

Antiphona 3. Exaudi nos in die, qua invocaverimus te, Domine Deus noster. *Psalmus* XIX.

Hymnus. O Nazarene. *fol.* 144.

Capitula. Imple Domine omnes petitiones nostras; ac mitte nobis auxilium de sancto: memor esto omnis sacrificii nostri, quod tibi non solum oblatione, sed etiam oratione atque afflictione dicamus: ut nos tibi humiles semper facias, et contritos attendas.

Pater noster. Et de nos. D

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

Ad Vesperum.

Lauda. Tu illuminans lucernam meam, Domine.

Antiphona. Salva plebem tuam Domine, et benedic hereditatem tuam. *Psalmus* XXVII.

Lauda. Dirigantur viæ nostræ, Domine. P. Ad custodiendas justificationes tuas. ℣. Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini. Gloria, et honor Patri. P. Ad custodiendas justificationes.

Hymnus. Christe Salvator omnium Cœlorum, etc. *Quære fol.* 97. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi. *Quære fol.* 138.

Capitula. Sit festum jejunium nostrum apud te, Domine, qui iniquitates deles, et peccata dimittis: vide gemitus confitentium tibi, et preces omnium libenter exaudi: ut, qui tibi in veritate serviunt, adversitate nulla turbentur, auferens omnem malitiam de cordibus nostris, ut tuis inhærendo præceptis, tua nos pace lætificcs.

Pater noster.

Benedictio. Jesus Salvator, ac Deus noster emundet vos per abstinentiæ puritatem ab omni delicti contagione. ℟. Amen. Quique vestrarum est redemptio animarum, sit remunerator vestrorum jejuniorum. ℟. Amen. Ut ab eo donetur vobis æterna gloria, a quo sanctificari vos, vultis per abstinentiam. ℟. Amen.

Per.

Lauda. Initium sapientiæ timor. *fol.* 143.

FERIA TERTIA.

Ad Matutinum.

Voce mea ad Dominum clamavi: et exaudivit me de monte sancto suo. *Psalmus* III.

Oratio. Ad te, Domine, propriæ vocis clamore directo, non verba ingenti sono perstringimus; sed te ad propitiandum toto cordis affectu deposcimus; exaudi nos quæsumus de monte sancto tuo Jesu Christo Domino nostro: cujus non altitudo erigit: cujus dilatat fortitudo: cujusque amplitudo confirmat. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 1. Dominus virtutem populo suo dabit: et benedicet in pace plebem suam. *Psalmus* XXVIII.

150 *Oratio.* Da Domine virtutem populo tuo contra adversitatem omnium mala; plebemque tuam pacis collatione locupleta: ut pro abundantia quietis omnes in templo tuo tibi gloriam concinant; laudemque pariter et honorem, malis vitæ hujus oblitis, tuæ semper deferant majestati. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. 2. Sperantes in Domino misericordia circumdabit, *Psalmus.* XXXI.

Oratio. Remitte Domine impietatem cordis nostri, pro qua te omnis Sanctus in tempore opportuno exorat; atque intellectum tribue nobis per orationis suffragium, quod precamur: et instrue nos in hujus vitæ via, qua gradimur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

Antiphona 3. Confitemini Domino in cithara: in psalterio decem chordarum psallite illi. *Psalmus* CXXXII.

Oratio. Gaudio justorum, quod est in te, Domine, famulorum tuorum infunde visceribus; ut conlaudatio tua, quæ rectos decet, omnem a sensibus nostris pravitatem expurget. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Responsarium. Convertamur ad Dominum Deum nostrum. P. Quoniam benignus ac mitis est ad ignoscendum; dimittit in tempore tribulationis peccata nostra. ℣. Venite, adoremus, et procidamus ante Deum; et ploremus coram Domino, qui fecit nos. P.

Quoniam benignus. ℣. Gloria etc. *Reiteretur Responsorium.*

In Laudibus.

Antiphona. Secundum magnam misericordiam tuam, dele, Domine, iniquitates meas. *Psalmus* L.

Oratio. Secundum multitudinem miserationum tuarum Domine, dele iniquitates nostras: ut, quia istæ nos aggravant, illæ nos erigant. Cor contritum et humiliatum ne spernas in nobis, sed per ineffabilem potentiam. Trinitatis inhabitet in nobis Spiritus Sanctus, innovet spiritus rectus, confirmet spiritus principalis, atque unius testimonii sit virtus, ut confirmatos nos per Patrem, editos esse gaudeamus per Spiritum Sanctum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Canticum. Antiphona. Levemus corda nostra cum lachrymis ad Dominum in cœlis.

Canticum Threnorum III.

Quid murmuravit homo vivens, * vir pro peccatis suis?

Scrutemur vias nostras, et quæramus, * et revertamur ad Dominum:

Levemus corda nostra cum manibus * ad Dominum in cœlis.

Nos inique egimus, et ad iracundiam te provocavimus: * idcirco tu inexorabilis es.

Operuisti in furore, et percussisti: * occidisti, nec perpecisti.

Opposuisti nubem tibi, * ne transeat oratio.

Gloria, et honor Patri.

Ad Benedictus. Antiphona. In tuo, Deus, lumine videbimus lumen. ℣. Ostende misericordiam tuam scientibus te, et justitiam tuam iis, qui recto sunt corde.

Canticum. Benedictus. *fol.* 6.

Lauda. In sanctis ejus laudate Dominum: in firmamento virtutis ejus laudate Dominum. *Psalmus* CL.

Lectio libri Genesis (*Cap.* XI).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Erat terra labii unius, sermonumque eorumdem. Cumque proficiscerentur de oriente, invenerunt campum in terra Sennaar, et habitaverunt in eo. Dixitque alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres, et coquamus. Habueruntque lateres pro saxis, et bitumen pro cæmento: et dixerunt: Venite, faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat usque ad cœlum: et celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras. Descendit autem Dominus ut videret civitatem, quam ædificabant filii Adam, et dixit: Ecce unus est populus, et unum est labium omnibus: cœperunt hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus, et confundamus tibi linguas eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, et cessaverunt ædificare civitatem. Et idcirco vocatum est nomen ejus Babel quia ibi confusum est labium universæ terræ et inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum. Hæ sunt generationes Sem: Sem centum annorum erat, quando genuit Arphaxat, biennio post diluvium. Vixitque Sem potsquam genuit Arphaxat, quingentos annos: et genuit filios et filias. Porro Arphaxat **151** vixit triginta quinque annis, et genuit Salech. Vixitque Arphaxat postquam genuit Salech, trecentis tribus annis: et genuit filios et filias. Salech quoque vixit triginta annis, et genuit Heber. Vixitque Salech, postquam genuit Heber, quatuorcentis tribus annis. Vixit autem Heber triginta et quatuor annis, et genuit Phalech. Et vixit Heber, postquam genuit Phalech, quatuorcentis triginta annis; et genuit filios et filias. Vixit autem Phalech triginta annis, et genuit Rheu. Vixitque Phalech, postquam genuit Rheu, ducentis novem annis: et genuit filios et filias. Vixit autem Rheu triginta quinque annis, et genuit Saruch. Vixit quoque Rheu, postquam genuit Saruch, ducentis septem annis: et genuit filios et filias. Vixit vero Saruch triginta annis, et genuit Nachor. Vixitque Saruch, potsquam genuit Nachor, ducentis annis: et genuit filios et filias. Vixit autem Nachor viginti et novem annis, et genuit Thare. Vixit autem Nachor, postquam genuit Thare, centum decem et novem annis: et genuit filios et filias. Vixitque Thare septuaginta annis, et genuit Abram, Nachor, et Aran. Porro Aram genuit Loth. Mortuusque est Aram ante Thare patrem suum in terra nativitatis suæ in Ur Chaldæorum. Duxerunt autem Abram et Nachor uxores: nomen uxoris Abram, Sarai et nomen uxoris Nachor, Melcha, filia Aram, patris Melchæ, et patris Jeschæ. Erat autem Sarai sterilis, nec habebat liberos. Tulit itaque Thare Abram filium suum, et Loth filium Aram, filium filii sui, et Sarai nurum suam, uxorem Abram filii sui, et eduxit eos de Ur Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan: veneruntque usque Aram, et habitaverunt ibi. Et facti sunt omnes dies Thare ducentorum et quinque annorum, et mortuus in Aram (*Cap.* XII). Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi. Faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ. Egressus est itaque Abram, sicut præceperat ei Dominus, et ivit cum eo Loth: septuaginta quinque annorum erat Abram, cum egrederetur de Aran. Tulitque Sarai uxorem suam, et Loth filium fratris sui, universamque substantiam quam possederant, et animas quas fecerant in Aran: et egressi sunt ut irent in terram Chanaan. Cumque venissent in eam, pertransivit Abram terram usque ad locum Sichem, usque ad convallem illustrem: Chananeus autem tunc erat in terra. Apparuitque Deus Abram, et dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificavit ibi altare Domino, qui apparuit ei. Et inde transgrediens ad montem, qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi

tabernaculum suum, ab occidente habens Bethel, ab oriente Hai : ædificavit quoque altare Domino, invocavitque nomen ejus. ℞. Amen.

Hymnus. Deus æterni luminis, candor inenarrabilis. *Quœre fol.* 98.

Preces. Oremus, ut nos sacrosancto jejunio tempore Quadragesimæ, *ut supra*.

Capitula. Domine, apud quem est fons vitæ, et in cujus lumine aspicimus lumen enutri in nos tuæ scientiæ splendorem : ut sitientibus nobis vitalem impertias potum ; et caligantibus animabus superni luminis restituas intellectum.

Pater noster.

Landa. Gloriemur, Domine P. In laude tua. ℣. Ut confiteamur nomini sancto tuo : et gloriemur in laude tua. ℣. Gloria, et honor. P. In laude tua.

Oratio. Salvos nos fac, Domine Deus noster, et in salute tua visita : nec iniquitatis nostræ pœna, sed timoris tui nos humiliet disciplina ; ut tua gloriemur in laude, et confiteamur in nomine, nos quoque ad videndum lætitiam electorum tuorum excitet bonitas ; et ad laudandum regni tui adsciscat hereditas. ℞. Amen.

Per misericordiam.

Ad Tertiam.

Proverbiorum Salomonis (*Cap.* v).

℞. Deo gratias.

Fili, bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui : Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui. Sit vena tua benedicta, et lætare cum muliere adolescentiæ tuæ : cerva charissima, et gratissimus hinnulus : ubera ejus inebrient te omni tempore, et in amore ejus delectare jugiter. Quare seduceris fili mi ab aliena, et foveris sinu alterius ? Respicit Dominus, vias hominis, et omnes gressus illius considerat. Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus **152** peccatorum suorum constringitur. Ipse morietur, quia non habuit disciplinam, et multitudine stultitiæ suæ decipitur. Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, inlaqueatus es verbis oris tui, et captus propriis sermonibus. Fac ergo quod dico, fili mi, et temetipsum libera. ℞. Amen.

Lectio libri Genesis (*Caput* xii.)

℞. Deo gratias.

In illis diebus : Facta est fames in terra : descenditque Abraham in Egyptum, ut peregrinaretur ibi : prævaluerat enim fames in terra. Cumque prope esset ut ingrederetur in Ægyptum dixit Saraï uxori suæ : Novi quod pulchra sis mulier : et quod cum te viderint Ægyptii, dicturi sunt, quod uxor mea sis, et interficient me, et te reservabunt. Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis : ut bene sit mihi propter te, et vivet anima mea ob gratiam tui. Cum itaque ingressus esset Abram Ægyptum, viderunt Ægyptii mulierem quod esset pulchra nimis. Et nunciaverunt principes Pharaoni, et laudaverunt eam apud illum : et sublata est mulier in domum Pharaonis. Abram

A vero bene usi sunt propter illam : fueruntque ei oves, et boves et asini, et servi et familiæ, et asinæ, et cameli. Flagellavit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, et domum ejus, propter Saraï uxorem Abram. Vocavitque Pharao Abram, et dixit ei : Quidnam est quod fecisti mihi ? quare non indicasti quod uxor tua esset ? Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, ut tollerem eam mihi in uxorem ? Nunc igitur ecce conjux tua, accipe eam, et vade. Præcepitque Pharao super Abram viris : et deduxerunt eum, et uxorem illius, et omnia quæ habebat. (*Cap.* xiii.) Ascendit ergo Abram de Ægypto, ipse et uxor ejus, et omnia quæ habebat, et Loth cum eo, ad australem plagam. Erat autem dives valde in possessione argenti et aûri. Reversusque est pariter,

B quo venerat, à meridie in Bethel usque ad locum ubi prius fixerat tabernaculum inter Bethel et Haï : in locum altaris quod fecerat prius, et invocavit ibi nomen Domini. Sed et Loth qui erat cum Abram, fuerunt greges ovium, et armenta, et tabernacula. Nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul : erat quippe substantia eorum multa, et nequibant habitare communiter. Unde facta est rixa inter pastores gregum Abram et Loth. Eo autem tempore Chananæus et Pherezæus habitabant in illa terra. Dixit ergo Abram ad Loth : Ne quæso sit jurgium inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos : fratres enim sumus. Ecce universa terra coram te est : recede a me, obsecro : si tu ad sinistram ieris, ego ad dexteram tenebo : si tu ad dexteram elegeris,

C ego ad sinistram pergam. Elevatis itaque Loth oculis vidit omnem circa regionem Jordanis, quæ universa inrigabatur, antequam subverteret Dominus Sodomam et Gomorrham, sicut paradisus Domini, et sicut Ægyptus venientibus in Segor. Elegitque sibi Loth regionem circa Jordanem, et recessit ab oriente : divisique sunt alteruter a fratre suo. Abram habitavit in terra Chanaan : Loth vero moratus est in oppidis, quœ erant circa Jordanem, et habitavit in Sodomis. Homines autem Sodomitæ pessimi erant, et peccatores coram Domino nimis. Dixitque Dominus ad Abram, postquam divisus est Loth ab eo : Leva oculos tuos directum, et vide a loco, in quo nunc es, ad aquilonem et ad meridiem, ad orientem et ad occidentem. Omnem terram quam cons-

D picis, tibi dabo et semini tuo usque in sempiternum. Faciamque semen tuum sicut pulverem terræ : si quis potest hominum numerare pulverem terræ, semen quoque tuum numerare poterit. Surge ergo, perambula terram in longitudine, et in latitudine sua : quia tibi daturus sum eam. Movens igitur Abram tabernaculum suum, venit et habitavit juxta convallem Mambre, quæ est in Hebron : ædificavitque ibi altare Domino. ℞. Amen.

Antiphona 1. Anima nostra patiens est Domino : quoniam adjutor et protector noster est. *Psalmus* xxxii.

Oratio. Tibi Domino patiens est anima nostra : a

quo et virtutem tolerantiæ, et præmium concupiscit A
accipere : tua ergo super nos misericordia, sicut speravimus, fiat : tuaque nos gratia consueta præveniat. ℟. Amen.

Per misericordiam, etc.

Antiphona 2. Magnificate Dominum mecum : et exaltemus nomen ejus in unum. *Psalmus* XXXIII.

Oratio. Inquirentes te, Domine, dignanter exaudi; atque ut in te laudetur anima nostra, propitius indultor imperti : et, qui juxta es his, qui tribulato sunt corde, aurem tuam **153** ad contritionem nostri spiritus pande : et ad pacem tuam, quæ exuperat omnem sensum, corpora nostra et corda converte. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Filii hominum in protectione ala- B
rum sperant, Domine. *Psalmus* XXXV.

℟. Benefaciat nobis Deus, et liberet nos ab omnibus malis. P. Et donet pacem in diebus nostris. ℣. Illuminet vultum suum super nos. P. Et donet. ℣. Gloria. *Reiteretur* ℟.

Preces. Averte, Domine, iram furoris tui : P. Et miseratus parce populo tuo. ℣. Omnium precibus pium auditum præbe : et quæ rogamus sancte, cito concede. ℣. Christe, flebiles gemitus intuere : vincula mortis solve, et vitam largire. P. Et miseratus. ℣. Jam vide lachrymas : intellige lugentes ; tandem delicta nostra clemens ignosce. P. Et miseratus. ℣. Nullus ex nobis est, quem audias libenter ; tu propter temetipsum, Christe, succurre. P. Et miseratus.

Hymnus. Referre prisci. *fol.* 145.

Capitula. In protectione alarum tuarum Domine C
filios hominum sperantes, nequaquam detegas ; sed tamquam pullos, quo possimus supernis volatilibus præparari, fovendo enutrias : neque deripi nos laceratione insidiantium sinas ; nec a nido Ecclesiæ tuæ avolare permittas ; sed, dum nos tegmine regis paterno, ad ubertatem domus tuæ adjuti tuo veniamus auxilio.

Pater noster.

Ad Sextam.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* V).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum ad agrum copulatis usque ad terminum loci : nunquid habitabitis soli vos in medio terræ ? In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus D
exercituum : Nisi domus multæ desertæ fuerint, grandes, et pulchræ, absque habitatore. Decem enim jugera vinearum facient lagunculam unam, et triginta modii sementis faciunt modios tres. Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperum, ut vino æstuetis. Cithara, et lira, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris : et opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, et nobiles ejus interierunt fame, et multitudo ejus siti exaruit. Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino : et descendent fortes ejus, et populus ejus, et sublimes, gloriosique ejus ad eum. Et incurvabitur homo, et humiliabitur vir, et oculi sublimium deprimentur. Et exaltabitur Dominus exercituum in judicio, et Deus sanctus sanctificabitur in justitia. ℟. Amen.

Antiphona 1. Exurge Domine, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum. *Psalmus* XLIII.

Oratio. Exurge Domine, adjuva nos contra omnem malitiam persequentium : et libera nos propter nomen tuum à contractu spirituum immundorum : ut, qui nos in loco humiliasti afflictionis, exaltes iterum in remuneratione virtutis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Memores sumus nominis tui, Deus, in omni progenie et generatione. *Psalmus* XLIV.

Oratio. Fac nos Domine diligere justitiam et odire iniquitatem : ac per speciem, tuam pulchritudinem quærentes, deducat nos mirabiliter dextera tua : et, mortificato in nobis incentivo fornicationis, accinge lumbos nostros gladio castitatis. ℟. Amen. Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Deus nostrum refugium, et virtus ; adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. *Psalmus* XLV.

℟. Averte, Domine, iram tuam à nobis. ℟. Ne in æternum irascaris nobis. ℣. Mitiga, Domine, omnem iram tuam : et averte ab ira indignationis tuæ. *P.* Ne in æternum. ℣. Gloria. *P.* Ne in æternum.

Preces. Ad te clamamus, Domine. *P.* Precamur, ut exaudias. ℣. Christe Redemptor omnium, exaudi preces supplicum. *P.* Precamur. ℣. Concede nobis donum gratiæ, et fructum pœnitentiæ. P. Precamur. ℣. Remove a nobis gladium, famem, et pestilentiam. P. Precamur. ℣. Solve delicti periculum, et dona indulgentiam. P. Precamur.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol.* 144.

Oratio. Deus noster esto nobis in adversis refugium ; et in certaminibus hujus mundi virtutis tuæ præbe solatium : et dum te adventante mœrens turbata fuerit terra, tibi adjungantur in gaudio, qui ob metum judicii **154** admissa deflent in sæculo : ut tu, virtutum Dominus, sis nobiscum ; quem et timemus judicem ; et cognoscimus redemptorem.

Pater noster.

Ad Nonam.

Lectio libri Ecclesiastici Salomonis (*Cap.* II).

℟. Deo gratias.

Fili, Accedens ad servitutem Domini, sta in justitia, et timore, et præpara animam tuam ad tentationem : Deprime cor tuum, et sustine : inclina aurem tuam, et excipe verba intellectus : et ne festines in tempus obductionis. Sustine sustentationes Dei, et conjungere Deo, et sustine, ut crescat in novissimo vita tua. ℟. Amen.

Lectio libri Genesis (*Cap.* XV).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Factus est sermo Domini ad Abram per visionem, dicens : Noli timere Abram, ego pro-

tector tuus sum, et merces tua magna nimis. Dixitque Abram : Domine Deus, quid dabis mihi ? ego vadam absque liberis : et filius procuratoris domus meæ, iste Damascus Eliezer. Addiditque Abram : Mihi autem non dedisti semen ; et ecce vernaculus meus, heres meus erit. Statimque sermo Domini factus est ad eum, dicens : Non erit hic heres tuus : sed qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis heredem. Eduxitque eum foras, et ait illi : Suspice cœlum, et numera stellas, si potes. Et dixit ei : Sic erit semen tuum. Credidit Abram Deo, et reputatum est illi ad justitiam. Dixitque ad eum : Ego Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram istam, et possideres eam. At ille ait : Domine Deus, unde scire possum, quod possessurus sum eam ? Et respondit Dominus : Sume, inquit, mihi vaccam triennem, et capram trimam, et arietem annorum trium, turturem quoque et columbam. Qui tollens universa hæc, divisit ea per medium, et utrasque partes contra se altrinsecus posuit : aves autem non divisit. Descenderuntque volucres super cadavera, et abigebat eas Abram. Cumque Sol occumberet, sopor irruit super Abram, et horror magnus et tenebrosus invasit eum. Dictumque est ad eum : Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti, et affligent quadragintis annis. Verumtamen gentem, cui servituri sunt, ego judicabo : et post egredientur cum magna substantia. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. Generatione autem quarta revertentur huc : necdum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus. Cum ergo occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa, et apparuit clibanus fumans, et lampas ignis transiens inter divisiones illas. In illo die pepigit Dominus cum Abram fœdus, dicens : Semini tuo dabo terram a fluvio Ægypti usque ad fluvium magnum Euphratem, Cinæos, et Cenezæos, Cethmonæos, et Ethæos, et Pherezæos, Raphaim quoque, et Amorrhæos, Evæos, et Chananæos, et Gergesæos, et Jebusæos. (*Cap.* XVI.) Igitur Sarai, uxor Abram, non genuerat sibi liberos : sed habens ancillam Ægyptiam nomine Agar, dixit marito suo : Ecce conclusit me Dominus, ne parerem : ingredere ad ancillam meam, si forte saltem ex illa suscipiam filios. Cumque ille acquiesceret deprecanti, tulit Agar Ægyptiam ancillam suam, post annos decem quam habitare cœperant in terra Chanaam : et dedit eam viro suo uxorem. Qui ingressus est ad eam. At illa concepisse se videns, despexit dominam suam. Dixitque Sarai ad Abram : Inique agis contra me : ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns quod conceperit, despectui me habet : judicet Dominus inter me et te. Cui respondit Abram : Ecce, ait, ancilla tua in manu tua est, utere ea ut libet. Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit. Cumque invenisset eam Angelus Domini juxta fontem aquæ in solitudine quæ est in via Sur in deserto, dixit ad illam : Agar ancilla Sarai, unde venis ? et quo vadis ? quæ respondit : A facie Sarai dominæ meæ ego fugio. Dixitque ei Angelus Domini : Revertere ad dominam tuam, et humilia te sub manu illius. Et rursum : Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum, et non numerabitur præ multitudine. Ac deinceps : Ecce, ait, concepisti, et paries filium : vocabisque nomen ejus Ismael, eo quod audierit Dominus afflictionem tuam. Hic erit ferus homo, manus ejus contra omnes et manus omnium contra eum : et e regione universorum fratrum suorum figet tabernacula. Vocavit autem Agar nomen Domini qui loquebatur ad eam : Dixit enim : Profecto hic vidi posteriora videntis me. Propterea appellavit puteum illum, Puteum viventis et videntis me. Ipse est inter Cades et Barad. **155** Peperitque Agar Abræ filium : qui vocavit nomen ejus Ismael, Octoginta et sex annorum erat Abram quando peperit ei Agar Ismaelem (*Cap.* XVII.) Postquam vero nonaginta et novem annorum esse cœperat, apparuit ei Deus dicens, dixitque ad eum : Ego Dominus omnipotens : ambula coram me, et esto perfectus. Ponamque fœdus meum inter me et te, et multiplicabo te vehementer nimis. Cecidit Abram pronus in faciem. Dixitque ei Deus : ego sum, et ponam pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium. Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram : sed Abraham: quia patrem multarum gentium constitui te. Faciamque te crescere vehementissime, et ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur. Et statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum, post te in generationibus suis fœdere sempiterno : ut sim Deus tuus, et semini tuo post te. Daboque tibi et semini tuo terram peregrinationis, tuæ omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eroque Deus eorum. Dixit iterumque Deus ad Abraham : Et tu ergo custodies pactum meum, et semen tuum post te in generationibus suis. Hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te : Circumcidetur ex vobis omne masculum : et circumcidetis carnem præputii vestri, et sit in signum fœderis inter me et vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris : tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur, et quæcumque non fuerint de stirpe vestra : eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum. Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo : quia pactum meum irritum fecit. Dixit quoque Deus ad Abraham : Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram. Et benedicam ei, et ex illa dabo tibi filium cui benedicturus sum, eritque in nationes, et reges populorum orientur ex eo. Cecidit Abraham in faciem suam, et risit in corde suo, dicens : Putasne centenario nascetur filius ? et Sara nonagenaria pariet ? Dixitque ad Dominum : Utinam Ismael vivat coram te. Et ait Dominus ad Abraham : Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen ejus Isaac, et constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, et semini ejus post eum. Super Ismael quoque exaudivi te : ecce, benedicam ei, et augebo et multipli-

cabo eum valde : duodecim duces generabit, et fa- A ciam illum crescere in gentem magnam. Pactum vero meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero. ℟. Amen.

Antiphona 1. Simul in unum dives et pauper : auribus percipite; qui habitatis orbem. *Psalmus* XLVIII.

Oratio. Audiant simul tè Domine omnes gentes ; dives ac pauper aurem tibi cordis accommodent : ibique omnium ad fidem præparetur auditio, quo salvandis promittitur gratiæ plenitudo. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus, etc.

Antiphona 2. Exaudi nos, Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ. *Psalmus* LXIV.

Oratio. Exaudi nos Deus salutaris noster ; ac nos tua virtute præcinge : dumque fidei optamus soliditatem, spei mereamur quietem, et charitate perve- B niamus ad requiem. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Dicite Deo : Quam terribilia sunt opera tua! in multitudinem virtutis tuæ. *Psalmus* LXV.

Hymnus. O Nazarene . *fol*. 144.

Capitula. Dona nobis Domine, ut nos, qui te credendo, domum tuam in holocaustis ingredimur, dicatis tibi operibus, ac mortificato corpore serviamus : sicque non amoveas orationem nostram et misericordiam tuam a nobis; dum ea inspicis petere, quæ nobis prospicis convenire.

Pater noster. A malo nos libera. *fol*. 10.

Ad Vesperum.

Lauda. Illuminatio mea et salus mea Dominus. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Antiphona. Salvos nos faciat dextera tua, et exaudi nos. Deus locutus est in sancto suo. *Psalmus* LIX.

Lauda. Tu mandasti, mandata tua P. Custodire nimis, Deus meus ℣. Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas. P. Custodire. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Custodire.

Hymnus.

Christe lumen perpetuum
Astrorum, fulgor siderum,
Noctem nostram illumina,
Conserva pura pectora.
Nullis incedat laqueis.
156 Nullis gravetur hostibus,
Nec maculetur corpus
Lascivia per soporem.
Custodi corda omnium
Fideliumque maxima
Protectione propria
Tua, Christe, potentia.
Ut gratuletur anima
Vidisse lucem prosperam,
Implesse vota debita
Reddenda tibi, Trinitas.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio
Cum Spiritu Paraclito
In sempiterna sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus ut nos sacrosancto jejunio tempore Quadragesimæ. *Capitula*. Omnipotens semditerne Deus. *f*. 94.

Benedictio. Benedicat omnipotens Dominus præsentem familiam, qui crucis portavit injuriam. ℟. Amen. Ipse vos perducat cœleste in regnum, qui pependit in ligno. ℟. Amen. Ipse ad dexteram Patris vos collocet, qui causa nobis factus est pacis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Gloriemur, Domine. *Oratio*. Salvos nos fac. *fol*. 151.

FERIA QUARTA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Gloria mea exaltans caput meum. Voce mea ad Dominum clamavi : et exaudivit me de monte sancto suo. *Psalmus* III.

Oratio. Gloria nostra, Deus noster, da nobis, ut in te sine fine gloriemur : quosque fecisti de capitis exultatione sublimes, quæsumus, ut efficias de totius corporis consummata salute securos. Elevet abjectionem nostram tua magna celsitudo : ut, qui humilitate tua a terrenis erigimur, exaltatione quoque tua ad cœlestia pervehi mereamur. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 1. Conserva nos Domine, quoniam in te speramus. Tu enim, Domine, pars hereditatis nostræ. *Psalmus* XV.

Oratio. Conserva nos Domine in timore ; quo diligis ; et a peccati contagione nos separa : ut, quia bonorum nostrorum non indiges, tuorum nos donorum C adsocies. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Quærite Dominum, et vivet anima vestra. *Psalmus* LXVIII.

Oratio. Quœrentibus te, Domine, vitam animæ nostræ temetipsum imperti ; exaudi pauperes tuos, qui nihil præ sua justitia, sed tuo replentur munere ; tua aluntur substantia, tua gratia protegantur. Nec despicias vinctos, quorum te suspirant Desideria ; quorum tibi aderunt animæ ; tuorumque studia jugiter prosequuntur. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. In adjutorium nostrum intende, Domine : ad adjuvandum me festina. *Psalmus* LXIX.

Oratio. Intende in adjutorium nostrum Domine, et D ut nos adjuves festinus aggredere : tribue vires explendi quæ novimus ; et perfectum deputa quod optamus : ut, dum opere tuo tua in nobis pæcepta perfeceris, tibi laudem deputes : de effectu tuo nos exaltemur in præmio : te nostri magnificet operis rectitudo : nos tua attollat remuneratio. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis : quiescite agere perverse : discite benefacere, quærite judicium, subvenite oppressis, judicate pupillo, defendite viduam. P. Si volueritis, et audieritis, bona terræ comedetis, dicit Dominus. ℣. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix, dealbabuntur ; et si fuerint rubra

quasi vermiculus, velut lana erunt. P. Si volueritis, A ℣. Gloria. *Reiteretur*. ℟. Lavamini.

In Laudibus.

Antiphona. Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam : et secundum multitudinem miserationum tuarum dele, Domine, iniquitates meas. *Psalmus*. L.

Oratio. Miserere, Domine. *fol*. 141.

Ad Canticum. Antiphona. Ne despicias partem tuam Domine, quem redemisti ex Ægypto.

Canticum Esther XIII.

Domine Deus rex omnipotens, * in ditione tua cuncta sunt reposita,

Et non est, qui possit tuæ resistere voluntati, * si decreveris salvare Israel.

Tu fecisti cœlum et terram, *et quiquid cœli B ambitu continetur,

Dominus enim omnium es, * nec est qui resistat majestati tuæ.

Et nunc Domine Deus Abraham, miserere populo tuo, * et ne despicias partem tuam, **157** quam redemisti ex Ægypto.

Exaudi deprecationem meam, et propitius esto sorti tuæ et funiculo tuo, * et converte luctum nostrum in gaudium.

Ut viventes laudemus nomen tuum, Domine, * et non claudas ora canentium te.

Gloria, etc. *Reiteretur. Antiphona*. Ne despicias.

Ad Benedictus. Antiphona. Deus misereatur nobis, et benedicat nos : illuminet Dominus vulum suum super nos. ℣. Ut cognoscamus in terra viam tuam : C in omnibus gentibus salutare tuum.

Canticum. Benedictus es.

Lauda. Montes, et omnes colles, ligna fructifera et omnes cedri, laudate Dominum. *Psalmus* CXLVIII.

Lectia libri Genensis. (*Cap*. XVIII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Apparuit Deus Abrahæ in convalle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei. Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum : quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, et adoravit in terra. Et dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum : sed afferam pauxillum aquæ, et laventur pedes vestri, et requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis. D et confortetur cor vestrum, postèa transibitis : idcirco enim declinastis ad servum vestrum. Qui dixerunt : Fac, ut locutus es. Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei : Accelera, tria sata similæ commisce, et fac subcinericos panes. Ipse vero ed armentum cucurrit, et tulit inde vitulum tenerrimum, et optimum, deditque puero : qui festinavit, et coxit illum. Tulit quoque butyrum et lac, et vitulum, quem coxerat, et posuit coram eis : ipse vero stabat juxta eos sub arbore. Cumque comedissent, dixerunt ad eum : Ubi est Sara uxor tua? ille respondit : Ecce in tabernaculo est. Cui dixit : Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite, et habebit filium Sara uxor tua. Quo audito, Sara risit post ostium tabernaculi. Erant ambo senes, provectæque ætatis, et desierant Saræ fieri muliebria. Quæ risit occulte, dicens : Potsquam senui, et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo ? Dixit autem Dominus ad Abraham : Qaure risit Sara uxor tua, dicens : Num vere paritura sum anus ? Nunquid Deo quidquam est difficile ? juxta condictum revertar ad te hoc eodem tempore, vita comite, et habebit Sara filium. Negavit Sara, dicens : Non risi : timore perterrita. Dominus autem : Non est, inquit, ita : sed risisti. Cum ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos suos contra Sodomam : et Abraham simul gradiebatur, deducens eos. Dixitque Dominus : Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum : cum futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, et BENEDICENDÆ sint in eo omnes nationes terræ ? Scio enim quod præcepturus sit filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, et faciant judicium et justitiam : ut adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ad eum. Dixit itaque Dominus : Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam et videbo, utrum clamorem qui ivenit ad me, opere compleverint an non est ita, ut sciam. Converterunt se inde, et abierunt Sodomam. Abraham vero adhuc stabat coram Domino. Et appropinquans ait : Nunquid perdes justum cum impio ? Si fuerint quinquaginta justi in civitate peribunt simul ? et non parces loco illi propter quinquaginta justos, si fuerint in eo ? Absit à te, utrem hanc facias, et occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius, non est hoc tuum : qui judicas omnem terram, nequaquam facies hoc judicium. Dixitque Dominus ad eum : Si invenero Sodomis quinquaginta justos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos. Respondens Abraham, ait : Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis, et cinis. Quid si minus quinquaginta justis, quinque fuerint ? delebis, propter quadraginta quinque universam urbem ? Et ait ; Non delebo, si invenero tibi quadraginta quinque. Rursusque locutus est ad eum : Si autem quadraginta ibi inventi fuerint, quid facies ? Ait : Non percutiam propter quadraginta. Nec, inquit, indigneris, Domine, si loquar : Quid si ibi inventi fuerint triginta ? Respondit : Non faciam, si invenero ibi triginta. Quia semel, ait, cœpi, loquar ad Dominum meum : Quid si ibi inventi fuerint viginti ? Ait : Non interficiam propter viginti. Obsecro, inquit, ne irascaris, Domine, si loquar adhuc semel ; Quid si inventi fuerint ibi **158** decem ? Dixit : Non delebo propter decem. Abiit Dominus, postquam cessavit loqui ad Abraham : et ille reversus est in locum suum. ℟. Amen.

Hymnus. Deus Pater ingenite, *Quœre f*. 101. *Supplicatio*. Oremus, ut nos sacro sancto jejunio tempore Quadragesimæ. *Capitula*. Illumina, Domine, vultum tuum. *fol*. 26. Pater noster. A malo nos libera, etc. *fol*. 10.

Lauda. A peccatis nostris. *P*. Munda nos Domine :

℣. Et ab alienis parce servis tuis. *P.* Munda nos.
℣. Gloria, et honor, etc. *P.* Munda nos.

Oratio. Ab occultis nostris munda nos Domine purgando conscientiam quæ internis ac propriis inficitur maculis : ab alienis quoque parce servis tuis,ut ea indulgeas, quæ vel malorum exemplis addiscimus, vel pravis infecti persuasionibus perpetramus : ut, qui te proprium agnoscimus Dominum, peccatorum nequaquam sentiamus ulterius dominatum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Ad Tertiam.

Proverbiorum Salomonis (*Cap.* x).

℟. Deo gratias.

Filius sapiens lætificat patrem : filius vero stultus mœstitia est matris suæ. Nil proderunt thesauri impietatis : justitia vero liberabit a morte. Non affliget Dominus animam justi fame,et insidias impiorum subvertet. Egestatem operata est manus remissa : manus autem fortium divitias parat. Quid nititur mendaciis, hic pascit ventos ; idem autem ipse sequitur aves volantes. Quid congregat in messe, filius sapiens est : qui autem stertit æstate filius confusionis. Benedictio Domini super caput justi : os autem impiorum operit iniquitatem. Memoria justi cum laudibus: et nomen impiorum putrescet. Sapiens corde præcepta suscipiet : et stultus cæditur labiis. Qui ambulat simpliciter,ambulat confidenter : qui autem depravat vias suas, manifestus erit. Qui annuit oculo, dabit dolorem : et stultus labiis verberabitur. Vena vitæ, os justi : et os impiorum operit iniquitatem. Odium suscitat rixas : et universa delicta operit charitas. ℟. Amen.

Lectio libri Genesis (*Cap.* xix).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Venerunt duo Angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus civitatis. Qui cum vidisset eos, surrexit,et ivit obviam eis : adoravitque pronus in terra,et dixit : Obsecro, Domini,declinate in domum pueri vestri, et manete ibi : lavate pedes vestros, et mane proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt : Minime, sed in platea manebimus. Compulit illos oppido ut diverterent ad eum : ingressisque domum illius fecit convivium, coxit azyma : et comederunt. Prius autem quam irent cubitum, viri civitatis devellaverunt domum illius a puero usque ad senem, omnis populus simul. Vocaveruntque Loth,et dixerunt ei : Ubi sunt viri qui introierunt ad te nocte ? educ illos, ut cognoscamus eos. Egressus ad illos Loth, post tergum occludens ostium, ait : Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum ; educam eas ad vos,et abutimini eis sicut placuerit vobis, dummodo viris istis nihil mali faciatis,quia ingressi sunt sub umbra culminis mei. At illi dixerunt : Recede illuc. Et rursus. Ingressus es,inquiunt,ut advena : numquid ut judices? te ergo ipsum magis quam hos affligemus. Vimque faciebant Loth vehementissime : jamque prope erant
A ut effringerent fores. Et ecce miserunt manum viri, et introduxerunt ad se Loth, clauserunt ostium. Et eos,qui foris erant, percusserunt cæcitate a minimo usque ad maximum,ita ut ostium invenire non possent. Dixerunt ergo ad Loth: Habes hic tuorum quempiam? generum, aut filios, aut filias, omnes, qui tui sunt,educ de urbe hac:delebimus enim locum istum,eo quod increverit clamor eorum coram Domino, qui misit nos ut perdamus illos. Egressus itaque Loth,locutus est ad generos suos qui accepturi erant filias suas,et dixit: Surgite,egredimini de loco isto : quia delebit Dominus civitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui. Cumque esset mane, cogebant eum Angeli, dicentes : Surge, tolle uxorem tuam, et duas filias quas habes : ne et tu pariter
B pereas in scelere civitatis. Dissimulante illo,apprehenderunt manum ejus, et manum uxoris, ac duarum filiarum ejus, eo quod parceret Dominus illi. Eduxeruntque eum, et posuerunt extra civitatem : ibique locuti sunt ad eum,dicentes ; Salva animam tuam : noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione : sed in monte salvum te fac, ne et tu simul pereas. Dixitque Loth ad eos: Quæso, Domine mi,quia invenit servus tuus gratiam coram te, et magnificasti **159** gloriam et misericordiam tuam quam fecisti mecum,ut salvares animam meam,nec possum in monte salvari, ne forte apprehendat me malum, et moriar : Est civitas hic juxta, ad quam possum fugere, parva, et salvabor in ea ; numquid non modica est, et vivet anima mea? Dixitque ad
C eum : Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem pro qua locutus es. Festina, et salvare ibi:quia non potero facere quicquam donec ingrediaris illuc. Idcirco vocatum est nomen urbis illius Segor. Sol egressus est super terram, et Loth ingressus est Segor. Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de cœlo : et subvertit civitates has, et omnem circa regionem,universos habitatores urbium, et cuncta terræ virentia. Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis. Abraham autem consurgens mane,ubi steterat prius cum Domino,intuitus est Sodomam et Gomorrham, et universam terram regionis illius : viditque ascendentem favillam de terra quasi fornacis fumum. Cum enim subverteret Deus civitates regionis illius, recordatus est Abra-
D hæ, et liberavit Loth de subversione urbium in quibus habitaverat. ℟. Amen.

Antiphona. 1. Salvos nos fac dextera tua, et exaudi nos. Deus locutus est in sancto suo. *Psalmus* LIX.

Oratio. Auxiliare nobis Domine in tribulatione ; et exaudi nos ad salutem : ut dilecti tui ipsa, qua formati manu sunt,reformentur : ut, quo sunt contriti brachio, eodem rursum favente, cupitum perveniant ad remedium. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Parce pauperi et inopi : animas pauperum salvas fac, Domine.*Psalmus* LXXI.

benedicat nos Deus : et metuant eum omnes fines terræ. *Psalmus* LXVI.

Lauda. Veniat super nos misericordia tua : P. Et salutare tuum secundum eloquium tuum. ℣. Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speravi in sermonibus tuis. P. Et salutare. ℣. Gloria. P. Et salutare.

Hymnus.

Adesto nostris precibus,
Adesto jam propitius,
O Christe mundi gloria!
Fessumque lumen inriga.
Te vespertina oratio,
Te matutina concinat:
Tibi indefesse personet
Hymnum cum dulci carmine.
Deo Patri sit gloria.
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
In sempiterna sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus: *fol.* 138, *Capitula*. Sit festum jejunium. *fol.* 149. *Lauda*. A peccatis nostris. *Et Oratio*. Ab occultis nostris. *Quære f.* 158.

FERIA QUINTA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Tu autem Domine susceptor meus es. Psalmus, III. *Oratio*. Quamvis, Domine. *Quære fol.* 129.

Antiphona 1. Memento congregationis tuæ Domine, quam creasti ab initio.

Oratio. Memento congregationis tuæ Domine, quam creasti ab initio: tuæque non obliviscaris Ecclesiæ, quam a sæculo prædestinasti in Christo; atque ad testamentum tuum, memor tuæ misericordiæ respice: et promissa nos jugiter libertate complectere. **161** ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Confitebimur tibi Deus : confitebimur, et invocabimus nomen tuum, Domine. *Psalmus* LXXIX.

Oratio. Confitentes tibi Domine placabilis intuere : et quos contritos efficit timor pœnæ: et amor indulgentiæ lætificet, et plenitudo remissionis indeptæ. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Cito nos præveniat misericordia tua, Domine. *Psalmus* LXXVIII.

Oratio. Cito anticipet nos misericordia tua, Domine; quos nec consolatio spei, nec fiducia meriti, nec opitulatio sustentat auxilii; sed vitæ reatus, vexatioque jactatos arguit, vel conscientia facinorum, vel ultio peccatorum : Libera nos propter gloriam nominis tui; et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum : ut, cum utramque rem propter te feceris, et solita populum tuum pietate respexeris; gloria tibi detur ex liberatione, et propitiatio nobis tuo accedat ex nomine. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

A ℟. Custodite vos a murmuratione, quæ nihil prodest, et a detractione parcite linguæ: quoniam verbum absconsum non celabitur: os autem, quod mentitur, occidit animam. ℣. Non mentiemini invicem, nec decipiat unusquisque proximum suum. P. Quoniam. ℣. Gloria, etc. *Reiteretur*. ℟.

In Laudibus.

Antiphona. Averte faciem tuam a peccatis nostris: et omnes iniquitates nostras dele. *Psalmus*. L.

Oratio. Adverte faciem tuam a peccatis nostris Domine; et omnes iniquitates nostras dele : remove ab oculis tuis malarum nostrarum facinus voluptatum: nostræque confessioni clementer tuum appone auditum. Miserere, quæsumus, rogantibus nobis; qui propitius respicis in adversis, et qui desperatis cor
B pœnitens tribuis, ac confessionibus nostris gratiam tuam. Sed, quia publicanus a longe stans et percutiens pectus suum, sola confessione purgatus est; similiter et nos peccatores exaudi: ut, sicut illi merito petitionis suæ fructum donasti; ita et nobis supplicantibus indignis servis tuis veniam digneris impendere peccatis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Canticum. Antiphona. Deus omnipotens benedicat nobis, et crescere nos faciat in turmas populorum.

Canticum Genesis XXVII.

Ecce odor filii mei * sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.

Det tibi Deus de rore cœli, et de pinguedine
C terræ, abundantiam frumenti, vini, et olei : *et serviant tibi populi, et adorent te tribus :

Esto dominus fratrum tuorum, * et incurventur ante te filii matris tuæ :

Deus autem omnipotens benedicat tibi, et crescere te faciat, atque multiplicet: * ut sis in turmas populorum.

Et det tibi benedictiones Abraham, et semini tuo post te ; * ut possideas terram peregrinationis tuæ.

Oratio. Tuam Deus omnipotens clementiam deprecamur : ut membris Christi tui Domini nostri dono tui muneris copulati, ejusque bonus odor effecti, tuis benedictionibus ditemur ut filii; in ejus semper maneamus regno a Domino subjugati. ℟. Amen.

Per.

D *Ad Benedictus. Antiphona*. Rex meus et Deus meus, ad te orabo, Domine, mane. ℣. Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum. Intende voci orationis meæ.

Canticum. Benedictus.

Lauda. Laudate Dominum in sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus. *Psalmus*. CL.

Lectio libri Genesis (*Cap.* XX).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Profectus Abraham in terram Australem, habitavit inter Cades et Sur : peregrinatus est in Geraris. Dixitque de Sara uxore : Soror mea est. Misit ergo Abimelech rex Geraræ, et tulit

Oratio. Parce Domine pauperibus, et animas inopum sana: ut, qui viribus nostris non fidimus, et spe a te misericordiam postulamus, per spiritus paupertatem, supernæ benedictionis impetremus plenitudinem. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde! *Psalmus* LXXII.

℟. Filia Sion facta est ut tugurium in vinea, et quasi casa custodiaria in agro; sed jam revertere pœnitere, quia pius est Deus super unam ovem errantem, *P.* Quam super justos non egentes pœnitentia. ℣. Gaudium erit in cœlo coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. *P.* Quam super. ℣. Gloria, et honor Patri, *P.* Quam. *Reiteretur* ℟.

Preces. Clamamus ad te, Domine: tu miserere nobis. *P.* Et dona indulgentiam. ℣. Rex altissime, et perennis Domine, precem, quam effundimus, accipe, *P.* Et dona indulgentiam. ℣. Ægros visita, et captivos revoca: pupillos et viduas adjuva. *P.* Et dona indulgentiam. ℣. Nos peccavimus, et à te recessimus, tu Redemptor omnium salva nos. *P.* Et dona ℣. Pœnitentibus miserere Domine; et peccati maculam ablue. *P.* Et dona indulgentiam.

Hymnus. O Nazarène. *Quære fol.* 144.

Capitula. Tibi adhærere bonum est Domine; et à te recedere, noxium: à te elongari, perditio; et tibi conjungi, vitæ est plenitudo: Dona itaque nobis, ut qui spem nostram in te ponimus, perfectam vitæ beatitudinem consequamur; tuasque laudes in portis filiæ Sion, dum ad tuum regnum ingredimur, decantemus.

Pater noster.

Ad Sextam.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* v).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum. Qui dicitis: Festinet, et cito veniat opus ejus, ut videamus: et appropiet, et veniet consilium sancti Israel, et sciemus illud. Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum: ponentes tenebras in lucem, et lucem in tenebras: ponentes amarum dulce, et dulce in amarum. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. Qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo. Propter hoc, sicut dévorat stipulam lingua ignis, et calor flamma exurit; sic radix eorum quasi favilla erit, et germen eorum ut pulvis ascendet. Abjecerunt enim legem Domini exercituum, et eloquium sancti Israël blasphemaverunt. Ideo iratus est furor Domini in populis, extendit manum suam super eos, et percussit eos: et conturbati sunt montes, et facta sunt morticina eorum, quasi stercus in medio platearum. **160** In omnibus non est aversus furor Domini, sed adhuc manus ejus extenta. Et elevabit

A signum in nationibus procul, et sibilabit ad eum de finibus terræ: et ecce festinus velociter veniet. Non est deficiens, neque laborans in eo: non dormitabit, neque dormiet, neque solvetur cingulum renum ejus, nec rumpetur calceamenti corrigia ejus. ℟. Amen.

Antiphona 1. Ad te levamus oculos nostros, qui habitas in cœlis: miserere nobis, Domine. *Psalmus* CXXII.

Oratio. Ad te, Domine, oculos nostros erigimus; quem in cœlestibus terræ machinam virtute continere fatemur. Miserere igitur nostri, Domine, miserere; et peccatis nostris, pro quibus te metuimus, parce: ut contemptum nostrum pietate clementi respicias; et à delicti opprobrio dextera nostuæ virtutis eripias. ℟. Amen.

B Per.

Antiphona 2. Benedictio Domini super vos: benedicimus vos in nomine Domini. *Psalmus* CXXVII.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui pro nostræ salutis remedio impiorum sustinuisti convitia; auxilii tui ope nos protege adversus impugnantium mala: ac, ne dorsum nostrum delicti comprimat sarcina; impone humeris nostris præceptis evangelicis onera suavia: per quæ peccati fabricam destruas; et compaginibus sacris nos virtutum meritis construas. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Apud Dominum est misericordia: et copiosa apud eum redemptio. *Psalmus* CXXIX.

℟. Exurge, Domine, miserere nobis. *P.* Quia venit tempus miserendi. ℣. Ad te levamus oculus nostros, qui habitas in cœlis. *P.* Quia venit. ℣ Gloria, et honor. *Reiteretur* ℟.

C

Preces. Clamemus omnes una voce: P. Domine, miserere. ℣. Amara nobis est vita nostra. P. Domine. ℣. Delicta dele: pacem concede. P. Domine. ℣. Inclina aurem tuam ad precem nostram. P. Domine. ℣. Parce delictis, et subveni de cœlis. P. Domine.

Hymnus. O Nazarene. *fol.* 144.

Capitula. Pateant aures tuæ, Domine, orationibus nostris; quibus à nobis congrui clamoris supplicatio dirigatur, qua et dignanter audiant, et in rebus petitis clementer respondeat. Et quia apud te multæ sunt miserationes, rogamus te Deus; ne nos juxta

D multitudinem iniquitatum nostrarum condemnes; sed confitentes, ac revertentes ad te, copiosa miseratione vivifices: ut clamorem nostrum ad te de profundis accipias, et exemptos nos à mundanis, in atriis tuis in gaudio perpetuæ delectationis adsumas.

Patsr noster. A malo nos libera. *fol.* 10.

Ad Nonam omnia dicantur, ut in Nona de tertia feria præterita.

Ad Vesperos.

Lauda. Vespere, mane, et meridie te laudamus Domine.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Benedicat nos Dominus Deus noster,

eam. Venit autem Deus ad Abimelech per somnium A noctis, et ait ei: En morieris propter mulierem quam tulisti: habet enim virum. Abimelech vero non tetigerat eam, et ait: Domine, num gentem ignorantem et justam interficies? Nonne ipse ait: Soror mea est? in simplicitate cordis mei, et munditia manuum mearum feci hoc. Dixitque ad eum Deus: Et ego scio quod simplici corde feceris: et ideo custodivi te ne peccares in me, et non admisi ut tangeres eam. Nunc **162** igitur redde uxorem viro suo, quia propheta est: orabit pro te, et vives: si autem nolueris reddere, scito quod morte morieris tu, et omnia quæ tua sunt. Statimque de nocte consurgens Abimelech, vocavit omnes servos suos: et locutus est universa verba hæc in auribus eorum, timueruntque omnes viri valde. Vocavit autem Abi- B melech etiam Abraham, et dixit ei: Quid fecisti nobis? quid peccavimus in te, quia induxisti super me et super regnum meum peccatum grande? quæ non debuisti facere, fecisti nobis. Rursusque expostulans, ait: Quid vidisti, ut hoc faceres? Respondit Abraham: Cogitavi mecum, dicens: Forsitan non est timor Dei in loco isto: et interficient me propter uxorem meam: alias autem et vere soror mea est, filia patris mei, et non filia matris meæ, et duxi eam in uxorem. Postquam eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam: Hanc misericordiam facies mecum: in omni loco, ad quem ingredimur, dices quod frater tuus sim. Tulit igitur Abimelech oves et boves, et servos et ancillas, et dedit Abraham: redditque illi Saram uxorem suam, et ait: terra co- C ram vobis est, ubicumque tibi placuerit habita. Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum, et ad omnes qui tecum sunt, et quocumque perrexeris: memento te deprehensam. Orante autem Abraham, sanavit Deus Abimelech et uxorem, et ancillas ejus, et pepererunt: concluserat enim Deus omnem vulvam Abimelech propter Saram uxorem Abrahæ. (*Cap.* 21.) Visitavit autem Dominus Saram sicut promiserat: et implevit quæ locutus est. Conceptique et peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei Deus. Vocavitque Abraham nomen filii sui, quem genuit ei Sara, Isaac: et circumcidit eum octavo die, sicut præceperat ei Deus, cum centum esset annorum: hac quippe ætate patris, natus est Isaac. D Dixitque Sara: Risum fecit mihi Deus: quicumque audierit, corridebit mihi. Rursusque ait: Quis auditurum crederet Abraham, quod Sara lactaret filium, quem peperit ei jam seni? Crevit igitur puer, et ablactatus est: fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis ejus. Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio ejus, dixit ad Abraham; Ejice ancillam hanc, et filium ejus: non enim erit heres filius ancillæ cum filio meo Isaac. Dure accepit hoc Abraham pro filio suo. Cui dixit Deus: Non tibi videatur asperum super puero, et super ancilla tua: omnia quæ tibi dixerit Sara, audi vocem ejus: quia in Isaac vocabitur tibi semen. Sed et filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est. Surrexit itaque Abraham mane, et tollens panem et utrem aquæ, imposuit scapulæ ejus, tradiditque puerum, et dimisit eam. Quæ cum abiisset, errabat in solitudine Bersabée. Cumque consumpta esset aqua in utre, abjecit puerum subter unam arborem, quæ ibi erat. Et abiit, seditque e regione procul quantum potest arcus jacere; dixit enim: Non videbo morientem puerum: et sedens contra, levavit vocem suam et flevit. Exaudivit autem Deus vocem pueri: vocavitque Angelus Domini Agar de cœlo, dicens: Quid agis Agar? noli timere: exaudivit enim Deus vocem pueri de loco in quo est. Surge, et tolle puerum, et tene manum illius: quia in gentem magnam faciam eum. Aperuitque oculos ejus Deus: quæ videns puteum aquæ, abiit et implevit utrem, deditque puero bibere. Et fuit cum eo: qui crevit, et moratus est in solitudine, factusque est juvenis sagittarius. Habitabitque in deserto Pharan, et accepit illi mater sua uxorem de terra Ægypti. Eodem tempore dixit Abimelech, et Phicol princeps exercitus ejus ad Abraham: Deus tecum est in universis quæ agis. Jura ergo per Dominum, ne noceas mihi, et posteris meis, stirpique meæ; sed juxta misericordiam, quam feci tibi, facies mihi, et terræ in qua versatus es advena. Dixitque Abraham: Ego jurabo. Et increpavit Abimelech propter puteum aquæ quem vi abstulerant servi ejus. Respondit Abimelech: Nescivi quis fecerit hanc rem: sed et tu non indicasti mihi, et ego non audivi præter hodie. Tulit itaque Abraham oves et boves, et dedit Abimelech: percusseruntque ambo fœdus. Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum. Cui dixit Abimelech: Quid sibi volunt septem agnæ istæ, quas stare fecisti deorsum? At ille: Septem, inquit, agnas accipies de manu mea: ut sint mihi in testimonium, quoniam ego fodi puteum istum. Idcirco vocatus est locus ille Bersabée: quia tibi uterque juravit. Et inierunt fœdus pro puteo juramenti. Surrexit autem Abimelech, **163** et Phicol princeps exercitus ejus, reversique sunt in terram Palæstinorum. Abraham vero plantavit nemus in Bersabee, et invocavit ibi nomen Dei æterni. ℟. Amen.

Hymnus. In matutinis surgimus. *Quære folio* 103.

Supplicatio. Oremus, ut nos sacrosancto jejunio tempore quadragesimæ.

Capitula. Deduc nos Domine in bonis; ac dirige in conspectu tuo viam nostram: ut fides nostra salutaris nostri vocatione, ad te, qui rex noster es, et vestigio committetur innoxio, et cursu occupet expedito.

Pater noster. Et ne nos. A malo nos libera. *Quære fol.* 10.

Lauda. Adjuva nos P. Deus salutaris noster. ℣. Et propter honorem nominis tui Domine libera nos: et propitius esto peccatis nostris; propter nomen tuum. P. Deus salutaris, ℣. Gloria. P. Deus.

Oratio. Propitius esto peccatis nostris Domine; et propter honorem nominis tui perfecta nos reorea

libertate: ne, dum nostro pectorum elogio adterimur, in opprobrium gentium redigamur. Ergo ut nos severitate non punias pœnæ; causam nobis scelerum ablue: atque in conspectu tuo gemitus compeditorum introeat; et de occulto tuo in manifesto nostro gratia indulta procedat. ℟. Amen.

Per.

Ordo ad Tertiam.

Proverbiorum Salomonis (*Cap.* XIX).

℟. Deo gratias.

Fili, Testis falsus non erit impunitus: et qui loquitur mendacia, peribit, non effugiet. Multi colunt personam potentis, et amici sunt dona tribuentis. Fratres hominis pauperis oderunt eum: insuper et amici ejus procul recesserunt ab eo. Qui tantum verba sectatur, nihil habebit: qui autem possessor est mentis. diligit animam suam, et custos prudentiæ inveniet bona. Testis falsus non erit impunitus et qui loquitur mendacium, peribit. Non decent stultum deliciæ, nec servum dominari principibus. Doctrina viri per patientiam noscitur: et gloria ejus est iniqua prætergredi. Sicut fremitus leonis, ita regis ira: et sicut ros super herbam, ita hilaritas ejus. Dolor patris, filius stultus: et tecta jugiter perstillantia litigiosa mulier. Domus, et divitiæ dantur à partibus: à Domino autem uxor prudens. Pigredo immittet soporem, et anima dissoluta essuriet. Qui custodit mandatum, custodit animam suam: qui autem negligit vias suas, mortificabitur. Fœneratur Domino qui meseretur pauperi: et vicissitudinem suam reddet ei. Erudi filium tuum, ne desperes, ad interfectionem ejus ne ponas animam tuam. Qui impatiens est, sustinebit damnum, et cum rapuerit, aliud apponet. Audi consilium, et suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis. Multæ cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini permanebit. ℟. Amen.

Lectio libri Genesis (*Cap.* XXIV).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Erat autem Abraham senex, dierumque multorum: et Dominus in cunctis benedixerat ei. Dixitque ad servum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat: Pone manum tuam subter femur meum, ut adjurem te per Dominum meum cœli et terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito: sed ad terram et cognationem meam proficiscaris, et inde accipias uxorem filio meo Isaac. Respondit servus: Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, num reducere debeo filium ad locum, de quo tu egressus es? Dixit Abraham: Cave ne quando reducas filium meum illuc. Dominus Deus cœli, qui tulit me de domo patris mei, et de terra nativitatis meæ, qui locutus est mihi, et juravit, dicens: Semini tuo dabo terram hanc: ipse mittet Angelum suum coram te, et accipies inde uxorem filio meo: sin autem noluerit mulier sequi te, non teneberis juramento: filium tantum meum ne reducas illuc. Posuit ergo servus manum sub femore

A Abraham domini sui, et juravit illi super sermone hoc. Tulitque decem camelos de grege domini sui, et abiit, ex omnibus bonis ejus portans secum, profectusque perrexit in Mesopotamiam ad urbem Nachor. Cumque camelos fecisset accumbere extra oppidum juxta puteum aquæ vespere, eo tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam, oravit Dominum, dicens: Domine Deus domini mei Abraham, occurre, obsecro mihi hodie, et fac misericordiam cum domino meo Abraham. Ecce ego sto prope fontem aquæ, et filiæ habitatorum hujus civitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella, cui ego dixero: Inclina **164** hydriam tuam ut bibam: et illa responderit: Bibe, quin et camelis tuis dabo potum: ipsa est, quam præparasti servo

B tuo Isaac: et per hoc intelligam quod feceris misericordiam cum domino meo Abraham. Nec dum intra se verba compleverat, et ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel, filii Melchæ uxoris Nachor fratris Abraham, habens hydriam in scapula sua: puella decora nimis, virgoque pulcherrima, et incognita viro: descenderat autem ad fontem, et impleverat hydriam, ac revertebatur. Occurritque ei servus, et ait: Pauxillum aquæ mihi ad sorbendum præbe de hydria tua. Quæ respondit: Bibe, domine mi: celeriterque deposuit hydriam super ulnam suam, et dedit ei potum. Cumque ille bibisset, abjecit: Quin et camelis tuis hauriam, donec cuncti bibant. Effundensque hydriam in canalibus recurrit ad puteum ut hauriret aquam: et haustam

C omnibus camelis dedit. Ille autem contemplabatur eam tacite, scire volens utrum prosperum fecisset iter suum Deus, an non. Protulit vir inaures aureas. appendentes siclos duos, et armillas totidem pondo siclorum decem. Dixitque ad eam: Cujus es filia? indica mihi: est in domo patris tui locus ad manendum? Quæ respondit: Filia Bathuelis suum, filii Nachor, quem peperit ei Melcha. Et addidit, dicens: Palearum quoque et fœni plurimum est apud nos, et locus spatiosus ad manendum. Inclinavit se homo, et adoravit Dominum, dicens: Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiam et veritatem suam a domino meo, et recto me itinere perduxit in domum fratris domini mei. Cucurrit itaque puella, et nunciavit in domum

D matris suæ omnia quæ audierat. Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban, qui festinus egressus est ad hominem, ubi erat fons. Cumque vidisset inaures et armillas in manibus sororis suæ, et audisset cuncta verba referentis: Hæc locutus est mihi homo: venit ad virum, qui stabat juxta camelos, et prope fontem aquæ: dixitque ad eum: Ingredere, benedicte Domini: cur foris stas? præparavi domum, et locum camelis tuis. Et introduxit eum in hospitium: ac destravit camelos, deditque paleas et fœnum, et aquam ad lavandum pedes camelorum, et virorum qui venerant cum eo. Et appositus est in conspectu ejus panis. Qui ait: Non comedam, donec loquar sermones meos. Respondit

ei : Loquere. At ille : Servus, inquit, Abraham A sum : et Dominus benedixit domino meo valde, magnificatus est : dedit ei oves et boves, argentum et aurum, servos et ancillas, camelos et asinos. Et peperit Sara uxor domini mei filium domino meo in senectute sua, deditque illi omnia quæ habuerat. Et adjuravit me dominus meus, dicens : Non accipies filio meo uxorem de filiabus Chananæorum, in quorum terra habito : sed ad domum patris mei perges, et de cognatione mea accipies uxorem filio meo : ego vero respondi domino meo : Quid si noluerit venire mecum mulier? Ait, Dominus, in cujus conspectu ambulo, mittet Angelum suum tecum, et diriget viam tuam : accipiesque uxorem filio meo de cognatione mea de domo patris mei. Innocens eris a maledictione mea, cum veneris ad propinquos meos, B et non dederint tibi. Veni ergo hodie ad fontem aquæ, et dixi : Domine Deus domini mei Abraham, si direxisti viam meam, in qua nunc ambulo, ecce sto juxta fontem aquæ ; et virgo, quæ egreditur ad hauriendam aquam, audierit a me : Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum de hydria tua : et dixerit mihi : Et tu bibe, et camelis tuis hauriam : ipsa est mulier quam præparavit Dominus filio domini mei. Dumque hæc tacitus mecum volverem, apparuit Rebecca veniens cum hydria, quam portabat in scapula : descenditque ad fontem, et hausit aquam. Et ajo ad eam : Da mihi paulum bibere. Quæ festinans deposuit hydriam de humero, et dixit mihi : Et tu bibe, et camelis tuis tribuam potum. Bibi, et adaquabit camelos. Interrogavique eam, et C dixi : Cujus es filia? Quæ respondit : Filia Bathuelis sum, filii Nachor, quem peperit ei Melcha. Suspendi itaque inaures ad ornandam faciem ejus, et armillas posui in manibus ejus. Pronusque adoravi Dominum, benedicens Domino meo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, ut sumerem filiam fratris domini mei filio ejus. Quamobrem si facitis misericordiam et veritatem cum domino meo, indicate mihi : sin autem aliud placet, et hoc dicite mihi, ut vadam ad dexteram, sive sinistram. Responderunt Laban et Bathuel : A Domino egressus est sermo : non possumus extra placitum ejus quicquam aliud loqui tecum. En Rebecca coram te
165 est, tolle eam, et proficiscere, et sit uxor filii domini tui, sicut locutus est Dominus. Quod cum audisset puer Abraham, procidens adoravit in terra D Dominum. Prolatisque vasis argenteis, et aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere ; fratribus quoque ejus et matri dona obtulit. Inito convivio, vescentes pariter et bibentes manserunt ibi. Surgens autem mane, locutus est puer : Dimitte me, ut vadam ad dominum meum. Responderuntque frater ejus et mater : Maneat puella saltem decem dies apud nos, et postea proficiscetur. Nolite, ait, me retinere, quia Dominus direxit viam meam : dimittite me ut pergam ad dominum meum. Et dixerunt : Vocemus puellam, et quæramus ipsius voluntatem. Cumque vocata venisset, sciscitati sunt : Vis ire cum homine isto? Quæ ait : Vadam. Dimiserunt ergo eam, et nutricem illius, servumque Abrahæ, et comites ejus, imprecantes prospera sorori suæ, atque dicentes : Soror nostra es, crescas in mille millia, et possideat semen tuum portas inimicorum suorum. Igitur Rebecca et puellæ illius, ascensis camelis, secutæ sunt virum : qui festinus revertebatur ad dominum suum. Eo autem tempore deambulabat Isaac per viam quæ ducit ad Puteum, cujus nomen est Viventis et Videntis : habitabat enim in terra australi : et egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata jam die : cumque elevasset oculos, vidit camelos venientes procul. Rebecca quoque, conspecto Isaac, descendit de camelo, et ait ad puerum : Quis est homo ille qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitque ei : Ipse est dominus meus. At illa tollens cito pallium suum, operuit se. Servus autem cuncta, quæ gesserat, narravit domino suo Isaac. Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris, et accepit uxorem : et in tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte matris acciderat, temperaret. ℟. Amen.

Antiphona 1. Inclinate aurem vestram in verba oris mei, popule meus : attende legem meam. *Psalmus* LXXVII.

Oratio. Omnipotens immense et misericors Domine : qui non totiens peccantes disperdis, quotiens te delinquendo exasperant peccatores ; oppone iræ tuæ misericordiam : et quotiens te provocamus ut ferias ; totiens tibi tua pietas interveniat ut ignoscas. Sacia nos itaque pane Angelorum ; ut, ejus percepta fortitudine, et maligni callidam versutiam devincamus ; et, patefactis cœli januis, ad numerum civium, te adjuvante, introeamus. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Panem cœli dona nobis, Domine. *Psalmus* LXXVII.

Oratio. Deus, qui panem cœli filiis hominum tribuis, terrenumque animal Angelorum adipe pascis : frumenti verbi tui abundantiam tribue : eoque nos spirituali refice cibo, quo patres nostros aluisti in eremo. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Dominus adjutor noster, et Deus excelsus liberator noster. *Psalmus* LXXVII.

℟. Converte nos, Deus, et ad te convertamur. P. Renova dies nostros, sicut antea. ℣. Ut quid in contentione oblivisceris nostri, derelinquis nos in longitudine dierum? P. Renova, ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur* ℟.

Preces Clamamus ad te Deus, exaudi nos. P. Et a flagello iræ tuæ libera. ℣. Contritos fove, et humiliatos tuere : elisos erige, et peccantibus miserere. P. Et flagello. ℣. Deus excelse, clamorem nostrum attende ; peccata dimitte, et pluviam cito largire. P. Et a flagello. ℣. Exaudi flentes, et consolare lugentes : gaudium captivis, et patriam redde peregrinis. P. Et a flagello.

Hymnus. O Nazarene. *fol.* 144.

A *Oratio*. Excelse Domine esto adjutor noster : ut de abundantia tuæ virtutis repleamur solatio fortitudinis ; et ex redundantibus gratiæ tuæ donis ditemur muneribus libertatis.

Pater noster. A malo nos libera. *fol*. 10.

Ad Sextam.

Lectio libri Hieremiæ Prophetæ (*Cap*. XXXI).

℟. Deo gratias.

Ecce dies venient, dicit Dominus et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum : non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris in die quando apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti ; pactum, quod irritum fecerunt, ut ego minatus sum eis, dicit Dominus. Sed hoc est pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus : Dabo legem meam in viceribus eo- B rum, et in cordibus eorum adscribam eam : et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi **166** in populum. Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens : Cognoscite Dominum : omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum eorum, ait Dominus : quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non ero memor amplius. ℟. Amen.

Antiphona 1. Exaltate Deo adjutori nostro : Jubilate Deo Jacob. *Psalmus* LXXX.

Oratio. Tibi adjutori nostro Domino exultatione fidei et spei plaudentes oramus, ut petitio nostra in tribulatione diffusa, tuis auribus adpropinquet ; et necessitatum nostrarum causas insinuet : tua quippe bonitate singulorum precibus semper adsis, ut libe- C res : et ereptis nobis tribue desiderii ardorem ad te pertendere, et unitatem trinæ Majestatis devote concorditer clamitare : ut tuis semper laudibus dediti, tuarum justificationum tramitem adsecuti, in te, quæsumus exultationis ornamenta, et spei remedia, et fidei adquiramus coronam. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Cognoscant gentes quoniam nomen tibi Dominus : tu solus Altissimus super omnem terram. *Psalmus* LXXXII.

Oratio. Cognoscant gentes, Christe, quod nomen tibi sit Dominus, pro quibus es patibulo crucis adpensus : quosque ignaviæ ignorantia dedit, scientia restituat conditori : ut fide convertatur conscientia ; et spe lætentur in gloria. ℟. Amen.

D Per misericordiam.

Antiphona 3. Protector noster adspice Deus : et respice faciem Christi tui. *Psalmus* LXXXIII.

℟. Clamor noster ad te perveniat, Deus. *P*. Parce, et miserere, quia peccavimus ante te. ℣. Inter vestibulum et altare plorabant sacerdotes ministri Domini, dicentes : *P*. Parce. ℣. Gloria, et honor Patri.

Preces. Clamamus ad te : Deus, exaudi. *P*. Et a flagello iræ tuæ libera. ℣. Protector noster aspice sancte et piissime Pater : flagitia reprime, et præsidium concede. *P*. Et a flagello. ℣. Miserere clemens, et indulge placatus, et parce, quos tuo redemisti sanguine sacro. *P*. Et a flagello. ℣. Subveni, et audi aure placida cito, et gemitum attende creaturæ totius tuæ. *P*. Et a flagello.

Hymnus. O Nazarene. *Quære fol*. 144.

Oratio. Deus virtutum, cujus amabilia tabernacula, et speciosa sunt atria ; in quorum ambitu et graditur sanctitas, et congaudet divinitas ; da animabus nostris illa attentius concupiscere, in quibus dies una melior super millia noscitur præfulgere : Et illic quæsumus, introducamur vel abjecti, dummodo non simus penitus exteri : ut innovato corpore, sincera corda in te Deum vivum exultatione perpetua gaudeant ; et laudem tuam dulci modulatione, ac pio famulatu per succedentia sæcula jocundantes persolvant.

Pater noster.

Ad Nonam.

Lectio libri Proverbiorum (*Cap*. XXII).

℟. Deo gratias.

Fili, Vir qui pronus est ad misericordiam, benedicetur ; de panibus enim suis dedit pauperi. Victoriam et honorem adquiret qui dat munera : animam autem aufert accipientium. Ejice derisorem, exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ et contumeliæ. Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem. Oculi Domini custodiunt scientiam : et supplantantur verba iniqui. Dicet piger : Leo est foris, in medio platearum occidendus sum. Fovea profunda os alienæ : cui iratus est Dominus, incidet in ea. Stultitia conligata est in corde pueri, et virga disciplinæ effugabit eam. Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias, dabit ipse ditiori, et egebit. Fili mi, inclina aurem tuam, et audi verba sapientiæ : appone autem cor ad doctrinam meam : quæ pulchra erit tibi, cum servaveris eam in ventre, et redundabit in labiis tuis : ut sit in Domino fiducia tua. ℟. Amen.

Lectio libri Genesis (*Cap*. XXV).

℟. Deo gratias.

Hæ sunt generationes Isaac filii Abraham : Abraham genuit Isaac : qui cum quadraginta esset annorum, duxit uxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Mesopotamia, sororem Laban. Deprecatusque est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis : qui exaudivit eum, et dedit conceptum Rebeccæ. Sed collidebantur in utero ejus parvuli ; quæ ait : Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? Perrexitque Rebecca, ut consuleret Dominum, Qui respondens, ait ; Duæ gentes sunt in utero tuo. et duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, et major serviet minori. Jam tempus pariendi **167** advenerat, et ecce gemini in utero ejus reperti sunt. Qui primus egressus est, rufus erat, et totus in morem pellis hispidus : vocatumque est nomen ejus Esau. Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu : et idcirco appellavit eum Jacob. Sexagenarius erat Isaac quando nati sunt parvuli. Quibus adultis, factus est Esau vir gnarus venandi, homo agricola : Jacob autem vir

simplex habitabat in tabernaculis. Isaac amabat Esau,eo quod de venationibus illius vesceretur : et Rebecca diligebat Jacob.Coxit autem Jacob pulmentum : ad quem cum venisset Esau de agro lassus, ait : Da mihi de coctione hac rufa,quia oppido lassus sum.Quam ob causam vocatum est nomen ejus Edom. Cui dixit Jacob : Vende mihi primogenita tua.Ille respondit : En morior,quid mihi proderunt primogenita ? Ait Jacob : Jura ergo mihi.Juravit ei Esau, et vendidit primogenita. Et sic accepto pane et lentis edulio, comedit, et bibit, et abiit ; parvipendens quod primogenita vendidisset (*Cap.*XXVI). Orta autem fame super terram,post eam sterilitatem quæ acciderat in diebus Abraham, abiit Isaac ad Abimelech regem Palæstinorum in Gerara.Apparuit ei Dominus, et ait:Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra,quam dixero tibi.Et peregrinare in ea, eroque tecum, et benedicam tibi : tibi enim et semini tuo dabo universas regiones has, complens juramentum quod spopondi Abraham patri tuo.Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli:daboque posteris tuis universas regiones has : et BENEDICENTUR in semine tuo omnes gentes terræ, eo quod obedierit Abraham voci meæ, et custodierit præcepta et mandata mea,et cærimonias legesque servaverit.Mansit itaque Isaac in Geraris. Qui cum interrogaretur a viris loci illius super uxore sua, respondit:Soror mea est : timuerat enim confiteri quod sibi esset sociata conjugio, reputans ne forte interficerent eum propter illius pulchritudinem. Cumque pertransissent dies plurimi,et ibidem moraretur, prospiciens Abimelech rex Palæstinorum per fenestram, vidit eum jocantem cum Rebecca uxore sua. Et accersito eo, ait : Perspicuum est quod uxor tua sit : cur mentitus es eam sororem tuam esse ? Respondit : Timui ne morerer propter eam.Dixitque Abimelech : Quare imposuisti nobis ? potuit coire quispiam de populo cum uxore tua, et induxeras super nos grande peccatum. Præcepitque omni populo, dicens: Qui tetigerit hominis hujus uxorem,morte morietur. Sevit autem Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum : benedixitque ei Deus. Et locupletatus est homo,et ibat proficiens atque subcrescens, donec magnus vehementer effectus est : habuitque possessiones ovium et armentorum,et familiæ plurimum.Ob hoc invidentes ei Palestini, omnes puteos,quos foderant servi patris illius Abraham,illo tempore obstruxerunt, implentes humo : in tantum,ut ipse Abimelech diceret ad Isaac : Recede a nobis,quoniam potentior nobis factus es valde. Et ille discedens, ut veniret ad torrentem Geraræ,habitaretque ibi: rursum fodit alios puteos,quos foderant servi patris sui Abraham, et quos, illo mortuo, olim obstruxerant Philistiim : appellavitque eos eisdem nominibus quibus ante pater vocaverat. Foderuntque in torrente,et repererunt aquam vivam.Sed et ibi jurgium fuit pastorum Geraræ adversus pastores Isaac, dicentium : Nostra est aqua : quamobrem nomen putei,ex eo quod acciderat,vocavit Calumniam.Foderunt autem et alium : et pro alio quoque rixati sunt, appellavitque eum, Inimicitias.Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt : itaque vocavit nomen ejus Latitudo, dicens : Nunc dilatavit nos Dominus, et fecit crescere super terram. Ascendit autem Isaac ex illo loco in Bersabee, ubi apparuit ei Dominus in ipsa nocte,dicens : Ego sum Deus Abraham patris tui,noli timere,quia ego tecum sum:benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum propter servum meum Abraham. Itaque ædificavit ibi altare Domino et invocavit ibi nomen Domini. ℟. Amen.

Antiphona 1.Deus tu convertens vivificabis nos : et plebs tua lætabitur in te. *Psalmus* LXXXIV.

Oratio. Converte nos Deus salutaris noster ; et averte iram tuam a nobis : ac super populum tuum pacem præsta,quam loqueris ; ut plebs tua lætetur in te ; ac salutare tuum custodia salutis intelligens, vel misericordiam tuam temporum prosperitate cognoscat, vel benignitatem tuam fructu fœcunditatis suscipiat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Quia tu Domine suavis, ac mitis es, et multum misericors invocantibus te. *Psalmus* LXXXV.

168 *Oratio.*

Deus suavis ac mitis,multumque invocantibus te misericors ; orationem nostram auribus percipe;ac de multitudine misericordiæ tuæ nostra errata remove ; ut ne humo proni reptemus,ad te visendum nos ereptos statue. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Domine, refugium factus es nobis, a generatione in progenie. *Psalm.* LXXXIX. *Hymnus.* O Nazarene. *fol.* 144.

*Oratio.*Esto refugium nostrum Domine ;plebemque tuam patrio gubernaculo rege : ac sicut sæcula patrum tua senserunt remedia ; ita nostra in se tua intelligant beneficia.

Pater noster. A malo nos libera. *fol.* 10.

Ad Vesperos. Lauda. Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo ?

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Dominus memor fuit nostri, et benedixit nobis. *Psalmus.* CXIII.

Lauda. Quomodo dilexi legem tuam, Domine ? P. Tota die meditatio mea est. ℣. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo : quia in æternum mihi est.℣.Gloria, et honor. P. Tota die.

Hymnus.

Christe, qui regis omnia
Verbo, alisque carnem nostram,
Cruce inluminans eam,
Perducis ad Deum Patrem,
Exemplum dans Apostolis
Redemptionem corporis
Crucis ornatu floruit,
Lætemur in te, Domine.
Deo Patri sit gloria

Ejusque soli Filio,
Sancto simul Paraclito
In sempiterna sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus, ut nos sacrosancto jejunio tempore quadragesimæ.

Capitula. Servis tuis hæc est, Domine, vita, sub spe vitæ in hoc sæculo laborare, et per illuminationem gratiæ tuæ jugiter ad te jejuniis et orationibus vigilare. Consecra ergo, quæsumus, jejunium nostrum, et repelle ab animis nostris nostrorum sarcinam delictorum: quatenus hic superato diabolo, mereamur cum omnibus Sanctis tuis congaudere in regno perpetuo.

Pater noster.

Benedictio. Omnipotentis Dei vos gratia protegat, famemque vestram spirituali cibo reficiat. ℟. Amen. Sitim quoque vestram justitiæ fluminibus irriget, atque novum dulcedinis suæ animis vestris infundat saporem. ℟. Amen. Ut tam carne contriti quam spiritu sanctificati ab eo mereamini cœlesti dono beatificari. ℟. Amen.

Per.

Lauda. Adjuva nos. *Oratio*. Propitius esto. *fol*. 126.

FERIA SEXTA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Voce mea ad Dominum clamavi: et exaudi me de monte sancto suo. *Psalmus* III.

Oratio. Ad te, Domine. *fol*. 149.

Antiphona 1. Si vere utique justitiam loquimini: recte judicate filii hominum. *Psalm*. LVII.

Oratio. Domine, qui nos justitiam loqui, et, quæ recta sunt præcipis judicare; tribue nobis, ut nec iniquitas in ore, nec pravitas reperiatur in mente: ut puro corde puriorque sermo consentiat: præcedat in operibus justitia, nec inveniatur dolus in lingua. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Non repellet Dominus plebem suam; et hereditatem suam non derelinquet. *Psalmus* XCIII.

Oratio. Non repellas, Domine, plebem, quam mercatus es; nec derelinquas hereditatem, pro qua cruce adpensus es: sed quousque justitia, nunc occulta, manifesto clareat in judicio, pietate porrecta nos rege: et secundum multitudinem dolorum nostrorum tua nos lætifica exhortatione: ut, qui dolorem nunc in præcepto fingis, futuro requiem nobis concedas in sæculo. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Præoccupemus faciem Dei in confessione: et in psalmis jubilemus ei. *Psalmus* XCIV.

Oratio. Præoccupantes faciem tuam, Domine, in confessione, et in psalmis tibi debita modulatione modulantes, adoramus ac procidimus ante te, ploratu interno et gemitu deprecantes: ut quia tu fecisti nos, et tu es Deus noster; nos populum tuum pius Dominus protegas, et oves pascuæ tuæ pastor
A solicitus attendas: tribuasque his gratiam, pro quibus animam posuisti. ℟. Amen.

Per misericordiam.

169 ℟. Convertimi ad me, omnis congregatio filiorum Israel: ecce, ego confirmabo super vos faciem meam, dicit Dominus. P. Quia misericors sum ego, ut non in æternum irascar vobis. ℣. Attendite ad me, populus meus; et tribus, me audite. P. Quia misericors. ℣. Gloria, et honor. P. Quia.

In Laudibus.

Antiphona. Secundum multitudinem miserationum tuarum dele, Domine, iniquitates meas. *Psalmus* L.

Oratio. Secundum multitudinem. *fol*. 150.

Antiphona, Constitue populum tuum Domine, in loco sancto tuo. *Canticum*. Domine Deus omnium,
B *fol*. 17.

Ad Benedictus. *Antiphona*. Illumina, Domine, vultum tuum super nos, et miserere nobis. P. Ut agnoscamus in terra viam tuam. ℣. Deus misereatur nobis, et benedicat nos: illuminet Dominus vultum suum super nos, et misereatur nobis.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol*. 6.

Lauda. Seniores cum junioribus laudent nomen Domini. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Genesis (*Cap*. XXVII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Cum senuisset Isaac, et caligaverint oculi ejus, et videre non poterat: vocavitque Esau filium suum majorem, et dixit ei: Fili mi? Qui respondit: Adsum. Cui pater: Vides, inquit, quod
C senuerim, et ignorem diem mortis meæ. Sume arma tua, et pharetram, et arcum, et egredere foras: cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum sicut velle me nosti, et affer ut comedam: et benedicat tibi anima mea antequam moriar. Quod cum audisset Rebecca, et ille abiisset in agrum ut jussionem patris impleret, dixit filio suo Jacob: Audivi patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, dicentem ei: Affer mihi de venatione tua, et fac cibos ut comedam, et benedicam tibi coram Domino antequam moriar. Nunc ergo fili mi, acquiesce consiliis meis: et perges ad gregem, afferque mihi duos hœdos optimos, ut faciam ex eis cibos patri tuo, quibus ille vescetur: quos cum intuleris, et comederit, benedicat tibi, priusquam moriatur. Cui ille respondit: Nosti quod Esau frater meus
D homo pilosus sit et ego lenis: si attrectaverit me pater meus, et senserit, timeo putet sibi voluisse me illudere, et inducat super me maledictionem pro benedictione. Ad quem mater: In me sit ista maledictio, fili mi: tantum audi vocem meam, et pergens affer ut dixi. Abiit, et attulit, deditque matri. Paravit illa cibos, sicut velle patrem illius noverat. Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum: pelliculasque hœdorum circumdedit manibus, et colli nuda protexit. Dedit pulmentum, et panes, quos coxerat, tradidit. Quibus inlatis, dixit: Pater mi? At ille respondit: Audio. Quis es tu fili mi? Dixitque ei Jacob: Ego sum Esau primoge-

nitus tuus : feci tibi sicut præcepisti mihi : surge, A sede, et comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua. Rursumque Isaac ad filium suum : Quomodo, inquit, tam cito invenire potuisti, fili mi ? Qui respondit : Voluntas Dei fuit ut cito mihi occurreret quod volebam. Dixitque Isaac : Accede huc, ut tangam te fili mi, et probem utrum tu sis filius meus Esaü, an non. Accessit ille ad patrem, et palpato eo dixit Isaac : Vox quidem, vox Jacob est : sed manus, manus sunt Esaü. Et non cognovit eum, quia pilosæ manus similitudinem majoris expresserant. Benedicens ergo illi, ait : Tu es filius meus Esaü? Respondit : Ego sum. At ille : Offer mihi, inquit, cibos de venatione tua, fili mi, ut benedicat tibi anima mea. Quos cum oblatos comedisset, obtulit ei et vinum : quo hausto, dixit ad eum : Accede ad me, B et da mihi osculum, fili mi. Accessit, et osculatus est eum. Statimque ut sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens ait : Ecce odor filii mei sic ut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cœli, et de pinguedine terræ, abundantiam frumenti et vini, et olei. Et serviant tibi populi, et adorent te tribus : esto Dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ : qui maledixerit tibi, sit maledictus : et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Vix Isaac sermonem impleverat : et egresso Jacob foras, venit Esaü, coctosque de venatione cibos intulit patri, dicens : Surge pater mi, et comede de venatione filii tui : ut benedicat mihi anima tua. Dixitque Isaac : Quis enim es tu ? Qui respondit : Ego sum primogenitus C tuus Esaü. Expavit Isaac stupore vehementi : et ultra quam credi potest, admirans, ait : Quis ille igitur est, qui dudum captam venationem attulit mihi, et comedi ex omnibus priusquam tu venires ? benedixique ei, et erit benedictus. Auditis **170** Esaü sermonibus patris, irrugiit clamore magno : et consternatus in terra, ait : Benedic etiam mihi, pater mi. Qui ait : Venit germanus tuus fraudulenter, et accepit benedictionem tuam. Subjunxit : Juste vocatum est nomen ejus Jacob : supplantavit enim me en altera vice : primogenita mea ante tulit, et nunc secundo subripuit benedictionem meam. Rursumque ad patrem : Nunquid non servasti, ait, et mihi benedictionem ? Respondit Isaac : si dominum tuum illum constitui, et omnes fratres ejus servituti illius subjugavi : frumento et vino stabilivi eum, tibi post D hæc, fili mi, ultra quid faciam ? Cui dixit Esaü : Num unam, inquit, tantum benedictionem habes, pater ? mihi quoque obsecro ut benedicas. Cumque ejulatu magno fleret, motus Isaac, dixit ad eum : In pinguedine terræ, et in rore cœli desuper, erit benedictio tua. Vives gladio, et fratri tuo servies : tempusque veniet, cum excutias et solvas jugum ejus de cervicibus tuis. Oderat ergo semper Esaü Jacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater : dixitque in corde suo : Veniat dies luctus patris mei, ut occidam Jacob fratrem meum. Nunciata sunt hæc Rebeccæ, quæ mittens, et vocans Jacob filium suum, dixit ad eum. Ecce, Esaü frater tuus minatur ut occidat te. Nunc audi ergo, fili, vocem meam, et consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Aran : habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui, et cessabit indignatio ejus, obliviscatur eorum quæ fecisti in eum : postea mittam, et adducam inde huc : cur utroque orbabor filio in una die ? Dixit quoque Rebecca ad Isaac : Tædet me vitæ meæ propter filias Heth : si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ, nolo vivere. (*Cap.* XXVIII). Vocavit autem Isaac Jacob, et benedixit ei, præcepitque ei, dicens : Noli accipere conjugem de genere Chanaan : sed vade, et proficiscere in Mesopotamiam Syriæ in domum Bathuel patris matrisque tuæ, et accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban avunculi tui. Deus autem omnipotens benedicat tibi, et crescere te faciat, atque multiplicet : ut sis in turmas populorum. Et det tibi benedictiones Abraham, et semini tuo post : ut possideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus est avo tuo. ℟. Amen.

Hymnus.

Æterne lucis Conditor,
Lux ipse totus, et dies,
Noctem nec ullam sentiens,
Natura locis perpetim :
Jam cedat pallens proximo
Diei nox adventui
Obtendens Lumen siderum
Adest et clarus lucifer.
Jam strato læti surgimus
Grates canentes et tuas,
Quod cæcam noctem vicerit,
Revertat rursus Sol diem.
Te nunc, ne carnis gaudia
Blandis subrepant testibus,
Dolis ne cedat sæculi
Mens nostra, Sancte, quæsumus.
Ira ne rixas provocet,
Gulave ventrem incitet,
Opus pervertat ne fames,
Turpis ne fluxus occupet ;
Sed firmamento sobrii,
Casto manentes corpore,
Toto fideli spiritu,
Christe, ducamus hunc diem
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
In sempiterna sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem. *fol.* 138.

Capitula. Illumina, Domine. *fol.* 26.

Lauda. Miserere nobis, Domine : miserere nobis. *P.* Ecce, tempus est, ut miserearis nobis. ℣. Ad te levamus oculos nostros, qui habitas in cœlis. *P.* Ecce, tempus. ℣. Gloria, et honor. *P.* Ecce.

Oratio. Sicut servorum in manibus dominorum suorum sunt oculi ; ita nostri ad te, Domine : quousque et peccantibus noxam dimittas, et vapulantium

plagas minuas; impertiasque alimenta et egenis; et A medelam tribue vulneratis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Tertiam.

Lectio libri Sapientiæ. Fili, Custodi. fol. 96.

Proverbiorum Salomonis (*Cap.* XI).

℟. Deo gratias.

Fili, Justitia simplicis diriget viam ejus : et impietate sua corruet impius. Justitia rectorum liberabit eos : et insidiis suis capientur iniqui. Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes : et expectatio solicitorum peribit. Justus de angustiis liberatus est : et tradetur impius pro eo. Simulator ore decipit amicum suum : justi autem liberabuntur scientia. In bonis justorum exultabit civitas : **171** et in perditione impiorum erit laudatio. Benedictione justo- B rum exaltabitur civitas : et ore impiorum subvertetur. Qui decipit amicum suum, sitiens corde est : vir autem prudens tacebit. Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana : qui autem fidelis est animi, celat commissum. Ubi non est gubernator, populus corruet : salus autem, ubi multa consilia. Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo : qui autem cavet laqueos, securus erit. Mulier gratiosa inveniet gloriam : et robusti habebunt divitias. Benefacit animæ suæ vir misericors : qui autem crudelis est, propinquos abjicit. Impius facit mercedes instabiles : seminanti autem justitia opus fidele. ℟. Amen.

Lectio libri Genesis (*Cap.* XXIX).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Profectus Jacob venit ad terram C orientalem. Et vidit puteum in agro, tres quoque greges ovium accubantes juxta eum : nam ex illo adaquabantur pecora, et os ejus grandi lapide claudebatur. Mosque erat, ut cunctis ovibus congregatis devolverent lapidem, et refectis gregibus rursus super os putei ponerent. Dixitque ad pastores : Fratres, unde estis ? Qui responderunt : De Aran. Quos interrogans. Nunquid, ait, nostis Laban filium Nachor ? Dixerunt : Novimus. Sanusne est ? inquit : Valet, inquiunt : ecce Rachel filia ejus venit cum grege suo. Dixitque Jacob : Adhuc multum diei superest, nec est tempus ut reducantur ad caulas greges : date ante potum ovibus, et sic ad pastum eas reducite. Qui responderunt : Non possumus, donec omnia pecora congregentur, et amoveamus D lapidem de ore putei, ut adaquemus greges. Adhuc loquebantur, et ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui : nam gregem ipsa pascebat. Quam cum vidisset Jacob, et sciret consobrinam suam, ovesque Laban avunculi sui : amovit lapidem quo puteus claudebatur. Et adaquato grege, osculatus est eam : elevataque voce, flevit, et indicavit ei quod frater esset patris ejus, et filius Rebeccæ : at illa festinans nunciavit patri suo. Qui cum audisset venisse Jacob filium sororis suæ, cucurrit obviam ei : complexusque eum, et in osculo ruens, duxit in domum suam. Auditis autem causis itineris, respondit : Os meum es, et caro mea. Et postquam impleti sunt dies mensis unius, dixit ei : Num quia frater meus es, gratis servies mihi ? dic quid mercedis accipies. Habebat vero Laban duas filias, nomen majoris Liam : minor appellabatur Rachel. Sed Lia lippis erat oculis : Rachel decora facie, et venusto aspectu. Quam diligens Jacob, ait : Serviam tibi pro Rachel filia tua minore, septem annis. Respondit Laban : Melius est ut tibi illam demus quam alteri viro, mane apud me. Servivit igitur Jacob pro Rachel septem annis : et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine. Dixitque ad Laban : Da mihi uxorem meam : quia jam tempus expletum est, ut ingrediar ad eam. Qui vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias. Et vespere filiam suam Liam introduxit ad eum, dans ancillam filiæ Zelpham nomine. Ad quam cum ex more Jacob fuisset ingressus, facto mane vidit Liam : et dixit ad socerum suum : Quid est quod facere voluisti ? nonne pro Rachel servivi tibi ? quare imposuisti mihi ? Respondit Laban : Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias. Imple hebdomadam dierum hujus copulæ : et hanc quoque dabo tibi pro opere quo serviturus es mihi septem annis aliis. Acquievit placito : et hebdomada transacta, Rachel duxit uxorem.

Antiphona 1. In æternum misericordia Domini, et usque in sæculum veritas ejus. *Psalmus* XCIX.

Oratio. Laudemus Domine nomen tuum; quoniam suavis es : et, ut os nostrum tuis impleatur affatibus, cor nostrumque instiges : tua proinde nos protegat misericordia ; qua prolætetur nos in æternum veritas manifesta. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Bene nunciate de die in diem salutare Domini. *Psalmus* XCV.

Oratio. Te Deum psallendo benedicimus, ac precamur, ut nullo obstaculo à tuo prohibeamur officio : quique vero te Dominum confitemur, ditari tuo munere indulgentiæ sentiamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Liberet nos Domine dextera tua, et brachium sanctum tuum. *Psalmus* XCVII.

℟. Quærite Dominum, dum inveniri potest : invocate eum, dum prope est. Derelinquat omnis impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas. *P.* Et revertatur unusquisque à via sua mala, et a pessimis cogitationibus suis. *P.* Et revertatur. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur* ℟.

172 *Preces.* Dicamus omnes : Et preces nostras, Domine, placatus attende. *P.* Et in misericordia furorem remove. ℣. Benignus, ea quæ rogaberis, concede, et postulationem nostram. P. Et in misericordia. ℣. Deus noster, aperi oculos tuos, et vide mala, quæ nos comprimunt. P. Et in misericordia. ℣. Indulgentiam peccatorum nostrorum concede, et lachrymas pœnitentum. P. Et in misericordia.

Hymnus. O Nazarene, lux. *Require fol.* 144.

Oratio. Liberet nos, Domine, dextera tua : imperioque tuo flecte arrogantium corda : ut gentes ve-

ritatis adventu declarescant, et ostensam salutem A
cordis humilitate suscipiant.

Pater noster.

Ad Sextam

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* 33).

℟. Deo gratias.

Domine miserere nostri : te enim expectavimus : esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis. A voce Angeli fugerunt populi, et ab expectatione tua dispersæ sunt gentes. Et congregabuntur spolia vestra sicut colligitur bruchus, velut cum fossæ plenæ fuerint de eo. Magnificatus est Dominus quoniam habitavit in excelso: implevit Sion judicio et justitia. Et erit fides in temporibus suis : divitiæ salutis sapientiæ et scientiæ : timor Domini ipse thesaurus est. Ecce viden- B
tes clamabunt foris, et Angeli pacis amare flebunt. Dissipatæ sunt viæ, cessavit transiens per semitam, irritum factum est pactum, projecit civitates, non reputavit homines. Luxit, et elanguit terra : confusus est Libanus, et obsorduit, et factus est Saron sicut desertum: et concussa est Basan, et Carmelus. Nunc exurgam dicit Dominus : nunc exaltabor, nunc sublevabor. ℟. Amen.

Antiphona 1. Qui diligitis Dominum, odite malum : custodit Dominus animas servorum suorum, de manu peccatoris liberavit eos. *Psalmus* XCVI.

Oratio. Deus, cujus in regno credentium terra exultat ; cujus justitiam cœli annuntiant ; cujus dominationem Angelorum legiones adorant : custodi servorum tuorum animas ; ac ne peccati auctorem C
sequentes intereamus, tu libera ; tu protege : tu conserva : ut, cum ante faciem tuam ignis comburens præierit, non nos meritorum pœna exurendos accipiat ; sed clementia creatoris, ut vivamus, eripiat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Beati omnes, qui timent Dominum, et qui ambulant in viis ejus. *Psalmus* CXXVII

Oratio. Deus, qui timentes te, beatos prophetali voce pronuntias ; da in nobis tui amoris obsequia beneplacita ut ex hoc in viis tuis ambulare nos facias. Sitque, te gubernante, labor noster tuis oculis placitus ; cujus fructus tempore remunerationis efficiatur suavissimus : ac sic labor ipse de charitate studeatur, ut apud te fruges ei in beatitudi- D
ne recondantur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Speret Israel in Domino, ex hoc nunc et usque in sæculum. *Psalmus* CXXX.

℟. Deprecemur Dominum, et placabilis erit nobis. P. Et exaudiet nos, et miserebitur nobis. ℣. Venite, exultemus Domino : jubilemus Deo salutari nostro. P. Et exaudi. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur* ℟.

Preces. Dicamus omnes : Parce, Domine, et miserere. P. Quia pius es. ℣. Ad te levamus oculos nostros, qui habitas in cœlis. P. Quia pius es. ℣. Salvum fac, Domine, populum tuum, et benedic hereditatem tuam. P. Quia. ℣. Avertatur furor tuus a civitate ista et populo tuo. *P.* Quia pius es. ℣. Averte faciem tuam a peccatis nostris et omnes iniquitates nostras dele. P. Quia.

Hymnus. O Nazarene. *fol.* 144.

Oratio. Exalta cornu nostrum, Domine, fidei catholicæ merito ; et ne maculetur mens superbiæ morbo, gressus nostros super mundi hujus latitudine tribue ambulare : ne noxii incedamus in compedes ; sed humiliter sentiendo ad plenitudinem spei nobis condones properare.

Pater noster, qui es in cœlis : sanctificetur nomen tuum : adveniat regnum tuum : fiat voluntas tua.

Ad Vesperos.

Lauda. Sol agnovit occasum. Posuisti tenebras, et facta est nox.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Reple, Deus, gaudio os nostrum : et lingua nostra in exultatione. *Psalmus* CXXV.

Dominus sit. ℟. Et Cum.

Lauda. Quam dulcia faucibus meis P. Eloquia tua, **173** super mel et favum ori meo. ℣. Ab omni via mala prohibe pedes meos : ut custodiam verba tua. *P.* Eloquia. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Eloquia.

Hymnus.

Christe, precamur, annue ;
Mistasque voces fletibus
Semper benignus et pius
Venturam in noctem suscipe.

Te corda nostra somnient :
Te per soporem sentiant :
Tuamque semper gloriam
Vicina luce concinant.

Vitam salubrem tribue :
Nostrum calorem refice ;
Tetram noctis caliginem
Claritas tua inluminet.

Hymnis vota persolvimus,
Vesperque sacrum poscimus,
Nostrum delens chirographum,
Tuumque præstans editum.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul Paraclito
In sempiterna sæcula.

Amen.

Supplicatio. Oremus. *Quære fol.* 138.

Capitula. Nonarum horarum spatiis hujus diei jam peractis, tibi, Omnipotens Deus, sacrificium reddimus laudis, ut hoc jejunium festum tuorum sit gaudium servulorum : ut, qui tibi submittentes colla servimus, a cunctis diabolicis fraudibus eruamur. Dona itaque servis tuis præsidium indefessum, ut tuis inhærendo mandatis, non conturbemur ab insidiatore, sed te mereamur habere in omnibus protectorem.

Pater noster. A malo nos libera. *fol.* 10.

Benedictio. Dominus Jesus Christus, qui per eleemosynam et jejunium extingui dixit peccata, super vos benedictionis suæ concedat gratiam. ℟. Amen.

Ut per jejunii castigationem diaboli calcetis superbiam, et humilitatis Christi apprehendatis itinera. ℞. Amen. Ac præstet Dominus, ut per distributionis eleemosynam præsentis vitæ remedia et dona consequamini æterna. ℞. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Miserere nobis. *Oratio.* Sicut servorum in manibus. *fol.* 170.

SABBATO

Ad Matutinum

Antiphona. Tu autem Domine. *Oratio.* Quamvis Domine. *fol.* 141.

Antiphona 1. Timebunt gentes nomen tuum, Domine. P*salmus* CI.

Oratio Exurge Deus, et miserere Sion ; quia tempus miserendi nobis advenit : respice ad nostræ paupertatis orationem tuorumque humilium amplectere precem. ℞. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Propitius esto iniquitatibus nostris : et sana, Domine, languores nostros. *Psalmus* CII.

Oratio. Benedicat te, Domine, anima nostra ; et omnia interiora ejus in tuis laudibus conclament : ut ad sanandos languores nostros audita oratione concurras ; et vitam nostram de interitu redimas ; in bonis desiderium nostrum saties ; et votum perfectione corones. ℞. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Misericordia Domini a sæculo, et usque in sæculum super timentes eum. *Psalmus* CII.

Oratio. Miserator Domine, et misericors, ne irascaris nobis in finem : sed quantum distat oriens ab occasu, iniquitatem a nobis omnem elonga ; et juxta altitudinem cœli a terra tuam in nobis misericordiam dilata. ℞. Amen.

Per misericordiam.

℞. Deprecemur Dominum, dicentes : Peccavimus tibi, Deus : P. Patientiam habe in nobis, et propitiare in malis, quæ quotidie adcrescunt super nos. ℣. Defecimus in ira tua, et in furore conturbati sumus. P. Patientiam. ℞. Gloria, et honor.

In Laudibus.

Antiphona. Cor contritum et humiliatum, Deus, ne despicias. *Psalmus* L.

Oratio. Hunc psalmum, medicaminibus pœnitentiæ plenum, vocibus tibi Domine lingua nostra persolvimus : postulamusque, ut sicuti David post Uriæ Cethæi sanguinem fusum, per cor contritum et humiliatum diluisti commissa; ita quoque nostra Domine simili satisfactione dignare amputare peccata. ℞. Amen.

Per misericordiam

Antiphona. Ne extermines plebem tuam, Domine, et hereditatem tuam, quam liberasti.

Canticum. Domine, Domine rex deorum. *Require fol.* 103.

174 *Oratio.* Universæ carnis spiritui fortissime ac misericors Deus, propitiare, quæsumus ; universitati Ecclesiæ tuæ dimitte peccata omnium ; aufer,

A quæsumus, a nobis iniquitates et scelera nostra, tuæque nos benedictionis et pacis infusione locupleta. ℞. Amen.

Per misericordiam.

Ad Benedictus. Antiphona. Emitte lucem tuam, Domine, et veritatem tuam : *P.* Ipsa me deduxerunt, et perduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernaculum tuum.

Canticum. Benedictus. *fol.* 6. *Lauda.* In sanctis ejus laudate Dominum.

Lectio libri Genesis (*Cap*). XXXII).

℞. Deo gratias.

In illis diebus : Misit Jacob nuncios ante se ad Esau fratrem suum in terra Seir, in regione Edom. præcepitque eis, dicens : Sic loquimini domino meo
B Esau : Hæc dicit frater tuus Jacob : Apud Laban peregrinatus sum, et fui usque in præsentem diem. Habeo boves, et asinos, et oves, et servos, et ancillas ; mittoque nunc legationem ad dominum meum, ut inveniam gratiam in conspectu tuo. Reversique sunt nuncii ad Jacob, dicentes : Venimus ad Esau fratrem tuum, et ecce properat in occursum tuum cum quadringentis viris. Timuit Jacob valde : et perterritus divisit populum qui secum erat, greges quoque et oves et boves, et camelos, in duas turmas, dicens : Si venerit Esau ad unam turmam, et percusserit eam, alia turma, quæ reliqua est, salvabitur. Dixitque Jacob: Deus patris mei Abraham, et Deus patris mei Isaac : Domine qui dixisti mihi : Revertere in terram tuam, et in locum nativitatis
C tuæ, et benefaciam tibi : minor sum cunctis miserationibus tuis, et veritate tua quam explesti servo tuo. In baculo meo transivi Jordanem istum : et nunc cum duabus turmis regredior. Erue me de manu fratris mei Esau, qui valde eum timeo : ne forte veniens percutiat matrem cum filiis. Tu locutus es quod benefaceres mihi, et dilatares semen meum sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest. Cumque dormisset ibi nocte illa, separavit de his quæ habebat, munera Esau fratri suo, capras ducentas, hircos viginti, oves ducentas, et arietes viginti, camelos fœtas cum pullis suis triginta, vaccas quadraginta, et tauros viginti, asinas viginti, et pullos earum decem. Et misit per manus servorum suorum singulos seorsum greges,
D dixitque pueris suis : Antecedite me : et sit spatium inter gregem, et gregem. Et præcepit priori, dicens : Si obvium habueris fratrem meum Esau : et interrogaverit te, Cujus es ? aut, Quo vadis ? aut, Cujus sunt ista quæ sequeris ? respondebis : Servi tui Jacob, munera misit domino suo Esau : ipse quoque post nos venit. Similiter dedit mandata secundo, et tertio, et cunctis qui sequebantur greges, dicens : Iisdem verbis loquimini ad Esau, cum inveneritis eum. Et addetis : Ipse quoque servus tuus Jacob iter nostrum insequitur : dixit enim : Placabo illum muneribus quæ præcedunt, et postea videbo illum, forsitan propitiabitur mihi. Præcesserunt itaque munera ante eum, ipse vero mansit nocte illa in castris.

Cumque mature surrexisset, tulit duas uxores suas A et totidem famulas, cum undecim filiis, et transivit vadum Jaboch. Traductisque omnibus quæ ad se pertinebant, mansit solus : et ecce vir luctabatur cum eo usque mane. Qui cum videret quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, et statim emarcuit. Dixitque ad eum : Dimitte me, jam enim ascendit aurora. Respondit : Non dimittam te nisi benedixeris mihi. Ait ergo : Quod est nomen tibi ? Respondit : Jacob. At ille, Nequaquam inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel : quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis ? Interorgavit eum Jacob : Dic mihi, quo appellaris nomine ? Respondit : Cur quæris nomen meum, quod est mirabile ? Et benedixit ei in eodem loco. Vocavitque Jacob nomen loci B illius Phanuel, dicens : Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. Ortusque est ei statim sol, postquam trangressus est Phanuel : ipse vero claudicabat pede. Quamob causam non comedunt nervum filii Israel, qui emarcuit in femore Jacob, usque in præsentem diem : eo quod tetigerit nervum femoris ejus, et obstupuerit. (*Cap.* xxxiii) Levans autem Jacob oculos, vidit venientem Esau, et cum eo quadringentos viros : divisitque filios Liæ et Rachel, ambarumque famularum : et posuit utramque ancillam, et liberos earum in principio : Liam vero, et filios ejus, in secundo loco : Rachel autem et Joseph novissimos. Et ipse progrediens, **175** adoravit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater ejus. Currens itaque Esau obviam fra- C tri suo, amplexatus est eum : strigensque collum ejus, et osculans, flevit. Levatisque oculis, vidit mulieres et parvulos earum, et ait : Quid sibi volunt isti ? et si ad te pertineant ? Respondit : Parvuli sunt, quos donavit mihi Deus servo tuo. Et appropinquantes ancillæ et filii earum, incurvati sunt. Accessit quoque Lia cum pueris suis : et cum similiter adorassent, extremi Joseph et Rachel adoraverunt. Dixitque Esau : Quænam sunt istæ turmæ quas obviam habui ? Respondit : Ut invenirem gratiam coram domino meo. At ille illi ait : Habeo plurima frater mi, sint tua tibi. Dixitque Jacob : Noli ita, obsecro : sed si inveni gratiam in oculis tuis, accipe munusculum de manibus meis : sic enim vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei : esto mihi propi- D tius, et suscipe benedictionem quam attuli tibi, et quam donavit mihi Deus tribuens omnia. Vix fratre compellente suscipiens, ait : Gradiamur simul, eroque socius itineris tui. Dixitque Jacob : Nosti domine mi, quod parvulos habeam teneros, et oves, et boves fœtas, mecum : quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges. Præcedat dominus meus ante servum suum : et ego sequar paulatim vestigia ejus, sicut videro parvulos meos posse, donec veniam ad dominum meum in Seir. Respondit Esau : Oro te, ut de populo qui mecum est, saltem socii remaneant vitæ tuæ. Non est, inquit, necesse : hoc unum tantum indigeo, ut inveniam gratiam in conspectu tuo, domine mi. Reversus est itaque illo die Esau itinere, quo venerat in Seir. Et Jacob venit in Socoth : ubi ædificata domo et fixis tentoriis, appellavitque nomen loci illius, Socoth, id est, tabernacula. Transivitque in Salem urbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan, postquam reversus est de Mesopotamia Syriæ : et habitavit juxta oppidum. Emitque partem agri in qua fixerat tabernacula a filiis Hemor patris Sichem, centum agnis. Et erecto ibi altari, invocavit super illud fortissimum Deum Israel. ℟. Amen.

Hymnus.

Deus creator omnium,
Lucis auctor et diei,
Perlustra corda omnium,
Jesu bone, fidelium.

Lucescat habitaculum
Tuum, Christe, hospitium,
Nostræque tectum animæ
Figmentum tuæ dexteræ.

Tuo cruore proprio,
Quo ipse commercatus es,
Lucratus Deo animas
Tua morte ultronea.

Lætetur caro fragilis,
Simulque et homo interior,
Vicisse noctis tenebras
Perennis lucis lumine.

Diei hujus gratia
Concede, sine crimine
Custodia perpetua
Fruamur tua, Domine.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul Paraclito,
In sempiterna sæcula.

Amen.

Supplicatio. Oremus.

Capitula. Emitte lucem tuam et veritatem tuam. Domine Deus noster : ut splendor divinitatis tuæ caliginem mentis nostræ enubilet ; et vera humanitatis assumptio, humani generis sit manifesta redemptio, ut, dum verus Deus verusque homo in nobis ac pro nobis ostenderis, opus tuum omnipotentia eripiat ab hoste captivos ; et enutriat misericordia jam redemptos.

Pater noster.

Lauda. Miserere nobis, Domine. *P.* Miserere nobis. ℣. Ad te levamus oculos nostros, qui habitas in cœlis. *P.* Miserere. ℣. Gloria, et honor. *P.* Miserere.

Oratio. Ad te Domine, oculos nostros erigimus, quem in cœlestibus terræ machinam virtute continere fatemur. Miserere igitur nostri Domine, miserere, et peccatis nostris, pro quibus te metuimus, parce : ut contemptum nostrum pietate clementi respicias ; et a delicti obprobrio dextera nos tuæ virtutis eripias. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Tertiam.

Proverbiorum (*Cap.* XV).

℟. Deo gratias.

Fili, Cor sapientis quærit doctrinam : et os stultorum pascitur imperitia. Omnes dies pauperis, mali : secura mens quasi juge convivium. Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni insatiabiles. Melius est vocari ad olera cum charitate, quam ad vitulum saginatum cum odio. Vir iracundus provocat rixas : qui patiens est, **176** mitigat extentas. Iter pigrorum quasi sepes spinarum : via justorum absque offendiculo. Filius sapiens lætificat patrem : et stultus homo despicit matrem suam. Stultitia gaudium stulto : et vir prudens diriget gressus suos. Dissipantur cogitationes ubi non est consilium : ubi vero plures sunt consiliarii, confirmantur. Lætatur homo in sententia oris sui : et sermo opportunus est optimus. Semita vitæ super eruditum, ut declinet de inferno novissimo. Domum superborum demolietur Dominus : et firmos faciet terminos viduæ. Abominatio Domini cogitationes malæ : et purus sermo pulcherrimus firmabitur ab eo. Conturbat domum suam qui sequitur avaritiam qui autem odit munera, vivet. Per misericordiam et fidem purgantur peccata : per timorem autem Domini declinat omnis a malo. Mens justi meditabitur obedientiam : os impiorum redundat a malis. Longe est Dominus ab impiis : et orationes justorum exaudiet. ℟. Amen.

Lectio libri Genesis (*Cap.* 37).

Deo gratias.

In illis diebus ; Joseph cum sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer : et erat cum filiis Balæ et Zelphæ uxorum Patris sui : accusavitque fratres suos apud patrem crimine pessimo. Israel autem diligebat Joseph super omnes filios suos, eo quod in senectute genuisset eum : fecit ei tunicam polymitam. Videntes autem fratres ejus quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui. Accidit quoque ut visum somnium referret fratribus suis : quæ causa majoris odii seminarium fuit. Dixitque ad eos : Audite somnium quod vidi : Putabam ligare nos manipulos in agro : et quasi consurgere manipulum meum, et stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum. Responderunt fratres ejus : Nunquid Rex noster eris ? aut subjiciemur ditioni tuæ ? Hæc ergo causa somniorum atque sermonum, invidiæ et odii fomitem ministravit. Aliud quoque vidit somnium, quod narrans fratribus, ait : Vidi per somnium, quasi solem, et lunam, et stellas undecim, adorare me. Quod cum patri suo et fratribus retulisset, increpavit eum pater suus, et dixit : Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti ? num ego et mater tua et fratres tui adorabimus te super terram ? Invidebant ei igitur fratres sui : pater vero rem tacitus considerabat. Cumque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Israel : Fratres tui pascunt oves in Sichimis :
A veni, mittam te ad eos. Quo respondente, Præsto sum, ait : Vade, et vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, et pecora : et renuntia mihi quid agatur. Missus de Valle Hebron, venit in Sichem : invenitque eum vir errantem in agro, et interrogavit quid quæreret. At ille respondit : Fratres meos quæro : indica mihi ubi pascant greges. Dixitque ei vir : Recesserunt de loco isto : audivi autem eos dicentes : Eamus in Dothaim. Perrexit itaque Joseph post fratres suos, et invenit eos in Dothaim. Qui cum vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere : et mutuo loquebantur : Ecce somniator venit : venite, occidamus eum, et mittamus in cisternam veterem : dicemusque, Fera pessima devoravit eum : et tunc apparebit quid illi
B prosint somnia sua. Audiens autem hæc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum, et dicebat : Non interficiamus animam ejus, nec effundamus sanguinem : sed projicite eum in cisternam veterem, quæ est in solitudine, manusque vestras servate innoxias : hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, et reddere patri suo. Confestim igitur ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum tunica talari et polymita : miseruntque eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam. Et sedentes ut comederent panem, viderunt Ismaelitas viatores venire de Galaad, et camelos eorum, portantes aromata, et resinam, et sacten, in Ægyptum. Dixit ergo Judas fratribus suis : Quid nobis prodest si occiderimus fratrem nostrum, et celaverimus san-
C guinem ipsius ? Melius est ut venundetur Ismaelitis, et manus nostræ non polluantur : frater enim et caro nostra est. Acquieverunt fratres sermonibus illius. Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis : qui duxerunt eum in Ægyptum. Reversusque Ruben ad cisternam, non invenit puerum : et scissis vestibus pergens ad fratres suos, ait : Puer non comparet, et ego quod ibo ? Tulerunt autem tunicam ejus, et in sanguinem hœdi, quem occiderant, tinxerunt : mittentes qui ferrent ad patrem, et dicerent : Hanc invenimus : vide utrum tunica filii tui sit, an non. Quam cum cognovisset **177** pater, ait : Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph. Scissisque vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo
D tempore. Congregatis autem cunctis liberis ejus ut lenirent dolorem patris, nobis consolationem accipere, sed ait : Descendam ad filium meum lugens in infernum. Et illo perseverante in fletu, Madianitæ vendiderunt Joseph in Ægypto Putiphari eunucho Pharaonis magistro militum. ℟. Amen.

Antiphona 1. Laudamini in nomine sancto ejus, lætetur cor quærentium Dominum. *Psalmus.* CIV.

Oratio. Narrantes mirabilia tua, Domine, sancto tuo lætemur in nomine : da nobis te quærendi solertiam ; et inveniendi tribue efficiam ; ut te mereamur aspicere, et vultus tui semper ostensione gaudere. ℟. Amen.

Per misericordiam.

A *Antiphona* 2. Memento nostri Domine in beneplacito populi tui. *Psalmus* CV.

Oratio. Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui, et in tuo nos visita salutari: ut qui nostris cum patribus coram te inique gessimus: a damnationis origine et actualis peccati contagione, tua reduce gratia liberemur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Visita nos, Domine, in salutari tuo. *Psalmus* CV.

℟. Deus misereatur nobis, et parcat peccatis nostris: P. Et avertat iram suam a nobis. ℣. Inluminet vultum suum super nos, et misereatur nobis. P. Et avertat. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur* ℟.

B *Preces*. Dicamus omnes: Misericors P. Domine, miserere. ℣. Qui es unius potentiæ, ejusdemque cum Genitore substantiæ. P. Domine. ℣. Qui princeps sacerdotum es, regum rector, populorum Dominus. P. Domine. ℣. Qui captivis reddis patriam, infirmis opem, consolationem mœrentibus. P. Domine. ℣. Indulgentiam postulamus, concede: pœnitentibus salutem tribue. P. Domine.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol*. 144.

Capitula. Salva nos, Domine, qui auctor es nostræ salutis: et congrega nos de nationibus, qui redemptis libertas, et redemptio factus es libertatis. Concede itaque nobis, ut qui nunc malorum permixtione gemimus, te protegente ac secernente, in tranquillitate qua Sanctos suscipis, gaudeamus.

Pater noster. A malo nos libera. *fol*. 10.

C

Ad Sextam.

Lecto libri Esaiæ Prophetæ (*Cap*. LXV).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: Populus qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper: qui immolant in hortis, et sacrificant super lateres: qui habitabant in sepulcris, et in delubris idolorum dormiunt: qui comedunt carnem suillam, et jus profanum in vasis eorum. Qui dicunt, Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es: isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. Ecce scriptum est coram me: non tacebo, sed reddam et retribuam in sinu eorum iniquitates vestras, et iniquitates patrum vestrorum simul dicit Dominus, qui sacrificaverunt super mentes, et super colles exprobraverunt mihi, et remetiar opus eorum primum in sinu. Hæc dicit Dominus: Quomodo si inveniatur granum in botro, et dicatur: Ne dissipes illud, quoniam benedictio est: sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum. Et educam de Jacob semen, et de Juda possidentem montes meos: hereditabunt eam electi mei, et servi mei habitabunt ibi. P. Amen.

D *Antiphona* 1. De necessitatibus nostris libera nos, Domine. *Psalmus* CVI.

Oratio. De necessitatibus nostris libera nos Domine: et animarum nostrarum inediam verbi tui adipe pasce; sedentesque in tenebris et umbra mortis, lucis lustra serenitate. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Misericors Dominus, et justus, et Deus noster miseretur. *Psalmus* CXIV.

Oratio. Misericors Domine et juste, libera animas nostras de morte; oculos nostros a lacrymis; pedes nostros a lapsu, atque utriusque rei in nos serva clementiam: et, si justitia tua corripimur, misericordia tua protegamur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus. *Psalmus* CXXII.

℟. Propitius esto peccatis nostris, P. Domine. ℣. Non secundum peccata nostra facias nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. A. Domine. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur* ℟.

Preces. Verbum Patris altissimi, Redemptor, P. Peccantibus miserere. ℣. Ad te levamus **178** oculos, exaudi propitius. ℣. Bonitatem tuam poscimus, indulge propitius. P. Redemptor, peccantibus miserere. ℣. Curvatos diro crimine misericors erige. P. Redemptor, peccantibus ℣. Dominator sanctissime placabilis aspice. P, Redemptor, peccantibus miserere. ℣. Extende tuam dexteram, et nos omnes libere. P. Redemptor, peccantibus. ℣. Fac nobiscum misericordiam, et de peccatis veniam. P. Redemptor. ℣. Gloriose potentissime quod poscimus, tribue. P. Redemptor, peccantibus. ℣. Hanc plebem protege placiturus, et pacem misericors. P. Redemptor, peccantibus. ℣. Agnosce nostra facinora, et da indulgentiam. P. Redemptor, peccantibus.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol*. 144.

Capitula. Esto in nobis, Domine Deus Israel: et malorum infestationem, ne deglutiamur, a nobis repelle; nocivamque iracundiam, ne obsorbeamur, comprime: sicque in nobis torrens tuæ voluptatis redundet, ut vitiorum torrentem anima nostra se sine discrimine pertransisse exultet: neque inimicorum dentibus laniemur; sed ereptos nos de venantium laqueis gratulemur: et tu adjutor noster heredita nos in possessione æterna; qui, cooperante Verbo tuo Sanctoque Spiritu fecisti cœlum et terram.

Pater noster. A malo nos libera *fol*. 10.

IN SECUNDO DOMINICO QUADRAGESIMÆ.

Ad Vesperum.

In nomine Domini nostri Jesu Christi lumen cum pace. ℟. Deo gratias.

Dominus sit. ℟. Et.

Lauda. Fecit lunam in tempore: *P*. Sol cognovit occasum suum. ℣. Exiet homo ad opus suum: et ad operationem suam usque ad vesperum. *P*. Sol.

Dominus sit. ℟. Et.

Antiphona. Deus deorum, et Dominus dominorum rex magnus et fortis, et terribilis est, qui personam non accipit, nec munera; facit judicium pupillo et viduæ, amat peregrinos. *P*. Et dat illis victum, atque vestitum: vos autem amate peregrinos. ℣. Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem deos discernit. *P*. Et dat. ℣. Gloria, etc.

Dominus sit. ℟. Et.

Lauda. Appropinquet oratio mea in conspectu tuo. Domine. *P*. Intret postulatio mea coram te; secundum verbum tuum vivifica me. ℣. Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me justificationes tuas. P. Intret.

Hymnus.

Auctor luminis, Filius Virginis,
Paterque Matris, Filiusque Patris,
Qui cœco sedenti stipem petenti
Lumen dedisti.

Sedensque cæcus tenebris oppressus,
Quem voluerat sic nasceretur cœcus,
In quem virtus sua omnibus credentibus
Comprobaretur.

Gaudetque cœcus, lumine recepto,
Quem visitabat Medicus excelsus,
A Patre dilectus, ut ablueretur
Mundi delictum.

Plebs Hebræorum simulque dixerunt:
Parentes ejus veniant, per quos quæsierunt:
Qui cœcus est natus, a cujus virtute est
Inluminatus.

Parentes autem Hebræorum fatentur:
Ex utero matris cœcus fuit natus:
Ætatem habet, ipsum interrogate;
Dicat veritatem

Confitetur cœcus, qui fuerat sanatus:
Ad me accessit Propheta magnus,
Cujus virtute, oculo, et corde sum
Illuminatus.

Fecit qui lutum de sancto sputo,
Tegmen oculorum linuit ac luto,
Jussit lavari Siloe, piscina me
Clarificavit.

Gloria Patri, Trino sempiterna
Gloria, Christo, Spirituique sancto:
Prædicet Trinum pia voce nomen
Omne per ævum.

Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem.

Capitula. Christe Deus, luminis perenne principium, qui septimum diei curriculum sanctificatione potius, quam operatione voluisti esse confitentium, quærimus ecce faciem tuam, sed impedimur conscientiæ nostræ tenebra consueta: conamur adsurgere, sed relabimur in mœrorem; non ergo abjicias te quærentes, qui non quærentibus apparere dignatus es. Ecce dierum nostrorum decimas sancto tuo nomini annuis recursibus persolventes, septimum nunc ex ipsis decimis peregimus diem; da ergo nobis adjutorium in hujus laboriosi itineris via quo inlibata tibi nostra dedicentur obsequia: ut labores nostros amoris tui desiderio releves, et socordiam sensus nostri fervida dilectionis tuæ ubertate exuscites; ut in te vita nostra non **179** habeat casum sed fides inveniat præmium.

A Pater noster.

Humilitate vos benedictioni.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Omnipotens Deus per observantiam horum dierum purificet corda vestra ab omni contagione peccaminum. ℟. Amen. Sic nos in servitute sua timoris sui lege constringat, ut amoris præmio foveat. ℟. Amen. Quo desiderio æternitatis labores vestros copiose reficiens, regni sui nos efficiat coheredes. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Utinam, Domine, dignantur viæ nostræ, *P*. Ad custodiendas justificationes tuas. ℣. Tunc non confundar, dum respicio in omnia mandata tua. *P*. Ad custodiendas. ℣. Gloria, et honor, etc. *P*. Ad

B custodiendas.

Oratio. Dirigantur viæ nostræ, Domine, ad custodiendas justificationes tuas; et qui legis tuæ nitimur perscrutari secreta, tua quoque perducamur ad præmia. ℟. Amen.

Lauda. In toto corde meo Deus exquisivi te: P. Ne repellas me a mandatis tuis. ℣. In corde meo abscondi eloquia tua: ut non peccem tibi. P. Ne repellas. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Ne repellas.

Oratio. In via testimoniorum tuorum, Domine, quasi in omnibus divitiis delectamur; neque enim quicquam nobis deesse credimus, cum te propitium adesse cognoscimus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Psalmus L. *Totus cum* Gloria, et honor, etc.

C Kyrie eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. *Sub silentio*; *Postea Preces*.

Preces. Domine misericordiarum. P. Obliviscere peccata nostra. ℟. Qui pertingens a fine in finem fortiter, disponis omnia suaviter. P. Obliviscere. ℣. Qui in finem temporis commemoratus nostri, ad redimendos non descendisti. P. Obliviscere. ℣. Qui ex Mariæ Virginis utero per mysterium nobis es genitus, P. Obliviscere.

Oratio. Exaudi orationem nostram. *fol*. 138.

Hymnus. Æterne rerum Conditor. *fol*. 3.

Oratio. Domine Deus Pater omnipotens inspirator precum, teque invocantium velox auditor; voci nostræ, oramus, clementiæ tuæ aurem appone; et nostrorum vincula peccaminum potenti miseratione dissolve: ac sicut nos gallorum canoribus ad matutinam gratiam provocas consurgere, et prophetali vaticinio in lucem gentium unicæ Redemptionis te prænuntias; ita nunc, initiantibus nobis, intuitu superno adsiste: sic quæsumus famulatus nostri vota suscipias, ut ad lucem lucis abundanti nos misericordia sublevando perducas. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 1. Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me? Tu autem Domine susceptor meus. *Psalmus* III.

Antiphona 2. Lava me ab injustitia mea: et a peccato meo munda me, Domine. *Psalmus* L.

Antiphona 3. In te confidit anima mea : libera me, Domine. *Psalmus* LVI.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui credentes in te redimendo suscipis, et exaltando glorificas, plebem tuam ab injustitia, et a peccatorum vinculo libera : veritatis et sapientiæ tuæ munere corda eorum locupleta, mentesque sanctifica, ut sicut in cœlo cum Sanctis regnat gloria, sic et in omnibus maneat salus, et benedictio tua. R. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 1. Judicare pupillo, et egeno : P. Justificate viduam, et humilem. Eripite pauperem, et egenum. ℣. Deus stetit in synagoga deorum : in medio autem deos discernit. P. Justificare. ℣. Gloria. et honor Patri, etc.

Oratio. Christe Deus fac nos semper in egenum et pauperem promptiores existere, et legem tuam custodire : ut misericordiæ operibus affluentes, æternorum civium mereamur esse consortes. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Quærite Dominum, et confortamini: P. Quærite faciem ejus semper. Mementote mirabilium ejus quæ fecit. ℣. Semen Abraham, servi ejus : filii Jacob, electi ejus. P. Quærite. ℣. Gloria, et honor, etc.

Oratio. Quærentibus te, Domine, tribue fortitudinem ; et quærenti te jugiter infunde amorem : ut qui tuam desiderant cernere faciem, perniciosam mundi non appetant voluptatem : eosque sæculi blandimenta non detineant usquequaque captivos; ut lux vultus tui clarificet jam beatos. ℟. Amen.

Antiphona 3. Miserator, et misericors Dominus : et longanimis, et multum misericors. **180** Non in finem irascetur : P. Neque in æternum indignabitur. ℣. Non secundum peccata nostra fecit nobis : neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. P. Neque. ℣. Gloria, et honor, etc.

Oratio. Miserator Domine, et misericors non irascaris nobis in finem ; sed quantum distat Oriens ab Occasu, iniquitatem omnem a nobis elonga, et juxta altitudinem cœli a terra tuam in nobis misericordiam dilata. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Hæc dicit Dominus : Afflixi populum meum nimis : a viis suis non sum reversi : multiplicatæ sunt mihi viduæ ejus super arena maris. P. Propter hoc si egerint pænitentiam a malo suo, habitabunt in terram absque pavore in sempiternum. ℣. Omnes vias meas intelligere noluerunt, ut pervenire facerent ad me clamorem egeni, et audire vocem pauperis. P. Propter. ℣. Gloria, et honor, etc.

Oratio. Protector noster Domine, converte nos a viis nostris pravis, et habitare nos fac absque pavore in terra hereditatis nostræ : ac sic nos liberatos fidei moderamine contine, ut nec prosperitate sæculi extollamur, nec invidi hostis adversitate turbemur, vel facinorum nubilo obumbremur; sed sperantes in te, quæsumus, ut nos in tua justitia liberes, nec condigna pro admissis juste repenses : inlumina

A itaque faciem tuam super hereditatem tuam, et salva nos propter misericordiam tuam. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. In tribulatione nostra memores simus tui, Deus : in tribulatione modica, eruditio tua facta est nobis.

Canticum. De nocte vigilat. *fol*. 64. *Reiteretur Antiphona*. In tribulatione.

Oratio. De nocte vigilantem ad te spiritum nostrum luce Deus decora præceptorum tuorum : et in tempestate requirentium te vigila; ut lux adesto meridiana : nullæ nos tenebræ te sequentes impediant; ne injustitiæ amor nostra a te vestigia retrahat: sed valeamus justitia dicere, te auctorem justitiæ proficienti postulemus aviditate : ac dum te
B perpetim amplectere concupiscimus, tuæ quoque sapientiæ amplexibus hæreamus. ℟. Amen.

Ad Benedictus. Antiphona. A vigilia matutina usque ad noctem : a custodia matutina speret Israel in Domino. ℣. Quia apud Dominum est misericordia : et copiosa apud eum redemptio.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol*. 6.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis : P. Laudate eum in excelsis. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Genesis (*Cap*. XXXIX).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Joseph ductus est in Ægyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus sui, vir Ægyptius, de manu Ismaelitarum, a quibus perductus erat. Fuitque Dominus cum eo,
C et erat vir in cunctis prospere agens : habitavitque in domo Domini sui, qui optime noverat Dominum esse cum eo, et omnia quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius. Invenitque Joseph gratiam coram Domino suo, et ministrabat ei, a quo præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum, et universa quæ ei tradita fuerant : benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joseph, et multiplicavit tam in ædibus quam in agris cunctam ejus substantiam : nec quicquam aliud noverat, nisi panem quo vescebatur. Erat autem Joseph pulcher facie, et decorus aspectu. Post multos itaque dies injecit domina sua oculos suos in Joseph, et ait : Dormi mecum. Qui nequaquam asquiescens operi nefario, dixit ad eam : Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua : nec quicquam est quod
D non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es : quomodo ergo possum hoc malum facere, et peccare in Dominum meum? Hujuscemodi verbis per singulos dies loquebantur, et mulier molesta erat adolescenti, et ille recusabat stuprum. Accidit autem quadam die, ut intraret Joseph domum, et operis quippiam absque arbitris faceret : et illa apprehensa lacinia vestimenti ejus, diceret : Dormi mecum. Qui relicto in manu ejus pallio, fugit, et egressus est foras. Cumque vidisset mulier vestem in manibus suis, et se esse contemptam, vocavit ad se homines domus suæ, et ait ad eos : En introduxit virum Hebræum, ut illuderet

nobis : ingressus est ad me, ut coiret mecum : dumque A
ego succlamassem, et audisset vocem meam, reliquit pallium quod tenebam, et fugit foras. In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito reverlenti domum, et ait : Ingressus est ad me servus Hebræus quem adduxisti ut illuderet mihi : **181**
cumque audisset me clamare, reliquit pallium quod tenebam, et fugit foras. His auditis dominus, et nimium credulus verbis conjugis, iratus est valde : tradiditque Joseph in carcerem, ubi vincti regis custodiebantur, et erat ibi clausus. Fuit autem Dominus cum Joseph, et misertus est illius, et dedit ei gratiam in conspectu principis carceris. Qui tradidit in manu illius universos vinctos qui in custodia tenebantur : et quicquid fiebat, sub ipso erat. Nec noverat aliquid, cunctis ei creditis : Dominus enim B
erat cum illo, et omnia opera ejus dirigebat. (*Cap.* XL.) His itaque gestis, accidit ut peccarent duo eunuchi, pincerna regis Ægypti, et pistor, domino suo. Iratusque contra eos Pharao (nam alter pincernis præerat, alter pistoribus) misit eos in carcerem principis militum, in quo erat vinctus et Joseph. At custos carceris tradidit eos Joseph, qui et ministrabat eis. Aliquantulum temporis fluxerat, et illi in custodia tenebantur. Videruntque ambo somnium nocte una juxta interpretationem congruam sibi : ad quos cum introisset Joseph mane, et vidisset eos tristes, sciscitatus est eos dicens : Cur tristior est hodie solito facies vestra ? Qui responderunt : Somnium vidimus, et num est qui interpretetur nobis. Dixitque ad eos Joseph : Nunquid non Dei est interpretatio ? C
referte mihi quid videritis. Narravit prior, præpositus pincernarum, somnium : Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, et post flores uvas maturescere : calicemque Pharaonis in manu mea : tuli ergo uvas, et expressi in calinem quem tenebam, et tradidi poculum Praraoni. Respondit Joseph : Hæc est interpretatio somnii : Tres propagines, tres adhuc dies sunt : post quos recordabitur Pharao ministerii tui, et restituet te in gradum pristinum : dabisque ei calicem juxta officium tuum, sicut ante facere consueveras. Tantum memento mei, cum bene tibi fuerit, et facies mecum misericordiam : ut suggeras Pharaoni, et educat me de isto carcere : quia furtim sublatus sum de terra Hebræorum, et hic innocens D
in lactum missus sum. Videns pistorum magister quod prudenter somnium dissolvisset, ait : Et ego vidi somnium, quod haberem tria canistra farinæ super caput meum : et in uno canistro quod excelsius, portare me putabam omnes cibos qui fiunt arte pistoria, avesque comedere ex eo. Respondit Joseph : Hæc est interpretatio somnii : Tria canistra, tres adhuc dies sunt : post quos auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce, et lacerabunt volucres carnes tuas. Et exinde tertius natalitius Pharaonis erat : qui faciens grande convivium pueris suis, recordatus est inter epulas magistri pincernarum, et pistorum principis. Restituitque alterum in locum suum ut porrigeret regi poculum : alterum suspendit in patibulum, ut conjectoris veritas probaretur. ℟. Amen.

Hymnus. Auctor luminis. *fol.* 178.

Supplicatio. Oremus.

Capitula. Expectatio salutis nostræ Domine, verba, supplicum precibus ad te directa sacris auribus percipe : et occultum cordis clamorem occultorum scrutator intellige : ut ea, quæ non timemus admittere, et erubescimus pandere, tu rex noster miseratus dimittas, et placatus indulgeas : ut oratio confidentium mane ad te perveniat, et tuæ clementia pietatis a te donata succurrat.

Pater noster.

Lauda 1. Laus ejus in Ecclesia sanctorum. P. Lætetur Israel in eo qui fecit ipsum. ℣. Cantate Domino canticum novum : laus ejus in Ecclesia sanctorum. P. Lætetur. ℣. Gloria, et honor, etc.

Oratio. Laus tua, Domine, in Ecclesiis sanctorum personet : et fidelium pectora in te semper exultent : merito sanctorum lætentur in gaudio fideles populi : quique vero laudem in tuo honore depromimus, cum sanctis tuis omnibus promissa gaudia impetremus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda 2. Laudent nomen Domini in choro : in tympano. P. In Psalterio psallant ei. ℣. Quia beneplacitum est Domino in populo suo et exultabit mansuetos in salutem. ℣. Gloria, et honor, etc.

Oratio. Deus, qui ineffabilibus Angelorum studiis celebrandus humanis etiam cultibus delectaris : non quod nostri in aliquo indigeas : sed ut locum in nobis exercendæ bonitatis invenias : qui usum tuæ laudis fructum vis esse laudationis : exaudi preces nostras ; et præsta, ut sit tuba tua fidei nostræ clara confessio ; sint cymbala tua, labia nostra, et consona interioris atque exterioris officia : sint citharæ tuæ animæ nostræ : ac misericordiæ tuæ laudem largata modulatione **182** permulceant. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In secundis Vesperis.

Lauda. Usque ad vesperum quam magnificata sunt opera tua, Domine.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Domine Deus patris nostri Abraham, et Deus Isaac, qui dixisti, P. Ut benefaceres nobis : erue nos de manu iniquitatis nostræ. ℣. Converte nos Deus salutaris noster : et averte iram tuam a nobis. P. Ut benefaceres. ℣. Gloria, et honor, etc.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Portio mea Domine, dixi custodire legem tuam. P. Deprecatus sum faciem tuam de toto corde meo. ℣. Cogitavi vias meas : et converti pedes meos in testimonia tua. P. Et deprecatus. ℣. Gloria, etc.

Hymnus.

Deus, cui certis legibus
Noctem discernis, ac diem ;
Ut fessa cures corpora,

Somnus relaxet otium.
Te noctis inter horridæ
Tempus precamur, ut sopor
Mentem dum fessam detinet,
Fidei lux inluminet.
Hostis ne fallax incitet
Lascivis curam gaudiis
Secretam noctis advocans
Blandus in æstus corporis.
Subrepat nullus sensui
Horror timoris anxii,
Inludat nulla mentem
Fallax imago visus.
Sed cum profunda vexerit
Somnus, curarum nescius,
Fides nequaquam dormiat,
Vigilque sensus somniet.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul Paraclito,
In sempiterna sæcula.
Amen

Supplicatio. Oremus.

Capitula. Jesu præceptor occurre nobis ambulantibus viam, cupientibus pervenire ad patriam ; ut præcedente luce tua, ambulemus in viam rectam, nec oberremus in tenebram istius noctis horrendam, te in nobis lucente, qui es via, veritas et vita : da igitur nobis ut sicut cæcus ille confessione veræ credulitatis obtinuit donum indultæ salutis : ita nos adipiscamur in istis verbis effectum piæ petitionis cum ea quæ nos docuisti, proclamaverimus e terris :

Pater noster.

Humilitate vos benedictioni.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Benedictio. Omnipotens Jesus Christus, qui virtute potentiæ suæ cæcis oculis præstitit medicinam, ipse oculos vestros ab omni vanitate avertat. ℟. Amen. Et qui illi præstitit se in veritate cognoscere, ipse corda vestra in sui nimis dilectione confirmet. ℟. Amen. Quique se per hoc miraculum ostendit admirabilem populis, ita nos dono impleat sanctæ virtutis, qualiter ad æternam vitam sine macula pervenire possitis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Ab omni via mala prohibe pedes meos, Domine : *P*. Ut custodiam verbum tuum, Deus meus. ℣. Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea est. *P*. Ut. ℣. Gloria, et honor Patri, etc.

Oratio. Ab omni via mala prohibe pedes meos, Domine : verbumque tuum tota servemus attentione ; atque a malo recedere, et tibi nos perpetim facias complacere. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda 2. Ne auferas de ore meo verbum veritatis, Domine : *P*. Quia in judiciis tuis speravi. ℣. Et veniat super nos misericordia tua Domine :

A salutare tuum, et eloquium tuum. *P*. Quia. ℣. Gloria, et honor, etc.

Oratio, Tua super nos misericordia, Domine, dum rogamus, adveniat : tuumque salutare cor nostrum eloquatur, et eruditio mentes nostras enutriat : ut qui in tuis speramus sermonibus, tuis per omnia consolemur virtutibus : ac dum spes nostra in te dirigitur, spei ipsius a te nobis petitio concedatur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda 3. Veniat super nos, Domine, misericordia tua : *P*. Salutare tuum, et eloquium tuum. ℣. Et respondebo exprobrantibus mihi verbum : quia speravi in sermonibus tuis. ℣. Gloria, et honor, etc.

Oratio. Veniat super nos, Domine, salutare tuum :
B ut ex ore nostro veritatis numquam decidat verbum ; nec confundamur eloquii testimonio tui ; sed libere fateamur tuæ legis insignia. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda 4. Averte oculos meos, ne videant **183**
vanitatem : *P*. Et in via tua vivifica me, Domine. ℣. Legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum : et exquiram eam semper. *P*. Et in via. ℣. Gloria, et honor, etc.

Oratio. Averte oculos nostros, Domine, ne videant vanitatem : et in via tua vivifica nos : fac nos odire sæculum, et diligere Christum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Psalmus L *totus cum* Gloria Patri, etc.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.
C Pater noster.

Preces. Averte, Domine. *P*. Iram tuam a nobis. ℣. Adsit nobis potentia tua, Domine. P. Iram. ℣. Benedic, Domine hereditatem tuam. *P*. Iram. ℣. Concede pacem Ecclesiæ tuæ, Domine. *P*. Averte.

Oratio. Averte, Domine, faciem tuam a peccatis nostris ; et omnem iram ac furorem tuum a nobis remove : Ecclesiæ tuæ pacem concede ; et omnes iniquitates nostras clemens dele : remove ab oculis tuis nostrarum facinus voluptatum, nostræque confessioni tuum clementer appone auditum ; et veniæ da remedium. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

FERIA SECUNDA.

Ad Matutinum.

D Tu autem Domine. *Psalmus* 3. *Oratio*. Quamvis, Domine. *fol*. 141.

Antiphona 1. Lignum vitæ planta, Domine, in cordibus nostris : ut det fructum in tempore suo. *Psalmus* 1.

Oratio. Concede nobis, Domine, ob amorem beatitudinis consilia declinare iniquitatis ; cathedram itaque pestilentiæ procul a nobis sepone : ut pestiferæ doctrinæ tabes non adhæret conniventiæ nostræ ; sed voluntatem nostram a malitiæ assensione tu remove ; et meditatione legis tuæ jugi nos tibi amore conjunge. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Servite Domino in timore. *Psalmus* 2.

Oratio. Servientes tibi Domine in timore ob metum judicii, exultantes cum tremore ob fiduciam spei, doce nos apprehendere disciplinam, qua judicantes terram corporis nostri veteris hominis figulum confringamus, et exterioris terræ purgamenta calcemus: ac secundum cœlestis imaginem hominis reformati, in hereditatem tuam servitute humili, et in possessionem tuam cultu perpetim transferamur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Tibi derelictus est pauper: pupillo tu eris adjutor. *Psalmus* IX.

Oratio. Deus, cui humanæ fragilitatis cura relicta est: tu pauperum in tribulatione præstas: tu egenis adesto suffragium pius; ut brachia malignantium, qui nos evertere nituntur, fortitudine tua prosternantur: ne dum voluntatis suæ proterviam implent, magnificare se de hereditate tua jactanter aggrediantur: sic clemens clientes erudi et protege, qualiter præsentis vitæ solatium foveas, et post ad æterna præmia introducas. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Audite me rectores filiorum Israel, dicit Dominus: nolite timere, neque conturbemini, quia ego multiplicabo vos; et non eritis pauci numero: *P.* Sed absque pavore habitabis in terram vestram. ℣. Convertimini, et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris; et non erit vobis rapina iniquitatis. *P.* Sed absque. ℣. Gloria, et honor, etc.

In Laudibus.

Antiphona. Miserere. *Psalmus* L. *Oratio*. Miserere, Domine, miseris. *Quære fol.* 141.

Ad Canticum. *Antiphona*. Ego occidam, et vivere faciam: percutiam, et ego sanabo.

Canticum. Attende cœlum. *Quære fol.* 4.

Oratio. Montes, cantate nobis, et terra. *Quære fol.* 139.

Ad Benedictus. *Antiphona*. Deus Deus meus ad te de luce vigilo ℣. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter et caro mea in terra deserta, invia, et inaquosa.

Canticum. Benedictus es Domine. *Quære fol.* 6.

Lauda. In potentatibus ejus laudate Dominum: secundum multitudinem magnitudinis ejus laudate eum. *Psalmus* CXLIX.

Lectio libri Genesis (*Cap.* XLI).

℟. Deo gratias.

In diebus illis: Triginta annorum erat Joseph quando stetit in conspectu regis Pharaonis, et circumivit omnes regiones Ægypti. Venitque fertilitas septem annorum: et in manipulos redactæ segetes congregatæ sunt in horrea Ægypti. Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est:
184 tantaque fuit abundantia tritici, ut arenæ maris coæquaretur, et copia mensuram excederet. Natique sunt Joseph filii duo antequam veniret fames: quos peperit ei Aseneth filia Putipharis sacerdotis Heliopoleos. Vocavitque nomen primogeniti.
A Manasses, dicens: Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, et domus patris mei. Nomen quoque secundi appellavit Ephraim, dicens. Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. Igitur transactis septem annis ubertatis, qui fuerunt in Ægypto: cœperunt venire septem anni inopiæ, quos prædixerat Joseph: et in universo orbe fames prævaluit, in cuncta etiam terra Ægypti fames erat: qua esuriente, clamavit populus ad Pharaonem, alimenta petens. Quibus ille respondit: Ite ad Joseph: et quicquid ipse vobis dixerit, facite. Crescebat autem quotidie fames in omni terra: aperuitque Joseph universa horrea, et vendebat Ægyptiis: nam et illos oppresserat fames. Omnesque provinciæ veniebant in Ægyptum, ut emerent escas, et malum inopiæ
B temperarent. (*Cap.* XLII.) Audiens autem Jacob quod alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis: Quare neglexistis? audivi quod triticum venundetur in Ægypto: descendite, et emite nobis necessaria, ut possimus vivere, et non consumamur inopia. Descendentes igitur fratres Joseph decem, ut emerent frumenta in Ægypto, Benjamin domi retento a Jacob, qui dixerat fratribus ejus: Ne forte in itinere quicquam patiatur mali: ingressi sunt terram Ægypti cum aliis qui pergebant ad emendum. Erat autem fames in terra Chanaan. Et Joseph erat princeps in terra Ægypti, atque ad ejus nutum frumenta populis vendebantur. Cumque adorassent eum fratres sui, et agnovisset eos, quasi ad alienos durius loquebatur, interrogans eos: Unde venistis?
C Qui responderunt: De terra Chanaan, ut emamus victui necessaria. Et tamen fratres ipse cognoscens, non est cognitus ab eis. Recordatusque somniorum, quæ aliquando viderat, ait ad eos: Exploratores estis: ut videatis infirmiora terræ, venistis. Qui dixerunt: Non est ita, domine, sed servi tui venerunt ut emerent cibos. Omnes filii unius viri sumus: pacifici venimus nec quicquam famuli tui machinantur mali. Quibus ille respondit: Aliter est: immunita terræ hujus considerare venistis. Et illi: Duodecim, inquiunt, fratres servi tui sumus, filii viri unius in terra Chanaan: minimus cum patre versatur, alius non est super. Hoc est, ait, quod locutus sum: Exploratores estis. Jam nunc experimentum vestri capiam: per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester mini-
D mus. Mittite ex vobis unum, et adducat eum: vos autem eritis in vinculis, donec probentur quæ dixistis utrum vera an falsa sint: alioquin per salutem Pharaonis exploratores estis. Tradidit ergo illos custodiæ tribus diebus. Die autem tertio eductis de carcere, ait: Facite quæ dixi, et vivetis. Deum enim timeo. Si pacifici estis, frater vester unus ligetur in carcere: vos autem abite, el ferte frumenta quæ emistis in domos vestras, et fratrem vestrum minimum ad me adducite, ut possim vestros probare sermones, et non moriamini. Fecerunt ut dixerat, et locuti sunt ad invicem: Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustias

animæ illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus: idcirco venit super nos ista tribulatio. E quibus unus Ruben, ait: Nunquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum: et non audistis me? en sanguis ejus exquiritur. Nesciebant enim quod intelligeret Joseph: eo quod per interpretem loqueretur ad eos. Avertitque se parumper, et flevit: et reversus locutus est ad eos. Tollensque Simeon, et ligans illis præsentibus, jussit ministris ut implerent eorum saccos tritico, et reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis supra cibariis in viam: qui fecerunt ita. At illi portantes frumenta in asinis, profecti sunt. Apertoque unus sacco, ut daret jumento pabulum in diversorio, comtemplatus pecuniam in ore sacculi, dixit fratribus suis: Reddita est mihi pecunia, en habetur in sacco. Et obstupefacti turbatique, mutuo dixerunt: Quidnam est hoc quod fecit nobis Deus? Veneruntque ad Jacob patrem suum in terram Chanaan, et narraverunt ei omnia quæ accidissent sibi, dicentes: Locutus est nobis Dominus terræ dure, et putavit nos exploratores esse provinciæ. Cui respondimus: Pacifici sumus, nec ullas molimur insidias. Duodecim fratres uno patre geniti sumus: unus non est super, minimus cum patre nostro est in terra Chanaan. Qui ait nobis: Sic probabo quod pacifici sitis: Fratrem vestrum unum dimittite apud me, et cibaria domibus vestris necessaria sumite, et abite, fratremque vestrum minimum adducite ad me, **185** ut sciam quod non sitis exploratores: et istum, qui tenetur in vinculis, recipere possitis: ac deinceps quæ vultis, emendi habeatis licentiam. His dictis, cum frumenta effunderent, singuli repererunt in ore saccorum ligatas, pecunias exterritisque simul omnibus, dixit pater Jacob: Absque liberis me esse fecistis, Joseph non est super, Simeon tenetur vinculis, Benjamin auferetis: in me hæc omnia mala reciderunt. Cui respondit Ruben: Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi: trade illum in manu mea, et ego eum tibi restituam. Ait ille: Non descendet, inquit, filius meus vobiscum: frater ejus mortuus est, et ipse solus remansit: si quid ei adversitatis acciderit in terra ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos. (*Cap.* XLIII.) Interim fames omnem terram vehementer premebat. Consumptisque cibis quos ex Ægypto detulerant, dixit Jacob filiis suis: Revertimini, et emite nobis pauxillum escarum. Respondit Judas: Denuntiavit nobis vir ille sub attestatione jurisjurandi, dicens: Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum. Si ergo vis eum mittere nobiscum, pergemus pariter, et ememus tibi necessaria: Sin autem non vis, non ibimus: vir enim, ut sæpe diximus, denuntiavit nobis, dicens: Non videbitis faciem meam absque fratre vestro minimo. Dixit eis Israel: In meam hoc fecistis miseriam, ut indicaretis ei, et alium habere vos fratrem. At illi responderunt: Interrogavit nos homo per ordinem nostram progeniem: si pater viveret: si haberemus fratrem: et nos respondimus ei consequenter juxta illud quod fuerat sciscitatus: nunquid scire poteramus quod dicturus esset: Adducite fratrem vestrum vobiscum? Judas quoque dixit patri suo: Mitte puerum mecum, ut proficiscamur, et possimus vivere: ne moriamur nos, et parvuli nostri. Ego suscipio puerum: de manu mea require illum: nisi reduxero, et reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore. Si non intercessisset dilatio, jam vice altera venissemus. Igitur Israel pater eorum dixit eis: Si sic necesse est, facite quod vultis: sumite de optimis terræ fructibus in vasis vestris, et deferte viro munera, modicum resinæ, et mellis, et storacis, stactes, et terebinthi, et amygdalarum. Pecuniamque duplicem ferte vobiscum: et illam, quam invenistis in sacculis, reportate, ne forte errore factum sit: sed fratrem vestrum tollite, et ite ad virum. Deus autem omnipotens faciat eum vobis placabilem. ℟. Amen.

Hymnus. Fulgentis auctor. *fol.* 96.

Capitula. In matutinis meditamur te Domine: quæ te inluminante, susceptor es nostrorum: quod pro nobis natus es, confitemur; et in velamento alarum tuarum cruce tua protecti laudamus: dona igitur nobis, ut qui munera tua in sacro mysterio prædicamus, te in summo munere perfruamur.

Pater noster.

Lauda. Confirma super nos, Deus, misericordiam tuam. ℣. Laudate Dominum omnes gentes: et conlaudate eum omnes populi. Gloria, et honor Patri, et Filio, etc.

Oratio. Confirma super nos misericordiam tuam Domine: ut cum omnibus gentibus te præsenti landemus in sæculo: tuaque veritate salvati, tecum semper maneamus in regnum æternum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Tertiam.

Proverbiorum Salomonis (*Cap.* XXIII).

℟. Deo gratias.

Fili, audi, et esto sapiens: et dirige in via animum tuum. Noli esse in conviviis potatorum; nec in comessationibus eorum, qui carne ad vescendum conferunt: quia vacantes potibus, et dantes symbola consumentur, et vestietur pannis dormitatio. Audi patrem tuum, qui genuit te: et ne contemnas cum senuerit mater tua. Veritatem eme, et noli vendere sapientiam, et doctrinam, et intelligentiam. Exultat gaudio pater justi: qui sapientem genuit, lætabitur in eo. Gaudeat pater, et mater tua, et exultet, qui genuit te. ℟. Amen.

Lectio libri Genesis (*Cap.* XLIII).

℟. Deo gratias.

In diebus illis: Descenderunt filii Israel in Ægyptum, et steterunt coram Joseph. Quos cum ille vidisset, et Benjamin simul, præcepit dispensatori domus suæ, dicens: Introduc viros domum, et occide victimas, et instrue convivium: quoniam hodie mecum sunt comesturi meridie. Fecit ille sicut fuerat imperatum, et introduxit viros in domum. Ibique exter

riti, dixerunt mutuo: Propter pecuniam, quam retulimus prius in saccis nostris, introducti sumus: ut devolvat in nos calumniam, et violenter subjiciat servituti, **186** et nos, et asinos nostros. Quamobrem in ipsis foribus accedentes ad dispensatorem locuti sunt: Oramus, Domine, ut audias nos. Jam ante descendimus ut emeremus escas: quibus emptis, cum venissemus ad diversorium, aperuimus saccos nostros, et invenimus pecuniam in ore saccorum: quam nunc eodem pondere reportavimus. Sed et aliud attulimus argentum, ut emamus quæ nobis necessaria sunt: non est in nostra conscientia quis posuerit eam in marsupiis nostris. At ille respondit: Pax vobiscum, nolite timere: Deus vester, et Deus patris vestri, dedit vobis thesauros in saccis vestris: nam pecuniam, quam dedistis mihi, probatam ego habeo. Eduxitque ad eos Simeon, et introductis domum, attulit aquam, et laverunt pedes suos, deditque pabulum asinis eorum. Illi vero parabant munera, donec ingrederetur Joseph meridie: audierant enim quod ibi comesturi essent panem. Igitur ingressus est Joseph domum suam, obtuleruntque ei munera, tenentes in manibus suis: et adoraverunt proni in terram. At ille, clementer resalutatis eis, interrogavit eos, dicens: Sanusne est pater vester senex, de quo dixeratis mihi? Adhuc vivit? Qui responderunt: Sospes est servus tuus pater noster, adhuc vivit. Et incurvati, adoraverunt eum. Attollens autem Joseph oculos, vidit Benjamin fratrem suum uterinum, et ait: Iste est frater vester parvulus, de quo dixeratis mihi? Et rursum: Deus, inquit, misereatur tui, fili mi. Festinavitque in domum, quia commota fuerant viscera ejus super fratre suo, et erumpebant lachrymæ: et introiens cubiculum, flevit. Rursumque lota facie egressus, continuit se, et ait: Ponite panes. Quibus appositis, seorsum Joseph, et seorsum fratribus, Ægyptiis quoque qui vescebantur simul, seorsum (illicitum est enim Ægyptiis comedere cum Hebræis, et profanum putant hujuscemodi convivium) sederunt coram eo, primogenitus juxta primogenita sua, et minimus juxta ætatem suam. Et mirabantur nimis, sumptis partibus quas ab eo acceperant: majorque pars venit Benjamin, ita ut quinque partibus excederet. Biberuntque et inebriati sunt cum eo. (*Cap.* XLIV.) Præcepit autem Joseph dispensatori domus suæ, dicens: Imple saccos eorum frumento, quantum possunt capere: et pone pecuniam singulorum in summitate sacci. Scyphum autem meum argenteum, et pretium quod dedit tritici, pone in ore sacci junioris. Factumque est ita. Et orto mane, dimissi sunt cum asinis suis. Jamque urbem exierant, et processerant paululum: tunc Joseph, accersito dispensatore domus, ait: Surge, inquit, et persequere viros: et apprehensis dicito: Quare reddidistis malum pro bono? Scyphus, quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus, et in quo augurari solet: pessimam rem fecistis. Fecit ille ut jusserat. Et apprehensis per ordinem locutus est. Qui responderunt: Quare sic loquitur dominus noster, ut servi sui tan-

A tum flagiti commiserint? Pecuniam, quam invenimus in summitate saccorum, reportavimus ad te de terra Chanaan: et quomodo consequens est ut furati simus de domo domini tui aurum vel argentum? Apud quemcumque fuerit inventum servorum tuorum quod quæris, moriatur, et nos erimus servi domini nostri. Qui dixit eis: Fiat juxta vestram sententiam: apud quemcumque fuerit inventum, ipse sit servus meus, vos autem eritis innoxii. Itaque festinato deponentes in terram saccos, aperuerunt singuli. Quos scrutatus, incipiens a majore usque ad minimum, invenit scyphum in sacco Benjamin. At illi, scissis vestibus, oneratisque rursum asinis, reversi sunt in oppidum. Primusque Judas cum fratribus ingressus est ad Joseph (necdum enim de loco abierat) omnesque ante
B eum pariter in terram corruerunt. Quibus ille ait: Cur sic agere voluistis? an ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia? Cui Judas: Quid respondebimus, inquit, domino meo? vel quid loquemur, aut juste poterimus obtendere? Deus invenit iniquitatem servorum tuorum: en omnes servi sumus domini mei, et nos, et apud quem inventus est scyphus. Respondit Joseph: Absit a me ut sic agam: qui furatus est scyphum, ipse sit servus meus: vos autem abite liberi ad patrem vestrum. Accedens autem propius Judas, confidenter ait: Oro Domine, audi me: ut loquatur servus tuus verbum in auribus tuis, et ne irascaris famulo tuo; tu es enim post Pharaonem dominus meus. Interrogasti prius servos tuos: Habetis patrem, aut fratrem? et nos respondimus
C tibi domino meo: Est nobis pater senex, et puer parvulus, qui in senectute illius datus est; cujus uterinus frater est mortuus: et ipsum solum habet mater sua, pater vero tenere diligit eum. Dixistique servis tuis: Adducite eum ad me, et ponam oculos meos **187** super illum. Suggessimus tibi domino meo: Non potest puer relinquere patrem suum: si enim illum dimiserit, morietur. Et dixisti servis tuis: Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis amplius faciem meam. Cum ergo ascendissemus ad famulum tuum patrem nostrum, narravimus ei omnia quæ locutus est dominus meus. Et dixit pater noster: Revertimini, et emite nobis parum tritici. Cui diximus: Non possumus ire: si frater noster
D minimus descenderit nobiscum, proficiscemur simul: alioquin illo absente, non audemus videre faciem viri. At ille respondit: Vos scitis quod duos genuerit mihi uxor mea. Egressus est unus, et dixistis: Bestia devoravit eum: et hucusque non comparet. Si tuleritis et istum, et aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos cum mœrore ad inferos. Igitur si intravero ad servum tuum patrem nostrum, et puer defuerit (cum anima illius ex hujus anima dependeat) videritque eum non esse nobiscum, morietur, et deducent famuli tui canos ejus cum dolore ad inferos. Ego proprie servus tuus sum, qui in meam hunc recepi fidem, et spopondi dicens: Nisi reduxero eum, peccati reus ero in patrem omni tempore. Manebo itaque servus tuus pro puero in ministerio domini

mei, et puer ascendat cum fratribus suis. Non enim A possum redire ad patrem, absente puero : ne calamitatis, quæ oppressura est patrem meum, testis assistam. (*Cap.* XLV.) Non se poterat ultra cohibere Joseph multis coram astantibus : unde præcepit ut egrederentur cuncti foras, et nullus interesset alienus agnitioni mutuæ. Elevavitque vocem cum fletu : quam audierunt Ægyptii, omnisque domus Pharaonis. Et dixit fratribus suis : Ego sum Joseph : adhuc pater meus vivit ? Non poterant respondere fratres nimio terrore perterreti. Ad quos ille clementer : Accedite, inquit, ad me. Et cum accessissent prope, Ego sum, ait, Joseph, frater vester, quem vendidistis in Ægyptum. Nolite pavere, neque vobis durum esse videatur quod vendidistis me in his regionibus : pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in B Ægyptum. Biennium est enim quod cœpit fames in terra esse : et adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit, nec meti. Præmisitque me Deus ut reservemini super terram, et escas ad vivendum habere possitis. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum : qui fecit me quasi patrem Pharaonis, et dominum universæ domus ejus, ac principem in omni terra Ægypti. Festinate, et ascendite ad patrem meum, et dicetis ei. Hæc mandat filius tuus Joseph : Deus fecit me dominum universæ terræ Ægypti : descende ad me, ne moreris, et habitabis in terra Gessen : erisque juxta me tu, et filii tui, et filii filiorum tuorum, oves tuæ, et armenta tua, et universa quæ possides. Ibique te pascam (adhuc enim quinque anni residui sunt famis) ne et tu pereas, et C domus tua, et omnia quæ possides. En oculi nostri, et oculi fratris mei Benjamin, vident quod os meum loquatur ad vos. Nunciate patri meo universam gloriam meam, et cunctā quæ vidistis in Ægypto : festinate, et adducite eum ad me. Cumque amplexatus recidisset in collum Benjamin fratris sui, flevit : illo quoque similiter flente super collum ejus. Osculatus est Joseph omnes fratres suos, et ploravit super singulos : post quæ ausi sunt loqui ad eum. Auditumque est, et celebri sermone vulgatum in aul a regis : Venerunt fratres Joseph : et gravisus est Pharao, atque omnis familia ejus. ℟. Amen.

Antiphona. 1. Desiderium pauperum nunc exaudiet, dicit Dominus. *Psalmus* IX.

Oratio. Desiderium tuorum Domine pauperum sic D intende propitius, ut et donorum cœlestium nobis copiam tribuas ; et tumorem prætereuntium rerum a nobis avertas : Auris quoque tua nostram ita orationem intendat, ut dum pupillo humilique judicium feceris, paterna nobis indulgentia blandiaris ; et pro humiliatione præsentium gaudia retribuas æternorum. ℟. Amen.

Antiphona 2. Justus Dominus et justitiam dilexit : æquitatem vidit vultus ejus. *Psalmus* X.

Oratio. Justus es Domine, et justitiam diligis, atque aspicis æquitatem : da nobis ante oculos tibi placita et placitura perficere ; et semper digna tuæ justitiæ atque æquitatis opera consummare. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Tu autem Domine serva nos : et custodies nos a generatione. *P.* Salvum me fac, Domine. *Psalmus* XI.

℟. Convertamur ad Dominum. *Quære f.* 144.

Preces. Christe Redemptor pius animarum exaudi gemitus flentium, *P.* Et miserere. ℣. Ne derelinquas plebem supplicantem, exaudi **188** precem, et respice : quæ postulamus attribue. *P.* Et miserere. ℣. Parce, rogamus : parce tandem fessis : mœrores nostros lætifica ; diffusam vitam jam revoca. *P.* Et miserere. ℣. Salvator noster intuere terram, cœlestem largire pluviam, et victum nobis parturiat gratia tua. *P.* Et miserere. ℣. Indulge nostrum facinus horrendum, quo te offenso defecimus, dimitte nobis hoc debitum. *P.* Et miserere.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol.* 144.

Capitula. Custodi nos. Domine. *fol.* 147.

Ad Sextam.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* LXV).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Quæsierunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quæsierunt me : dixi: Ecce ego, ecce ego ad gentem, quæ nesciebat me, et quæ non invocabat nomen meum. Expandi manus meas tota die ad populum iucredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas. Populus qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper : qui immolant in hortis, et sacrificant super lateres : qui habitant in sepulcris, et in delubris idolorum dormiunt : qui comedunt carnem suillam, et jus profanum in vasis eorum. Qui dicunt, Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es : isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. Ecce scriptum est coram me : non tacebo, sed reddam et retribuam in sinu eorum iniquitates vestras, et iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dominus, qui sacrificaverunt super montes, et super colles exprobraverunt mihi, et remetiar opus eorum primum in sinu eorum. Hæc dicit Dominus : Quomodo si inveniatur granum in botro, et dicatur : Ne dissipes illud, quoniam benedictio est : sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum. Et educam de Jacob semen, et de Juda possidentem montes meos : et hereditabunt eam electi mei, et servi mei habitabunt ibi. ℟. Amen.

Antiphona 1. Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nobis. *Psalmus* CXXII.

Oratio. Ad te, Domine oculos nostros erigimus : quem in cœlestibus habitare, et terræ machinam vitute continere fatemur. Miserere igitur nostri Domine, miserere ; et peccatis nostris, pro quibus te metuimus, parce : ut contemptum nostrum pietate clementi respicias ; et a delicti oprobrio dextera nos tuæ virtutis eripias. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus. *Psalmus*. CXXIII.

Oratio. Adjutorium nostrum in nomine tuo est,

Domine : da nobis odire mundi inlecebram ; et venantium voluptatum præcavere muscipulam : ut ipse insidiantem perimas ; ipse confidentem munias atque defendas. ℟. Amen. A

Per misericordiam.

Antiphona 3. Benefac Domine bonis, et rectis corde. *Psalmus* CXXIV.

℟. Placabilis esto. Domine, et ostende te nobis P. In tempore tribulationis. et angustiæ nostræ ℣. Deus in nomine tuo salvos nos fac : et in virtute tua libera nos. P. In tempore. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *Reiteretur*. ℟.

Preces. Dicamus omnes, Domine: Miserere nobis, P. Et esto propitius. ℣. Pie, precantes supplices exaudi, Christe. P. Et esto propitius. ℣. Nostra relaxa crimina, dele peccata. P. Et esto. ℣. In omnes B gentes, Domine, pacem concede. P. Et esto. ℣. Remissionem omnium concede, Deus. P. Et esto. ℣. O Deus potentissime clemens succurre. P. Et esto.

Hymnus. O Nazarene, lux. *Require fol*. 144.

Oratio. Benefac, Domine, bonis et rectis corde : regimen salutaris impende ; atque in tuæ plebis custodia semper vigila ; et malignantium rabiem tua dextera frena.

Pater noster.

Ad Nonam.

Proverbiorum Salomonis (*Cap*. XXIII).

℟. Deo gratias.

Fili, Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, et aures tuæ ad verba scientiæ. Noli subtrahere a puero disciplinam : si enim percusseris cum virga, non mo- C rietur. Tu virga percuties eum : et animam ejus de inferno liberabis. Fili mi, si sapiens fuerit animus tuus, gandebit tecum cor meum : et exultabunt renes mei, cum locuta fuerint recta labia mea. Non æmuletur cor tuum peccatores : sed in timore Domini esto tota die : quia habebis spem in novissimo, et præstolatio tua non auferetur. ℟. Amen.

189 *Lectio libri Genesis* (*Cap*. XLV).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Auditumque est, et celebri sermone vulgatum in aula regis : Venerunt fratres Joseph : et gavisus est Pharao, atque omnis familia ejus. Dixitqne ad Joseph ut imperaret fratibus suis, dicens : Onerantes jumenta, ite in terram Chanaan, et tollite inde patrem vestrum et cognationem, et B venite ad me : et ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ. Præcipe etiam ut tollant plaustra de terra Ægypti, ad subvectionem parvulorum suorum ac conjugum : et dicito : Tollite patrem vestrum, et properate quantocius venientes, Nec dimittatis quicquam de supellectili vestra : quia omnes opes Ægypti vestræ erunt. Feceruntque filii Israel ut eis màndatum fuerat. Quibus dedit Joseph plaustra, secundum Pharaonis imperium : et cibaria in itinere. Singulisque proferri jussit binas stolas : Benjamin vero dedit trecentos argenteos cum quinque stolis optimis : tantundem pecuniarum, et vestium mittens patri suo, addens eis asinos decem, qui subveherent ex omnibus divitiis Ægypti et totidem asinas, triticum in itinere panesque portantes. Dimisit ergo fratres suos, et proficiscentibus ait : Ne irascamini in via. Qui ascendentes ex Ægypto venerunt in terram Chanaan ad patrem suum Jacob. Nuntiaverunt ei, dicentes : Joseph filius tuus vivit : et ipse dominatur in omni terra Ægypti. Quo audito, quasi de gravi somno evigilans, tamen non credebat eis. Illi e contra referebant omnem ordinem rei. Cumque vidisset plaustra et universa quæ miserat revixit spiritus ejus, et ait : Sufficit mihi si adhuc Joseph filius meus vivit, vadam et videbo eum antequam moriar. (*Cap*. XLVI.) Profectusque Israel cum omnibus, quæ habebat, venit ad Puteum juramenti et mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, audivit eum per visionem nocte vocantem se, et dicentem sibi : Jacob, qui respondit : Ecce adsum. Ait illi Deus : Ego sum fortissimus Deus patris tui : noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego descendam tecum illuc, et ego inde adducam te revertentem : Joseph quoque ponet manum suam super oculos tuos. Surrexit Jacob a Puteo juramenti : tuleruntque eum filii cum parvulis, et uxoribus in plaustris quæ miserat Pharao ad portandum senem, et omnia quæ possederat in terra Chanaan : venitque in Ægyptum cum omni semine suo, filii ejus, et nepotes, filiæ, et cuncta simul progenies. ℟. Amen.

Antiphona 1. Deus Deus noster respice : non nos derelinquas sperantes in te. *Psalmus* XXI.

Oratio. Respice in nos Domine Deus noster ; ne avertendo faciem tuam a nobis, nos aliquatenus derelinquas : vere enim salvi erimus, si vultus tui in nos aspectum converteris, et hilariter nostris te animabus conjunxeris : ut quia in te speraverunt patres nostri, et salvi facti sunt, nos hereditariæ fac eorum spei succedere ; et parilitatem horum, æterna cum eis exultatione gaudere. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Ad defensionem nostram, Deus noster, respice. *Psalmus* XXI.

Oratio. Ad defensionem nostram. *Quære fol*. 149.

Antiphona 3. Salva plebem tuam Domine, et benedic hereditatem tuam : et rege eos et extolle eos usque in æternum. *Psalmus* XXVII.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol*. 144.

Oratio. Adjutor et Redemptor noster Domine adjuva nos ; et refloreat caro nostra vel virore pudicitiæ, vel sanctimoniæ novitate : et quia tu fortitudo plebis tuæ es, populum tuum salva, et hereditatem tuam copia tuæ benedictionis exalta.

Pater noster.

Ad Vesperos.

Lauda. Tu illuminas lucernam meam, Domine.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Antiphona. Confitebimur tibi Deus : confitebimur tibi, et invocabimus nomen tuum, Domine. *Psalmus* LXXIV.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lauda. Adhæsi testimoniis tuis : *P.* Domine, noli me confundere. ℣. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatares cor nostrum. P. Domine. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. A

Hymnus. Christe Salvator omnium. *Quære fol.* 97.

Capitula. Servis tuis hæc est gloria, Domine, sub spe vitæ beatæ in hoc sæculo laborare, et per illuminationem gratiæ tuæ jugiter ad te jejuniis, et orationibus vigilare : consecra ergo quæsumus jejunium nostrum, et repelle **190** ab animis nostris nostrorum sarcinam delictorum. Quatenus hic superato Diabolo, mereamur cum omnibus sanctis tuis congaudere in regno perpetuo.

Pater noster.

Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit. ℟. Et cum spiritu tuo. B

Benedictio. Omnipotentis Domini vos gratia protegat, famemque vestram spirituali cibo reficiat. ℟. Amen. Sitim quoque vestram justitiæ fluminibus inriget, atque novum dulcedinis suæ animis nostris infundat saporem. ℟. Amen. Ut tam carne contriti, quam spiritu vivificati ab eo mereamini cœlesti dono beatificari.

℟. Per misericordiam.

Lauda. Confirma super nos. *Quære retro in fine Laudibus de secunda Feria secundæ hebdomadæ Quadragesimæ.*

FERIA TERTIA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo. *Psalmus* III. C

Oratio. Multiplicati sunt, Domine, qui tribulant nos : sed tu multus es in misericordia, qui eruas nos : in nullo formidabimus ab imminenti pressura, si tantum tua muniamur. Omnipotens, gratia. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 1. Anima nostra patiens est, Domine : quoniam adjutor et protector noster es. *Psalmus* XXXII.

Oratio. Tibi Domino. *fol.* 152.

Antiphona 2. Fiat, Domine, misericordia tua super nos : sicut speravimus in te. *Psalmus.* XXXII.

Oratio. Fiat misericordia tua Domine super nos : ut qui singillatim corda hominum fingis ; speciatim ea sanctifices : et quia oculi tui super eos sunt, qui D te metuunt ; timoris tui da nobis plenitudinem : ut et agnitionis tuæ nobis conferas largitatem. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Redimet Dominus animas servorum suorum : et non derelinquet omnes qui sperant in eum. *Psalmus* XXXIII.

Oratio. Benedicat te Domine in omni tempore anima nostra : quia et in flagellis nostris semper adest misericordia tua : dum nos et disciplina corrigis, et indulgentia foves : dum percutiendo sanas, et sanando corroboras : dona igitur nobis, ut qui tuam in fide gustavimus suavitatem, plenissimam percipiamus in retributione dulcedinem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Convertimini ad me, dicit Dominus : et convertar ad vos. *P.* Ecce venient dies nostri, quando quæritis me. ℣. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis : vocavi enim vos, et renuistis. P. Ecce venient. ℣. Gloria, et honor, etc.

In Laudibus.

Antiphona. Secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates nostras. *Psalmus* L.

Oratio. Secundum multitudinem. *fol.* 150.

Antiphona. Deus patris nostri erit adjutor noster, et omnipotens benedicet nobis.

Canticum. Vocavit Jacob. *fol.* 49.

Reiteretur Antiphona Deus patris.

Oratio. Appareat, quæsumus, Domine mentibus nostris agnitio tuæ divinitatis ; quæ benedictionis habere gratiam præbeat nobis : ut proficiamus et crescamus jugiter in bonis multiplicibus incrementis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Benedictus. Antiphona. Illuminans tu mirabilis a montibus æternis. ℣. Notus in Judæa Deus : in Israël magnum nomen ejus.

Canticum. Benedictus. *fol.* 6.

Lauda. In psalterio, et cithara hymnum dicamus : in choro laus resonet Domino in chordis, et organo. *P.* Laudate.

Lectio libri Genesis (*Cap.* XLVI).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Misit Jacob Judam ante se ad Joseph in Ægyptum, ut nuntiaret ei, et ille occurreret in Gessen. Quo cum pervenisset, juncto Joseph curru suo, ascendit obviam patri suo ad eumdem locum : vidensque eum, inruit super collum ejus, et inter amplexus flevit. Dixitque pater ad Joseph : Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te relinquo. Et ille locutus est ad fratres suos, et ad omnem domum patris sui : Ascendam et nuntiabo Pharaoni, dicamque ei : Fratres mei, et domus patris mei qui erant in terra Chanaan, venerunt ad me ; et sunt viri pastores ovium, curamque habent alendorum gregum : pecora sua, et armenta, et omnia quæ habere **191** potuerunt, adduxerunt secum. Cumque vocaverit vos, et dixerit : Quod est opus vestrum ? Respondebitis : Viri pastores sumus servi tui, ab infantia nostra usque in præsens, et nos et patres nostri. Hæc autem dicetis, ut habitare possitis in terra Gessen : quia detestantur Ægyptii omnes pastores ovium. (*Cap.* XLVII.) Ingressus ergo Joseph nuntiavit Pharaoni, dicens : Pater meus et fratres mei, oves eorum et armenta, et cuncta quæ possident, venerunt de terra Chanaan : et ecce consistunt in terra Gessen. Extremos quoque fratrum suorum quinque viros statuit coram rege : quos ille interrogavit : Quid habetis operis : Responderunt : Pastores ovium sumus servi tui, et nos et patres nostri. Ad peregrinandum in terra tua venimus : quoniam non est

herba gregibus servorum tuorum, ingravescente A fame in terra Chanaan, petimusque ut esse nos jubeas servos tuos in terra Gessen. Dixit itaque rex ad Joseph : Pater tuus et fratres venerunt ad te. Terra Ægypti in conspectu tuo est : in optimo loco fac habitare eos, et trade eis terram Gessen. Quod si nosti in eis esse viros industrios, constitue eos magistros pecorum meorum. Post hæc introduxit Joseph patrem suum ad Regem, et statuit eum coram eo : qui benedicens illi, et interrogatus ab eo : Quot sunt dies annorum vitæ tuæ ? Respondit : Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt, parvi et mali, et non pervenerunt usque ad dies patrum meorum quibus peregrinati sunt. Et benedicto rege, egressus est foras. Joseph vero patri et fratribus suis dedit possessionem in Ægypto B optimo loco terræ, Ramesses, ut præceperat Pharao. Et alebat eos, omnemque domum patris sui, præbens cibaria singulis. ℟. Amen.

Hymnus. Deus æterni luminis. *fol.* 98. *Capitula.* Domine apud quem. *fol.* 151.

Lauda. Ne auferas de ore meo verbum veritatis, Domine : *P.* Quia in judiciis tuis speravi. ℣. Et veniat super me misericordia tua Domine : salutare tuum, et eloquium tuum : *P.* Quia in judiciis. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Quia in.

Oratio. Tua super nos, Domine, misericordia, te dum rogamus, adveniat : tuumque salutare cor nostrum erudiat ; eloquii eruditio mentem nostram enutriat : ut qui in tuis speramus sermonibus, tuis per omnia consolemur virtutibus ; ac dum spes nostra C in te dirigitur, spei ipsius a te nobis petitio concedatur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Proverbiorum Salomonis (*Cap.* XI).

℟. Deo gratias.

Fili, desiderium justorum omne bonum est : præstolatio impiorum furor. Alii dividunt propria, et ditiores fiunt : alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt. Anima, quæ benedicit, impinguabitur : et qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populo : benedictio autem super caput vendentium. Bene consurgit diluculo qui quærit bona ; qui autem investigator malorum est, opprimetur ab eis. Qui confidit in divitiis suis, corruet : justi autem quasi virens folium germinabunt. Qui conturbat domum suam, D possidet ventos : et qui stultus est, serviet sapienti. Fructus justorum lignum vitæ ; et qui suscipit animam, sapiens est. Si justus in terræ recipit, quanto magis impius et peccator ? (*Cap.* XII.) Qui diligit disciplinam, diligit scientiam : qui autem odit increpationes, insipiens est. Qui bonus est hauriet sibi gratiam a Domino : qui autem confidit in cogitationibus suis, impie agit. Non roborabitur homo ex impietate : et radix justorum non commovebitur. ℟. Amen.

Lectio libri Genesis (*Cap.* XLVII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Venit cuncta Ægyptus ad Joseph, dicens : Da nobis panes : quare morimur coram te, deficiente pecunia? Quibus ille respondit : Adducite pecora vestra, et dabo vobis pro eis cibos, si pretium non habetis. Quæ cum adduxissent, dedit eis alimenta pro equis, et ovibus, et bobus, et asinis ; sustentavitque eos illo anno pro commutatione pecorum. Veneruntque anno secundo, et dixerunt ei : Non celabimus domino nostro quod deficiente pecunia, pecora simul defecerunt : nec clam te est, absque pecoribus et terra nihil habeamus. Cur ergo morimur te vidente ? et nos et terra nostra tui erimus : eme nos in servitutem regiam, et præbe semina, ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem. Emit igitur Joseph omnem terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis. Subjecitque eam Pharaoni, et cunctos populos ejus, a novissimis terminis Ægypti usque ad extremos fines ejus, præter terram sacerdotum, quibus statuta cibaria ex horreis publicis provehebantur, quæ à rege tradita fuerant eis,
192 et idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas. Dixitque Joseph ad populum : En ut cernitis, et vos et terram vestram Pharao possidet : accipite semina, et serite agros, ut fruges habere possitis. Quintam partem regi dabitis : quatuor reliquas permitto vobis in sementem, et in cibum famulis et liberis vestris. Qui responderunt : Salus nostra in manu tua est : respiciat nos tantumdem dominus noster et læti serviemus regi. Ex eo tempore usque in præsentem diem, in universa terra Ægypti, regibus quinta pars solvitur, et factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit. ℟. Amen.

Antiphona 1. Populi confitebuntur tibi in æternum, et in sæculum sæculi. *Psalmus* XLIV.

Oratio. Fac nos Domine diligere justitiam et odire iniquitatem : ac per te, speciemque tuam et pulchritudinem currentes, deducat nos mirabiliter dextera tua : et mortificata in nobis incentiva fornicationis libidine, accinge lumbos nostros gladio castitatis ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Dominus virtutum nobiscum : susceptor noster Deus Jacob. *Psalmus* XLV.

Oratio. Deus, virtus et refugium nostrum, esto nobis adjutor in tribulatione : ut nullo modo nostra metuat conscientia, cum te judicante conturbata fuerit terra : fluminis tui impetus, tamquam in sanctis tuis habitans, lætificat Civitatem : atque in ea sumat ex vultu tuo adjutorium : cum Sancti Spiritus, te largiente, perceperit donum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Deus in nomine tuo salvos nos fac, et in virtute tua libera nos. Deus exaudi orationem nostram. *Psalmus* LIII.

℟. Domine, miserere nobis : te enim expectavimus tota die : esto brachium nostrum in fortitudine, et salus nostra. *P.* In tempore tribulationis. ℣. Do-

mine, exaudi orationem nostram, et clamor noster ad te perveniat. *P.* In tempore. ℣. Gloria et honor Patri, etc. *Reiteretur* ℟. A

Preces. Dicamus omnes : Miserere, Domine, et exaudi nos. *P.* Quia pius es. ℣. Ex toto corde, et ex tota mente orantes ad te exaudi, Domine, *P.* Quia pius es. ℟. Qui habitas in cœlis, et humilia respicis : pœnitentibus dona indulgentiam. P. Quia pius. ℟. Civitatem hanc, et omnes habitantes in ea protege, Christe, dextera virtutis tuæ, P. Quia. ℟. Remissionem peccatorum, et emendationem morum concede, Domine. *P.* Dicamus. *Totum.*

Hymnus. O Nazarene. *fol.* 144.

Capitula. Salva nos Domine in tuo nomine ; et libera in virtute : educ de tribulatione ; et reple jocunditate:ne a salute nostra præsidium retrahas ; et B quominus liberemur, virtutem impendas : ut dum nobis salus tuo præstatur ex munere, tibi gloria rependatur in laudem, et nobis libertas contingat in requiem.

Pater noster.

Ad Sextam.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* LXIII).

℟. Deo gratias.

Attende, Domine, de cœlo, et vide de habitaculo sancto tuo, et gloriæ tuæ : ubi est zelus tuus, et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, et miserationum tuarum ? super me continuerunt se. Tu enim pater noster, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos: tu Domine pater noster, et redemptor noster, à sæculo nomen tuum. Quare errare nos fe- C cisti Domine de viis tuis : indurasti cor nostrum ne timeremus te ? convertere propter servos tuos, tribus hereditatis tuæ. Quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum : hostes nostri conculcaverunt sanctificationem tuam. Facti sumus quasi in principio, cum non dominareris nostri, neque invocaretur nomen tuum super nos. (*Cap.* LXIV.) Utinam disrumperes cœlos, et descenderes : a facie tua montes defluerent. Sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni, ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis : a facie tua gentes turbarentur. Cum feceris mirabilia non sustinebimus : descendisti, et a facie tua montes defluxerunt. A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt : oculus non vidit. Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te. Occurristi lætanti, D et facienti justitiam ; in viis tuis recordabuntur tui: ecce tu iratus es, et nos peccavimus : in ipsis fuimus semper, et salvabimur. Et facti sumus ut immundi omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ terræ : et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Non est qui invocet nomen tuum : qui consurgat, et teneat te : abscondisti faciem tuam a nobis, et allisisti nos in manu iniquitatis nostræ. **193**. Et nunc Domine, pater noster es tu, nos vero lutum : et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris Domine satis, et ne ultra memineris inquitatis nostræ. ℟. Amen.

Antiphona 1. Recte judicate filii hominum *Psalmus* LVII.

Oratio. Deus, cujus sunt eloquia casta, et judicia recta ; tribue nobis, casto ore verba tua depromere ; et corde purissimo judiciorum tuorum mandata servare : extende itaque arcum tuum ob defensionem nostram ; et ad infirmanda inimicorum consilia, spiritualia dirige tela ; molasque confringe leonum, quæ tuum demoliri nituntur sceptrum : ut in te lætetur copia redemptorum, qui es corona justorum ; tibique decantemus psalmum lætitiæ ; cujus munere pervenitur ad fructum justitiæ. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

Antiphona 2. Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in austro. *Psalmus* CXXV.

Oratio. Convertere Domine, captivitatem nostram ab inlecebrosis inimici seductionibus redimendo : et reple consolatione indulgentiæ, quos desolatos prospicis ob admissionem nequitiæ: da nobis quæsumus, contriti cordis humilitatem quærere, et inquinamenta, quæ nos polluunt, fluentis lachrymarum abluere : sic etiam confessionis remedia seramus in lachrymis, ut indulgentiæ fructus metamus in gaudiis. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram. *Psalmus* CXXIII.

℟. Qui sedes super thronum, et judicas æquitatem. *P.* Esto refugium pauperum in tribulatione quia tu solus laborem, et dolorem consideras. ℣. Qui regis Israel, intende : qui deducis velut ovem Joseph. Qui sedes super Cherubim. *P.* Esto, ℣. Gloria, etc. *Reiteretur* ℟.

Preces. Dicamus omnes : Propitiare populo tuo, Christe. P. Et miserere. ℣. Intende nostris taudem precibus : intende jam propitius. *P.* Et miserere. ℣. Nos peccavimus, nos inique egimus. *P.* Et miserere. ℣. Averte iram tuam, et dona indulgentiam. *P.* Et miserere. ℣. A peccatis ac delictis nostris purifica nos, Domine. P. Et miserere.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol.* 144.

Capitula. Adjutorium nostrum in nomine tuo est, Domine : da nobis odire mundi inlecebras ; et venantium voluptatum præcavere muscipulam ut ipse insidiantem perimas, ipse confidentem munias atque defendas.

Pater noster.

Ad Nonam.

Proverbiorum Salomonis (*Cap.* XXIII).

℟. Deo gratias.

Fili, Audi patrem tuum, qui genuit te : et ne contemnas cum senuerit mater tua. Veritatem eme, et noli vendere sapientiam, et doctrinam, et intelligentiam. Esultet gaudio pater justi : qui sapientiam tenuit, lætabitur in eo. Gaudeat pater tuus, et mater tua, et exultet qui genuit te. ℟. Amen.

Lectio libri Genesis (*Cap.* XLVII.)

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Habitavit Israel in Ægypto, id est

in terra Gessen, et possedit eam : auctusque est, et A multiplicatus nimis. Et vixit in eadem decem et septem annis : factique sunt omnes dies vitæ illius, centum quadraginta septem annorum. Cumque appropinquare cerneret diem mortis, vocavit filium suum Joseph, et dixit ad eum : Si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo : et facies mihi misericordiam et veritatem, ut non sepelias me in Ægypto : sed dormiam cum patribus meis, et auferas me de hac terra, condasque in sepulchro majorum meorum. Cui respondit Joseph : Ego faciam quod jussisti. Et ille ; Jura ergo, inquit, mihi. Quo jurante, adoravit Israel Dominum, conversus ad lectuli caput. (*Cap.* XLVIII.) His itaque transactis, nuntiatum est Joseph quod ægrotaret pater ejus : qui, assumptis duobus filiis suis Manasse B et Ephraim, perrexit. Dictumque est seni : Ecce filius tuus Joseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo. Et ingresso ad se ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ est in terra Chanaan : benedixitque mihi, et ait : Ego te augebo et multiplicabo, et faciam te in turbas populorum : daboque tibi terram hanc, et semini tuo post te, in possessionem sempiternam. Duo ergo filii tui, qui nati sunt tibi in terra Ægypti antequam huc venirem ad te, mei erunt : Ephraim, et Manasses, sicut Ruben et Simeon reputabuntur mihi. Reliquos autem quos genueris post eos, tui erunt, et ex nomine **194** fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis. Mihi enim, quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel in terra Chanaan in ipso itinere, C eratque vernum tempus: et ingrediebar Ephratam, et sepelivi eam juxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem. Videns autem filios ejus, dixit ad eum : Qui sunt isti ? Respondit : Filii mei sunt, quos dedit mihi Deus in hoc loco. Adduc, inquit, eos ad me, ut benedicam illis. Oculi autem Israel caligaverant præ nimia senectute, et clare videre non poterat. Applicatisque ad se, deosculatus est, et circumplexus, dixit ad filium : Non sum fraudatus aspectu tuo : insuper ostendit mihi Dominus semen tuum. Cumque tulisset eos Joseph de gremio patris, adoravit pronus in terram : et posuit Ephraim ad dexteram suam, id est, ad sinistram Israel : Manassen vero in sinistra sua, ad dexteram scilicet patris, applicavitque ambos ad eum. Qui extendens D manum dexteram, posuit super caput Ephraim junioris fatris : sinistram autem super caput Manasse qui major natu erat, commutans manus. Benedixit que Jacob filios Joseph, et ait : Deus, in cujus conspectu ambulaverunt patres mei Abraham et Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem : Angelus, qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris istis : et invocetur super hos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham et Isaac, et crescant in multitudinem super terram. Videns autem Joseph quod posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraim, graviter accepit : et apprehensam manum patris levare conatus est de capite Ephraim, et transferre super caput Manasse. Dixitque ad patrem : Non ita convenit, pater : quia hic est prmogenitus, pone dexteram super caput ejus. Qui renuens, ait : Scio fili mi, scio : et iste erit quidem in populos, et multiplicabitur : sed frater ejus junior, major illo erit : et semen illius crescet in gentes. Benedixitque eis in ipso tempore dicens : In te benedicetur Israel, atque dicetur : Faciat tibi Deus sicut Ephraim, et sicut Manasse. Constituitque Ephraim ante Manassen. Et ait ad Joseph filium suum : En ego morior, et erit Deus vobiscum, reducetque vos ad terram patrum vestrorum. Deo tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio et arcu meo. ℟. Amen.

Antiphona 1. Da nobis auxilium, Deus, in tribulatione. *Psalmus.* LIX.

Oratio. Da nobis Domine auxilium in tribulatione ; qui vana est salus ab homine : in te enim faciemus virtutem, qui et confortas famulos, et ad nihilum redigis inimicos. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Omnis terra adoret te Domine ; et tibi psallat vitæ participio incorruptæ : ut sicut sunt omnia tuo formata opificio, ita cuncta tuo pariter subdantur imperio. ℟, Amen.

Per.

Antiphona 3. In adjutorium nostrum intende Domine : ad adjuvandum nos festina. *Psalmus* LXIX.

Hymnus. O Nazarene. *fol.* 144,

Capitula. In adjutorum nostrum intende Domine ; nosque ad adjuvandum festina : nihil enim in bonis operibus conatus nostri te desistente proficiunt ; a quo gressus omnes diriguntur : tu es enim, per quem nostra roboratur fragilitas.

Pater noster.

Ad Vesperum.

Illuminatio mea, et salus mea Dominus.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Antiphona. Benedictio Domini super vos : benedicimus in nomine Domini *Psalm.* CXXVIII.

Lauda. Averte oculos meos ne videant vanitatem *P.* Et in via tua vivifica me, Domine. ℣ Statue servo tuo eloquium tuum, in timore tuo. *P.* Et in. ℣. Gloria, etc. *P.* Et in.

Hymnus. Christe lucem perpetuum. *fol.* 155. *Capitula.* Servis tuis *fol.* 189. *Lauda,* Ne oferas de ore. *fol.* 191.

QUARTA FERIA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Gloria mea. *fol.* 156. *Psalm.* III. *Oratio.* Gloria nostra Deus noster. *fol.* 156.

Antiphona 1. Cantemus Domino de canticis Sion ; ut recordetur nostri, et liberet nos *Psalmus* CXXXVI.

Oratio. Peregrinantis Ecclesiæ tuæ, Domine, memor esto : ac dum super flumina Babylonis deflentes sedimus, prætereuntis sæculi impetu non trahamur sed a præsentis vitæ liberati contagio, ad Hierusalem supernam nostra erigatur intentio. ℟. Amen

Per misericordiam.

195 *Antiphona* 2. Nobis adhærere Deo bonum est : ponere in Domino spem nostram. *Psalmus* LXXII.

Oratio. Nobis adhærere Deo bonum est, tibi Domino bonum est : sed tu desiderium boni sic in nobis accumula; ut spes, quæ nos tibi associat, nulla fidei titubatione vacillet : sed charitatis stabilitate perduret. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Memento. *Oratio*. Memento nostri, Domine. *fol*. 177. *Psalmus* CV.

℟. Facti sumus, Domine, tamquam alieni a te. Væ nobis quia peccavimus : inimici tui polluerunt sancta tua. *P*. Utinam disrumperes cœlos, et descenderes: et innotesceres nomen tuum : et in ira tua gentes conturbarentur. ℣. Facti sumus quasi in principio, cum non dominareris nostri, neque invocaretur nomen tuum super nos. P. Utinam. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Utinam.

In laudibus

Antiphona. Secundum multitudinem miserationum tuarum lava me ab injustitia mea : mala mea dimitte, et omnes iniquitates meas dele. *Psalmus* L.

Oratio. Miserator Domine, secundum magnam misericordiam tuam nobis propitius miserere : ut quorum te non latent occulta, his de te confidentibus donetur misericordia manifesta : quique pro admissis interno rugitu geminus, et pro remissione peccatorum nostrorum criminum suspiramus; non nos a facie tua projicias : sed tibi soli debita pietate ad indulgentiæ portum adducas. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Quasi inundantes aquæ, sic rugitus noster ante te Domine Deus noster.

Canticum Job (*Cap*. III).

Pereat dies in qua natus sum,* et nox in qua dictum est : Conceptus est homo.

Dies illa vertatur in tenebras, * non requiret eam Deus desuper, et non illustretur lumine.

Obscurent eam tenebræ, et umbræ mortis, * occupet eam caligo, involvatur amaritudine.

Noctem illam tenebrosus turbo possideat, * non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.

Si nox illa solitaria, nec laude digna : * Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan :

Obtenebrentur stellæ caligine ejus : * spectet lucem et non videat, nec ortum surgentis auroræ :

Quia non conclusit ostia ventris, qui portavit me, * nec abstulit mala ab oculis meis.

Qurae non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii ?

Quare exceptus genibus? cur lactatus uberibus?

Nunc enim dormiens silerem, * et somno meo requiescerem :

Cum regibus et consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines :

Aut cum principibus, qui possident aurum, * et replent domos suas argento :

Aut sicut abortivum absconditum non subsisterem, * vel qui concepti non viderunt lucem.

Ibi impii cessaverunt a tumultu, * et ibi requieverunt fessi robore.

Et quondam vincti pariter sine molestia, * non exaudierunt vocem exactoris.

Parvus et magnus ibi sunt, * et servus et liber a domino suo.

Quare data est misero lux, * vita his, qui in amaritudine animæ sunt?

Qui expectant mortem, et non venit, quasi effodientes thesauros : * gaudent vehementer cum invenerunt sepulchrum :

Viro cujus abscondita est via, * et circumdedit eum Deus tenebris ?

Antequam comedam suspiro : * et quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus :

Quia timor, quem timebam, evenit mihi : et quod verebar accidit.

Nonne dissimulavi ? nonne silui ? nonne quievi ? * et venit super me indignatio.

Reiteretur Antiphona. Quasi inundantes.

Oratio. Quamdiu sumus Domine in hujus vitæ exilio, nec aut malitiæ nequitia vigeat, nec nostræ virtutis robur enervet, aut præcipitatæ iræ turbulenta commotio tranquillitatem nostræ mentis obscuret, aut candorem munditiæ carnalium voluptatum delectatio cœnosa commaculet; sed futuri judicii præstolatio ab omnibus inquinamentis ac sordibus nos emundet. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Matutinarium.

Ad Benedictus. *Antiphona*. Illumina, Domine, vultum tuum super nos, et miserere nobis. Ut cognoscamus in terra viam tuam. ℣. Deus misereatur **196** nobis, et benedicat nos : illuminet Dominus vultum suum super nos.

Canticum. Benedictus es Domine Deus.

Lauda. Laudate nomen Domini montes et omnes colles : ligna fructifera, et omnes cedri. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Genesis (*Cap*. XLIX).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Benedixit Jacob filiis suis, benedictionibus propriis. Et præcepit eis, dicens : Ego congregor ad populum meum : sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici quæ est in agro Ephron Hethæi, contra Mambre in terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo in possessionem sepulchri. Ibi sepelierunt eum, et Saram uxorem ejus : ibi sepultus est Isaac cum Rebecca conjuge sua : ibi et Lia condita jacet. Finitisque mandatis quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, et abiit : appositusque est ad populum suum. (*Cap*. L.) Quod cernens Joseph, ruit super faciem patris flens et osculans eum. Præcepitque servis suis medicis ut aromaticus condirent

patrem. Quibus jussa explentibus, transierunt quadraginta dies : ipse quippe nos erat cadaverum conditorum :flevitque eum Ægyptus septuaginta diebus. A Et expleto planctus tempore, locutus est Joseph ad familiam Pharaonis, dicens : Si inveni gratiam in conspectu vestro, loquimini in auribus Paraonis : eo quod pater meus adjuraverit mihi, dicens : En morior, in sepulchro meo quod fodi mihi in terra Chanaan, sepelies me. Ascendam igitur, et sepeliam patrem meum, ac revertar. Dixitque ei Pharao : Ascende et sepeli patrem tuum sicut adjuratus es. Quo ascendente, ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis, cunctique majores natu omnis terræ Ægypti : domus Joseph cum fratribus suis, absque parvulis et gregibus, atque armentis, quæ dereliquerunt in terra Gessen. Habuit quoque in comitatu currus et equites : et facta est turba non modica. Veneruntque ad aream Atad, quæ sita est trans Jordanem : ubi B celebrantes exequias planctu magno atque vehementi impleverunt septem dies. Quod cum vidissent habitatores terræ Chanaan, dixerunt: Planctus magnus est iste Ægyptiis. Et idcirco appellaverunt nomen loci illius, Planctus Ægypti. Fecerunt ergo filii Jacob sicut præceperat eis : et portantes eum in terram Chanaan, sepelierunt in spelunca duplici, quam emerat Ahraham cum agro in possessionem sepulchri ab Ephron Hethæo contra faciem Mambre. Reversus est Joseph in Ægyptum cum fratribus suis, et omni comitatu, sepulto patre. Quo mortuo, timentes fratres et conloquentes : Ne forte memor sit injuriæ quam passus est, et reddat nobis malum omne quod fecimus, mandaverunt ei dicentes : Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, ut hæc C tibi verbis illius diceremus : Obsecro ut obliviscaris scelerum fratrum tuorum, et peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te : nos quoque oramus ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis, flevit Joseph. Veneruntque ad cum fratres sui : et proni in terram dixerunt : Servi tui sumus. Quibus ille respondit : Nolite metuere : num Dei possumus renuere voluntatem ? Vos cogitastis de me malum : et Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me sicut in præsentiarum cernitis, et salnos faceret populos multos. Nolite metuere : ego pascam vos et parvulos vestros : consolatusque est eos, et blande ac leniter est locutus. Et habitavit in Ægypto cum omni domo patris sui : vixitque centum decem annis. Et vidit Ephraim filios usque D ad tertiam generationem. Filii quoque Machir filii Manasse, nati sunt in genibus joseph. Quibus transactis, locutus est fratribus suis : Post mortem meam Deus visitabit vos, et ascendere faciet de terra ista ad terram quam juravit Abrabam, Isaac, et Jacob. Cumque adjurasset eos atque dixisset : Deus visitabit vos : asportate vobiscum ossa mea de loco isto : mortuus est, expletis centum decem vitæ suæ annis. Et conditus aromatibus, repositus est in loculo in Ægypto. ℟. Amen.

Hymnus. Deus Pater ingenite. *fol.* 101. *Capitula*. Illumina, Domine. *fol.* 26

Lauda. Excipe servum tuum in bono : *P*. Ut non calumnietur mihi superbi. ℣. Oculi mei defecerunt in salutare tuum : et in eloquium justitiæ tuæ. *P*. Ut non. ℣. Gloria. *P*. Ut non.

Oratio. Judicium et justitiam doce nos facere, Domine ; qualiter valeamus superborum calumnias conculcare : excipe servos tuos in bonum, qui sperant in salutare tuum : quorumque interiores oculi Christi tui expectant regnum, hos partem habere facito in consortio electorum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

197 *Ad Tertiam.*

Ecclesiastici Salomonis (*Cap.* X).

℟. Deo Gratias.

Filii, secundum Judicem populi, sic et ministri ejus : et qualis est rector civitatis, tales et habitantes. Rex insipiens perdet populum suum : et civitates inhabitabuntur per sensum prudentium. In manu Dei potestas terræ : et utilem rectorem suscitabit in tempus super illam. In manu Dei potestas hominis, et super faciem scribæ ponent honorem suum. Omnis injuriæ proximi ne memineris, et nihil agas in operibus injuriæ. Odibilis coram Deo est omnis superbia : et execrabilis omnis iniquitas gentium. Regnum a gente in gentem transferetur propter injustitiam, et injurias, et contumelias, et diversos dolos. Avaro autem nihil est scelestius. Quid superbis terra et cinis ? Nihil iniquius habens quam amare pecuniam : bic enim et animam suam venalem facit : quoniam in vita sua projecit intima sua. Timor Domini est non despicere justum pauperem, et non magnificare virum peccatorem divitem. Sapientia humilis exaltabit caput suum, et in medio magnatorum consedere illum faciet in terra. ℟. Amen.

Principium libri Exaudi (*Cap.* I).

℟. Deo gratias.

Hæc sunt nomina filiorum Israel qui ingressi sunt in Ægyptum cum Jacob : singuli cum domibus suis introierunt : Ruben, Simeon, Levi, Judas, Issachar, Zabulon et Benjamin, Dan, Nephtalim, Gad, et Aser. Erant igitur omnes animœ eorum qui ingressi sunt in Ægyptum de femore Jacob, septuaginta: Joseph autem in Ægypto erat. Quo mortuo, et universis fratribus ejus, omnique cognatione illa, Filii Israel creverunt, et quasi germinantes multiplicati sunt : ac robusti nimis, impleveruntque terram. Surrexit interea rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph : et ait ad populum suum : Ecce, populus filiorum Israel multus, et fortior nobis est. Venite, sapientier opprimamus eum, ne forte multiplicentur : et si ingruerit contra nos bellum, addatur virtus inimicis nostris, expugnatisque nobis, egrediatur a terra. Præposuit itaque eis magistros operum, qui affligerun eos oneribus : ædificaveruntque urbes tabernaculorum Pharaoni, Phitom et Ramesses. Quantoque opprimebant eos, tanto magis

multiplicabantur, et crescebant: oderantque filios Israel Ægyptii, et affligebant illudentes eis, et invidentes: atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti et lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur. Dixit autem rex Ægypti obstetricibus Hebræorum: quarum una vocabatur Sephora, altera Phua, præcipiens eis; Quum obstetricaveritis Hebræas, et partus tempus advenerit; si masculus fuerit, interficite illum; si femina, reservate. Timuerant autem obstetrices Deum, et non fecerunt juxta præceptum regis Ægypti, sed conservabant mares. Quibus accersitis ad se, rex ait: Quidnam est hoc quod facere voluistis, ut pueros servaretis? Quæ responderunt: Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, et priusquam veniamus ad eas, pariunt. Bene ergo fecit Deus obstetricibus: et crevit populus, confortatusque est nimis. Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos. Præcepit autem Pharao omni populo suo, dicens: Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumine projicite: quidquid feminei, reservate. (*Cap.* II.) Egressus est post hæc vir de domo Levi: accepta uxore stirpis suæ: quæ concepit, et peperit filium: et videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus. Cumque jam celare non posset, sumpsit fiscelam scirpeam, et linuit eam bitumine, ac pice: posuitque intus infantulum, et posuit eum in carecto ripæ fluminis, stante procul sorore ejus, et considerante eventum rei. Ecce autem descendebat filia Pharaonis ut lavaretur in flumine: et puellæ ejus gradiebantur per crepidinem alvei. Quæ cum vidisset fiscellam in papyrione, misit unam e famulabus suis: et allatam aperiens, cernens in ea parvulum vagientem, miserta ejus, ait: De infantibus Hebræorum est: Cui soror pueri ait: Vis, ut vadam, et vocem tibi Hebræam mulierem, quæ nutrice possit infantulum? Respondit: Vade. Perrexit puella et vocavit matrem ejus. Ad quam locuta filia Pharaonis: Accipe, ait, puerum istum, et nutri mihi: ego tibi dabo mercedem tuam. Suscepit mulier, et nutrivit puerum: adultumque tradidit filiæ Pharaonis. Quem illa adoptavit in locum filii, vocavitque nomen ejus Moyses, dicens: Quia de aqua tuli eum. ℟. Amen.

Antiphona 1. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commovebuntur in æternum. *Psalmus* CXXIV.

198 *Oratio.* Benefac, Domine, bonis, et rectis corde: regimen salutaris impende; atque in tuæ plebis semper custodia vigila; et malignantium rabiem tua dextera fræna. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Surge Deus, judica terram, qui dominaris in omnibus gentibus. *Psalmus* LXXXI.

Oratio. Exurge Domine, qui judicas terram: et qui fidem omnium gentium pius possessor inhabitas, ne patiaris nos in tenebris remanere; sed fac nos lumen tuæ veritatis aspicere: ut fundamenta fidei nostræ non super arenam, quam turbo dejiciat, ædificemus, sed supra petram, cujus tu es firmitas, collocemur. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Deus, quis similis tibi? ne taceas, neque compescaris Deus. *Psalmus* LXXXII.

℟. Attendite, et auscultabitis, dicit Dominus: nemo quod bonum est loquitur, P. Nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo. ℣. Quare adversus est populus iste in Hierusalem adversione contentiosa? Apprehenderunt mendacium, et noluerunt reverti. P. Nullus. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur* ℟.

Preces. Tu misericors Domine eripe nos a flagello iræ tuæ: propitiare. P. Et miserere nobis. ℣. Ecclesiam, quam preælegisti, defende: sacerdotum vota suscipe libenter: exaudi precem. P. Et miserere. ℣. Omnipotens, Æterne rector cœlorum, Summe Deus, cerne gemitum, ac fletum; præbe auditum. P. Et miserere. ℣. Seniores, juvenes, atque lactentes dira morte perimuntur in dolore: Redemptor parce. P. Et miserere. ℣. Peccavimus, iniquitates nostras commisimus: tu Redemptor ablue omne delictum: solve reatum. P. Et miserere.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol.* 144.

Capitula. Exurge, ne taceas, neque compescaris Deus; sed quia odientes te, extulerunt caput; imple facies eorum ignominia: ut nomen tuum cognita confusione perquirant: et populum tuum salva; ut testimonium tuæ virtutis intelligant: esto propitius super hereditatem tuam; qui solus es altissimus super omnem terram.

Pater noster.

Ad Sextam.

Lectio libri Ezechielis Prophetœ (*Cap.* XVIII).

℟. Deo gratias.

Factus est sermo Domini ad me, dicens: quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel, dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt? Vivo ego, dicit Dominus Deus, si erit ultra vobis parabola hæc in proverbium Israel. Ecce omnes animæ, meæ sunt: ut anima patris, ita et anima filii mea est: anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. Et vir si fuerit justus, et fecerit judicium et justitiam, in montibus non comederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel: et uxorem proximi sui non violaverit, et ad mulierem menstruatam non accesserit: et hominem non contristaverit: pignus debitorum reddiderit, per vim nihil rapuerit: panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento: ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit: ab iniquitate averterit manum suam, judicium verum fecerit inter virum et virum: in præceptis meis ambulaverit, judicia mea custodierit ut faciat veritatem: hic hujus est, vita vivet, et non morietur: ait Dominus omnipotens. ℟. Amen.

Antiphona 1. Sumite psalmum, et date tympa-

num : psalterium jocundum cum cithara. *Psalmus* LXXX.

Oratio. Exultemus tibi Domine, quem adjutorem nostrum cognoscimus et fatemur : propter quod etiam tibi jubila in desideriis suminus, in doctrina psalmum, in mortificatione reddimus tympanum : te enim laudando festa peragimus, tuorumque recordatione mirabilium jocundamur : Concede itaque nobis Domine, ut quia tua recolimus beneficia, tua percipiamus et præmia. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Apud Dominum est misericordia : et copiosa apud eum redemptio. *Psalmus* CXXIX.

Oratio. Pateant aures tuæ. *fol.* 160.

Antiphona 3. Speret Israel in Domino, ex hoc nunc et usque in sæculum. *Psalmus* CXXX.

℟. Circumdederunt nos mala nostra, quorum non est numerus : comprehenderunt nos iniquitates nostræ, et peccata nostra adversantur nobis. P. Parce, Domine, quia dolor noster amarus est nimis. ℣. Peccata nostra redundaverunt super caput nostrum : et iniquitates nostræ **199** pervenerunt usque ad Cœlos. P. Parce Domine. *Non dicatur* Gloria. *Reiteretur* ℟.

Preces. Dicamus omnes. P. Miserere Domine. ℣. Iniquitates multæ sunt, Miserere. Charitas refrigescit. P. Miserere Domine. ℣. Tibi soli peccavimus. P. Miserere Domine. ℣. Veniam postulamus. P. Miserere. ℣. Christe Redemptor mundi. P. Miserere Domine.

Hymnus. O Nazarene. *fol.* 144. *Capitula.* Exalta cornu nostrum. *fol.* 172.

Ad Vesperos.

Lauda. Vespere, et mane, et meridie te laudamus Domine.

Antiphona. Disrumpe, Deus, vincula peccatorum : ut sacrificemus tibi hostiam laudis. *Psalmus* CXV.

Lauda. Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me, P. Da mihi intellectum, Domine. ℣. Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur : quia in verbo tuo speravi. P. Da. ℣. Gloria. P. Da mihi.

Hymnus. Adesto nostris precibus. *fol.* 160.

Capitula. Sit festum jejunium. *fol.* 149. *Lauda.* Excipe servum. *fol.* 196.

Oratio. Judicium, et justitiam. *fol.* 196.

FERIA QUINTA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Tu autem Domine. *Psalmus* III. *Oratio.* Quamvis Domine. *fol.* 141.

Antiphona 1. Bonum est confiteri Domino et psallere nomini tuo Altissime. *Psalmus* XCI.

Oratio. Bonum est nos tibi Domino confiteri tuoque altissimo nomini psallere : ut nos et confessio a periculis eruat ; et psallendi industria coram te gratiores exhibeat. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Non repellet Dominus plebem suam : et hereditatem suam non derelinquet. *Psalmus* XCIII.

A *Oratio.* Non repellet. *fol.* 168. *Antiphona* 3. Præoccupemus. *Psalmus* XCIV.

Oratio. Præoccupantes. *fol.* 168.

℟. Miserere Domine contritis corde : et restitue captivos in terram suam. P. Præbe Agnum placabilem, et diem redemptionis : et consolare omnes plangentes. ℣. Convertere, Domine, aliquantulum : et delectare super servos tuos. P. Præbe.

In Laudibus.

Antiphona. Averte faciem tuam a peccatis nostris : munda nos, Domine. *Psalmus* L.

Oratio. Averte faciem tuam a peccatis nostris Domine ; et omnes iniquitates nostras delens, remove ab oculis tuis malarum nostrarum facinus voluptatum : nostræque confessioni clementer tuum ap-
B pone auditum : Miserere, quæsumus, rogantibus nobis, qui propitius respicis in adversis : et qui desperatis cor pœnitens tribuis, à confessionibus nostris nullatenus avertatur gratia tua. Sed quia Publicanus a longe stans, et percutiens pectus suum, sola confessione purgatus est ; similiter et nos peccatores exaudi : ut sicut illi merito petitionis suæ fructum donasti ; ita et nobis supplicantibus indignis servis tuis veniam digneris impendi peccatis. Ergo quia cordis contriti placaris sacrificio, tribue nobis hoc tibi offerri, quod præcipis : et promereri indulgentiam, quam promittis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Matutinarum. Non est Deus sicut homo, ut mentiatur : nec ut filius hominis, ut mutetur.

C *Canticum.* De Aram adduxit me Balac. *Quære fol.* 53. *Oratio.* Tu es Domine stella veritatis. *Quære fol.* 89.

Matutinarum.

Ad Benedictus. Antiphona. Psallam, et intelligam in matutinis, quando venies ad me. ℣. Misericordiam, et judicium cantabo tibi Domine.

Canticum. Benedictus es Domine.

Lauda. In tympano, et choro laudate Dominum : in chordis, et organo laudate eum.

Lectio libri Exodi (*Cap.* III).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Dixit Dominus ad Moysem : Vade, congrega seniores Israel, et dices ad eos : Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abra-
D ham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, dicens : Visitans visitavi vos : et omnia, quæ acciderunt vobis in Ægypto, vidi : Et dixi ut educam vos de afflictione Ægypti, ad terram Chananæi, et Hethæi, et Amorrhæi, Pherezæi, et Hevæi, et Jebusæi, ad terram fluentem lacte et melle. Et audient vocem tuam : ingredierisque tu, et seniores Israel, et regem Ægypti, et dices ad eum : Dominus Deus Hebræorum vocavit nos : et ibimus viam trium dierum per solitudinem, ut immolemus Domino Deo nostro. Sed ego scio quod non dimittet vos rex Ægypti ut eatis, **200** nisi per manum validam. Extendamque manum meam et percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus, quæ facturus sum in medio eorum : post hæc dimittet vos. Da-

boque gratiam populo huic coram Ægyptiis : et cum A egrediemini, non exhibitis vacui : sed postulabit mulier a vicina sua, et ab hospita vasa aurea et argentea, ac vestes : ponetisque eas super filios et filias vestras, et spoliabitis Ægyptum. (*Cap.* IV.) Respondit Moyses, et ait : Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent : Non apparuit tibi Dominus. Dixit ergo ad eum : Quid est quod tenes in manu tua? Respondit : Virga. Dixitque Dominus : Projice eam in terra. Projecit, et versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses. Dixitque Deus : Extende manum tuam, et apprehende caudam ejus. Extendit et tenuit, versaque est in virgam. Ut credant, inquit, quod apparuerit tibi Dominus Deus patrum tuorum, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob. Dixitque Dominus rursum : Mitte manum tuam in sinum tuum. B Quam cum misissset in sinum, protulit leprosam instar nivis. Retrahe, ait, manum in sinum tuum. Retraxit, et protulit iterum, et erat similis carni reliquæ. Si non crediderint, inquit, tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis. Quod si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam : sume aquam fluminis et effunde eam super aridam, et quicquid hauseris de fluvio, vertetur in sanguinem. Ait Moyses : Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri et nudius tertius ; ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguæ sum. Dixit Dominus ad eum : Quis fecit os hominis ? aut quis fabricatus est mutum et surdum, et videntem et cœcum? nonne ego Perge igitur, et ego ero in ore tuo ; doceboque te C quid loquaris. At ille : Obsecro, inquit, Domine, mitte quem missurus es. Iratus Dominus in Moysen, ait : Aaron frater tuus Levites, scio quod eloquens sit : ecce ipse egredietur in occursum tuum, vidensque te lætabitur corde. Loquere ad eum, et pone verba mea in ore ejus : ego ero in ore tuo, et in ore illius et ostendam vobis quid agere debeatis : ipse loquetur pro te ad populum, et erit os tuum : tu autem eris in his quæ ad Deum pertinent. Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa. Abiit Moyses, et reversus est ad Jethro cognatum suum, dixitque ei : Vadam, et revertar ad fratres meos in Ægyptum, ut videam si adhuc vivant. Cui ait Jethro Vade in pace. Dixit ergo Dominus ad Moysen in Madiam : Vade, et revertere in Ægyptum : Mortui sunt D enim omnes qui quærebant animam tuam. Tulit ergo Moyses uxorem suam, et filios suos, et imposuit eos super asinum, reversusque est in Ægyptum, portans virgam Dei in manu sua. Dixitque Dominus Moysi revertenti in Ægyptum : Vide ut omnia ostenta quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone : ego indurabo cor ejus, et non dimittet populum. Dicesque ad eum : Hæc dicit Dominus : Filius meus primogenitus Israel. Dixi tibi : Dimitte filium meum ut serviat mihi ; et noluisti dimittere eum : ecce ego interficiam filium tuum primogenitum. Dixit autem Dominus ad Aaron : Vade in occursum Moysi in deseritum, Qui perrevit obviam ei in montem Dei, et osculatus

est eum. Narravitque Moyses Aaron omnia verba Domini pro quibus miserat eum, et signa quæ mandaverat. Veneruntque simul, et congregaverunt omnes seniores filiorum Israel. Locutusque est Aaron omnia verba quæ dixerat Dominus ad Moysen : et fecit signa coram populo, et credidit populus. Audieruntque quod visitasset Dominus filios Israel, et quod respexisset afflictionem eorum : et proni adoraverunt. (*Cap.* V.) Post hæc ingressi sunt Moyses et Aaron et dixerunt Pharaoni : Hæc dicit Dominus Deus Isral. Dimitte populum meum ut sacrificet mihi in deserto. At ille respondit : Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, et dimittam Israel ? nescio Dominum, et Israel non dimittam. Dixeruntque : Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudinem et sacrificemus Domino Deo nostro : ne forte accidat nobis pestis, aut gladius. Ait ad eos rex Ægypti : Quare Moyses et Aaron solicitatis populum ab operibus suis ? ite ad onera vestra. Dixitque Pharao : Multus est populus terræ : videtis quod turba succreverit : quanto magis si dederitis eis requiem ab operibus ? Præcepit ergo Pharao in die illo præfectis operum et exactoribus populi, dicens : Nequaquam ultra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, sicut prius : sed ipsi vadant, et colligant stipulas. Et mensuram laterum quam prius faciebant, imponetis super eos, nec minuetis quicquam : **201** vacant enim, et idcirco vociferantur, dicentes : Eamus, et sacrificemus Deo nostro. Opprimantur operibus, et expleant ea : ut non acquiescant verbis mendacibus. Igitur egressi præfecti operum et exactores, ad populum dixerunt : Sic dicit Pharao : Non do vobis paleas : ite, et colligite sicubi invenire poteritis, nec minuetis quicquam de operibus vestris. Dispersus est populus in omnem terram Ægypti ad colligendas paleas. Præfecti quoque operum instabant, dicentes : Complete opus vestrum quotidie, ut prius facere solebatis quando dabantur vobis paleæ. Flagellatique sunt qui præerant operibus filiorum Israel, ab exactoribus Pharaonis, dicentibus : Quare non impletis mensuram laterum sicut prius, nec heri, nec hodie? Veneruntque præpositi filiorum Israel, et vociferati sunt ad Pharaonem, dicentes : Cur ita agis contra servos tuos ? Paleæ non dantur nobis, et lateres similiter imperantur : en famuli tui flagellis cædimur, et injuste agitur contra populum tuum. Qui ait ; Vacatis otio, et idcirco dicitis : Eamus, et sacrificemus Domino. Ite ergo, et operamini : paleæ non dabuntur vobis, et reddetis consuetum numerum laterum. Videbantque præpositi filiorum Israel in malo, eo quod diceretur eis : Non minuetur quicquam de lateribus per singulos dies. Occurreruntque Moyses et Aaron, qui stabant ex adverso, egredientes a Pharaone : et dixerunt ad eos : Videat Dominus et judicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone et servis ejus, et præbuistis ei gladium, ut occideret nos. Reversusque Moyses ad Dominum, ait : Domine, cur afflixisti populum tuum ? quare misisti me ? Ex eo enim quo ingressus sum ad Pharaonem ut loquerer

ex nomine tuo, afflixit populum tuum : et non liberasti eos. (*Cap.* VI.) Dixitque Dominus ad Moysen : Nunc videbis quid facturus sum Pharaoni : per manum enim fortem dimittet eos, et in manu robusta ejicet illos dé terra sua. ℟. Amen.

Hymnus. In matutinis surgimus. *Quære folio* 103.

Capitula. Misericordiam et judicium cantantes tibi Domine, oramus et psallimus; ut in via immaculata intelligibiliter ambulemus : quo et misericordiæ instinctu intendamus recta ; et in judicii metu corrigamus errata.

Pater noster. Et.

Lauda. Averte oculos meos, ne videant vanitatem : *P.* Et in via tua vivifica me Domine. ℣. Legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum: et exquiram eam semper. *P.* Et in via. ℟. Gloria, et honor Patri. *P.* Et in via.

Oratio: Averte oculos nostros, Domine, ne videant vanitatem ; et in via tua vivifica nos : fac nos odire sæculum, et diligere Christum. ℟. Amen.

Per

Ad Tertiam.

Sapientia Salomonis (*Cap.* X).

℟. Deo gratias.

Fili, Sapientiam enim prætereuntes, non tantum in hoc lapsi sunt ut ignorarent bona, sed insipientiæ suæ relinquerunt hominibus memoriam, ut in his, quæ peccaverunt, nec latere potuissent. Sapientia autem eos, qui se observant, a doloribus liberavit. Et populum justum, et semen sine querela liberavit a nationibus, quæ illum deprimebant. Intravit in animam servi Dei, et stetit contra reges horrendos in portentis et in signis. Et reddidit justis mercedem laborum suorum, et deduxit eos in via mirabili : et fuit illis velamento diei, et in luce stellorum nocte : transtulit illos mare rubrum, et transvexit illos per aquam nimiam. Inimicos autem illorum demersit in mare, et ab altitudine inferorum eduxit eos. Ideo justi tulerunt spolia impiorum, et decantaverunt Domine nomen sanctum tuum, et victricem manum tuam laudaverunt pariter. ℟. Amen.

Lectio libri Exodi (*Cap.* VI).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Ego Dominus : loquere ad Pharaonem regem Ægypti, omnia quœ ego loquor tibi. Et ait Moyses coram Domino: En incircumcisus labiis sum, quomodo audiet me Pharao ? (*Cap.* VII.) Dixitque Dominus ad cum : Ecce constitui te Deum Pharaonis : et Aaron frater tuus erit propheta tuus. Tu loqueris omnia quæ mando tibi : et ille loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Israel de terra sua. Sed ego indurabo cor ejus, et multiplicabo signa et ostenta mea in terra Ægypti, et non audiet vos : immittamque manum meam super Ægyptum, et educam exercitum et populum meum filios Israel de terra Ægypti per judicia maxima. Et scient Ægyptii quia ego sum Dominus cum extenderim manum meam super Ægyptum, **202** et eduxerim filios

A Israel de medio eorum. Fecit itaque Moyses et Aaron sicut præceperat Dominus : ita egerunt. Erat autem Moyses octoginta annorum, et Aaron octoginta trium, quando locuti sunt ad Pharaonem. Dixitque Dominus ad Moysen, et Aaron : Cum dixerit vobis Pharao, Ostendite signa : dices ad Aaron : Tolle virgam tuam, et projice eam coram Pharaone, ac vertatur in colubrum. Ingressi itaque Moyses et Aaron ad Pharaonem, fecerunt sicut præceperat Dominus : tulitque Aaron virgam coram Pharaone et servis ejus, quæ versa est in colubrum. Vocavit autem Pharao sapientes et maleficos : et fecerunt etiam et ipsi per incantationes Ægyptiacas et arcana quædam similiter. Projeceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones : sed devoravit virga Aaron virgas

B eorum. Induratumque est cor Pharaonis, et non audivit eos, sicut præceperat Dominus. Dixit autem Dominus ad Moysen : Ingravatum est cor Pharaonis et non vult dimittere populum meum. Vade ad eum mane, ecce egreditur ad aquas : et stabis in occursum ejus super ripam fluminis : et virgam, quæ conversa est in draconem, tolles in manu tua. Et dices ad eum : Dominus Deus Hebræorum misit me ad te, dicens : Dimitte populum meum ut sacrificet mihi in deserto : et usque ad præsens audire noluisti. Hæc igitur dicit Dominus : In hoc scies quod sim Dominus : ecce percutiam virga, quæ in manu mea est, aquam fluminis, et vertetur in sanguinem. Pisces quoque, qui sunt in fluvio, morientur, et computrescent aquæ, et affligentur Ægyptii bibentes

C aquas fluminis. Dixit quoque Dominus ad Moysen : Dic ad Aaron, Tolle virgam tuam, et extende manum tuam super aquam Ægypti, et super fluvios eorum, et rivos ac paludes, et omnes lacus aquarum, et vertantur in sanguinem : et sit cruor in universa terra Ægypti, tam in ligneis vasis quam in saxeis. Fecerunt itaque Moyses et Aaron sicut præceperat Dominus : et elevans virgam, percussit aquam fluminis coram Pharaone et servis ejus : quæ versa est in sanguinem. Et pisces, qui erant in flumine, mortui sunt : computruitque fluvius, et non poterant Ægyptii bibere aquam fluminis, et fuit sanguis in tota terra Ægypti. Feceruntque similiter malefici Ægyptiorum per incantationes suas ; et induratum est cor Pharaonis, nec audivit eos, sicut præceperat

D Dominus. Avertitque se, et ingressus est domum suam, nec apposuit cor etiam hac vice. Foderunt autem Ægyptii per circuitum fluminis puteos, ut biberent aquas: non enim poterant bibere de aqua fluminis. Impleti sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluvium. (*Cap.* VIII). Dixitque Dominus ad Moysem: Ingredere ad Pharaonem, et dices ad eum: Hæc dicit Dominus : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi: si autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis. Et ebulliet fluvius ranas : quæ ascendent, et ingredientur domum tuam, et in cubiculum lectuli tui, et super stratum tuum, et in domos servorum tuorum, et ad populum tuum, et in furnos tuos, et in reliquias ciborum

tuorum: et ad te, et ad populum tuum, et ad omnes A servos tuos, intrabunt ranæ. Dixitque Dominus ad Moysen: Dic ad Aaron: Extende manum tuam super fluvium et super rivos ac paludes, et educ ranas super terram Ægypti. Extendit Aaron manum super aquam Ægypti, et ascenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti. Fecerunt autem et malefici per incantationes suas similiter, eduxeruntque ranas super terram Ægypti. Vocavitque Pharao Moysen et Aaron, et dixit eis: Orate ad Dominum ut auferat ranas a me et a populo meo: et dimittam populum ut sacrificet Domino. Dixitque Moyses Pharaoni: Constitue mihi quando deprecer pro te, et pro servis tuis, et pro populo tuo, ut abigantur a te ranæ, et a domo tua, et a servis tuis, et a populo tuo: et tantum in flumine remaneant. Qui respondit: Cras. Et Moyses: B Juxta verbum, inquit, tuum, faciam: ut scias quoniam non est sicut Dominus Deus noster. Et recedent ranæ a te, et a domo tua, et a servis tuis, et a populo tuo: tantum in flumine remanebunt. Egressique sunt Moyses et Aaron a Pharaone: et clamavit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum quam condixerat Pharaoni. Fecitque Dominus juxta verbum Moysi: et mortuæ sunt ranæ de domibus, et de villis, et de agris. Congregaveruntque eas in immensos aggeres, et computruit terra. Videns autem Pharao quod data esset requies, ingravit cor suum, et non audivit eos, sicut præceperat Dominus. Dixitque Dominus ad Moysen: Loquere ad Aaron: Extende virgam tuam, et percute pulverem terræ: et sunt cinifes in universa terra Ægypti. Feceruntque C ita. Extendit Aaron manum, **203** virgam tenens: et percussit pulverem terræ, et facti sunt cinifes in hominibus, et jumentis: omnis pulvis terræ versus est in cinifes per totam terram Ægypti. Feceruntque similiter malefici per incantationes suas, ut educerent cinifes, et non potuerunt: erantque cinifes tam in hominibus quam in jumentis. Et dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei est hic: induratumque est cor Pharaonis, et non audivit sicut præceperat Dominus. Dixitque Dominus ad Moysen: Consurge diluculo, et sta coram Pharaone: egredietur enim ad aquas: et dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum ut sacrificet mihi. Quod si non dimiseris eum, ecce ego mittam in te, et in servos tuos, et in populum tuum, et in domos D tuas, omne genus muscarum: et implebuntur domus Ægyptiorum muscis diversi generis, et in universâ terra in qua fuerint. Faciamque mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, ut non sint ibi muscæ: et scies quia ego Dominus in medio terræ. Ponamque divisionem inter populum meum et populum tuum: cras erit signum istud. Fecitque Dominus ita. Et venit musca gravissima in domo Pharaonis et in domo servorum ejus, et in omnem terram Ægypti: corruptaque est terra ab hujuscemodi muscis. Vocavit Pharao Moysen et Aaron, et ait eis: Ite, sacrificate Domino vestro in terra. Et ait Moyses: Non potest ita fieri: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro: quod si mactaverimus ea quæ colunt Ægyptii coram eis, lapidibus nos obruent. Viam trium dierum pergemus in solitudinem: et sacrificabimus Domino Deo nostro, sicut præcepit nobis. Dixitque Pharao: Ego dimittam vos ut sacrificetis Domino Deo vestro in deserto: verumtamen longius ne abeatis, rogate pro me: Et ait Moyses: Egressus a te, rogabo Dominum: et recedet musca a Pharaone, et a servis suis, et a populo ejus cras; verumtamen noli ultra fallere, ut non dimittas populum sacrificare Domino. Egressusque Moyses a Pharaone, oravit Dominum. Qui fecit juxta verba illius. ℟. Amen.

Antiphona 1. Clamor noster ad te perveniat: et ne avertas faciem tuam a nobis. *Psalm.* CI.

Oratio. Exaudi Deus orationem nostram; et clamor noster ad te remoto impedimento perveniat: quâcumque autem die te invocaverimus, velociter tibi nostra patescat oratio: nec avertas faciem tuam a gemitibus; nec gubernationem tuam a nostris cohibeas moribus: ut gratulemur adipisci postulata: dum ad te nostra pervenerunt desideria. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Timebunt gentes nomen tuum Domine, et omnes reges terræ gloriam tuam. *Psalmus* CI. Et timebunt.

Oratio. Exurge Deus, et miserere Sion: quia tempus miserendi nobis advenit: respice ad nostræ paupertatis orationem, tuorumque humilium amplectere precem. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster.

Antiphona 3. Sicut pater miseretur filiis, ita misertus est Deus timentibus eum. *Psalmus* CII.

℟. Exclamemus omnes ad Dominum ex toto corde, et convertatur unusquisque a peccatis suis, *P*. Et Deus cœli revertetur ab ira furoris sui; quia misericors est. ℣. Convertimini, et recedite ab omnibus iniquitatibus vestris: et ab universis contaminationibus vestris avertite facies vestras. *P*. Et Deus cœli revertetur. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *Reiteretur* ℟.

Preces. Fac nobiscum, Domine, misericordiam, da veniam, dona indulgentiam, *P*. Et miserere placatus. ℣. Omnipotens Ingenite. Unigeniti Genitor sanctissime, precem nostram suscipe. *P*. Et miserere. ℣. Parce, rogamus, omnibus, parce rogantibus, assiste lugentibus, indulge pœnitentibus. *P*. Et miserere. ℣. Animas quiescentium, sancte Domine, ab inferno erue: paradiso restitue. *P*. Et miserere. ℣. Christe, qui Cælos possides, Mundum redimens: tu Deus clementissime, peccata nostra ablue. *P*. Et miserere.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol*. 144.

Capitula. Benedicat te, Domine, anima nostra; et omnia interiora ejus in tuis laudibus clament: ut ad sanandos languores nostris audita oratione concurras; et vitam nostram de interitu redimas; in bonis desiderium nostrum saties; et votum perfectione corones.

Pater noster.

Ad Sextam.

Lectio libri Jeremiæ Prophetæ (*Cap.* III).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: Convertimini filii revertentes, et sanabo adversiones vestras **204**, Ecce enim venimus ad te: tu enim es Dominus Deus noster. Vere mendaces erant colles, multitudo montium: vere in Domino Deo nostro est salus Israel. Confusio comedit labores patrum nostrorum ab adolescentia nostra, greges eorum, et armenta eorum, filios Israel, et filios eorum. Dormiemus in confusione nostra, et operiet nos ignominia nostra: quoniam Domino Deo nostro peccavimus nos, et patres nostri, ab adolescentia nostra usque ad hanc diem: et non audivimus vocem Dei nostri (*Cap.* IV). Si reverteris ad me Israel, ait Dominus, ad me converte- re: si abstuleris offendicula tua a facie mea, non commoveberis. Et juraveris: Vivit Dominus in veritate, et in judicio, et in justitia: et benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt. ℟. Amen.

Antiphona 1, Dominus memor fuit nostri: et benedixit nobis. *Psalmus* CXIII.

Oratio. Memor esto nobis, Domine, et benedic nos; qui ne obliviosa mente avertamur a te, tuam nos reduc in recordationem: ac sicut Israel ex Ægypto liberasti per ænigmata; ita nos a mundana digneris segregare contagione. ℟. Amen.

Per misericordiam, etc.

Antiphona 2. Reple Deus gaudio os nostrum: et lingua nostra exultatione. *Psalmus* CXXV.

Oratio. Reple, Domine, gaudio os nostrum: et linguam nostram exultatione locupleta: ut, qui in lachrymis seminamus verbum vitæ, metamus in gaudio fructum justitiæ. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Beati omnes, qui timent Dominum, et qui ambulant in viis ejus. *Psalmus* CXXVIII.

℟. Pande manum tuam super servos tuos, Domine, et libera nos. *P.* De tribulatione, ℣. Deus in nomine tuo salvos nos fac, et in virtute tua libera nos *P.* De tribulatione. ℣. Gloria, et honor Patri. *Reiteretur* ℟.

Preces. Exaudi, Domine, preces nostras. *P.* Et miserere nobis. ℣. Attende, Domine, de sanctuario tuo. *P.* Et miserere nobis. ℣. Dona confitentibus de commissis malis veniam. *P.* Et miserere nobis. ℣. Ecclesiam Catholicam in bonis semper renova. *P.* Et miserere nobis. ℣. Indulge lapsis, et parce nostris peccatis. *P.* Et miserere nobis.

Hymnus. O Nazarene, lux. *Quære fol.* 144.

Oratio. Deus, qui timentes te, beatis prophetali voce pronuntias; da in nobis tui timoris obsequia beneplacita; at ex hoc in viis tuis ambulare nos facias: Sitque, te gubernante, labor noster tuis oculis placitus. cujus fructus tempore remunerationis efficiatur suavissimus: ac sic noster labor ipse de charitate studeatur, ut apud te fruges ejus in beatitudine recondantur.

Pater noster.

A

Ad Nonam.

Sapientiæ Salominis (*Cap.* XI).

℟. Deo gratias.

Flli, cum abundarent filii Israel, lætati sunt; per hæc, cum illis deessent, bene cum illis actum est. Nam pro fonte quidem sempiterni fluminis, humanum sanguinem dedisti injustis. Qui cum minuerentur in traductione infantium occisorum, dedisti illis abundantem aquam insperate, ostendens per sitim, quæ tunc fuit, quemadmodum tuos exaltares, et adversarios illorum necares. Cum enim tentati sunt, et quidem cum misericordia disciplinam accipientes: scierunt quemadmodum cum ira judicati impii tormenta paterentur. Hos quidem tanquam pater monens probasti: illos autem tanquam durus

B rex interrogans condemnasti. Absentes enim et præsentes similiter torquebantur. Duplex enim illos acceperat tædium, et gemitus cum memoria præteritorum. Cum autem audirent per sua tormenta bene cum illis agi, commemorati sunt Deum, admirantes in finem exitus. Quem enim in expositione probra projectum deriserunt, in finem eventus mirati sunt. Non similiter justis faciens. Quoniam sicut momentum conditurae, sicante te est orbis terrarum. Tu enim misereris omnium, et omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. ℟. Amen.

Lectio libri Exodi (*Cap.* IX).

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Dixit Dominus ad Moysen: Ingre-

C dere ad Pharaonem, et loquere ad eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum ut sacrificet mihi. Quod si adhuc renuis, et retines eos: ecce manus mea erit super agros tuos: et super equos, et camelos, et oves, et boves, pestis valde gravis. Et faciet Dominus mirabile inter possessiones Israel, et possessiones Ægyptiorum, ut nihil omnino intereat ex his quæ pertinent ad filios Israel. Constituitque Dominus tempus, dicens: Cras faciet Dominus verbum istud in terra Ægypti. **205** Fecit ergo Dominus verbum hoc in altera die: mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum: de animalibus vero filiorum Israel nihil omnino periit. Et nisit Pharao ad videndum: hoc erat quidquam mortuum de his quæ possidebat Israel. Ingravatumque est cor Pharaonis, et non dimisit populum. Et

D dixit Dominus ad Moysen et Aaron: Tollite plenas manus cineris de camino, et spargat illum Moyses in cœlum coram Pharaone. Sitque pulvis super omnen terram Ægypti: erunt enim in hominibus, et jumentis vulnera, et vesicæ turgentes, in universa terra Ægypti. Turleruntque cinerem de camino, et steterunt coram Pharaone, et sparsi illum Moyses in cælum: factaque sunt vulnera vesicarum turgentium in hominibus et jumentis: nec poterant malefici stare coram Moyse propter vulnera quæ in illis erant, et in omni terra Ægypti. Induravitque Dominus cor Pharaonis, et non audivit eos, sicut præceperat eis Dominus. Dixitque Dominus ad

Moysen : Mane consurge, et sta coram Pharaone, A et dices ad eum : Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum : Dimitte populum meum ut sacrificet mihi. Quia in hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum, et super servos tuos, et super populum tuum : scias quod non sit similis mei in omni terra. Nunc enim extendens manum, percutiam te et populum tuum peste, peribitisque de terra. Idcirco posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen tuum in omni terra. Adhuc retines populum meum : et non vis eum dimittere ? En pluam hac ipsa hora cras grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto, a die qua fundata est, usque in præsens tempus. Mitte ergo jam nunc, et congrega jumenta tua, et omnia quæ habes in agro : homines enim, et jumenta, et B universa quæ inventa fuerint foris, nec congregata de agris, ceciderit que super ea grando, morientur. Qui timuit verbum Domini de servis Pharaonis, fecit confugere servos suos, et jumenta in domos : qui autem neglexit sermonem Domini, dimisit servos suos, et jumenta in agris. Et dixit Dominus ad Moysen : Extende manum tuam in cœlum, ut fiat grando in universa terra Ægypti, super homines, et super jumenta, et super omnem herbam agri in terra Ægypti. Extendensque Moyses virgam in cælum, et Dominus dedit tonitrua, et grandinem, ac discurrentia fulgura super terram Ægypti : et grando et ignis mista pariter ferebantur : tantæque fuit magnitudinis, quanta antea numquam apparuit in universa terra Ægypti ex quo gens illa condita est. C Et percussit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine usque ad jumentum : cunctam herbam agri percussit grando, et omne lignum regionis confregit. Tantum in terra Gessen, ubi erant filii Israel, grando non accessit. Misit quoque Pharao, el vocavit Moysen et Aaron, dicens ad eos : Peccavi etiam nunc : Deus justus : ego et populus meus, impii. Orate Dominum, et desinant tonitrua Dei, et grando : et dimittam vos, et nequaquam ultra hic maneatis. Ait Moyses : Cum egressus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum, et cessabunt tonitrua, et grando non erit : ut scias quia Domini est terra. Novi autem, quod et tu, et servi tui, nondum timeatis Dominum Deum. Linum enim et hordeum læsum est, eo quod D hordeum esset virens, linum jam folliculos germinaret : triticum autem, et far non sunt læsa, quia serotina erant. Egressusque Moyses a Pharaone ex urbe, extendit manus suas ad Dominum, et cessaverunt tonitrua et grando. ℟. Amen.

Antiphona 1. Laudate Dominum, quia benignus Dominus : psallite nomini ejus quoniam suave est. *Psalmus* CXXXIV.

Oratio. Laudemus te Domine, quia benignus ac suavis es : præsta itaque, ut dum in tua laudatione insistimus, à mundi illecebris advoces, vel perfectorum societati adglomeres ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

Antiphona 2. Super flumina Babilonis, illic sedimus et flevimus : dum recordaremur tui Sion *Psalmus* CXXXVI.

Oratio. Peregrinanti. *Quære fol.* 194.

Antiphona 3. Prope esto Domine invocantibus, et exaudi orationem nostram. *Psalmus* CXLIV.

Hymnus. O Nazarene. *fol.* 144.

Capitula. Prope esto Domine invocantibus te ; ac voluntatem timentium imple : erige, quique corruunt ; et elisos sustenta : ut, qui præcipites in mortem cadimus ; sospites, te erigente, surgamus.

Pater noster.

Ad Vesperos.

Lauda. Dominus illuminatio mea, et salus mea,
206 quem timebo ?

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. In adjutorium nostrum intende : Domine ad adjuvandum nos festina. *Psalmus*. LXIX.

Lauda. Averte oculos meos ne videant vanitatem : *P*. Et in via tua vivifica me. ℣. Statue servo tuo eloquium tuum, in timore tuo. *P*. Et in via. ℣. Gloria, et honor. *P*. Et in.

Hymnus. Christe, qui regis. *Et Capitula*. Servis tuis. *Quære fol.* 168. *Lauda*. Averte oculos meos. *Et Oratio*. Averte. *Quære fol.* 201.

FERIA SEXTA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Voce mea ad Dominum. *Psalmus* III.

Oratio. Multiplicati sunt, Domine, qui. *fol.* 190.

Antiphona 1. Miserator, et misericors Dominus : non in finem irascetur : neque in æternum indignabitur. *Psalmus* CII.

Oratio. Miserator Domine, et misericors, non irascaris nobis in finem : sed quantum distat oriens ab occasu, iniquitatem omnem a nobis elonga ; et juxta altitudinem cœli a terra tuam in nobis misericordiam dilata. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Quærite Dominum, et confortamini : quærite faciem ejus semper. *Psalmus* CIV.

Oratio. Quærentibus te, Domine, tribue fortitudinem ; et quærenti te jugiter infunde sanctum amorem : ut qui tuam desiderant cernere faciem, perniciosam mundi non appetant voluptatem : eosque sæculi blandimenta non detineant usquequaque captivos ; ut lux vultus tui clarificet jam beatos. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Auge, Domine, populum tuum nimis : confirma eum super inimicos ejus. *Psalmus* CIV.

Oratio. Auge, Domine, populum tuum nimis ; eumque vel meritis vel rebus exalta : ut qui invidorum dentibus mordemur, feliciores semper te propiciante constemus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Iniquitates nostræ, et peccata nostra multæ sunt, Domine, et in ipsis tabescimus. *P*. Quomodo vivere poterimus ? sed tu dixisti : Nolo mortem

morientis, donec revertatur, et vivat. ℣. Peccavimus enim, inique egimus recedentes a te, et præcepta tua non observavimus, nec fecimus. *P.* Quomodo. *Non dicatur* Gloria; *sed reiteretur* ℟. A

In Laudibus.

Antiphona. Secundum multitudinem, Domine, miserationum tuarum, dele omnes iniquitates nostras : et munda nos ab injustitia nostra. *Psalmus* L.

Oratio. Secundum multitudinem miserationum tuarum. *fol.* 150.

Ad Canticum. Antiphona. Tu Domine in æternum permanes, et sedes tua in sæculum sæculi.

Canticum Jeremiæ (*Cap.* V *Threnorum*).

Memento Domine quid factum sit nobis : * aspice, et vide opprobrium nostrum.

Hereditas nostra conversa est alienis, * domus B nostra peregrinis.

Pupilli facti sumus velut non habentes patrem, * matres nostræ quasi viduæ.

Aquas nostras pecunia bibimus : * et ligna nostra pretio comparavimus.

Cervicibus minabamur, lapsis * non dabatur requies.

Ægypto dedimus manum, * et Assyriis ut satiemur pane.

Patres nostri peccaverunt, et non sunt : * nos autem iniquitates eorum exolvimus.

Servi dominati sunt nobis : * nec est qui redimat nos de manibus eorum.

In manibus nostris acquisivimus panem nostrum, a facie gladii, et solitudinis. C

Pellis nostra, ut clibanus livida facta est * a facie plagarum et fame.

Mulieres in Sion humiliatæ sunt, * et virginis in civitatibus Juda.

Principes in manibus suis suspensi sunt : * et facies senum non glorificaverunt.

Electi moles volvebant, * et juvenes in ligno confixi sunt.

Senes ad portam defecerunt, * et electi a psalmis cessaverunt.

Dissolutum est gaudium cordis nostri : * versus est in luctum chorus noster.

Cecidit corona capitis nostri : * væ nunc nobis, quoniam peccavimus.

Propter hoc factum est in dolore cor nostrum, et D obscurati sunt oculi nostri, * ne videant super montem Sion quoniam exterminatus est, vulpes transierunt per eum.

Tu autem Domine in æternum permanes, * et sedes tua in sæculum sæculi.

207 Et quid in contentione oblivisceris nostri? * derelinquis nos in longitudinem dierum?

Converte nos Deus ad te, et convertamur : * renova dies nostros, sicut antea.

Quia repellens repulisti nos, * iratus es contra nos nimis valde.

Matutinarium.

Ad Benedictus. Antiphona. Vigilabant ante lucem, et veniebant ad eum : et memorati sunt, quoniam Dominus adjutor eorum est. ℣. Et pluit illis manna ad manducandum, et panem cœli dedit eis.

Canticum. Benedictus es Domine Deus patrum. *fol.* 6.

Lauda. Cœli cœlorum, et aquæ, quæ supra cœlos sunt, laudent nomen Domini. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Exodi (*Cap.* IX).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Videns Pharao quod cessasset pluvia, et grando, et tonitrua, auxit peccatum : et ingravatum est cor Pharaonis, et servorum illius, e induratum nimis : nec dimisit filios Israel, sicut præceperat Dominus per manum Moysi. (*Cap.* X.) Et dixit Dominus ad Moysen : Ingredere ad Pharaonem : ego enim induravi cor ejus, et servorum illius : ut faciam signa mea hæc in eo, et narres in auribus filiorum tuorum, et nepotum tuorum, quotiens contriverim Ægyptios, et signa mea quæ fecerim in eis : et sciatis quia ego Dominus. Introierunt ergo Moyses et Aaron ad Pharaonem, et dixerunt ei : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi. Sin autem non vis dimittere eum : ecce ego inducam cras locustam in fines tuos, et cooperient faciem terræ, ne quidquam ejus virens appareat, sed comedatur quod residuum fuerit grandini : corrodet enim omnia ligna quæ germinant in agris. Et implebunt domos tuas, et servorum tuorum, et omnium Ægyptiorum : quantam non viderunt patres tui, a die, ex quo orti sunt super terram, usque in præsentem diem. Avertitque se, et egressus est a Pharaone. Dixeruntque servi Pharaonis ad eum : Usquequo patiemur hoc scandalum : dimitte populum, ut sacrificent Domino Deo suo : nonne vides quod perierit Ægyptus? Revocaveruntque Moysen et Aaron ad Pharaonem : qui dixit eis : Ite, sacrificate Domino Deo vestro : quinam sunt qui ituri sunt? Ait Moyses : Cum parvulis nostris et senibus pergemus, cum filiis et filiabus, cum ovibus et armentis : est enim solemnitas Domini Dei nostri. Et respondit Pharao : Sic Dominus sit vobiscum, quomodo ego dimittam vos, et parvulos vestros : cui dubium est quod pessime cogitetis? Non fiet ita, sed ite tantum viri, et sacrificate Domino : hoc enim et ipsi petistis. Statimque ejecti sunt à conspectu Pharaonis. Dixit autem Dominus ad Moysen : Extende manum tuam super terram Ægypti ad locustam, ut ascendat super eam, et devoret omnem herbam quæ residua fuerit grandini. Extendit Moyses virgam suam super terram Ægypti : et Dominus induxit ventum arentem tota die illa ac nocte : et mane facto, ventus levavit locustas. Quæ ascenderunt super omnem terram Ægypti : et sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerunt, nec postea futuræ erant. Operueruntque universa super faciem terræ, vastantes omnia. Devorata est igitur herba terræ, et quidquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat : nihilque virens omnino relictum est in lignis, et in herbis terræ, in cuncta Ægypto. Quamobrem festinans Pharao,

vocavit Moysen et Aaron, et dixit eis : Peccavi in Dominum Deum vestrum, et in vos. Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, et orate ad Dominum Deum vestrum, ut auferat a me mortem istam. Egressus Moyses de conspectu Pharaonis, oravit ad Dominum. Qui flare fecit ventum ab occidente vehementissimum et areptam locustam projecit in mare Rubrum. ℟. Amen.

Hymnus. Æterne lucis Conditor. *Quære folio* 170.

Capitula. Deus, qui panem cœli filiis omnium hominum tribuis, terrenumque animal Angelorum adipe pascis; frumentationem verbi tui nobis in abundantia tribue : eoque nos spiritali refice cibo, quo patres nostros allevasti in eremo.

Pater noster.

Lauda. In toto corde meo, Deus, exquisivi te : *P.* Ne repellas me a mandatis tuis. ℣. In toto corde meo abscondi eloquia tua : ut non peccem tibi. *P.* Ne repellas me. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Ne repellas me.

Oratio. In via testimoniorum tuorum, Domine, quasi in omnibus divitiis delectamur, **208** neque enim quidquam nobis deesse credimus, cum te propitium adesse cognoscimus. ℟. Amen. Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

Ad Tertiam.

Sapientia Salomonis (*Cap.* III).

℟. Deo gratias.

Fili, sapientiam enim, et disciplinam qui abjicit infelix est : et vacua est spes illorum, et labores sine fructu, et inutilia opera eorum sunt. Mulieres eorum insensatæ sunt, et nequissimi filii illorum. Maledicta creatura illorum, quoniam felix sterilis incoinquinata, quæ nescit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum : et spado, qui non operatus est per manus suas malum, nec cogitavit adversus Dominum nequissima : dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Domini acceptissima. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, et quæ non excidet radix sapientiæ. Fili autem adulterorum in consummatione erunt, et ab iniquo thoro semen exterminabitur. Et siquidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, et sine honore erit novissima senectus eorum. Et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die magnitudinis allocutionem. (*Cap.* IV.) Melior est enim generatio cum claritate : immortalis enim est memoria illius : quoniam et apud Deum nota est, et apud homines, et in perpetuum coronata triumphat. ℟. Amen.

Lectio libri Exodi (*Cap.* X).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Dixit Dominus ad Moysen : Extende manum tuam in cœlum : et sint tenebræ super terram Ægypti, tam densæ ut palpari queant. Extendit Moyses manum in cœlum : et factæ sunt tenebræ terribiles in universa terra Ægypti tribus diebus. Nec frater vidit fratrem suum, nec movit se de loco in quo erat : ubicumque autem habitabant filii Israel,

A lux erat. Vocavitque Pharao Moysen et Aaron, et dixitque eis : Ite, sacrificate Domino : oves tantum vestræ et armenta remaneant, parvuli vestri eant vobiscum. Ait Moyses : Hostias quoque et holocausta dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro. Cunctique greges pergent nobiscum : non remanebit ex eis ungula, quæ necessaria sunt in cultum Domini nostri : præsertim cum ignoremus quid debeat immolari, donec ad ipsum locum perveniamus. Induravit autem Dominus cor Pharaonis, et noluit dimittere eos. Dixitque Pharao ad eum : Recede a me, cave ne ultra videas faciem meam : quocumque die apparueris mihi, morte morieris. Respondit Moyses : Ita fiet ut locutus es, non videbo ultra faciem tuam. (*Cap.* XI.) Et dixit Dominus ad Moysen : Adhuc una

B plaga tantum feriam Pharaonem et Ægyptum, et post hæc dimittet vos, et exire compellet. Dices ergo omni plebi, ut postulet vir ab amico suo, et mulier a vicina sua, vasa argentea et aurea. Dabit autem Dominus gratiam populo coram Ægyptiis. Fuitque Moyses vir magnus valde in terra Ægypti coram servis Pharaonis et omni populo. Et ait Moyses : Hæc dicit Dominus : Media nocte ingrediar in Ægyptum : et morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, a primogenito Pharaonis qui sedet in solio ejus, usque ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam, et omnia primogenita jumentorum. Eritque clamor magnus in universa terra Ægypti, qualis nec antea fuit, nec postea futurus est. Apud omnes autem filios Israel non mutiet canis ab homine usque

C ad pecus : ut sciatis quanto miraculo dividat inter Ægyptios et Israel. Descendentque omnes servi tui ad me, et adorabunt me, dicentes : Egredere tu, et omnis populus qui subjectus est tibi : post hæc egrediemur. Et exivit a Pharaone iratus nimis. Dixit autem Dominus ad Moysen : Non audiet vos Pharao, ut multa signa fiant in terra Ægypti. Moyses autem et Aaron fecerunt omnia ostenta quæ scripta sunt coram Pharaone. Et induravit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel de terra sua (*Cap.* XII). Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito Pharaonis, qui sedebat in solio ejus, usque ad primogenitum jumentorum. Surrexitque Pharao nocte, et omnes servi ejus, cunctaque Ægyptus : et ortus est clamor magnus in Ægypto : neque erat do-

D mus in qua non jaceret mortuus. Vocatisque Moyse et Aaron, ait : Surgite, egredimini a populo meo, vos et filii vestri : ite, immolate Domino sicut dicitis. Oves vestras, et armenta assumite ut petieratis, et abeuntes benedicito mihi. Urgebantque Ægyptii populum de terra exire velociter, dicentes : Omnes moriemur. Tulit igitur populus consparsam farinam antequam fermentaretur : et ligans **209** in palliis, posuit super humeros suos. Fecerunt filii Israel sicut præceperat Dominus Moysi : et petierunt ab Ægyptiis vasa argentea et aurea, vestemque plurimam. Dedit autem Dominus gratiam populo coram Ægyptiis ut commodarent eis : et spoliaverunt Ægytios

Profectique sunt filii Israel de Ramesse in Socoth, A sexcenta fere millia peditum virorum, absque parvulis. Sed et vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis, oves et armenta et animantia diversi generis multa nimis. Coxeruntque farinam, quam dudum consparsam de Ægypto tulerunt : et fecerunt subcinericios panes axymos : neque enim poterant fermentari cogentibus exire Ægyptiis, et nullam facere sinentibus moram : nec pulmenti quicquam occurrerat præparasse. Habitatio autem filiorum Israel qua mansuerunt in Ægypto, fuit quadragintorum triginta annorum. Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti. ℟. Amen.

Antiphona 1. Adjuva nos Deus salutaris noster : propter gloriam nominis tui Domine. *Psalmus* LXXVIII. B

Oratio. Propitius esto peccatis nostris Domine ; et propter honorem nominis tui perfecta nos recrea libertate : nec, dum nostro peccatorum elogio adterimur, in opprobrium gentium redigamur . Ergo ut nos severitate non punias pœnæ ; causam nobis scelerum ablue : atque in conspectu tuo gemitus compeditorum introeat ; ut de occulto tuo in manifesto nostro gratia indulta procedat. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Libera nos Domine propter nomen tuum : et notam fac nobis potentiam tuam. *Psalmus* CV.

Oratio. Salva nos, Domine, qui auctor es nostræ salutis : et congrega nos de nationibus ; qui redemptis libertas, et redemptio factus es liberatis : C Concede itaque nobis, ut qui nunc malorum permixtione gemimus, te protegente ac decernente, in tranquillitate, qua Sanctos suscipis, gaudeamus. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Visita nos, Domine, in salute tua. *Psalmus* CV.

℟. Miserere, et parce nobis, Domine, qui pietatem plus diligis, quam judicium requiris ; et ideo dissimulas peccata ; *P*. Ut habeas quibus miserearis. ℣. Confusio, et opprobrium facti sumus omnibus, qui colebant te : ne, quæsumus, tradas nos in perpetuum neque auferas misericordiam tuam. P. Ut habeas. *Reiteretur* ℟.

Preces. Dicamus omnes : Miserere nobis, Deus, P. Miserere nobis. ℣. Mundi rector et redemptor Jesu Christe, rerum actor, P. Miserere nobis. ℣. D Qui exaudis obsecrantes, et gementes intueris. P. Miserere nobis. ℣. Parce nostris jam delictis, favens vultum pietatis. P. Miserere nobis. ℣. Hujus urbis, atque plebis conservator esto vigil. P. Miserere nobis. ℣. Peccavimus tibi, Deus : indulgentiam postulamus. P. Miserere nobis.

Hymnus. O Nazarene, lux Bethlehem. *Quære fol*. 144.

Capitula. Salvos nos fac, Domine Deus noster, et in salute tua visita : nec iniquitatis nostræ pœna, sed timoris tui nos humiliet disciplina ; ut tua gloriemur in laude, et confiteamur in nomine : nos quoque ad videndum, electorum tuorum excitet bonitas ; et ad laudandum, regni tui acciscat hereditas.

Pater noster.

Ad Sextam.

Prophetia. *Quære fol*. 133.

Antiphona 1. Ad te levamus oculos nostros, qui habitas in cœlis. P*salmus* CXXII.

Oratio. Sicut servorum in manibus Dominorum suorum sunt oculi ; ita nostri ad te, Domine, quousque et peccantibus noxam dimittas, et vapulantium plagas eminuas ; impertias alimenta egenis ; et medelam tribuas vulneratis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in austro. P*salmus* CXXV.

Oratio. Convertere Domine captivitatem nostram ab inlecebrosis inimici seductionibus redimendo : et reple consolatione indulgentiæ, quos desolatos prospicis ob admissionem nequitiæ : da nobis, quæsumus, contriti cordis humilitatem quærere ; et inquinamenta quæ nos polluunt, fluentis lachrymarum abluere : sic etiam confessionis remedia seramus in lachrymis, ut indulgentiæ fructus metamus in gaudiis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Benedictio Domini super vos : benedicamus vos in nomine Domini. *Psalmus* CXXVIII.

210 ℣. Peccata nostra dominantur nobis, et in tribulatione magna sumus. P. Placare jam, Domine, et libera nos. ℣. Peccavimus cum patribus nostris : injuste egimus, iniquitatem fecimus. P. Placare. *Reiteretur* ℟.

Preces. Exaudi nos, Domine, exaudi : P. Et miseratus dona nobis veniam. ℣. Altissime factor cœli et terræ, peccatum nostrum dimitte. P. Et miseratus. ℣. Vide Domine plebis tuæ lamenta : effunde pluviam largam. P. Et miseratus. ℣. Dimitte, quæ gementes fatemur, et presta, quæ postulamus. P. Et miseratus. ℣. Succurre jam pœnitentibus, Christe, ac preces omnium audi. P. Et miseratus.

Hymnus. O Nazarene, lux. *Quære fol*. 144. *Capitula*. Domine Jesu Christe, qui pro nostræ. *fol*. 160.

Ad Vesperum.

Lauda. Sol agnovit occasum suum. Posuisti tenebras, et facta est nox.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Antiphona. Deus tu convertens vivificabis nos : et plebs tua lætabitur in te. *Psalmus* LXXXIV.

Lauda. Veniat super nos, Domine, misericordia tua : P. Salutare tuum, et eloquium tuum. ℣. Et respondebo exprobrantibus mihi verbum : quia speravi in sermonibus tuis. P. Salutare tuum. ℣. Gloria, et honor. P. Salutare.

Hymnus. Christe precamur. *Et Capitula*. Nonarum Horarum spatiis. *folio* 175. *Lauda*. In toto corde meo Deus. *fol*. 207.

SABBATO.

Ad Matutinum.

Antiphona. Tu autem Domine. *Psalmus* III. *Oratio.* Quamvis Domine. *Quære fol.* 141.

Antiphona 1. Confiteamur Domino misericordias ejus: et mirabilia filiis hominum. *Psalmus* CVI.

Oratio. Confiteamur tibi, Domine, misericordias tuas; quibus nos de interitu redimis; et de regionibus congregatos errorum, compage charitatis, fidei assensione conjungis. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. De necessitatibus nostris libera nos, Domine. *Psalmus.* CVI.

Oratio. De necessitatibus nostris libera nos Domine: et animarum nostrarum inediam verbi tui adipe pasce; sedentesque in tenebris et umbra mortis, lucis tuæ inlustra serenitate. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

Antiphona 3. Mitte verbum tuum, et sana nos Domine. *Psalmus.* CVI.

Oratio. Mitte verbum tuum Domine ad sanandum nos: et de interitu, quo nostro pondere procellimur, erue: ut quia nos, meminimus, Verbi tui formatos opificio: ejus rursum reformemur imperio. Tu nos, dum tribulamur, clamantes exaudi; ac de infestis neccessitatibus tribue libertatem: ut ad te de confessione nostra laudatio procedat; et coram filiis hominum pronuntiata nos gratificent mirabilia tua. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

℟. Quærite me in angustia vestra, dicit Dominus. *P.* Exurgentes ante lucem convertimini: et dicite; Revertamur ad Deum nostrum. ℣. Quærite Dominum dum inveniri potest: invocate eum dum prope est. P. Exurgentes ante.

In Laudibus.

Antiphona. Cor contritum et humiliatum Deus ne despicias. *Psalmus* L.

Oratio. Cordis nostri secreta, quæ quotidie curis carnalibus sordidantur, hyssopi verbi tui, omnipotens Deus, adspersione mundentur: recedat a nobis callidus seminator: ut Christus in nobis maneat consolator. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Tua es Domine magnificentia, et potentia, et gloria: et tibi laus.

Canticum (*Paralipomenon I, cap.* XXIX).

Benedictus es Domine Deus Israel patris nostri* ab æterno in æternum.

Tua est enim Domine magnificentia, et potentia, et gloria, atque victoria: et tibi laus:

Cuncta enim quæ in cœlo sunt, et quæ in terra sunt: * tuum Domine regnum, et tu es super omnes principes.

Tuæ sunt divitiæ, et tua est gloria: * in manu tua virtus et potentia: in manu tua magnitudo, et imperium hominum.

Nunc igitur confitebimur tibi, * et laudabimus nomen tuum inclytum.

A Ego autem quis, * et populus meus quia, ut possimus hæc tibi universa promittere?

Tua sunt omnia: et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.

Peregrini enim sumus coram te, * et advenæ, sicut omnes patres nostri.

211 Dies nostri quasi umbræ super terram, * et nulla est mora.

Domine Deus meus, omnis hæc copia, quam comparavi ut ædificetur domus nomini sancto tuo, * de manu tua est.

Scio Deus meus quod probas corda, * et simplicitatem diligis.

Unde et ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc: * et populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria.

B

Domine Deus Abraham, Isaac, et Israel, patrum nostrorum, * custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, et semper in veneratione tua mens ista permaneat.

Oratio. Te amplissimæ largitatis Dominum deprecamur, ut donorum cœlestium copiam de manu tua accipiamus, quam tibi ob constituendam domum tuam in nostris cordibus præparemus: tibique votis simplicibus, quæ tua sunt offeramus: ac nomen tuum inclytum multimoda confessione laudemus. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam. Deus, etc.

Ad Benedictus. Antiphona. Sit splendor Domini

C Dei nostri super nos. *P.* Opera manuum nostrarum dirige super nos. ℣. Respice in servos tuos, et in opera tua, et dirige filios eorum. *P.* Et opera manuum nostrarum.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6. *Lauda.* In sanctis ejus laudate Dominum. *P.* Laudate.

Lectio libri Exodi (*Cap.* XVII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Profecta omnis multitudo filiorum Israel de deserto Sin per mansiones suas, juxta sermonem Domini, castrametati sunt in Raphidim, ubi non erat aqua ad bibendum populo. Qui jurgati sunt contra Moysen, et dixerunt: Da nobis aquam, ut bibamus. Quibus respondit Moyses: Quid jurgamini contra me? cur tentatis Dominum? Sitivit ergo po-

D pulus ibi pro aquæ penuria, et murmuravit contra Moysen: Cur nos exire fecisti de Ægypto, ut occideres nos, et filios nostros, ac jumenta siti? Clamavit autem Moyses ad Dominum, dicens: Quid faciam populo huic? adhuc pusillum, et lapidabunt me. Ait Dominus ad Moysen: Antecede populum, et sume tecum de senioribus Israel: et virgam qua percussisti fluvium, tolle in manu tua, et vade. Ecce ego stabo coram te, supra petram Horeb: percutiesque petram, et exibit ex aqua, ut bibat populus. Fecit Moyses ita coram senioribus Israel: et vocavit nomen loci illius. Tentatio, propter jurgium filiorum Israel, et quia tentaverunt Deum, dicentes: Estne Deus in nobis, an non? Venit autem Amalec, et pu-

gnabat contra filios Israel in Raphidim. Dixitque A Moyses ad Josue : Elige viros : et egressus, pugna contra Amalec cras : et ego stabo in verticem collis, habens virgam Dei in manu mea. Fecit Josue ut locutus fuerat Moyses, et pugnavit contra Amalec: Moyses autem et Aaron et Hur ascenderunt super verticem collis. Cumque elevasset Moyses manus, vincebat Israel : sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. Manus autem Moysi erant graves : sumentes igitur lapidem, posuerunt subter eum, in quo sedit : Aaron autem et Hur sustentabant manus ejus ex utraque parte. Et factum est ut manus ejus non lassarentur usque ad occasum solis. Fugavitque Josue Amalec, et populum ejus in ore gladii. Dixit autem Dominus ad Moysen : Scribe hoc in monumentum in libro, et trade auribus Josue : delebo B enim memoriam Amalec sub cœlo. Ædificavitque Moyses altare Domino ; et vocavit nomen ejus, Dominus exaltatio mea.

Hymnus. Deus creator omnium. *fol.* 175.

Capitula. Sit splendor tuus, Domine, super nos : et nostrarum opera manuum tu dirige, tu concede : atque in servos tuos propitius respice ; et luce tua bonorum in nos operum germina dirige.

Pater noster. Et ne.

Lauda. Retribue servo tuo, vivam : P. Et custodiam, Domine, sermones tuos. ℣. Revela oculos meos : et considerabo mirabilia de lege tua. P. Et custodiam. ℣. Gloria. P. Et.

Oratio. Concupiscat anima nostra, Domine, desiderare judicia tua in omni tempore : et hoc nobis C solum vigeat in amore, quod æterno tuo præparetur in munere. ℟. Amen. Per misericordiam.

Ad Tertiam.

Proverbiorum Salomonis (*Cap.* XXVII).

℟. Deo gratias.

Fili, sicut avis transmigrans de loco suo, sic vir qui derelinquit locum suum. Unguento et variis odoribus delectatur cor : et bonis amici consiliis anima dulcoratur. Amicum tuum et amicum patris tui ne dimiseris **212** in die afflictionis tuæ : et domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ. Melior est vicinus juxta, quam frater procul. Stude sapientiam, fili mi, et lætifica cor meum, ut possis exprobanti respondere sermonem. Astutus videns malum, abscondius est : parvuli transeuntes sustinebunt dispendia. Tolle vestimentum ejus, qui fidem D facit pro extraneo : et pro alienis, aufer ei pignus. Qui benedixit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens maledicenti similis erit. Ferrum ferro acuitur, et homo exacuit faciem amici sui. Infernus et perditio numquam replentur : similiter et oculi hominum numquam satiantur. Cor iniqui exquirit mala, cor autem rectum exquirit scientiam. ℟. Amen.

Lectio libri Exodi (*Cap.* XVIII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Cum audisset Jethro sacerdos Madian, cognatus Moysi, omnia quæ fecerat Deus Moysi, et Israeli populo suo, eo quod eduxisset Dominus Israel de Ægypto : tulit Sephoram uxorem Moysi quam remiserat : et duos filios ejus, quorum unus vocabatur Gersam, dicente patre ; Advena fui in terra aliena. Alter vero Eliezer : Dominus enim, ait, patris mei adjutor meus, et eruit me de manu Pharaonis. Venit ergo Jethro cognatus Moysi, et uxor ejus, et filii ejus ad Moysen in desertum, ubi erat castrametatus juxta montem Dei. Et mandavit Moysi, dicens : Ego cognatus tuus Jethro venio ad te, et uxor tua, et duo filii tui cum ea. Qui egressus in occursum cognati sui, adoravit, et osculatus est eum : salutaveruntque se mutuo verbis pacificis. Cumque intrassent tabernaculum, narravit Moyses cognato suo cuncta quæ fecerat Dominus Pharaoni, et Ægyptiis propter Israel ; universumque laborem qui accidisset eis in itinere, quo liberaverat eos Dominus. Lætatusque est Jethro super omnibus, quæ fecerat Deus Israeli, eo quod eruisset eum de manu Ægyptiorum, et ait : Benedictus Dominus, qui liberavit nos de manu Ægyptiorum, et de manu Pharaonis, qui eruit populum suum de manu Ægypti. Nunc cognovi, quia magnus est Dominus super omnes deos : eo quod superbe egerint contra eos. Obtulit ergo Jethro cognatus Moysi holocausta et hostias Deo ; veneruntque Aaron et omnes senes Israel, et comederunt panem cum eo coram Domino. Altera autem die sedit Moyses ut judicaret populum, qui assistebat Moysi de mane usque ad vesperum. Quod cum vidisset cognatus Moysi, omnia scilicet quæ agebat in populo, ait : Quid est hoc quod facis in plebe ? cur solus sedes, et omnis populus præstolatur de mane usque in vesperum ? Cui respondit Moyses : Venit ad me populus quærens sententiam Dei. Cumque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me ut judicem inter eos, et ostendam præcepta Dei, et legem ejus. Et ille : Non bonam, inquit, rem facis : stulto labore consumeris et tu, et populus iste qui tecum est : ultra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere. Sed audi verba mea atque consilium, et erit Dominus tecum. Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum : ostendasque populo cerimonias et ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, et opus quod facere debeant. Provide autem de omni plebe viros potentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderunt avaritiam, et constitue ex eis tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos, qui judicent populum omni tempore : quicquid autem majus fuerit, referant ad te, et ipsi minora tantummodo judicent : leviusque sit tibi, partito in alios honore. Si hoc feceris, implebis imperium Domini, et præcepta ejus poteris sustentare ; et omni hic populus revertetur cum pace ad loca sua. Quibus auditis, Moyses fecit omnia quæ ille suggessit. Et electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes super Israel, tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos. Qui judicabant plebem Domini omni tempore : quicquid autem gravius erat

referebant ad eum, faciliora tantummodo judicantes. Dimisitque cognatum suum: qui reversus abiit in domum suam. ℟. Amen.

Antiphona 1. Misericors, et miserator, et justus Dominus. Benignus homo, qui miseretur. *Psalmus* CXI.

Oratio. Misericors Domine et juste, fac nos semper esse misericordes; et commoditati alternæ tota adesse facilitate: nec ob auditu malo nos, dum judicaveris, terreas; sed tuam ad dexteram glorificandos statuas. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Ego cognovi, quam magnus est
213 Dominus, et Deus noster præ omnibus diis. *Psalmus* CXXXIV.

Oratio. Domine, qui educens nubes ab extremo terræ, orbem universum sanctis replesti doctoribus; fulgura in pluviam converte misericors; ut præceptis tuis, quibus famulos tuos, corrigas, terres: benedicendo reficias: tuaque repletos gratia uberius benedicas. ℟. Amen.

Per misericordiam Deus noster.

Antiphona 3. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus. *Psalmus* CXXXVI.

℟. Peccavimus tibi Deus: fac misericordiam. *P.* Et antequam pereamus liberet nos manus tua. ℣. Quare in perpetuum oblivisceris nostri, derelinquis nos in longitudinem dierum. *P.* Et antequam.

Preces. Indulgentiam postulamus, Christe, exaudi. *P.* Placare, et miserere. ℣. Jesu unigenite Dei Patris Filius; qui es immensæ bonitatis, Domine. *P.* Placare. ℣. Cuncti te gemitibus exorantes, poscimus; cunctique simul deprecantes, quæsumus. *P.* Placare. ℣. Tua jam clementia mala nostra superet: tuo jam sereno vultu in nos respice. *P.* Placare. ℣. Remissionem omnium peccatorum quæsumus: indulge, quæsumus, clemens, mala quæ commissimus *P.* Placare, et miserere.

Hymnus. O Nazarene, lux. *Quære fol.* 144.

Capitula. Tibi, Domine, confitemur, qui cœlos intellectu fecisti; et eruditos sublimas sapientia: qui fundasti terram super aquam; et supra sæculum labile erexisti Ecclesiam tuam; fac, ut nos fluida mundi delectamenta non obruant, sed virtutes acceptæ ad superna sustollant.

Pater noster. Et de nos.

Ad Sextam.

Lectio libri Ezechielis Prophetæ (*Cap.* XXXIII).

℟. Deo gratias.

Factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis dic ad domum Israel: Sic locuti estis, dicentes: iniquitates nostræ, et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis tabescimus: quomodo ergo vivere poterimus? Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus: nolo mortem impii, sed ut revertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini a viis vestris pessimis: et quare moriemini domus Israel? Tu itaque fili hominis dic ad filios populi tui: Justitia justi non liberabit eum in quacumque die peccaverit: et im-
A pietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab iniquitate sua; et justus non poterit vivere in justitia sua, in quacumque die peccaverit. Etiam si dixero justo quod vitat vivat, et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem: omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixero impio: Morte morieris: et egerit pænitentiam a peccato suo, feceritque judicium et justitiam, pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quicquam injustum: vita vivet, et non morietur. Ait Dominus Deus omnipotens. ℟. Amen.

Antiphona 1. Qui erigit elisos: Dominus solvet compeditos. Dominus illuminat cæcos, Dominus
B diligit justos. *Psalmus* CXLV.

Oratio. Domine, qui erigis elisos, et solvis compeditos, atque illuminas cæcos: nos quoque erige cum lapsus inclinant; et solve, cum peccata circumligant: atque illumina, cum nos ignorantiæ caligo circumdat; ut anima nostra te semper laudet: et vita nostra fideli devotione sit humilis: et quia tui muneris est quod sumus, tibi serviat omne quod vivimus. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum. Magnus Dominus, et magna virtus ejus. *Psalmus* CXLVI.

Oratio. Deus, qui sanat contritos corde; plagæ nostræ medelam impende; et qui stellarum numeras multudinem; nos ad vitam prædestinatis ad-
C junge ut beneplacitum tibi sit in nobis; et in salute nos æterna jubeas exaltari. ℟.

Per.

Antiphona 3. Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nobis. *Psalmus* CXXII.

℟. Miserere, quia Deus es. P. Misericors miserere, quia peccavimus tibi. ℣. Ad te levamus oculos nostros, qui habitas in cœlis. P. Misericors miserere.

Preces. Subveniat nobis, Domine, misericordia tua. P. Velociter. ℣. Inclyte Deus, patiens clamorem nostrum intellige. P. Velociter. ℣. Nostris adesto precibus, et dona nobis, quæ petimus. P. Velociter. ℣. Tua nos, Pater. dextera a malis omnibus libera. P. Velociter. ℣. Humilium preces, Domine,
214 benignis auribus percipe. P. Velociter. ℣.
D Absterge a nostris sensibus zelum peccati, et odii. P. Velociter. ℣. Remitte omnia discrimina, nosque placatus justifica. P. Velociter. ℣. Intende benignus, supplices gemitus omnium suscipe. P. Velociter. ℣. Cum veneris judex omnium, redemptis esto suffragium. P. Velociter.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol.* 144.

Capitula. Sicut occuli servorum in manibus Dominorum suorum sunt: ita nostri ad te, Domine: quousque et peccantibus noxam dimittas, et vapulantium plagas eminuas; impertias alimenta; egenis et medelam tribus vulneratis.

Pater noster.

IN TERTIO DOMINICO QUADRAGESIMÆ.

Ad Vesperum

Lauda. Sacrificate sacrificium vespertinum *P.* Et sperate filii hominum in Domino. ℣. Confitemini Domino, et invocate nomen ejus. *P.* Et sperate.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Perscrutemur vias Domini, et interrogemus corda nostra, si non sunt duplicia. *P.* Et sic stemus ante faciem Dei mundo corde, et non bilingues. ℣. Quia non repellet Dominus plebem suam; et hereditatem suam non derelinquet. *P.* Et sic stemus.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Bonum mihi est quod humiliasti me, Deus, ut discam justificationes tuas. *P.* Bonum mihi lex oris tui, super milia auri et argenti. ℣. Bonitatem fecisti cum servo tuo Domine: secundum verbum tuum. *P.* Bonum.

Hymnus.

Christe immense, Dominator sancte,
Custodi plebem, quam tu redemisti
Sanguine sacro tuo pretioso;
Ipse salvasti.

Claritas fulget, Dominusque fecit,
In Bethania ad Lazarum venit,
Quem suscitavit, et gloriam suam
Manifestavit.

Maria autem domi retenta,
Quem expectabat: pietas immensa
Illi occurrit, et annuntiavit.
Sororque Martha.

Magister adest. Occurrunt sorores,
Et lachrymantes, Christum confitentes
Sic meruerunt, ut viderent fratrem
Suum resurgentem.

Ad monumentum exclamabat Jesus:
Lazare veni, Dominusque tecum.
Ille surrexit, et omnis caterva
Ibi convertitur

In Samaria ut homo sitivit,
Et mulieri peccata dimisit,
Cœcus enim natus lumen magnum
Vidit in Siloe.

In Samaria fecit confitentes,
In Bethania Lazarum surgentem,
Surdos audientes, et mutos loquentes,
Quos visitavit.

Gloria Patri, Trino Sempiterno
Gloria Christo, Spirituique Sancto:
Prædicet Trinum pia voce nomen
Omne per ævum.

℟. Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi, etc.

Capitula. Quarti nunc et decimi diei de nostrorum dierum decimis curriculo jam peracto, ad te levamus oculos nostros, Domine, qui habites in cœlis; impende jam et misericordiam miseris, et medelam porrige vulneratis. Tu nobis adgressum iter placidum effice: tu cor nostrum in mandatorum tuorum se-
A mitis dirige: per te lucis inveniamus viam; per te luminosa amoris tui capiamus incendia: tu laboribus requiem, tu laborantibus tribue mansionem; ut horum dierum observatione tibi placentes, gloriæ tuæ mereamur esse participes.

Pater noster.

Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit. ℟. Et cum spiritu tuo.

Benedictio. Christus Dei filius labores vestros propitiatus aspiciat, et cordis vestri tenebras illuminando submoveat. ℟. Amen. In mandatis quoque illius ita viæ vestræ feliciter dirigantur, ut justificationum ejus mereantur semper obtinere proventum ℟. Amen. Quo et cursum vestri laboris propitius adjuvet, et cœcitatis vestrœ tenebras miseratus il-
B lustret. ℟. Amen.

Per.

Dominus sit. ℟. Et cum spiruto tuo.

Lauda. Defecit in salutari tuo anima mea: *P.* Et in verbo tuo speravi, Domine. ℣. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes; Quando consolaberis me? *P.* Et in verbo ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Et in verbo.

Oratio. Defecit in salutari tuo anima nostra, [Domine: desiderio indefesso proficiat **215** exuberantis gratiæ dono, perceptura censolationem in præmio. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Lauda 2. Bonitatem fecisti cum servo tuo Domine; *P.* Secundum verbum tuum justifica me. ℣.
C Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine: quia mandatis tuis credidi. P. Secundum. ℣. Gloria. P. Secundum.

Oratio. Bonitatem et disciplinam et scientiam doce nos Domine: ut nec malitia asperos: nec desidia remissos: nec stultitia reddat ignavos. ℟. Amen.

Psalmus. Miserere mei Deus *Totus cum* Gloria. *Et* Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster. Et de nos.

Preces. Domine misericordiarum, P. Obliviscere peccata nostra. ℣. Qui vitam mortuis, cœcis lumen, auditum surdis dedisti. P. Obliviscere. ℣. Qui mutis eloquium, claudis gressum, leprosis sanitatem dedisti. P. Obliviscere. ℣. Qui injurias carnis nostræ in tuo corpore pertulisti. P. Obliviscere.

Oratio. Exaudi orationem nostram. *fol.* 138.

Ad Matutinum.

D *Hymnus.* Æterne rerum Conditor. *fol.* 3.

Oratio. Æternum te Dominum, rerumque omnium conditorem, cunctorum vox canit fidelium, qui et certos limites figis, et metas, quibus nox secernatur et dies, æterna lege constituis: abyssus etenim sapientiæ tuæ, ut mortalium allevaret fastidium, aliud labori concessit, aliud quieti servavit: Præsta, ergo, omnipotens Deus, ut mens ægra sopore, dum gallo canente, admonetur, alacriter currens, ad spem redeat lucis, et primitias diurni laboris in tuis semper impendat officiis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 1. Domine qui multiplicati sunt, qui

tribulant me? Tu autem Domine susceptor meus es. *Psalmus* III. A

Antiphona 2. Dele Domine iniquitates meas. *Psalmus* L. *Antiphona* 3. In te confidit anima mea *Psalmus* LVI.

Oratio. Domine Deus, apud quem confitentes medelam salutis inveniunt; dele piaculorum vulnera de cordibus hominum; et ostende super nos clementiæ tuæ clarissimum vultum; tuumque clamoribus supplicum inclina sanctum auditum: Effunde mentibus nostris tuæ gratiæ donum; et concede postulantibus remedium quæsitum: ac quia ad impendendum debitum nostræ servitutis consurgimus; effunde benedictionis et salutis abundantiam super populum tuum: ac dele misericors scelus contractum; et fac nos esse liberos a reatu facinorum: B audi gemitus petentium; largire indulgentiæ fructum; et clamoribus pulsantum fidelium concede singulis suffragium postulatum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 1. Converte nos Deus salutaris noster: *P.* Et averte iram tuam a nobis. Ne in æternum irascaris nobis. ℣. Deus tu convertens vivificabis nos: et plebs tua lætabitur in te. *P.* Et averte. ℣. Gloria, et honor.

Oratio. Converte nos Deus salutaris noster ad te, ut avertas iram tuam a nobis; quia aderit respiramen, si suspenderis furorem: sit clementia proxima, ut procul sit ira: converte nos, ut miserando vulnera nostra sanes: ne aversus juste pro peccato, plagas potius multiplices. Ergo rogamus, ut præveniat justitiam pietas, et præoccupet pœnam indulgentia; nos quoque ad te converte; ut tribuas salutem, et subtrahas ultionem. ℟. Amen. C

Per misericordiam.

Antiphona 2. Judicate pupillo, et egeno: P. Humilem, et pauperem justificate. Eripite pauperem et egenum: de manu peccatoris liberate eum. P. Et pauperem. ℣. Gloria, et honor.

Oratio. Exurge, Domine, qui judicas terram: et qui fidem omnium gentium pius possessor inhabitas, ne patiaris nos in tenebris remanere; sed fac nos lumen tuæ veritatis aspicere: ut fundamenta fidei nostræ non super arenam, quam turbo dejiciat, edificemus; sed supra petram, cujus tu es firmitas, conlocemus. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam. D

Antiphona 3. Tu nobis es, Domine, refugium a pressura, quæ circumdedit nos. P. Multa sunt enim flagella peccatorum nostrorum. ℣. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. P. Multa. ℣. Gloria, et honor.

Oratio. Da nobis Domine peccatorum remissionem, qui purgatis præsta beatitudinem: **216** esto refugium a pressura damnationis, qui indultor es libertatis: et qui multa flagella peccatorum in nobis plaga inruente sentimus, in te confitendo, circumdari nos tua misericordia sentiamus, ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Quis te consolabitur virgo filia Sion, quia magna est sicut mare contritio tua? Effunde sicut aqua cor tuum. P. In conspectu Domini extolle ad eum manus tuas pro remedio peccatorum tuorum. ℣. Deduc quasi torrentem lachrymas per diem, et noctem, et non taceant pupillæ oculi tui. P. In conspectu. ℣. Gloria, et honor.

Oratio. Consolare nos, Domine, in tribulatione nostra, qui quotidie peccatis contristamur, et compunge cor nostrum ad effundendas lachrymas, sicut aqua in conspectu tuo: ut extollentes ad te manus nostras, numquam humanis dejiciamur in laudibus; sed te, in quo summa est gloriatio, tui memores, delectemur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Sicut parturiens proxima est partui, et in dolore suo clamat: ita facti sumus dilecto. Propter timorem tuum Domine, in utero accepimus, et parturivimus spiritum salutis, quem fecisti super terram.

Canticum. De nocte vigilat. *fol.* 64.

Ad Benedictus. Antiphona. Mane astabo tibi, et videbo te: quoniam tu es Deus, nolens iniquitatem. ℣. Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum. Intende voci orationis meæ, rex meus et Deus meus. Quoniam ad te orabo Domine.

Canticum. Benedictus es Domine. *Quære fol.* 6.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis omnes stellæ et lumen. Cœli cœlorum, et aquæ, quæ sunt supra cœlos, P. Laudent nomen Dimini. ℣. Reges terræ, et omnes populi: principes, et omnes judices terræ. P. Laudent.

Lectio libri Numeri (*Cap.* XIII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Mitte viros, qui conciderent terram Chanaan, quam daturus sum filiis Israel, singulos de singulis tribubus, ex principibus. Fecit Moyses quod Dominus imperaverat, mittens principes viros de deserto Pharan, quorum ista sunt nomina. De tribu Ruben, Semmua filium Zechur. De tribu Simeon, Saphat filium Huri. De tribu Juda, Caleb filium Jephone. De tribu Issachar, Igal filium Joseph. De tribu Ephraim, Osee filium Nun. De tribu Benjamin, Phalti filium Raphu. De tribu Zabulon, Geddiel filium Sodi. De tribu Joseph, sceptri Manasse, Gaddi filium Susi. De tribu Dan, Ammiel filium Gemalli. De tribu Aser, Sthur filium Michael. De tribu Nephtali, Nahabi filium Vapsi. De tribu Gad, Guel filium Maarchi: hæc sunt nomina virorum, quos misit Moyses ad considerandam terram: vocavitque Josue filium Nun: misit ergo eos ad considerandam terram Chanaan, et dixit ad eos: Ascendite per meridianam plagam. Cumque veneritis ad montes, considerate terram, qualis sit: et populum qui habitator est ejus utrum fortis sit an infirmus: pauci numero an plures: ipsa terra, bona an mala: urbes quales, muratæ an absque muris: humus, pinguis

an sterilis,nemorosa au absque arboribus. Confortamini, et afferte nobis de fructibus terræ illius. A Erat autem tempus quod jam præcoquæ uvæ vesci possunt. Cumque ascendissent, exploraverunt terram a deserto Sin, usque Rohob intrantibus Emath. Ascenderuntque ad meridiem, et venerunt in Hebron, ubi erant Achiman et Sisai et Tolmai filii Enac : nam Hebron septem annis ante Tanim urbem Ægypti condita est. Pergentesque usque ad Torrentem botri, absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in virga duo viri. De malis quoque granatis et de ficis loci illius tulerunt : qui appellatus est locus ille Neheleschol, id est, Torrens botri, eo quod botrum inde portassent filii Israel. Reversique exploratores terræ post quadraginta dies, omni regione circumita, venerunt ad Moysen et Aaron et ad B omnem cœtum filiorum Israel in desertum Pharan, quod est in Cades. Locutique sunt ad eos et omni multitudini ostenderunt fructus terræ : et narraverunt, dicentes : Venimus in terram, ad quam misistis nos, quæ revera fluit lacte et melle, quod ex his fructibus cognosci potest : sed cultores fortissimos habet, et urbes grandes, atque muratas. Stirpem Enac vidimus ibi. Amalec habitat in meridie, et Hethæus et Jebusæus et Amorrhæus in montanis : Chananæus vero moratur juxta mare et circa fluenta Jordanis. Inter hæc **217** Caleb compescens murmur populi, qui oriebatur contra Moysen, ait : Ascendamus, et possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam. Alii vero qui fuerant cum eo, dicebant ; Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est. C Detraxeruntque terram, quam inspexerant apud filios Israel dicentes : Terra quam lustravimus, devorat habitatores suos ; populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur. (*Cap.* XIV.) Igitur vociferans omnis turba flevit nocte illa, et murmurati sunt contra Moysen cuncti filii, dicentes : Utinam mortui essemus : et non in hac vasta solitudine ! utinam pereamus : et non inducat nos Dominus ad terram istam, ne cadamus gladio, et uxores ac liberi nostri ducantur captivi. Nonne melius est reverti in Ægytum ? Dixeruntque alter ad alterum : Constituamus nobis ducem, et revertamur in Ægyptum. Quo audito Moyses et Aaron D ceciderunt proni terram coram multitudine filiorum Israel. At vero Josue filius Nun et Caleb filius Jephone, qui et ipsi lustraverant terram, sciderunt vestimenta sua, et ad omnem multitudinem filiorum Israel locuti sunt : Terra, quam circuivimus, valde bona est : si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, et tradet humum lacte et melle manantem. Nolite rebelles esse contra Dominum : neque timeatis populum terræ hujus, quia sicut panem ita et possumus eum devorare : recessit ab illis omne præsidium : Dominus vobiscum est, nolite timere. Cumque clamaret omnis multitudo, et lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini super tectum fœderis cunctis filiis Israel. Et dixit Dominus ad Moysen : Usquequo detrahit mihi populus iste ? Quousque non credent mihi, in omnibus signis quæ feci coram eis ? Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam : te autem faciam principem super gentem magnam, et fortiorem quam hæc est. Et ait Moyses ad Dominum : Ut audiant Ægyptii, de quorum medio eduxisti populum istum, et habitatores terræ hujus, qui audierunt quod tu Domine in populo isto sis, et facie ad faciem videaris, et nubes tua protegat illos, et in columna nubis præcedas eos per diem, et in columna ignis per noctem : quod occideris tantam multitudinem quasi unum hominem, et dicant : Non poterat introducere populum istum in terram, pro qua juraverat : idcirco occidit eos in solitudine. Magnificetur ergo fortitudo Domini sicut jurasti, dicens : Dominus patiens et multæ misericordiæ, auferens iniquitates et scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata patrum in filiis in tertiam et quartam generationem. Dimitte, obsecro, peccata populi hujus secundum magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti de egredientibus ex Ægypto usque ad locum istum. Dixitque Dominus : Dimisi secundum verbum tuum. Vivo ego, dixit Dominus : et impletur gloria Domini universa terra. Attamen omnes homines qui viderunt majestatem meam, et signa quæ feci in Ægypto et in solitudine, et tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt Terram quam juravi patribus eorum, nec quisquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam. Servum autem meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in Terram hanc, quam circumivit : et semen ejus possidebit eam. ℟. Amen.

Hymnus. Christe immense, dominator Sancte. *fol.* 214.

Capitula. Clamoris nostri intelligens orationem, clarifica lucis æternæ præsentia mane tibi adstantium vota ; dieique perennis ita præcipe in nobis candorem effulgere, ut tetræ noctis crassitudo, et erroris amica caligo aufugiat ; Sol quoque verus suo nos radio lustrando custodiat.

Pater noster.

Lauda. Laus ejus. *Et Oratio*. Laus tua. *Require fol.* 181.

In secundis Vesperis.

Lauda. In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedite Dominum. ℣. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.

Oratio. In noctibus manus nostras ad te extollimus Domine, ut nos in Ecclesia tua fixos statuas ; ac dum mundialibus imprimimur sarcinis, nostra laudari te actione concedas. ℟. Amen.

Antiphona. Miserere nobis, Deus magne, terribilis, qui custodis pactum, et misericordiam invocantibus te, P. Et custodientibus mandata tua. ℣. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. P. Et custodientibus. **218** ℣. Gloria, et honor. P. Et custodientibus.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Revela oculos meos: et considerabo mirabilia de lege tua. Incola ego sum in terra. *P.* Ne abscondas a me mandata tua. ℣ Retribue servo tuo, vivam: et custodiam sermones tuos. *P.* Ne abscondas. ℣. Gloria, et honor.

Hymnus.

Quarto die jam fœtidus
Vitam recepit Lazarus,
Mortisque liber vinculis
Factus superstes est sibi.
Rivos cruoris torridi
Contacta vestis obstruit,
Fletu rigante supplicis
Arent fluenta sanguinis.
Solutum omni torpore
Jussit repente surgere:
Suis vicissim gressibus
Æger vehebat lectulum.
Deo Patri sit Gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, et per omne sæculum. Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem.

Capitula. O bone Jesu, amabilis, et admirabilis auctor, accipe sacrificium servorum tuorum: et qui prætitisti Lazaro, ut audiens vocem tuam surgeret ex sepulchro: præsta nobis, ut et auditu capientes interno, resurgamus, per gratiam a proprio sceleris nostri profundo: quo vocem piæ orationis, qua nos te exorare docuisti in terris, sicut eam nunc coram te fiducialiter prompserimus, ita quoque effectum ipsius petitionis a te percepisse nos gratulemur.

Pater noster.

Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit semper. ℟. Et cum spiritu tuo.

Benedictio. Jesus Christus filius Dei, qui mortuum Lazarum vitæ reddidit pristinæ: ipse nos novæ vitæ sanctificatione perlustret. ℟. Amen. Et qui illum solutis manuum ac pedum nexibus abire præcepit: ipse, vestrorum compedum resoluto ligamine, rectis vos semper semitis faciat ambulare. ℟. Amen. Quique per tantæ rei miraculum, manifestam fecit populis gloriam suam: ipse vos introducat ad gaudia sempiterna. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Lauda. Mirabilia testimonia tua, Domine: *P.* Ideo scrutata est anima mea. ℣. Declaratio sermonum tuorum illuminat me: et intellectum dat parvulis. *P.* Ideo scrutata. ℣. Gloria et honor.

Oratio. Scrutantes, Domine, testimoniorum tuorum mirabilia, illuminationis tuæ intellectum declara: quique aperto ore vitalem spiritum traximus et pinguedinem sancti Sacrificii saginati ructamus in timore semper eloquiorum tuorum crescamus A atque gloriam aspectus tui ostensione pacifica videamus. ℟. Amen.

Alia Lauda. 2. Ab omni via mala. *P.* Prohibe pedes meos, Domine: ℣. Quomodo dilexi legem tuam, Domine? tota die meditatio mea est. *P.* Prohibe.

Oratio. Ab omni via mala prohibe pedes nostros, Domine: Verbumque tuum tota servemus attentione; atque a malo recedere, et tibi nos perpetim facias complacere. ℟. Amen.

Lauda 3. Fundasti terram, et permanet. Ordinatione tua perseverant dies: *P.* Quoniam omnia serviunt tibi. ℣. In æternum Domine permanet verbum tuum in cœlo. P. Quoniam omnia.

Oratio. In æternum Domine Verbum tuum quod permanet in cœlo, in Ecclesiæ tuæ semper inhabi- B tet templo: ut inhabitatoris præsentia habitaculis sit claritas indefessa. ℟. Amen.

Lauda 4. Quomodo dilexi legem tuam Domine? P. Tota die meditatio mea est. ℣. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo: quia in æternum mihi est. P. Tota die.

Oratio. Da nobis, Domine, sic diligere legem tuam; ut eam jugiter meditemur in corde, et accepto tibi perficiamur in opere. ℟. Amen.

Alia Lauda 5. Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me: P. Da mihi intellectum. Domine, ℣. Qui timent te videbunt me, et lætabuntur: quia in verbo tuo speravi. P. Da mihi.

Oratio. Ad te Domine oculos nostros erigimus; quia manum tuarum artificium sumus: da nobis C intellectum discendi mandata tua; et timentes te reple lætitia: veniat in consolationem nostri misericordia tua; **219** quæ nos et a malis omnibus eruat, et operum dignitatem tibi placere edoceat. ℟. Amen.

Lauda 6. Qui timent te videbunt me, et lætabuntur: P. Quia in verbo tuo, Domine, ego speravi. ℣. Cognovi Domine, quia æquitas judicia tua: et in veritate tua humiliasti. P. Quia in verbo.

Oratio. Præsta nobis Domine intellectum discendi mandata tua: instrue nos meditatione assidua, ut ab omni officio nos non retrahat desidia; sed ad consolandum nos tua fiat misericordia. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Preces. Averte, Domine, iram tuam a nobis. *Et Oratio.* Averte Domine faciem tuam. *Quære fol.* D 130.

FERIA SECUNDA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Tu autem Domine. *Psalmus* III. *Et Oratio.* Quamvis Domine. *fol.* 141.

Antiphona. Delicta qui solus intelligis, a peccatis nostris munda nos, Domine. *Psalmus* XVIII.

Oratio. Ab occultis nostris munda nos Domine purgando conscientiam, quæ internis ac propriis inficitur maculis: ab alienis quoque parce servis tuis, ut ea indulgeas, quæ vel malorum exemplis addiscimus, vel parvis inlecti persuasionibus perpetramus: ut qui te proprium agnoscimus Dominum,

peccatorum nequaquam sentiamus ulterius dominatum. ℣. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Exaudi nos in die, qua invocamus te, Domine, Deus noster. *Psalmus* XIX.

Oratio. Imple Domine omnes petitiones nostras; ac mitte nobis auxilium de sancto: memor esto omnis sacrificii nostri, quod tibi non solum oblatione, sed etiam oratione atque afflictione dicamus, ut nos tibi humiles semper facias, et contritos adtendas. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Ad defensionem nostram, Deus, respice. *Psalmus* XXI.

Oratio. Ad defensionem nostram, Domine Deus noster dignanter respice; eripe a framea animas nostras: et ne doctrina pascamur lætali, tuo nos tutamine rege; simulque de ore leonis, rapere nos cupientis, libera: et ob latrantis perfidiam canis, pervigili contuitu, solicita nos protege cura. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Si dixerimus qui peccatum non habemus; nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Quia si confessi fuerimus delicta nostra; fidelis et pius est. P. Qui nobis peccata dimittat, et mundet nos ab omni iniquitate. ℣. Hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum. P. Qui nobis.

In Laudibus.

Antiphona. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. *Psalmus* L.

Oratio. Miserere nobis Domine secundum magnam misericordiam tuam: ut unde nos erubescimus, tu indulgeas: et ea, quæ egisse nos pœnitet, tu clementer ignoscas. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Canticum. Antiphona. Cantabo Domino nunc dilecto canticum dilectæ vineæ meæ. Vinea facta est dilecto in loco uberi.

Canticum Esaiæ (*Cap.* V).

Cantabo nunc dilecto canticum * dilectæ vineæ meæ.

Vinea facta est dilecto in cornu, et in loco uberi. Et maceria circumdedi, circumfodi, et plantavi vineam Soreth.

Et ædificavi turrem in medio ejus, et torcular fodi in ea: * et sustinui ut faceret uvas, fecit autem spinas.

Et nunc homo Juda, et qui habitatis Hierusalem, judicate inter me et vineam meam.

Quid faciam vineæ meæ, quod adhuc ei non fecerim? * quam sustinui ut faceret uvas, fecit autem spinas.

Et nunc ecce ego annuncio vobis quæ facturus sum vineæ meæ; * auferam maceriam ejus, et erit in direptionem: et destruam parietes ejus, et erit in conculcationem.

A Et derelinquam vineam meam et non putabitur, neque fodietur: * et ascendent in eam sicut in agrum incultum spinæ: et nubibus mandabo ne pluant super eam pluviam.

Vinea enim Domini Sabbaoth domus est Israel: * et homo Juda, novellum dilectum:

Sustinui ut faceret judicium, * fecit autem iniquitatem; et non justitiam, sed clamorem. ℟. Amen.

Oratio. Domine. qui israeliticam vineam pro fructibus repulisti spinarum; amplia **220** Ecclesiam tuuam inlatione virtutum: ut maceria, qua illi detecti sunt, præceptorum nos ambias: et turrim regni, torcularque altaris, quod illis imminuis, nobis impertias: ut, imbre nubium in pulviam rupta, flammarum debitas vepres non exhibeamus; sed fru-
B ges cœlestes benignus et in nobis nutrias, et ex nobis accipias. ℟. Amen.

Ad Benedictus. Antiphona. Emitte lucem tuam Domine et veritatem tuam: ℣. Ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernaculum tuum.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol*. 6.

Lauda. In cymbalis bene sonantibus, in cymbalis jubilationum: omnis spiritus laudet Dominum. *Psalmus* CL.

Lectio libri Deuteronomii (Cap. XXXIV).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Ascendit Moyses de campestribus Moab super montem Nebo, in verticem Phasga contra Jericho: ostenditque ei Dominus omnem terram
C Galaad usque Dan, et universum Nephtalim, terramque Ephraim et Manasse, et omnem terram usque ad mare novissimum, et australem partem, et latitudinem campi Jericho civitatis palmarum usque Segor. Dixitque Dominus ad eum: Hæc est terra, pro qua juravi Abraham, Isaac, et Jacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, et non transibis ad illam. Mortuusque est Moyses servus Domini, in terra Moab, jubente Domino: sepelivit eum in valle terræ Moab, contra Phogor: et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem. Moyses centum et viginti annorum erat quando mortuus est: non caligavit oculus, ejus nec dentes illius commoti sunt. Fleveruntque illum filii Israel in campestribus Moab viginti diebus: et completi sunt dies planctus lugentium Moysen. Jo-
D sue vero filius Nun repletus est spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas. Et obedierunt ei filii Israel, feceruntque sicut præceperat Dominus Moysi. Et non surrexit propheta ultra in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis atque portentis, quæ misit per eum, ut faceret in Ægypto Pharaoni, et omnibus servis, universæque terræ illius, et cunctam manum robustam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moyses coram universo Israel. ℟. Amen.

Hymnus. Fulgentis auctor. *fol*. 96.

Capitula. Emitte lucem tuam, et veritatem tuam Domine Deus noster, ut splendor divinitatis tuæ ca-

liginem mentis nostræ enubilet, et vera humanitatis assumptio, humani generis sit manifesta redemptio : ut dum verus Deus, verusque homo in nobis, atque pro nobis ostenderis ; opus tuum omnipotentia eripiat ab hoste captivos, et enutriat misericordia jam redemptos. A

Pater noster.

Lauda. Mirabilia testimonia tua Domine : P. Ideo scrutata est anima mea. ℣. Declaratio sermonum tuorum illuminat : et intellectum dat parvulis. P. Ideo. ℣. Gloria, etc. P. Ideo.

Oratio. Scrutantes, Domine, testimoniorum tuorum mirabilia, illuminationis tuæ intellectum declara : quique aperto ore vitalem spiritum traximus ; et pinguedinem sancti Sacrificii saginati eructamus : in timore semper eloquiorum tuorum B crescamus ; atque gloriam aspectus tui ostensione pacifica videamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Tertiam.

Sapientiæ Ecclesiastici Salomonis (*Cap.* IX).

℟. Deo gratias.

Fili, secundum virtutem tuam cave te a proximo, et cum sapientibus, et prudentibus tracta : Viri justi sint tibi convivæ, et in timore Domini sit tibi gloriatio tua, et in sensu sit tibi Dei cogitatus, et omnis narratio tua in præceptis Altissimi. In manu artificum opera laudabitur, et principes populi in sapientia sermonis sui, in sensu vero seniorum verbum. Terribilis est in civitate sua homo linguosus : et temerarius in lingua sua odibilis. C (*Cap.* X.) Judex sapiens vindicabit populum suum, et principatus sensati stabilis erit. Rex insipiens perdet populum suum : et civitates inhabitabuntur per sensum prudentium. In manu Dei potestas terræ : et utilem rectorem suscitabit in tempus super illam. ℟. Amen.

Lectio libri Josue (*Cap.* I).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Factum est post mortem Moysi servi Domini, ut loqueretur Dominus ad Josue filium Nun, ministrum Moysi, et diceret ei : Moyses servus meus mortuus est : surge, et transi Jordanem istum tu, et omnis populus tecum, in terram, quam ego dabo filiis Israel. Omnem locum, quem
221 calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam, D sicut locutus sum Moysi. A deserto et Libano usque ad fluvium magnum Euphratem, omnis terra Hethæorum usque ad mare magnum contra solis occasum erit terminus vester. Nullus vobis poterit resistere cunctis diebus vitæ suæ : sicut fui cum Moyse, ero et tecum : non dimittam, nec derelinquam te. Confortare, et esto robustus valde : ut custodias, et facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses servus meus : nec declines ab ea ad dexteram vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis. Non recedat volumen legis hujus de ore tuo : sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias, et facias omnia quæ scripta sunt in eo : tunc diriges viam tuam, et intelliges eam. Ecce præcipio tibi, confortare, et esto robustus. Noli metuere : quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris. Præcepitque Josue principibus populi, dicens : Transite per medium castrorum, et imperate populo, ac dicite : Præparate vobis cibaria : quoniam post diem tertium transibitis Jordanem, et intrabitis ad possidendam terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis. Rubenitis quoque et Gaditis, et dimidiæ tribui Manasse ait : Mementote sermonem, quem locutus est vobis Moyses famulus Domini, dicens : Dominus Deus vester dedit vobis requiem, et omnem terram. Uxores vestræ, et filii, ac jumenta manebunt in terra, quam tradidit nobis Moyses trans Jordanem : vos autem transite armati inter fratres vestros, omnes fortes manu, et pugnate pro eis, donec det Dominus requiem fratribus vestris sicut et vobis dedit, et possideant ipsi quoque terram possessionis vestræ, et habitatis in terra, quam dedit vobis Moyses famulus Domini trans Jordanem contra solis ortum. Responderuntque ad Josue, atque dixerunt : Omnia, quæ præcepisti nobis, faciemus : et quocumque miseris, ibimus. Sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obediemus et tibi : tantum sit Dominus Deus tecum, sicut fuit cum Moyse. Qui contradixerit tibi, et non obedierit cunctis sermonibus quos præceperis ei, moriatur : tantum confortare, et viriliter age. (*Cap.* II.) Misit ergo Josue filius Nun de Setim duos viros exploratores in abscondito : et dixit eis : Ite, et considerate terram, urbemque Jericho. Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis, nomine Rahab, et quieverunt apud eam. Nuntiatumque est regi Jericho, et dictum : Ecce viri ingressi sunt huc per noctem de filiis Israel, ut explorarent terram. Misitque rex Jericho ad Rahab, dicens : Educ viros, qui venerunt ad te, et ingressi sunt domum tuam : exploratores quippe sunt, et omnem terram considerare venerunt. Tollensque mulier viros, abscondit, et ait : Fateor, venerunt ad me, sed nesciebam unde essent : cumque porta clauderetur in tenebris, et illi pariter exierunt, nescio quo abierunt : persequimini cito, et comprehendite eos. Ipsa autem fecit ascendere viros in solarium domus suæ, operuitque eos lini stipula, quæ ibi erat. Hi autem qui missi fuerant, secuti sunt eos per viam quæ ducit, ad vadum Jordanis : illisque egressis statim porta clausa est. Nec dum obdormierunt qui latebant, et ecce mulier ascendit ad eos, et ait : Novi quod tradiderit Dominus vobis terram : et irruerit in nos terror vester, et elanguerunt omnes habitatores terræ. Audivimus quia siccavit Dominus aquas maris Rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Ægypto : et quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus, qui erant trans Jordanem, Sehon et Og, quos interfecistis. Et hæc audientes pertimuimus, et elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus vitæ ad introitum vestrum : Dominus enim Deus vester, ipse est Dominus in cœlo sursum, et in terra deorsum. Nunc ergo jurate mihi per

Dominum, ut quomodo ego feci vobiscum misericor- A diam, ita et vos faciatis cum domo patris mei : detisque mihi signum, et salvetis patrem meum et matrem, fratres ac sorores meas, et omnia quæ meorum sunt, et eruatis animas nostras de morte. Qui responderunt : Anima nostra sit pro vobis ad mortem, si non tamen prodideris nos : cumque tradiderit nobis Dominus terram, faciemus in te misericordiam et veritatem. Demisit ergo eos per funem de fenestra : domus enim ejus hærebat muro. Dixitque ad eos : Ad montana conscendite, ne forte occurrant vobis revertentes : ibique latitate diebus tribus, donec redeant, et sic ibitis per viam vestram. Qui dixerunt ad eam : Innoxii erimus a juramento hoc, qud adjurasti nos : si ingredientibus nobis terram, signum fuerit funiculus iste coccineus ; et ligaveris eum per B fenestram, qua nos demisisti : et patrem tuum et **222** matrem, fratresque et omnem cognationem tuam congregaveris in domum tuam. Qui ostium domus tuæ egressus fuerit, sanguis ipsius erit super caput ejus, et nos erimus alieni. Cunctorum autem sanguis, qui tecum fuerat in domo, redundabit in caput nostrum si eos aliquis testigeris. Quod si nos prodere volueris, et sermonem istum proferre in medium, erimus mundi ab hoc juramento, quo adjurasti nos. Et illa respondit : Sicut locuti estis, ita fiat : dimittensque eos ut pergerunt, appendit funiculum coccineum in fenestram. Illi vero ambulantes pervenerunt ad montana, et manserunt ibi tres dies, donec reverterentur qui fuerant persecuti : quærentes per omnem viam, non repererunt eos. C Quibus urbem ingressis, reversi sunt, et descenderunt exploratores de monte : et Jordane transmisso, venerunt ad Josue filium Num, narraveruntque omnia quæ acciderant sibi, atque dixerunt : Tradidit Dominus in manus nostras omnem terram hanc, et timore prostrati sunt cuncti habitatores ejus (*Cap.* III). Igitur Josue de nocte consurgens præmovit castra : egredientesque ad Setim venerunt ad Jordanem ipse et omnes filii Israel, et morati sunt ibi tres dies. Quibus evolutis, transierunt præcones per castrorum medium, et clamare cœperunt : Quando videritis arcam fœderis Domini Dei vestri, et sacerdotes stirpis leviticæ portantes eam : vos quoque consurgite, sequimini præcedentes : sitque inter vos, et arcam spatium cubitorum duum milium : ut procul D videre possitis, et nosse per quam viam ingrediamini : quia prius non ambulastis per eam : et cavate ne appropinquetis ad arcam. Dixitque Josue ad populum : Sanctificamini : cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia. *Respondeat chorus.* Amen.

Antiphona 1. Deus Deus noster, respice nos : non nos derelinquas, sperantes in te. *Psalmus.* XXI.

Oratio. Respice in nos, Domine Deus noster ; ne avertendo faciem tuam a nobis, nos aliquatenus derelinquas : vere enim salvi erimus, si vultus tui in nos aspectum converteris, et hilariter nostris te animabus conjunxeris : ut quia in te speraverunt patres nostri, et salvi facti sunt, nos hereditariæ fac eorum spei succedere ; et parilitate horum, æterna cum eis exultatione gaudere. *Respondeat chorus.* Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster, etc.

Antiphona. 2. Sperantes in Domino misericordia circumdabit. *Psalmus* XXXI.

Oratio. Remitte Domine impietatem cordis nostri, pro qua te omnis Sanctus in tempore opportuno exorat ; atque intellectum tribue nobis per operationis suffragium, quod precamur : et instrue nos in hujus vitæ viam, qua gradiamur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Fiat Domine misericordia tua super nos : sicut speravimus in te. *Psalmus.* XXXII.

℟. Misericordia Domini facit, ut non deficiat ; *P.* Quia non sunt consummatæ miserationes ejus. ℣. Flagellabit nos ab iniquitatibus nostris, et omnium nostrorum miserebitur. *P.* Quia non. ℣. Gloria, et honor Patri. *Reiteretur* ℟.

Preces. Miserere, et parce, clementissime Domine, populo tuo. *P.* Quia peccavimus tibi. ℣. Prostrati omnes lachrymas producimus, pandentes tibi occulta, quæ admisimus : a te, Deus exposcimus. *P.* Quia. ℣. Orationes sacerdotum accipe, et quæ postulant affluenter tribue : ac tuæ plebi miserere, Domine. *P.* Quia. ℣. Furorem tuum adduxisti super nos : delicta nostra curvaverunt nos, et absque ulla spe defecimus. *P.* Quia. ℣. Remissionem peccatorum tribue, et largitatem dona nobis pluviæ : te invocamus : tu adesto, Domine. *P.* Quia.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol.* 144.

Oratio. Fiat misericordia tua Domine super nos : ut qui singillatim corda hominum fingis ; speciatim ea sanctifices : et quia oculi tui super eos sunt, qui te metuimus : timoris tui da nobis confertam largitatem.

Pater noster.

Ad Sextam.

Lectio Jeremiæ Prophetæ (*Cap*, XXXIII).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Clama ad me, et exaudiam te : et annuntiabo tibi grandia, et firma quæ nescis. Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël, et ad domos urbis hujus, et ad domos regis Juda, quæ destructæ sunt, et ad munitiones, et ad gladium venientium ut dimicent cum Chaldæis, et impleant eas cadaveribus hominum, quos percussi in furore meo et indignatione mea, abscondens faciem meam a civitate hac, **223** propter malitiam eorum omnem. Ecce ego obducam eis cicatricem et sanitatem, et curabo eos : et revelabo illis deprecationem pacis et veritatis. Et convertam conversionem Juda, et conversionem Hierusalem : et ædificabo eos sicut a principio. Et emundabo illos ab omni iniquitate sua, in qua peccaverunt mihi : et propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus derelinquerunt, et spreverunt me. Et erit mihi in nomen, et in gaudium, et in laudem, et in exultationem cunctis gentibus terræ, quæ audierunt omnia bona, quæ ego facturus sum eis : et pavebunt, et turbabuntur in universis

bonis, et in omni pace, quam faciam ego eis. Hæc A dicit Dominus : Adhuc audietur in loco isto (quem vos dicitis esse desertum, eo quod non sit homo et jumentum : in civitatibus Juda, et foris Hierusalem, quæ desolatæ sunt absque homine, et absque habitatore, et absque pecore), vox gaudii et vox lætitiæ, vox sponsi et vox sponsæ, vox dicentium : Confitemini Domino exercituum, quoniam bonus Dominus, quoniam in sæculum misericordia ejus.

℟. Amen.

Antiphona 1. Confitemini Domino in cithara : in psalterio decem chordarum psallite ei. *Psalmus* XXXII.

Oratio. Tibi Domino placens sit anima nostra; a quo et virtutem tolerantiœ, et præmium concupiscit accipere : tua ergo super nos misericordia sicut B speravimus, fiat: tuaque nos gratia consueta præveniat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Magnificate Dominum mecum : et exaltemus nomen ejus in unum. *Psalm*. XXXIII.

Oratio. Inquirentes te, Domine, dignanter exaudi; atque ut in te lætetur anima nostra propitius indultor imperii : et quia juxta es his, qui tribulato sunt corde, aurem tuam ad contritionem nostri spiritus pande : et ad pacem tuam, quæ exuperat omnem sensum, corpora nostra et corda converte. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Filii hominum in protectione alarum tuarum sperant, Domine. *Psalmus* XXXV. C

℟. Si ambulaverimus in viis ejus : erit nobis consolator Dominus magnus, et æternus. P. In die tribulationis nostræ. ℣. Benedictus Dominus, qui magnus est in æternum: quoniam in sæcula regnum ipsius est : quia ipse flagellat, et iterum miseretur. *P*. In die. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur* ℟.

Preces. Miserere, Domine, supplicantibus. *P*. Tu dona nobis veniam. ℣. Rerum Creator omnium, ad te precem dirigimus. *P*. Tu dona. ℣. Iram tuam remove, et quæ rogamus tribue. P. Tu dona. ℣. Concede nobis, Domine, copiam indulgentiæ. *P*. Tu dona. ℣. Cum misericordia tribue nobis pluviam. *P*. Tu dona.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol*. 144.

Oratio. In protectione alarum tuarum Domine D filios hominum sperantes, nequaquam detegas; sed tanquam pupillos, quo possimus supernis volatibus præparari, fovendo enutrias : nec diripi nos laceratione insidiantium sinas; nec à nido Ecclesiæ tuæ avolare permittas : sed dum nos tegmine regis paterno, ad ubertatem domus tuæ adjuti tuo veniamus auxilio.

Pater noster.

Ad Nonam.

Ecclesiastici Salomonis (*Cap*. XXVIII).

℟. Deo gratias.

Fili, susurro et bilinguis maledictus : multos enim turbavit pacem habentes. Lingua tertia multos commovit, et dispersit illos a gente in gentem : civitates muratas destruit, et domos magnorum effodit, virtutes populorum concidit, et gentes fortes dissolvit. Lingua tertia mulieres viratas ejecit, et privavit illas laboribus suis : qui respicit illam, non habet requiem, nec habebit amicum, in quo requiescat. Flagelli plaga livorem facit : plaga autem linguæ comminuit ossa. Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic quomodo qui ceciderunt per linguam suam. Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam, et ori tuo fac retia et seras. Beatus qui tectus est a lingua sua nequam, qui in iracundiam illius non transivit, et qui non traxit jugum ejus, et in vinculis illius non est ligatus. ℟. Amen.

Lectio libri Josue (*Cap*. V).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Cum esset Josue in agro urbis Jericho levavit oculos, et vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, et ait : Noster es, an adversariorum ? Qui respondit : Nequaquam : sed sum princeps exercitus Domini, et nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram, et adorans ait : Quid Dominus meus loquitur ad servum suum ? Solve, **224** inquit, calceamentum de pedibus tuis : locus enim, in quo stas, terra sancta est. Fecitque Josue ut sibi fuerat imperatum. (*Cap*. VI.) Jericho autem clausa erat atque munita, timore filiorum Israel, et nullus egredi audebat aut ingredi. Dixitque Dominus ad Josue: Ecce dedi in manus tuas Jericho, et regem ejus, omnesque fortes viros. Circuite urbem cuncti bellatores semel per diem: sic facietus sex diebus. Septimo autem die sacerdotes tollant septem buccinas, quarum usus est in jubilæo, et præcedant arcam fœderis: septiesque circuibitis civitatem, et sacerdotes clangent buccinis. Cumque insonaverit vox longior atque concisior, et in auribus vestris concrepuerit, clamabit omnis populus vociferatione maxima et muri funditus corruent civitatis, ingredienturque singuli per locum circa quem steterint. Vocavit ergo Josue filius Nun sacerdotes, et dixit ad eos : Tollite arcam fœderis : et septem alii sacerdotes tollent jubilæorum buccinas septem, et incedant ante arcam Domini. Ad populum quoque ait : Ite, et circuite civitatem, armati, præcedentes arcam Domini. Cumque Josue verba finisset, et de septem sacerdotes septem buccinis clangerent ante arcam fœderis Domini, omnisque Israel præcederet armatus exercitus, reliquum vulgus arcam sequebatur, ac buccinis omnia concrepabant. Præceperat autem Josue populo : Non clamabitis, nec audietur vox vestra, neque ullus sermo ex ore vestro egredietur : donec veniat dies in quo dicàm vobis: Clamate et vociferamini. Circuivit ergo arca Domini civitatem semel per diem, et reversa in castra, mansit ibi. Igitur Josue de nocte consurgente, tulerunt sacerdotes arcam Domini, et septem ex eis septem buccinas, quarum in jubilæis usus est : præcedebant arcam Domini ambulantes atque clangentes : et armatus populus ibat ante eos,

vulgus autem reliquum sequebatur arcam, et buccinis personabat. Circuieruntque civitatem secundo die semel, et reversi sunt in castra. Sic fecerunt sex diebus. Die autem septimo, diluculo consurgentes, circuierunt urbem, sicut dispositum erat, septies. Cumque septimo circuitu clangerent buccinis sacerdotes, dixit Josue ad omnem Israel : Vociferamini : tradidit enim Dominus vobis civitatem : sitque civitas hæc anathema : et omnia quæ in ea sunt, Domino : sola Rahab meretrix vivat, cum universis qui cum ea in domo sunt : abscondit enim nuntios quos dixerimus. Vos autem cavete, ne de his, quæ præcepta sunt, quidpiam contingatis, et sitis prævaricationis rei, et omnia castra Israel in peccato sint, atque turbentur. Quicquid autem auri et argenti fuerit, et vasorum æneorum ac ferri, Domino consecretur, repositum in thesauris ejus. Igitur omni vociferante populo, et clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt : et ascendit unusquisque per locum, qui contra se erat : ceperuntque civitatem, et interficerunt omnia quæ erant in ea, a viro usque ad mulierem, ab infante usque ad senem. Boves quoque et oves et asinos in ore gladii occiderunt. Duobus autem viris, qui exploratores missi fuerant, dixit Josue : Ingredimini domum mulieris meretricis, et producite eam, et omnia quæcumque illi sunt, sicut illi juramento firmastis. Ingressique juvenes, eduxerunt Rahab, et parentes ejus fratres quoque, et omnem supellectilem ac cognationem illius, et extra castra Israel manere fecerunt. Urbem autem, et omnia quæ in ea erant, succenderunt : absque argento et auro et vasis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Domini conservarunt. Rahab vero meretricem, et domum patris ejus, atque omnia quæ habebat, fecit Josue vivere, et habitaverunt in medio Israel usque in præsentem diem : eo quod abscondit nuntios, quos miserat ut explorarent Jericho. In tempore illo, imprecatus est Josue, dicens : Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit Jericho. In primogenito suo fundamenta ejus jaciat, et in novissimo liberorum ponat portas ejus. Fuit ergo Dominus cum Josue, et nomen ejus in omni terra vulgatum est.

Antiphona 1. Confitemini Domino in cithara : in psalterio decem chordarum psallite ei. P*salmus* XXXII.

Oratio. Domine, qui justorum gaudium, tuum facis esse præceptum : quorum tibi laudatio et obsequitur diligendo, et diligit conlaudando ; qui tibi per Legis citharam novum canticum cantant : et per psalterium piis vocibus sacro fragore persultant : eorum nos Domine vestigiis inhærere concede ; et laudem tuam cum eisdem tribue concede : Et qui rectus est sermo tuus, tuaque fidelia opera præsta, ut te corde fideli credamus, et misericordiam tuam impensius consequi **225** mereamur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

A *Antiphona* 2. Anima nostra patiens est Domino : quoniam adjutor, et protector noster est. P*salmus* XXXII.

Oratio. Tibi, Domine. *Quære fol*. 223.

Antiphona 3. Redimet Dominus animas servorum suorum : et non derelinquet omnes qui sperant in eum. P*salmus*. XXXIII.

Oratio. Benedicat te Domine in omni tempore anima nostra : quia et in flagellis nostris semper adest misericordia tua : dum nos et disciplina corrigis, et indulgentia foves : dum percutiendo sanas et sanando corroboras : Dona igitur nobis, ut qui tuam in fide gustavimus suavitatem, plenissimam percipiamus in retributione dulcedinem.

Pater noster, qui es.

B *Ad Vesperum in tertia feria.*

Lauda. Tu illuminas lucernam meam, Domine.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Antiphona*. Omnis terra adoret te, et psallat tibi : psalmum dicat nomini tuo, Altissime. P*salmus*. LXV.

Hymnus. Christe salvator omnium. *fol*. 97. *Capitula*. Sit festum jejunium nostrum. *f*. 149. *Lauda*. Mirabilia testimonia tua, Domine, *Et Oratio*. Scrutantes Domine. *fol*. 220.

TERTIA FERIA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Vocem meam. P*salmus* III. *Oratio*. Ad te Domine, proprie. *fol*. 149.

Antiphona 1. Memores erunt nominis tui : et populi tui confitebuntur tibi. *Psalmus* XLIV.

C *Oratio*. Fac nos Domine diligere justitiam et odire iniquitatem : ac per te speciemque tuam pulchritudinem currentes, deducat nos mirabiliter dextera tua : et mortificata in nobis incentiva fornicationis libidine, accinge lumbos nostros gladio castitatis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Deus noster refugium et virtus ; adjutor in pressuris, quæ invenerunt nos nimis. *Psalmus* XLV.

Oratio. Deus, refugium nostrum et virtus, tu in pressuris omnibus adsiste : ut omne gladium in sua vagina reductum, et omne cor pacis tranquillitate ditatum, te videre ambiat : teque in tuis semper muD neribus recognoscat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Exurge Domine, adjuva nos : et libera nos propter nomen tuum, *Psalm*. XLIII.

Oratio. Exurge Domine, adjuva nos contra omnem malitiam persequentium ; et libera nos propter nomen tuum a contrarietate spirituum immundorum : ut in loco afflictionis, ubi nos humiliasti, exaltes iterum in remuneratione virtutis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Domine, indulge peccatis nostris : quia multa est iniquitas nostras *P*. Parce nobis, Domine, et libera animas nostras ab omni augustia. ℣. Patres nostri peccaverunt, et non sunt : nos autem ini-

quitates eorum exolvimus. P. Parce nobis, Domine. ℣. Gloria et honor Patri. P. Parce nobis.

In Laudibus.

Antiphona. Secundum magnam misericordiam tuam, dele Domine iniquitatem meam. *Psalmus* L.

Oratio. Secundum multitudinem miserationum tuarum. *Quære fol.* 150.

Ad Canticum. Antiphona. Directa facte est via piorum, et præparatum est iter sanctorum.

Canticum. Ecce civitas virtus. *fol.* 20.

Oratio. Urbs fortitudinis nostræ, salvationis tuæ muro nos protege, nosque et intrinsecus ab hoste defende; et intra ex utraque tua protectione muniti, in tua pace, atque quiete mereamur jugiter permanere. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Benedictus. Antiphona. In matutini meditabor in te, quia fuisti adjutor meus Domine. ℣. Deus Deus meus ad te de luce vigilo.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6. *Lauda.* In jubilatione laudate Dominum : omnis spiritus laudet nomen Domini. *Psalmus* CL.

Lectio libri Josue (*Cap.* VII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Fuit Dominus cum Josue, et nomen ejus in omni terra vulgatum est. Filii autem Israel prævaricati sunt mandatum, et usurpaverunt de anathémate. Nam Achan filius Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Juda, tulit aliquid de anathémate : iratusque est Dominus contra filios Israel. Cumque mitteret Josue de Jericho viros contra Hay, quæ est juxta Bethaven, ad orientalem plagam de oppidis Bethel, dixit eis : Ascendite, et explorate terram. Qui præcepta complentes exploraverunt Hay. Et reversi **226** dixerunt ei : Non ascendat omnis populus, sed duo vel tria millia virorum pergant, et deleant civitatem : quare omnis populus frustra vexetur contra hostes paucissimos? Ascenderunt ergo tria millia pugnatores. Qui statim terga vertentes, percussi sunt a viris urbis Hay, et corruerunt ex eis triginta sex homines : persecutique eos de porta usque ad Sabbarum, ceciderunt per prona fugientes : protimuitque cor populi, et ad instar aquæ liquefactum est. Josue vero filius Nun scidit vestimenta sua, et cecidit pronus in terram coram arcam Domini usque ad vesperum, tam ipse quam omnis Israel : miseruntque pulverem super capita sua, et dixit Josue : Heu Domine Deus, quid voluisti transducere populum istum Jordanem fluvium istum, ut traderes nos in manus Amorrhæi, et perderes? utinam ut cœpimus, mansissemus trans Jordanem. Mi Domine Deus, quid dicam, videns Israel hostibus suis terga vertentem? Audient Chananæi, et omnes habitatores terræ, ac pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen nostrum de terra : et quid facies nomini tuo magno? Dixitque Dominus ad Josue : Surge, cur jaces pronus in terram? Peccavit Israel, et prævaricatus est pactum meum : tuleruntque de anathémate, et furati sunt atque mentiti,

A et absconderunt inter vasa sua. Nec poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet : quia pollutus est anathemate : non ero vobiscum, donec conteratis eum qui hujus sceleris reus est. Sanctificamini in crastinum : hæc enim dicit Dominus Deus Israel : Anathema in medio tui Israel : non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus est scelere. Accedetisque singuli mane per tribus vestras : et quamcumque tribum sors invenerit, accedet per cognationes suas, et cognatio per domos, domusque per viros. Et quicumque ille in hoc facinore fuerit deprehensus, comburatur igni cum omni substantia sua : quoniam prævaricatus est pactum Domini, et fecit nefas in Israel. Surgens itaque Josue mane, applicuit Israel per tribus suas,
B et inventa est tribus Juda. Quæ cum juxta familias suas esset oblata, inventa est familia Zare. Illam quoque per viros offerens, reperit Zabdi : cujus domum in singulos dividens viros, invenit Achan filium Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Juda. Et ait ad Achan : Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas. Respondit : Vere ego peccavi Domino Deo Israel, et sic et sic feci : vidi enim pallium inter spolia coccineum valde bonum, et ducentos siclos argenti, regulam quoque auream quinquaginta siclorum : et concupiscens abstuli, et abscondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque fossa humo operui. Misit ergo Josue ministros : qui currentes ad tabernaculum illius, repererunt cuncta
C abscondita in eodem loco. Auferentesque de tentorio tulerunt ea ad Josue, et ad omnes filios Israel, projeceruntque ante Dominum. Tollens itaque Josue Achan filium Zare, argentumque et pallium, et auream regulam, filiosque ejus et filias, boves et asinos, oves, ipsumque tabernaculum, et cunctam supellectilem (et omnis Israel cum eo) duxerunt eos ad vallem Achor, ubi dixit Josue : Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidavitque eum omnis Israel : et cuncta quæ illius erant igni combusta sunt. Congregaveruntque super eum acervum magnum, qui permanet usque in præsentem diem. ℟. Amen.

Hymnus. Deus, æterni luminis. *Quære folio* 98.

Capitula. Domine, ad quem vigilat de luce anima
D nostra ; dona, ut semper a tenebris properemus ad lucem : caligo depereat mente, et plenitudo tua in nobis permaneat lucis.

Pater noster.

Lauda. Ab omni via mala. P. Prohibe pedes meos, Domine. ℣. Quomodo dilexi legem tuam, Domine? tota die meditatio mea est. P. Prohibe. ℣. Gloria, et honor Patri.

Oratio. Ab omni via mala prohibe pedes nostros. Domine : verbumque tuum tota servemus adtentione ; atque a malo recedere, et tibi nos perpetim facias complacere. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Tertiam.

Proverbiorum Salomonis (*Cap.* XVII).

℟. Deo gratias.

Fili, corona dignitatis senectus, in viis justitiæ reperietur. Melior est patiens viro forti : et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Sortes mittuntur in signum, sed a Domino temperantur. Melior est **227** buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio. Servus sapiens dominabitur filiis stultis, et inter fratres hereditatem dividet. Sicut igne probatur argentum, et aurum in camino : ita corda probat Dominus. Malus obedit linguæ iniquæ, et fallax obtemperat labiis mendacibus. Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus : et qui lætatur in ruina alterius, non erit impunitus. Corona senum filii filiorum : et gloria filiorum patres eorum. Non decent stultum verba composita : nec principem labium mentientis. Gemma gratissima, expectatio præstolantis : quocumque se verterit prudenter intelligit. ℟. Amen.

Lectio libri Josue (*Cap.* VIII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Dixit Dominus ad Josue : Tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, et consurgens ascende in oppidum Hay : ecce tradidi in manu tua regem ejus, et populum, urbemque ac terram. Faciesque urbi Hay, et regi ejus, sicut fecisti Jericho, et regi ejus : prædam vero, et omnia animantia diripietis vobis : pone insidias urbis post eam. Surrexitque Josue, et omnis exercitus bellatorum cum eo, ut ascenderent in Hay : et electa triginta millia virorum fortium misit nocte, præcepitque eis, dicens : Ponite insidias post civitatem : nec longius recedatis : et eritis omnes parati : ego autem, et reliqua multitudo quæ mecum est, accedemus ex adverso contra urbem. Cumque exierint contra nos, sicut ante fecimus, fugiemus, et terga vertemus : donec persequentes ab urbe longius protrahantur : putabunt enim fugere nos sicut prius. Nobis ergo fugientibus, et illis sequentibus, consurgetis de insidiis, et vastabitis civitatem : tradetque eam Dominus Deus vester in manus vestras. Cumque ceperitis, succendite eam : sic omnia facietis, ut jussi. Dimisitque eos, et perrexerunt ad insidiarum locum, sederuntque inter Bethel et Hay, ad occidentalem plagam urbis Hay : Josue autem nocte illa in medio mansit populi, surgensque diluculo recensivit socios, et ascendit cum senioribus in fronte exercitus, vallatus auxilio pugnatorum. Cumque venissent omnes, et accendissent ex adverso civitatis, steterunt ad septentrionalem urbis plagam, inter quam et eos vallis media erat. Quinque millia autem viros elegerat, et posuerat in insidiis inter Bethaven, et Hay, ex occidentali parte ejusdem civitatis : omnis vero reliquus exercitus ad aquilonem aciem direxerunt, ita ut novissimi multitudinis occidentalem plagam urbis attingerent. Abiit ergo Josue nocte illa, et stetit in vallis medio. Quod cum vidisset rex Hay, festinavit mane, et egressus est cum omni exercitu ci-

A vitatis, direxitque aciem contra desertum, ignorantes quod post tergum laterent insidiæ, Josue vero, et omnis Israel recesserunt in loco, simulantes metum, et fugientes per viam solitudinis. At illi vociferantes, et se mutuo cohortantes, persecuti sunt eos. Cumque recessissent a civitate, et nec unus in urbe Hay, et Bethel remansisset, qui non persequeretur Israel (sicut eruperat aperta oppida relinquentes), dixit Dominus ad Josue : Leva clypeum, qui in manu tua est, contra urbem Hay, quoniam tibi tradam eam. Cumque elevasset clypeum ex adverso civitatis, insidiæ, quæ latebant, surrexerunt confestim : et pergentes ad civitatem, ceperunt, et succenderunt eam. Viri autem civitatis, qui persequebantur Josue, respicientes et videntes fumum urbis ad cœlum usque conscendere, non potuerunt ultra huc illucque
B diffugere : præsertim cum hi, qui simulaverunt fugam, et tendebant ad solitudinem, contra persequentes fortissime restitissent. Vidensque Josue et omnis Israel quod capta esset civitas, et fumus urbis ascenderet, reversus percussit viros Hay. Siquidem et illi qui ceperant et succenderant civitatem, egressi contra suos, medium hostium ferire cœperunt. Cum ergo ex utraque parte adversarii cæderentur, ita ut nullus de tanta multitudine salvaretur, regem quoque urbis Hay apprehenderunt viventem, et obtulerunt Josue. Igitur omnibus interfectis, qui Israel ad deserta fugientem fuerant persecuti, in eodem loco gladio corruentibus, reversi filii Israel percusserunt civitatem. Erant autem qui in eo die conciderant a viro usque ad mulierem, duodecim millia hominum,
C omnes urbis Hay. Josue vero non retraxit manum, quam in sublime porrexit, tenens clypeum donec interficeret omnes habitatores Hay. Jumenta autem, et prædam civitatis diviserunt sibi filii Israel, sicut præceperat Dominus Josue. Qui succendit urbem, et fecit eam tumulum sempiternum : regem quoque ejus suspendit in patibulo usque ad vesperam et post solis occasum. Præcepitque Josue, et deposuerunt cadaver ejus de cruce : projeceruntque in ipso introitu civitatis, congesto **228** super eum magno acervo lapidum, qui permanet usque in præsentem diem. Tunc ædificavit Josue altare Domino Deo Israel. ℟. Amen.

Antiphona 1. Simul in unum dives, et pauper. Auribus percipite, qui habitatis orbem. *Psalmus*
D XLVIII.

Oratio. Audiant simul te, Domine, omnes gentes ; et dives ac pauper aurem tibi cordis accommodent : tibique omnium ad fidem præparetur auditio, quo salvandis promittitur gratiæ plenitudo. ℟. Amen. Per misericordiam.

Antiphona 2. Recte judicate filii hominum. *Psalmus* LVII.

Oratio. Domine, qui nos justitiam loqui, et quæ recta sunt præcipis judicare ; tribue nobis, ut nec iniquitas in ore, nec pravitas reperiatur in mente : ut puro corde purior sermo consentiat : præcedat in

operibus justitia; nec inveniatur dolus in lingua. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. 3. Da nobis auxilium, Deus, in tribulatione. *Psalmus* LIX.

℟. Exacerbavimus nomen tuum, Domine, et iniquitates coram te fecimus : et nunc flectamus genua cordis nostri. *P.* Dimitte nobis peccata nostra. ℣. Fac nobiscum, Domine, juxta mansuetudinem tuam : et secundum multitudinem misericordiæ tuæ. *P.* Dimitte. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur* ℟.

Preces. Miserere, et parce, clementissime Domine, populo tuo. P. Quia peccavimus tibi. ℣. Pro nostris malis flagellamur acrius, et pro delictis obcœcamur durius : defleamus mala quæ commisimus : P. Quia. ℣. Remove famem, et da imbrem gratiæ : frugumque largam præbe abundantiam, atque optatam peccatorum veniam. P. Quia. ℣. Amove pestem, Redemptor altissime : repentina morte dum prosternimur, non detur pœna ; sed venia peccantibus. P. Quia. ℣. Lachrymis nostra dignis reple pectora : effluat in nos charitatis spiritus, qua eruamur vitiorum lapsibus. P. Quia.

Hymnus. O. Nazarene lux, *fol.* 144.

Oratio. Da nobis Domine auxilium in tribulatione, quia vana est salus ab homine: in te enim, faciemus virtutem, qui et confortas famulos, et ad nihilum redigis inimicos.

Pater noster.

Ad Sextam.

Lectio libri Ezechielis Prophetæ (*Cap.* XI).

℟. Deo gratias.

Factum est verbum Domini ad me, dicens : Fili hominis, fratres tui, viri propinqui tui, et omnis domus Israel, universi, quibus dixerunt habitatores Hierusalem : Longe recedite a Domino, nobis data est terra in possessione. Propterea hæc dicit Dominus Deus, quia longe feci eos in gentibus, et quia dispersi eos in terris : ero eis in sanctificationem non modicam in terris, ad quas venerunt. Propterea loquere : Hæc dicit Dominus Deus : Congregabo vos de populis, et adunabo vos de terris, in quibus dispersi estis, daboque vocis humum Israel. Et ingredientur illuc, et auferunt omnes offensiones, cunctasque abominationes ejus de illa. Et dabo eis cor novum, et spiritum rectum tribuam in visceribus eorum : et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum : ut in præceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant, faciantque ea : et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum. ℟. Amen.

Antiphona 1. Populi confitebuntur tibi, in æternum et in sæculum sæculi. *Psalmus*. XLVI.

Oratio. Deus, cujus sedes manet in sæculum sæculi : fulgeat Ecclesia tua varietate virtutum, et sceptrum tuum perornetur disciplina officiorum ; quosque ejus ornamentis afficis, separari ab ea nullatenus patiaris. ℟. Amen.

Per misericordiam.

A *Antiphona* 2. Dominus virtutum nobiscum susceptor Deus Jacob. *Psalmus* XLV.

Oratio. Domine refugium nostrum et virtus : tu in pressuris omnibus adsiste ; ut omne gladium in sua vagina reductum, et omne cor pacis tranquillitate ditatum, te videre ambiat, teque in tuis semper muneribus recognoscat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Deus in nomine tuo salvum me fac ; et in virtute tua libera nos. Deus exaudi orationem nostram. *Psalmus*. LIII.

℟. Lava a malitia cor tuum. Hierusalem. P. Ut salva fias. Usquequo morabuntur in te cogitationes pessimæ ? ℣. Excutere de pulvere, consurge, sede Hierusalem : solve vincula colli tui, captiva filia
B Sion. P. Ut salva. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur* ℟.

229 *Preces*. Misericors Domine, exaudi supplices. P. Et miserere. ℣. Excelse perpetue, quæ poscimus tribue. P. Et miserere. ℣. Auditum piissimum inclina orantibus. P. Et miserere. ℣. Virtutis præsidio, Redemptor, defende nos. P. Et miserere. ℣. Superna potentia, peccatis da veniam. P. Et miserere.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol.* 144.

Oratio. Concede Domine, ut tuo nostra salus perficiatur in nomine ; nosque in virtute tua libera, quos propriis infirmitatibus præpeditos agnoscis : ut tuum sit omne quod sumus ; qui fecisti ex nihilo ut essemus.

Pater noster.

C *Ad Novam.*

Proverbiorum Salomonis (*Cap.* XXI).

℟. Deo gratias.

Fili, Anima impii desiderat malum, non miserebitur proximo suo. Mulctato pestilente sapiens erit parvulus : et si sectetur sapientem, sumet scientiam. Excogitat justus de domo impii, ut detrahat impios a malo. Qui obdurat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur. Munus absconditum extinguit iras, et donum in sinum indignationem maximam. Gaudium justo est facere judicium, et pavor operantibus iniquitatem. Vir, qui erraverit a via doctrinæ, in cœtu, gigantum commorabitur. Qui diligit epulas, in egestate erit : et qui amat vinum, et pinguia, non ditabitur. Pro justo
D dabitur impius : et pro rectis iniquus. Melius est habitare in deserto, quam cum muliere rixosa et iracunda. Thesaurus desiderabilis, et oleum in habitaculo justi : imprudens homo dissipabit illud. Qui sequitur justitiam et misericordiam, inveniet vitam, et justitiam et gloriam. ℟. Amen.

Lectio Libri Josue (*Cap.* IX).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : cum audissent qui habitabant in Gabaon, cuncta, quæ fecerat Josue Jericho et Hay, et callide cogitantes, tulerunt sibi cibaria, saccos veteres asinis imponentes, et utres vinarios scissos atque consutos, calceamentaque perantiqua quæ ad indicium vetustatis pittaciis consuta erant, induti

veteribus vestimentis : panes quoque, quos porta- A
bant ob viaticum, duri erant, in frusta commi-
nuti : perrexeruntque ad Josue, qui tunc morabatur
in castris Galgalæ, et dixerunt ei, atque omni simul
Israeli : De terra longinqua venimus, pacem vobi-
cum facere cupientes. Responderuntque filii Israel,
atque dixerunt ad eos : Ne forsitan in terra, quæ no-
bis sorte debetur, habitetis, et non possimus fædus
inire vobiscum. At illi ad Josue, Servi, inquiunt, tui
sumus. Quibus Josue : Quinam, inquit, estis? et unde
venistis ? Responderunt : de terra longinqua valde
venerunt servi tui in nomine Dei tui. Audivimus
enim famam potentiæ ejus, et cuncta, quæ fecit in
Ægypto. et duobus Amorrhæorum regibus trans
Jordanem, Sehon regi Hesebon, et Og regi Basan,
qui erat in Astaroth : dixeruntque nobis seniores, et B
omnes habitatores terræ : Tollite in manibus ciba-
ria ob longissimam viam, et occurrite eis, et dicite :
Servi vestri sumus, fœdus inite nobiscum. En, panes
quando egressi sumus de domibus nostris, ut veni-
remus ad vos, calidos sumpsimus, nunc sicci facti
sunt, et vetustate nimia comminuti : utres vini novos
implevimus, nunc rupti sunt, et solutæ vestes, et
calceamenta quibus induimur, et quæ habemus in
pedibus, ob longitudinem longioris viæ trita sunt, et
pene consumpta. Susceperunt igitur de cibariis eo-
rum, et os Domini non interrogaverunt. Fecitque
Josue cum eis pactum, et inito fœdere policitus est
quod non occiderentur, principes quoque multitu-
dinis juraverunt eis. Post dies autem tres initi
fæderis, audierunt quod in vicino habitarent, et in- C
ter eos futuri essent. Moveruntque castra filii Israel,
et venerunt in civitates eorum die tertio, quarum hæc
vocabula sunt, Gabaon, et Caphira, et Beroth, et Ca-
riathiarim. Et non percusserunt eos, eo quod juras-
sent eis principes multitudinis in nomine Domini
Dei Israel. Murmuravit itaque omne vulgus contra
principes. Qui responderunt eis : Juravimus illis in
nomine Domini Dei Israel, idcirco non possumus eos
contingere. Sed hoc faciemus eis ; Reserventur qui-
dem ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur,
si perjuraverimus : sed sic vivant, ut in usus uni-
versæ multitudinis ligna cædant, aquasque compor-
tent. Quibus hæc loquentibus ; vocavit Gabaonitas
Josue, et dixit eis : Cur nos decipere fraude voluis-
tis, ut diceretis : Procul valde habitamus a vobis, D
cum in medio nostri sitis ? Itaque sub maledictione
eritis, et non deficiet de stirpe vestra ligna cædens,
aquasque comportans in domum Domini Dei mei.
230 Qui responderunt : Nuntiatum est nobis servis
tuis, quod promisisset Dominus Deus tuus Moysi
servo suo, ut traderet vobis omnem terram, et dis-
perderet cunctos habitatores ejus. Timuimus igitur
valde, et providimus animabus nostris, vestro terro-
re compulsi, et hoc consilium inivimus. Nunc autem
in manu tua sumus : quod tibi bonum et rectum vi-
detur, fac nobis. Fecit ergo Josue ut dixerat, et li-
beravit eos de manibus filiorum Israel, ut non occi-
derentur. Decrevitque illo die esse eos in ministe-
rium cuncti populi, et altaris Domini, cædentes li-
gna, et aquam comportantes, usque in præsens
tempus. ℟. Amen.

Antiphona 1. Exaudi nos, Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ. *Psalmus* LXIV.

Oratio. Exaudi nos Deus salutaris noster ; ac nos tua virtute præcinge : dumque fidei optamus soliditatem, spei promereamur quietem ; et charitatis perveniamus ad requiem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Dicite Deo : Quam terribilia sunt opera tua in multitudine virtutis tuæ ! *Psalmus* LXV.

Oratio. Da nobis, Domine, ut nos, qui in te credendo, domum tuam in holocaustis ingredimur, dicatis tibi operibus, ac mortificato corpore serviamus : sicque non amoveas orationem nostram et misericordiam tuam a nobis ; dum ea inspiras petere, quæ nobis prospicis convenire. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Bene nunciate de die in diem salutare Domini. *Psalmus* XCV.

Hymnus. O Nazarene, lux. *Require fol*. 144.

Oratio. Te Deum psallendo benedicimus, ac precamur, ut nullo obstaculo a tuo prohibeamur officio : quique verum te Dominum confitemur, ditari tuo munere indulgentiæ sentiamus.

Pater noster.

Ad Vesperos.

Lauda. Illuminatio mea, et salus mea Dominus. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Antiphona. In convertendo Dominus captivitatem plebis suæ, lætetur Jacob, et exultet Israel. *Psalmus* XII.

Lauda. Tu mandasti mandata tua *P*. Custodiri nimis, Deus meus. ℣. Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas. *P*. Custodiri nimis. ℣. Gloria, et honor.

Hymnus. Christe lumen perpetuum. *fol*. 155.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus.

Et Benedictio. Benedicat. *fol*. 94.

Lauda. Ab omni via mala.

Et Oratio. Ab omni via mala. *fol*. 226.

FERIA QUARTA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Gloria mea Dominus noster.

Et Oratio. Gloria nostra, Deus *fol*. 156.

Antiphona 1. Desideramus te Dominum Deum nostrum ; et timemus te : quoniam quis Deus similiis tibi auferens iniquitates, et mundans peccata reliquiarum Israel. ℣. Domine Deus virtutum, quis similis tibi ? potens es Domine, et veritas tua in circuitu tuo. *Psalmus* LXXXVIII.

Oratio. Christe Jesu, Dei Filius admirabilis, cui nullus inter filios Dei nec æqualis extat, nec similis : ad te Domine precem nostram dirigimus ; ut misericordiam, quam pollicitus es servare sanctis, digneris prorogare conversis : ac sic, quæsumus, nos moderamine disciplinæ corrigas, ut clementiam in ira non

auferas: nec prophanetur testamentum tuum ob admissa facinora; sed temperetur ultio miseratione superna: et ipse totum, quod displicet, abluas; qui peccatores ad te revertentes justificando glorificas: quique nos esse voluisti ex nihilo id quod sumus; ipse concede, ut cœlestibus regnis apti, tecum sine fine vivamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Exaudi Deus, orationem nostram: ad te omnis caro veniet. Verba iniquorum prævaluerunt super nos: et impietatibus nostris tu propitiaberis. ℣. Beatus, quem elegisti, et assumpsisti: inhabitabit in tabernaculis tuis. P*salmus* LXIV.

Oratio. Exaudi, nos Deus salutaris noster; ac nos tua virtute præcinge: dumque fidei optamus soliditatem, spei mereamur quietem; et charitatis perveniamus ad requiem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Parce pauperi et inopi: et animas pauperum salvas fac, Domine. P*salmus* LXXI.

231 *Oratio*. Parce Domine pauperibus, et animas inopum sana: ut qui viribus nostris non fidimus, et spe a te misericordiam postulamus; per spiritus paupertatem, supernæ benedictionis impetremus plenitudinem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Judicium rectum judicate, popule meus, dicit Dominus. P. Et misericordias facite: viduam et pupillum per potentiam nolite opprimere. Unusquisque malitiam in corde suo adversus fratrem suum tenere non debet. ℣. Nolite secundum faciem judicare; sed rectum judicium judicate. P. Et misericordias. ℣. Gloria, et honor.

In Laudibus.

Antiphona. Adparges nos Domine hyssopo verbi tui, et mundabimur: lavabis nos, et supra nivem dealbabimur. P*salmus* LX.

Oratio. Deus, qui scelera nostra figmento operta denudas; qui incerta dubiis, et occulta consciis consueta pietate transducis; ut noxietate prodita adspargas nos rore misericordiæ tuæ; et velut nive dealbemur vitæ correctione: averte, quæsumus, faciem tuam a peccatis nostris, et omnes iniquitates nostras delens, innova in visceribus nostris Spiritus tui Sancti infusionem: quo tali inhabitatare gaudentes, aperiamus jugiter labia nostra ad annuntiandam laudem tuam. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Canticum. Antiphona. Recordare, Domine, quid evenerit nobis: intuere et respice obprobrium nostrum.

Canticum. Memento Domine. *fol.* 206.

Ad Benedictus. Antiphona. Præceptum Domini lucidum, inluminans oculos. ℣. Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6,

Lauda. Laudate Deum omnes virtutes ejus: militiæ Angelorum Dominum laudate. P. Laudate.

A *Lectio libri Josue.* (*Cap.* X).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Cum audisset Adonisedec rex Hierusalem, quod scilicet cepisset Jesue Hay, et subvertisset eam (sicut fecerat Jericho, et regi ejus, sic fecit Hay, et regi ejus) et quod transfugissent Gabaonitæ ad Israël, et essent fœderati eorum, timuit valde. Urbs enim magna erat Gabaon, et una regalium civitatum et major oppido Hay, omnesque bellatores ejus fortissimi. Misit ergo Adonisedec rex Hierusalem ad Ohaam regem Hebron, et ad Pharam regem Jerimoth, ad Jabis quoque regem Lachis, et ad Dabir regem Eglon, dicens: Ascendite ad me, et ferte præsidium, ut expugnemus Gabaon, quare transfugerit ad Josue, filios Israël. Congregati igitur B ascenderunt quique reges Amorrhæorum, rex Hierusalem, rex Hebron, rex Jerimoth; rex Lachis, et rex Eglon, cum exercitibus suis, et castrametati sunt circa Gabaon, ut oppugnarent eam. Habitatores autem Gabaon urbis obsessæ miserunt ad Josue, qui tunc morabatur in castris Galgalæ, et dixerunt ei: Ne retrahas manus tuas ab auxilio servorum tuorum: ascende cito, et libera nos: ferque præsidium: convenerunt enim adversum nos omnes reges Amorrhæorum, qui habitant in montanis. Ascenditque Josue de Galgalis, et omnis exercitus bellatorum cum eo, fortissimi. Dixitque Dominus ad Josue: Ne timeas eos: in manus enim tuas tradidi eos: nullusque tibi ex eis resistere potest. Inruit itaque Josue super eos repente, tota ascendens nocte de C Galgalis. Et conturbavit eos Dominus a facie Israël: contrivitque plaga magna in Gabaon, ac persecutus est per viam ascensus Beth horon, et percussit usque ad Azeca, et Maceda. Cumque fugerent filios Israël, et essent in ascensu Beth horon, Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo usque ad Azeca: et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserunt filii Israël. Tunc locutus est Josuë Domino in die, qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israël, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne movearis, et Luna contra vallem Haylon. Steteruntque Sol et Luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in libro justorum? Stetit itaque Sol in medio cœli, et non festinavit occumbere spa- D tio unius diei. Non fuit ante, et postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis expugnantis pro Israël. Reversusque et Josuë cum omni Israël in castra Galgalæ. Fugerunt enim quinque reges, et se absconderunt in spelunca urbis Maceda. Nuntiatum est Josuë, quod inventi essent quinque reges latentes in spelunca Maceda. Qui præcepit sociis, et ait: Volvite saxa ingentia ad os **232** speluncæ, et ponite viros industrios, qui clausos custodiant: vos autem nolite stare, sed persequimini hostes, et extremos quosque fugientium cædite: nec dimittatio eos urbium suarum intrare præsidia, quos tradidit Deus in manus vestras. Cæsis ergo adversarii, plaga magna, et usque ad internecionem pene con-

sumptis, hi qui Israël fugere potuerunt, ingressi A sunt civitates munitas. Reversusque est omnis exercitus ad Josuë in Maceda, ubi tunc erant castra, sani, et integro numero : nullusque contra filios Israël mutire ausus est. Præcepitque Josuë, dicens : Aperite os speluncæ, et producite ad me quinque reges, qui in ea latitant. Fecerunt ministri, ut sibi fuerat imperatum, et eduxerunt ad eum quinque reges de spelunca, regem Hierusalem, regem Hebron, regem Hierimoth, regem Lachis, regem Eglon. Cumque educti fuissent ad eum, vocavit omnes viros Israël, et ait ad principes exercitus, qui secum erant : Ite, et ponite pedes super colla regum istorum. Qui cum perrexissent, et subjectorum pedibus colla calcarent, rursum ait ad eos : Nolite timere, nec paveatis, confortamini, et estote robusti : B sic enim faciet Dominus cunctis hostibus vestris, adversus quos dimicatis. Percussitque Josuë, et interfecit eos, suspendit super quinque stipites : fueruntque atque suspensi usque ad vesperum. Cumque occumberet Sol, præcepit sociis, ut deponerent eos de patibulis. Qui depositos projecerunt in speluncam, in qua latuerant, et posuerunt super eos saxa ingentia, quæ permanent usque in præsens. ℟. Amen.

Hymnus. Deus Pater ingenite. *fol.* 101.

Capitula. Lex tua inreprehensibilis convertat animas nostras, et testimonium tuum fidele præstet parvulis sapientiam : te quoque justitia corda nostra lætificent; non contristent : tuumque præceptum oculos mentium nostrarum inluminet. C

Pater noster.

Lauda. Fundasti terram, et permanet; et ordinatione tua perseverat : *P.* Quoniam omnia serviunt tibi. ℣. Nisi quod lex tua meditatio mea est : tunc forsitan periissem in humilitate mea. P. Quoniam omnia. ℣. Gloria, et honor Patri.

Oratio. In æternum Domine Verbum tuum, quod permanet in cœlo, in Ecclesiæ tuæ semper inhabitet templo ; ut inhabitatoris præsentia habitaculis sit claritas indefessa. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Tertiam.

Ecclesiastes (*Cap. ultimo*).

℟. Deo gratias.

Fili, cum esset sapiens Ecclesiastes, docuit populum, et narravit quæ fecerat : et investigans composuit parabolas multas, quæ sunt verba utilia, et sanctos scripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos. Verba sapientium ut stimuli, et quasi clavi in altum fixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno. His amplius fili mi ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis : frequensque meditatio, carnis afflictio est. Hoc est enim omnis homo : et cuncta, quæ fiunt, adducit Deus in judicium pro omni reatu, sive bonum, sive malum sit. Finem loquendi omnes audiamus. Deum time, et mandata ejus observa. ℟. Amen.

Lectio libri Josue (Cap. XXIV).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Congregavit Josuë omnes tribus Israel in Sichem, et vocavit majores natu, ac principes, judices, et magistratus : steterunt in conspectu Domini : et ad populum sic locutus est : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, et Nachor : servierunt diis alienis. Tulit ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus : et adduxit eum in terram Chanaan : multiplicavitque semen ejus et dedit ei Isaac illique rursum dedit montem Seir ad possidendum : Jacob vero, et filii ejus descenderunt in Ægyptum. Misitque Moysen et Aaron, et percussit Ægyptum multis signis et portentis. Eduxitque patres vestros ex Ægypto, et venistis ad mare : persecutique sunt Ægyptii patres vestros cum curribus et equitatu, usque ad mare Rubrum. Clamaverunt autem ad Dominum filii Israël : qui posuit tenebras inter vos, et Ægyptios, et adduxit super eos mare, et operuit illos. Viderunt oculi nostri cuncta quæ in Ægypto fecit, et habitasti in solitudine multo tempore : et introduxit in Amorrhæum, qui habitabat trans Jordanem. Cumque pugnarent contra vos, tradidit eos in manus vestras, et possidetis terram, atque interfecistis illos. Surrexit autem Balac filius Sephor rex Moab, et pugnavit
233 contra filios Israël. Misitque et vocavit Balaam filium Beor, ut malediceret vobis : et ego nolui audire eum, sed e contrario per illum benedixi vobis, et liberavi vos de manu ejus. Transistis Jordanem, et venistis ad Jericho. Pugnaveruntque contra vos viri civitatis ejus Amorrhæus, et Pherezæus, et Chananæus, et Hethæus, et Gergesæus, et Hevæus, et Jebusæus : et tradidi illos in manus vestras. Misitque ante vos crabrones : et ejeci eos de locis suis, duos reges Amorrhæorum, non gladio et arcu tuo. Deditque vobis terram, in qua non laborastis, et urbes quas non ædificastis, ut habitaretis in eis : vineas et oliveta, quæ non plantastis. Nunc ergo timete Dominum, et servite ei perfecto corde atque verissimo : et auferte deos, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia et in Ægypto, ac servite Domino. Sin autem malum vobis videtur ut non serviatis ei, D optio vobis datur : eligite hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis, utrum diis, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis : ego autem et domus mea serviemus Domino. Responderuntque populi, et dixerunt : Absit a nobis ut relinquamus Dominum, et serviamus diis alienis. Dominus Deus noster ipse eduxit nos, et patres nostros, de terra Ægypti, de domo servitutis : fecitque videntibus nobis signa ingentia, et custodivit nos in omni via, per quam ambulavimus, et in cunctis populis, per quos transivimus. Et ejecit universas gentes, Amorrhæum habitatorem terræ, quam nos intravimus. Serviemus igitur Domino, quia est ipse Dominus

Deus noster. Dixitque Josue ad populum : Non poteritis servire Domino : Dominus enim sanctus, et fortis et æmulator est, nec ignoscet sceleribus nostris atque peccatis. Si dimiseritis pro diis alienis, convertet se, affliget vos atque subvertet postquam vobis præstiterit dona. Dixitque populus : Nequaquam ita ut loqueris, erit, sed Domino serviemus. Et Josue ad populum, Testes, inquit, vos estis, quia ipsi vobis elegeritis Dominum ut serviatis ei. Responderuntque : Testes. Nunc ergo, ait, auferte deos alienos de medio vestrum, et inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israel. Dixitque populus ad Josue : Domino Deo serviemus obedientes præceptis ejus. Percussit igitur Josue in die illo fœdus, et posuit populo præcepta atque judicia in Sichem. Scripsitque omnia verba hæc in volumine legis Dei : et tulit lapidem grandem, posuitque eum subter quercum, quæ erat in sanctuario Domini : et dixit ad omnem populum : En lapis iste erit vobis in testimonium, quod audieritis omnia verba Domini, quæ locutus est vobis : ne forte postea negare velitis, et mentiri Domino Deo vestro. Dimisitque populum, singulos in possessiones suas. Et post hæc mortuus est Josue filius Nun servus Domini, centum et decem annorum : Sepelieruntque eum in finibus possessionis suæ in Thamaiath, quæ sita est in monte Ephraim, ad septentrionalem partem montis Gaas. Servivitque Israel Domino cunctis diebus Josue. ℟. Amen.

Antiphona 1. State super vias, et videte, et interrogate itinera Domini æterna, et videte quæ sit via bona, et ambulate in ea : et invenietis sanctificationem animabus vestris. ℣. Audite hæc omnes gentes : auribus percipite, qui habitatis orbem. *Psalmus* XLVIII.

Oratio. Audiant simul te Domine omnes gentes; et dives ac pauper aurem tibi cordis accommodent : ibique omnium ad fidem præparetur auditio, quo salvandis promittitur gratiæ plenitudo. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Nobis adhærere Deo bonum est : ponere in Domino spem nostram. *Psalmus* LXXII.

Oratio. Nobis adhærere tibi Domino, bonum est : sed tu desiderium boni sic in nobis accumula ; ut spes, quæ nos tibi associat, nulla fidei titubatione vacillet : sed charitatis stabilitate perduret. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Memento congregationis tuæ, Domine, quam creasti ab initio. *Psalmus* LXXIII.

℟. Miserator, et misericors Dominus. *P*. Patiens, et multum misericors, et obliviscens peccata hominum : non posuisti pœnitentiam electis tuis. ℣. Ecce sequimur in toto corde nostro : et timemus te, et quærimus faciem tuam, ne confundas nos. *P*. Patiens, et multum. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur* ℟.

Preces. Pœnitentiam agimus pro malis nostris. *P*. Tu Christe, miserere : peccavimus. ℣. Patris dextera, virtus, sapientia, placatus da veniam. *P*. Tu Christe, miserere. ℣. Gemitus **234** omnium attende, Domine : quæ petimus tribue. *P*. Tu Christe, miserere. ℣. Nos peccavimus, nos inique egimus, nos impie gessimus. *P*. Tu Christe, miserere. ℣ Vitam, et veniam dona propitius : et parce pœnitentibus. *P*. Tu Christe, Miserere.

Hymnus. O Nazarene, lux. *Require fol.* CXLIV.

Oratio. Memento congregationis tuæ Domine, quam creasti ab initio : tu Domine, qui non oblivisearis Ecclesiæ, quam a sæculo prædestinasti in Christo : atque ad testamentum tuum, memor tuæ misericordiæ, respice : et promissa nos jugiter libertate complectere.

Pater noster.

Ad Sextam.

Lectio libri Danielis Prophetæ (*Cap.* III).

℟. Deo gratias.

Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, et laudabile, et gloriosum nomen tuum in sæcula : quia justus es in omnibus quæ fecisti nobis, et universa opera tua vera, et viæ tuæ rectæ, et omnia judicia tua vera. Judicia enim vera fecisti juxta omnia quæ induxisti super nos et super civitatem sanctam patrum nostrorum Hierusalem: quia in veritate, et judicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra. Peccavimus enim, et inique egimus recedentes a te : et deliquimus in omnibus : et præcepta tua non audivimus, nec fecimus, sicut præceperas nobis ut bene nobis esset : omnia ergo, quæ induxisti super nos, et universa, quæ fecisti nobis, in vero judicio fecisti : et tradidisti nos in manu inimicorum iniquorum, et pessimorum, prævaricatorumque, et regi injusto, et pessimo ultra omnem terram. Et nunc non possumus aperire os : confusio et obprobrium facti sumus servis tuis, et his qui colebant te. Ne, quæsumus, tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, et ne dissipes testamentum tuum : neque auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, et Israel sanctum tuum : quibus locutus es pollicens quod multiplicares semen eorum sicut stellas cœli, et sicut arenam quæ est in littore maris : quia Domine imminuti sumus plusquam omnes gentes, sumusque humiles in universa terra hodie propter peccata nostra. Et non est in hoc tempore princeps, neque propheta, et dux, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ut possimus invenire misericordiam : sed in anima contrita, et spiritu humilitatis suscipiamur. Sicut in holocausto arietum, et taurorum, et sicut in millibus agnorum pinguium : sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, et perfice subsequentes te, quoniam non est confusio confidentibus in te. Et nunc sequimur te in toto corde, et timemus te, quærimus faciem tuam. Ne confundas nos. ℟. Amen.

Antiphona 1. Confitebimur tibi Deus : confitebi-

mur tibi et invocabimus nomen tuum, Domine. A *Psalmus* LXXIV.

Oratio. Confitentes tibi Domine placabilis intuere : et quos contritos efficit timor pœnæ : et amor indulgentiæ lætificet, et plenitudo remissionis indeptæ. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus, etc.

Antiphona 2. Salvos fac Domine, quietos terræ *Psalmus* LXXV.

Oratio. Tibi Domino Patri cogitatio confitetur Unigeniti tui : dum quod Adam per superbiam perdidit : hujus ad te humanitas humilitate reducit obedientiæ : Ergo nostra stude pectora exercere ; quo exercitio festa tibi hæc celebremus solemnia. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Quis Deus magnus, sicut Deus noster ? tu es Deus qui facis mirabilia solus. *Psalmus* LXXVI.

℟. Propitius esto iniquitatibus nostris, Domine, et sana omnes languores nostros : P. Et redime de interitu animas nostras. ℣. Non secundum peccata nostra facias nobis : neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. P Et redime. ℣. Gloria, et honor Patri. *Reiteretur* ℟.

Preces. Verus Deus misericors. P. Supplicanti populo, Christe, miserere. ℣. Te, Pater, quæsumus, fletibus invocamus, adsiste oramus. P. Supplicanti. ℣. Exaudi, Domine, placare : intende clemens, et pius indulge. P. Supplicanti. ℣. Cunctorum cordibus largire studia pacis, et parce placatus, *P.* Supplicanti. ℣. Fertilitatem pluviæ, ac vitam dona, et veniam largam. *P.* Supplicanti.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol.* CXLIV.

235 *Oratio.* Precamur Domine, ut tua nos non repellas a propitiatione ; sed obtinendæ misericordiæ tempus appone ; ut dextera, quæ fuit vindex inultione facinorum : ipsa sit nobis contritis in remedium sempiternum.

Pater noster.

Ad Vesperum.

Lauda. Vespere, mane, et meridie te laudamus, Domine. Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Quam bonus Deus Israel eis qui recto corde ! *Psalmus* LXXII.

Lauda. Quomodo dilexi legem tuam, Domine? *P.* Tota die meditatio mea est. ℣. Retribue servo tuo, vivam : et custodiam sermones tuos. P. Tota. ℣. Gloria, et honor. *P.* Tota.

Hymnus. Adesto nostris precibus. *fol.* 160.

Capitula. Sit festum jejunium. *fol.* 149.

Lauda. Fundasti terram. *Et Oratio.* In æternum, Domine. *Require fol.* 232.

FERIA QUINTA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Tu autem Domine susceptor meus es. *Psalmus* III.

Oratio. Exurge Domine Deus noster in auxilium humilium, et in exterminium persequentium : contere adversarios nostros, qui nos a tuo præcepto dolosis promissionibus, et apertis terroribus avertere moliuntur : in nullo enim proficient eorum insidiæ, si tuo muniamur semper adjutorio gratiæ. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 1. Inclinate aurem vestram in verbo oris mei. Popule meus adtende legem meam. *Psalmus* LXXVII.

Oratio. Ponentes spem nostram in te Domine, non obliviscimus operum tuorum ; cum per justitiam atque clementiam mirabilis in Sanctis, et terribilis ostenderis in impiis, qui opportuna remedia justis, ac debita supplicia recompensas iniquis : quæsumus itaque piissime Deus ; ut quos a tetris
B hostibus eruis, præceptorum luce clarifices tentationum fluctus movens, iter salutiferum pandas : Christi tui corpore tanquam cœlesti pane in hujus sæculi deserto reficias. ℟. Amen.

Antiphona 2. Panem cœli dona nobis, Domine, *Psalmus* LXXVII.

Oratio. Deus, qui panem cœli filiis hominum tribuis, terrenumque animal Angelorum adipe pascis ; frumentationem verbi tui nobis in abundantia tribues : eoque nos spirituali refice cibo, quo patres nostros allevasti in eremo. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Dominus adjutor noster : et Deus excelsus, liberator noster est. *Psalmus* LXXVII.

Oratio. Excelse Domine esto adjutor noster : ut
C de abundantia tuæ virtutis repleamur solatio fortitudinis ; et ex redundantibus gratiæ tuæ donis ditemur muneribus liberatis. ℣. Amen.

Per misericordiam tuam.

℟. Propter peccata nostra venerunt super nos omnia mala : peccavimus tibi, Domine. P. Recedentibus a te ne auferas misericordiam tuam a nobis. ℣. Justus es, Domine Deus noster, in omnibus operibus tuis; et non audivimus vocem tuam. peccavimus enim, iniquitates fecimus. *P.* Recedentibus a te. ℣. Gloria, et honor. P. Recedentibus.

In Laudibus.

Antiphona. Averte faciem tuam, Deus, a peccatis nostris : et omnes iniquitates nostras dele. *Psalmus* L.

D *Oratio.* Averte faciem tuam a peccatis nostris Domine ; et omnes iniquitates nostras dele : remove ab oculis tuis malarum nostrarum facinus voluptatum; nostraque confessioni clementer tuum appone auditum. Miserere, quæsumus rogantibus nobis qui propitius respicis in adversis : et qui desperatis cor pœnitens tribuis ; a confessionibus nullatenus avertaris. Ergo qui a cordis contriti placaris sacrificiis tribue nobis hoc tibi offerri, quod prœcipis ; et promereri indulgentiam, quam promittis gratiæ tuæ. Sed quia Publicanus a longe stans, et percutiens pectus suum sola confessione purgatus est : similiter et nos peccatores exaudi : ut sicut illi merito petitionis suæ fructum donasti : ita et nobis supplicantibus indi-

servis tuis veniam digneris impendi de peccatis. A
℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Canticum. Antiphona. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlis.

Canticum. Quid murmuravit homo. *fol.* CL.

236 *Matutinarium.*

Ad Benedictus. Antiphona. Sit splendor Domini Dei nostri super nos. P. Respice in servos tuos, et in opera tua : et dirige filios eorum.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6.

Lauda. Laudate Dominum in sanctis ejus : laudate eum in firmamento virtutis ejus. P. Laudate Dominum.

Lectio libri judicum (*Cap.* VI).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Fecerunt filii Israel malum in conspectu Domini : qui tradidit eos in manu Madian septem annis, et oppressi sunt valde ab eis. Feceruntque sibi antra et speluncas in montibus, et munitissima ad repugnandum loco. Cumque sevisset Israel, ascendebat in Madian, et Amalec, et cæteris orientalium nationum : et apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis cuncta vastabant usque ad introitum Gazæ : nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israel, non oves, non boves, non asinas. Ipsi enim et universi greges eorum veniebant cum tabernaculis, et instar locustarum universa complebant, innumera multitudo hominum, et camelorum, quidquid tetigerant devastantes. Humiliatusque est Israel valde in conspectu Madian. Et clamavit ad Dominum postulans auxilium contra Madianitas. Qui misit ad eos virum prophetam, et locutus est : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ergo vos feci conscendere de Ægypto, et eduxi de domo servirtutis, et liberavi de manu Ægyptiorum, et omnium inimicorum, qui affligebant vos: ejecique eos ad introitum vestrum, et tradidi vobis terram eorum. Et dixi : Ergo Dominus Deus vester, ne timeatis terram Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Et noluistis audire vocem meam. Venit autem Angelus Domini, sedit sub quercu, quæ erat in Ephrai, et pertinebat ad Joas patrem familiæ Ezri. Aumque Gedeon filius ejus excuteret atque purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian apparuit ei Angelus, et ait : Dominus tecum, virorum fortissime. Dixitque ei Gedeon : Obsecro, Domine, si nobiscum est Dominus cur adprehenderunt nos hæc omnia ? ubi sunt mirarilia ejus, quæ narraverunt patres nostri, atque dixerunt : De Ægypto eduxit nos Dominus ? Nunc autem dereliquit nos, et tradidit in manibus Madian Reipexitque ad eum Dominus, ait : Vade in hac fortitudine tua, et liberabis Israel de manu Madian : scito quod miserim te. Qni respondens ait : Obsecro, Domine, in quo liberabo Israel ecce familia mea infirma est in Manasse, et ego ero minimus in domo patris mei. Dixitque ad eum Dominus : Ego ero tecum: et percuties Madian quasi unum virum. Et ille : Si inveni, iniquit, gratiam coram te, ad mihi signum quod tu sis qui loquaris ad me. Ne recedas hinc, donec revertar ad te, portans sacrificium, et offerens tibi. Qui respondit : Ego præstolabor adventum tuum. Ingressus est itaque Gedeon et coxit hædum et de farinæ modio azymos panes : carnesque ponens in canistro, et jus carnium mittens in ollam, tulit omnia sub quercum et obtulit ei. Cui dixit Angelus Domini : Tolle panes azymos et carnes et pone super petram illam, et jus desuper funde. Cumque fecisset ita, extendit Angelus Domini summitatem virgæ, quam tenebat in manu, et tetigit carnes et azymos panes : ascenditque ignis de petra, et consumpsit : Angelus autem Domini evanuit ex oculis ejus. Vidensque Gedeon quod esset Angelus Domini.
B ait : Heu Domine Deus : quia vidi Angelum Domini facie ad faciem. Dixitque ei Dominus : Pax tecum: ne timeas, non morieris. Ædificavit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocavitque illud, Domini pax usque in præsentem diem. ℟. Amen.

Hymnus. In Matutinis surgimus. *fol.* 103.

Capitula. Sit splendor tuus. *fol.* 211.

Lauda. Quomodo dilexi legem tuam, Domine? Tota die meditatio mea est. ℣. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo : quia in æternum mihi est.

Oratio. Da nobis, Domine, sic diligere legem tuam ; ut eam jugiter meditemur in corde, et accepto tibi perficiamur in opere : ℟. Amen.

Per misericordiam.

C

Ad Tertiam.

Sapientia Salomonis (*Cap.* XVII).

℣. Deo gratias.

Fili, magna sunt judicia Domini et, inenarrabilia opera ejus : et propter hoc indisciplinatæ animæ erraverunt. Dum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctæ : vinculis tanebrarum et longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt. Et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt, paventes **237** horrende, et cum admiratione nimia perturbati. Neque enim quæ continebat illos spelunca, sine timore custodiebat eos : cum sonitus descendens perturbabat illos, et personæ tristes apparentes pavorem illis præstabant.
D Et ignis quidem nullum poterat illi lumen prebere, nec siderum limpidæ flammæ inluminare poterant illam noctem horrendam. Apparebat autem illis subitaneus ignis, timore plenus : et timore perculsi illius, quæ non videbatur, faciei, æstimabant deteriora esse quæ videbantur: et magicæ artis appositi erant derisus, et sapientiæ gloriæ correptio cum contumelia. Solis autem illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ superventura illis erat, Ipsi ergo sibi erant graviores tenebræ ; sanctis autem tuis magna erat lux. ℟. Amen.

Lectio libri Jerusalem (*Cap.* VI).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Omnis Madian, et Amalec, et orientales populi congregati sunt simul: et transeuntes Jordanem, castrametati sunt in vallem Jezrael. Spirtus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina convocavit domum Abiezer, ut sequeretur eum. Misitque nuntios in universum Manassen, qui et ipse secutus est eum : et alios nuntios in Aser, et Zabulon, et Nephtalim, qui occurrerunt ei. Dixitque Gedeon ad Dominum : Si salvum facis per manum meam Israel, sicut locutus es ponam hoc vellus lanæ in area : si ros in solo vellere fuerit, et in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel. Factumque est ita. Et de nocte consurgens, expresso vellere, concham complevit rore. Dixitque reversus ad Dominum : Ne irascatur furor tuus contra me si adhuc semel tentavero, signum quærens in vellere. Oro ut solum vellus siccum sit, et omnis terra rore madens. Fecitque Dominus nocte illa ut postulaverat : et fuit siccitas in solo vellere, et ros in omni terra. *(Cap.* VII.) Igitur Jerobaal qui et Gedeon, nocte de consurgens, et omnis populus cum eo, venit ad fontem qui vocatur Harad : erant autem castra Madian in valle ad septentrionalem plagam collis excelsi. Dixitque Dominus ad Gedeon : Multus tecum es populus, nec tradetur Madian in manus ejus : ne glorietur Israel contra me, et dicat : Meis viribus liberatus sum. Loquere ad populum, et cunctis audientibus prædica : qui formidolosus est et timidus, revertatur. Recesseruntque de monte Galaad, et reversi sunt ex populo viginti millia virorum, et tantum decem millia remanserunt. Dixitque Dominus ad Gedeon : Adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, et tibi probabo illos: et de quibus dixero tibi ut tecum vadant, ipsi pergant : quem reprobavero, revertatur. Cumque descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon : Qui lingua lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum : qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt. Fuit itaque numerus eorum, qui manu ad os projicientes aquas lambuerunt, trecenti viri : omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat. Et ait Dominus ad Gedeon : In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos, et tradam in manu tua Madian : omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum suum. Sumptis itaque pro numero cibaiis et tubis, omnem reliquam multitudinem abire præcepit ad tabernacula sua : et ipse cum trecentis viris se certamini dedit. Castra autem Madian erant subter in valle. Eadem nocte dixit Dominus ad eum : Surge, et descende in castra : quia tradidi eos in manu tua : sin autem solus ire formidas, descendit tecum Phara puer tuus. Et cum audieris quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, et securior ad hostium castra descendes. Descendit ergo ipse, et Phara puer ejus in partem castrorum, ubi erant armatorum vigiliæ. Madian autem et Amalec, et omnes orientales populi, fusi jacebant in valle, ut locustarum densitudo: cameli quoque innumerabiles erant, sicut

A arena, quæ jacet in littore maris. Cumque venisset Gedeon, narrabat aliquis somnium proximo suo : et in hunc modum referebat quod viderat : Vidi somnium, et videbatur mihi quasi subcenericius panis ex hordeo volvi, et in Madian castra descendere : cumque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subvertit, et terræ funditus coæquavit. Respondit is, cui loquebatur : Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis filii Joas viri Israelitæ : tradidit enim Dominus in manus ejus Madian, et omnia castra ejus. Cumque audisset Gedeon somnium, et interpretationem ejus, adoravit; et reversus est ad castra Israel, et ait : Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian. Divisitque trecentos viros in tres partes, et dedit tubas in manibus eorum,

B lagenasque vacuas **238** ac lampades in medio lagenarum. Et dixit ad eos : Quod me facere videritis, hoc facite : ingrediar partem castrorum, et quod fecero seciamini. Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per gyrum castrorum in circuitu clangite et conclamate, Domino et Gedeoni. Ingressusque est Gedeon, et trecenti viri qui erant cum eo, in partem castrorum, incipientibus vigiliis noctis mediæ, et custodibus suscitatis, cœperunt buccinis conclamare, complodere et inter se lagenas. Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, et hydrias confregissent, tenuerunt sinistra lampades, et dextera sonantes tubas clamaveruntque : Gladius Domini et Gedeonis : stantes singuli in loco suo per circuitum castrorum hostilium. Omnia itaque castra tur-

C bata sunt, et vociferantes, ululantesque fugerunt : et nihilominus insistebant trecenti viri buccinis personantes. Immisit Dominus gladium in omnibus castris, et mutua se cæde truncaverunt, fugientes usque in Bethseca, et crepidinem Abelmehula in Tebbath. Conclamantes autem viri Israel de Nephtali, et Aser, et omni Manasse, persequebantur Madian. Misitque nuntios in omnem montem Ephraim, dicens : Descendite in occursum Madian, et occupate aquas usque in Bethbera atque Jordanem. Clamavitque omnis Ephraim, et præoccupavit aquas atque Jordanem usque in Bethbera. Apprehensosque duos viros Madian, Oreb et Zeb, interfecit Oreb in petra Oreb, Zeb vero in torculari Zeb. Et persecuti sunt Madian, capita Oreb et Zeb portantes ad Gedeon trans fluenta Jordanis. ℟. Amen.

D *Antiphona* 1. Cito nos præveniat misericordia tua, Domine. *Psalmus* LXXVIII.

Oratio. Cito anticipet nos misericordia tua, Domine ; quos nec consolatio spei, nec fiducia meriti, nec opitulatio sustentat auxilii, sed inter reatum, vexationesque jactatos urget vel conscientia facinorum, vel ultio peccatorum: libera nos propter gloriam nominis tui ; et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum : ut cum utramque rem propter te feceris, et solita populum tuum pietate respexeris, gloria tibi detur ex liberatione, et propitatio nobis tuo accedat ex nomine. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Exultate Deo adjutori nostro : jubilate Deo Jacob. *Psalmus* LXXX.

Oratio. Exultemus tibi Domine, quem adjutorem nostrum cognoscimus, et fatemur : propter quod etiam tibi jubila in desideriis sumimus, in doctrina psalmum, in mortificatione reddimus tympanum : te enim laudando festa peragimus, tuorumque recordatione mirabilium jocundamur : Concede itaque nobis Domine, ut qui tua recolimus beneficia, tua percipiamus et præmia. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Surge Deus, judica terram : quoniam tu dominaris in omnibus gentibus. *Psalmus* LXXXI.

℟. Numquid in æternum repellet Deus, aut non apponat, ut benefaciat adhuc ; aut in finem misericordiam suam abscidet ? *P*. A progenie in progeniem. Aut numquid obliviscetur misereri Deus ? ℣. Converte nos Deus salutaris noster : et ne in æternum irascaris nobis, neque extendas iram. *P*. A progenie. ℣. Gloria, etc. *Reiteretur* ℟.

Preces. Respice placabilis Domine salvator omnipotens. *P*. Miserere, et exaudi nos. ℣. Extensis ad te manibus, Pater summe, confugimus : convertere ad nos pium intuitum. *P*. Miserere. ℣. Effunde super faciem terræ largissimam pluviam, et præsta cunctis, quæ postulant. *P*. Miserere. ℣. Memento nostri Domine miserator, et patiens : qui ante sæcula vivis perennis Rex. *P*. Miserere. ℣. Peccata pœnitentibus tu ignosce, et debita dimitte : jam nostra indulge crimina. *P*. Miserere.

Hymnus. O Nazarene. *fol*. 144.

Oratio. Exurge Domine, qui judicas terram : et qui fidem omnium gentium pius possessor inhabitas, ne patiaris nos in tenebris remanere ; sed fac nos lumen tuæ veritatis aspicere : ut fundamenta fidei nostræ non super arenam, quam turbo dejiciat, ædificemus ; sed supra petram, cujus tu es firmitas conlocemur.

Pater noster.

Ad Sextam.

Lectio libri Danielis Prophetœ (*Cap*. IX).

℟. Deo gratias.

Justus Dominus Deus noster in omnibus operibus suis, quæ fecit : non enim audivimus vocem ejus. Et nunc Domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum de terra Ægypti in manu Moysi, et fecisti tibi nomen secundum diem hanc : peccavimus, iniquitates **239** fecimus, Domine in omnem justitiam tuam : avertatur obsecro ira tua, et furor tuus à civitate tua, Hierusalem, et a monte sancto tuo. Propter peccata enim nostra, et iniquitates patrum nostrorum, Hierusalem et populus tuus in obprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum. Nunc autem Dominus Deus noster exaudi orationem servi tui, et preces ejus : et ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est propter temetipsum. Inclina Deus meus aurem tuam, et exaudi : aperi oculos tuos, et vide desolationem nostram, et civitatem, super quam invocatum est nomen sanctum tuum : neque enim in

A justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Exaudi Domine, placare Domine : attende Domine, et fac : ne moreris propter temetipsum Deus meus : quia nomen tuum invocatum est super civitatem, est super populum tuum. ℟. Amen.

Antiphona 1. Deus quis similis tibi ? ne taceas, neque sileas. *Psalmus* LXXXII.

Oratio. Exurge, ne taceas, neque compescaris Deus ; sed quia odientes te, extulerunt caput ; imple facies eorum ignominia ; ut nomen tuum cognita confusione perquirant ; et populum tuum salva, ut testimonium tuæ virtutis intelligant : esto propitius super hereditatem tuam ; qui solus es Altissimus super omnem terram. *P*. Amen.

B Per misericordiam.

Antiphona 2. Cognoscant gentes, quoniam nomen tibi Dominus : tu solus Altissimus super omnem terram. *Psalmus* LXXXII.

Oratio. Cognoscant gentes Christe, quod nomen tibi sit Dominus ; pro quibus es patibulo crucis adpensus : quosque ignavia ignorantiæ dedit, scientia restituat conditori : ut fide convertatur conscientia ; et spe lætetur in gloria. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Quia tu Domine suavis ac mitis es et multum misericors invocantibus te. *Psalmus* LXXXV.

℟. Non secundum peccata nostra facias nobis, Deus : neque secundum iniquitates nostras reddas nobis. P. Memento, Domine, quod terra sumus. P.
C Sicut miseretur pater filiis, ita miserere nobis : quia tu scis figmentum nostrum. P. Memento. P. Gloria, etc. *Reiteretur* ℟.

Preces. Christe Redemptor pius animarum, exaudi gemitus flentium. P. Et miserere. P. Attende, Deus, Ecclesiam tuam : et cunctis dona indulgentiam, pro quibus pietatem postulamus. P. Et miserere. P. Memento nostri, quia pulvis sumus : iterum in terram redigimur ; tu nos reforma in melius. P. Et miserere. ℣. Ignosce vivis, ignosce defunctis, captivis restaura patriam, et cunctis dona, quæ postulant P. Et miserere. P. Dimitte noxam, dimitte peccata, dimitte cunctorum debita, omnibus tribue veniam. P. Et miserere.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol*. 144.

D *Capitula*. Miserere Domine ad te tota die clamantibus ; teque in tribulatione invocantibus existe propitius : ut in quibus majestatem tuam adorando laudamus, digne suscipias ; et pro quibus te timemus, pius ignoscas. Timoris igitur tui obedientia corda nostra lætifica : et consolationis dulcedine dubietatem nostræ mentis conforta : sed quia tu suavis ac mitis es, suavitatem ex tua indulgentia hauriamus ; et in retribuendo pium te mitemque sentiamus.

Pater noster.

Ad Nonam.

Sapientiæ Salomonis (*Cap*. VI).

℟. Deo gratias.

Fili, melior est sapientia quam vires : et vir pru-

dens quam fortis. Audite ergo reges, et intelligite, et discite judices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudinem, et placetis vobis in turbis nationum : quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur : quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicatis neque custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendæ et cito apparebit vobis : quoniam judicium durissimum in his, qui præsunt, fict. Exiguo enim conceditur misericordia : potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cujusque Deus, qui est omnium dominator, nec reverebitur magnitudinem cujusquam : quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus. ℟. Amen.

Lectio libri Judicum (*Cap.* VIII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Cum venisset Gedeon ad Jordanem, transivit eum cum trecentis viris, **240** qui secum erant : et præ lassitudine, fugientes persequi non poterant. Dixitque ad viros Soccoth : Date, obsecro, populo qui mecum est, panes, quia valde defecerunt : ut possimus persequi Zebee et Salmana reges Madian. Responderunt principes Soccoth : Forsitan palmæ manuum Zebee et Salmana in manu tua sunt, et idcirco postulas ut demus exercitui tuo panes ? Quibus ille ait : Cum ergo tradiderit Dominus Zebee et Salmana in manus meas, conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti. Et inde conscendens, venit in Phanuel : locutusque est ad viros loci illius similia. Cui et illi responderunt, sicut responderant viri Soccoth. Dixit itaque eis : Cum reversus fuero victor in pace, destruam turrim hanc. Zebee autem et Salmana requiescebant cum omni exercitu suo. Quindecim enim millia viri remanserunt ex omnibus turmis orientalium populorum, cæsis centum viginti millibus bellatorum educentium gladium. Ascendensque Gedeon per viam eorum qui in tabernaculis morabantur ad orientalem plagam Nobe, et Jacbaa, percussit castra hostium, qui securi erant, et nihil adversi suspicabantur. Fugeruntque Zebee et Salmana, quos persequens Gedeon comprehendit, turbato omni exercitu eorum. Revertensque de bello ante solis ortum, apprehendit puerum de viris Soccoth : interrogavitque eum nomina principum et seniorum Soccoth, et descripsit septuaginta et septem viros. Venitque ad Soccoth, et dixit eis : En Zebee et Salmana, super quibus exprobrastis mihi, dicentes : Forsitan manus Zebee et Salmana in manibus tuis sunt ? idcirco postulas ut demus viris, qui lassi sunt et defecerunt, panes. Tulit ergo seniores civitatis et spinas deserti ac tribulos, et contrivit cum eis, atque comminuit viros Soccoth. Turrim quoque Phanuel subvertit, occisis habitatoribus civitatis. Dixitque ad Zebee et Salmana : Quales fuerunt viri, quos occidistis in Thabor ? Qui responderunt : Similes tui, et unus ex eis quasi filius regis. Quibus ille ait : Fratres mei fuerunt, filii

A matris meæ. Vivit Dominus, si servassetis eos, non vos occiderem. Dixitque Jether promogenito suo : Surge, et interfice eos. Qui non eduxit gladium : timebat enim, quia adhuc puer erat. Dixeruntque Zebee et Salmana. Tu surge, et irrue in nos : quia juxta ætatem robur est hominis. Surrexitque Gedeon, et interfecit Zebee et Selmana : et tulit ornamenta ac bullas, quibus colla regalium camelorum decorari solent. Dixeruntque omnes viri Israel ad Gedeon : Dominare nostri tu, et filius tuus, et filius filii tui : quia liberasti nos de manu Madian. Quibus ille ait : Non dominabor vestri, neque dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus. Dixitque ad eos : Unam petitionem postulo a vobis : Date mihi inaures ex præda vestra. Inaures enim
B aureas Ismaelitæ habere consueverant. Qui responderunt : Libentissime dabimus. Expandentesque super terram pallium, projecerunt in eo inaures de præda et fuit pondus postulatarum inaurium, mille septingenti auri sicli, absque ornamentis, et monilibus, et veste purpurea, quibus Madian reges tui soliti erant, et præter torques aureas camelorum. Fecitque de eo Gedeon Ephod, et posuit illud in civitate sua Ephra. Fornicatusque est omnis Israel in eo, et factum est Gedeoni et omni domini ejus in ruinam. Humiliatus est autem Madian coram filiis Israel, nec poterant ultra elevare cervicem : sed quievit terra per quadraginta annos, quibus præfuit Gedeon. Abiit itaque Jerobaal filius Joas, et habitavit in domo sua : habuitque septuaginta filios,
C qui egressi sunt de femore ejus : eo quod plures haberet uxores. Concubina autem illius, quam habebat in Sichem, genuit ei filium nomine Abimelech. Mortuusque est Gedeon filius Joas in senectute bona, et sepultus est in sepulchro Joas patris sui. ℟. Amen.

Antiphona 1. Domine, refugium factus es nobis, a generatione in progenie. *Psalm.* LXXXIX.

Oratio. Esto refugium nostrum Domine ; plebemque tuam patrio gubernaculo rege : ac sicut a sæculis patrum tua senserunt remedia ; ita nostra in sæcula tua intelligant beneficia. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo Altissime. *Psalm.* XCI.

Oratio. Bonum est nos tibi Domino confiteri, tuo-
D que altissimo nomini psallere : ut nos et confessio a periculis eruat ; et psallendi industria coram te gratiores exhibeat. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Non repellet Dominus plebem suam : et hereditatem suam non derelinquet. *Psalmus* XCIII.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol.* 144.

241 *Oratio.* Non repellas, Domine, plebem, quam mercatus es ; nec derelinquas hereditatem, pro qua in cruce appensus es : sed quousque justitia, nunc occulta, manifesto clareat in judicio pietate porrecta nos rege : et secundum multitudinem dolorum nostrorum tua nos lætifica exhortatione : ut qui dolorem nunc fingis in

præcepto, futuro requiem nobis concedas in sæculo. A
Pater noster.

Ad Vesperum.

Lauda. Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo?

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Præoccupemus faciem Dei in confessione: et in psalmis jubilemus ei. *Psalmus* XCIV.

Lauda. Bonitatem fecisti cum servo tuo Domine: P. Secundum verbum tuum vivifica me. ℣. Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi. P. Secundum. ℣. Gloria, et honor. P. Secundum.

Hymnus. Christe, qui regis omnia. *fol.* 168.

Capitula. Deus, qui in hac vespertini temporis successione humanæ fragilitati quietis dona concessisti: B concede precamur, ut, dum his beneficiis utimur opportunis, beneficiorum quoque intelligamus auctorem.

Pater noster.

Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Benedictio. Benedicat vos de excelsis Omnipotens. ℟. Amen. Laborem vestrum sereno vultu intendat, et petitiones vultu pio exaudiat. ℟. Amen. Opus vestrum sibi placere instituat, et vitam vestram in sanctitate et pace custodiat. ℟. Amen.

Per.

Lauda. Quomodo dilexi. *Oratio.* Da nobis Domine *fol.* 236.

SEXTA FERIA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Gloria mea, et exaltans. *Psalmus* III. *Et Oratio.* Gloria nostra Deus noster. *f.* 156. *Antiphona* 1. Recte judicate filii hominum. *Psalmus* LVII.

Oratio. Deus, cujus sunt eloquia casta, et judicia recta; tribue nobis, casto ore verba tua depromere; et corde purissimo judiciorum tuorum mandata servare: Extende itaque arcum tuum ob defensionem nostram; et ad infirmanda inimicorum consilia; spiritualia dirige tela; molasque confringe leonum, qui tuum demolire nituntur sceptrum: in te lætetur copia redemptorum, qui es corona justorum: tibique decantemus psalmum lætitiæ; cujus munere perveniatur ad fructum justitiæ. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Liberet nos Domine dextera tua, et brachium sanctum tuum. *Psalmus* XCVII.

Oratio. Liberet nos, Domine, dextera tua: imperioque tuo flecte arrogantium corda: ut Gentes veritates adventu clarescant; et ostensam sibi salutem cordis humilitate suscipiant. ℣. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Clamor noster ad te perveniat. Et ne avertas faciem tuam a nobis. *Psalmus* CI.

Oratio. Exaudi Deus orationem nostram; et clamor noster ad te remoto impedimento perveniat: quacumque autem die te invocaverimus, velociter tibi nostra patescat oratio: nec avertas faciem tuam a gemitibus; nec gubernationem tuam a nostris cohibeas moribus: ut gratulemur adipisci postulata; dum ad te nostra pervenerint desideria. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Væ nobis, quoniam peccavimus: P. Propter hoc factum est in dolore cor nostrum: et obscurati sunt oculi nostri super montem Sion, quoniam exterminatus est: vulpes transierunt per eam. ℣. Peccavimus in conspectu tuo, et idcirco tradidisti nos in manu iniquitatis nostræ. P. Propter. ℣. Gloria, et honor. P. Propter.

In Laudibus.

Antiphona. Averte faciem tuam a peccatis nostris Domine: et omnes iniquitates nostras dele. *Psalmus.*

Oratio. Averte faciem tuam. *fol.* 161.

Ad Canticum. Antiphona. Constitue populum tuum, Domine, in loco sancto tuo.

Canticum. Domine Deus omnium. *fol.* 17.

Ad Benedictus. Antiphona. Exurge gloria mea, exurge psalterium, et cithara: exurgam diluculo, et confitebor Domino. ℣. Paratum cor nostrum, Deus, paratum cor nostrum: cantabo, et psallam in gloria mea.

Canticum. Benedictus es Domine *fol.* 6.

Lauda. Laudate Dominum omnes Angeli ejus:
242 laudate eum omnes virtutes ejus, Laudate eum sol et luna. P. Laudate.

Lectio libri Judicum (*Cap.* XIII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Erat vir quidam de Saraa, de stirpe Dan, nomine Manue, habens uxorem sterilem. Cui C apparuit Angelus Domini, et dixit ad eam: Sterilis es, et absque liberis: sed concipies et paries filium, cujus non tanget caput novacula: erit enim nazaræus ab infantia sua, et ex matris utero, ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum. Quæ cum venissed ad maritum, dixit ei: Vir Dei venit ad me habens vultum Angelicum terribilis nimis. Quem cum interrogassem, quis esset, aut unde venisset aut quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere: sed hoc respondit: Ecce concipies et paries filium: cave ne vinum bibas, nec siceram, et ne aliquo vescaris immundo: erit enim puer nazaræus ab infantia sua, et ex utero matris usque ad diem mortis suæ. Oravit itaque Manue ad Deum, et ait: et Obsecro Domine, ut vir, quem misisti, veniat iterum, et doceat nos quid debeamus facere de puero, qui nasciturus est. D Exaudivitque Dominus precantem Manue, et apparuit rursum Angelus Domini uxori ejus sedenti in agro: Manue autem maritus ejus non erat cum ea. Quæ cum vidisset Angelum festinavit, et cucurrit ad virum suum: dixitque ei: Ecce apparuit mihi, quem ante videram. Qui surrexit, et secutus est uxorem suam: veniensque ad virum, dixit ei: Tu es qui locutus es mulieri? Et ille respondit: Ego sum. Cui Manue: Quando, inquit, sermo tuus fuerit expletus, quid vis ut faciat puer? aut quod observare debeamus? Dixitque Angelus Domini ad Manue: Ab omnibus, quæ locutus sum uxori tuæ, abstineat se: et quidquid ex vinea nascitur, non comedat: vinum et sice-

ram non bibat, nullo vescatur immundo : et quod ei præcepi, impleat atque custodiat. Dixitque Manue ad Angelum Domini : Obsecro te ut acquiescas precibus meis, et faciemus tibi hædum de capris : qui respondit Angelus Domini : Si me cogis, non comedam panes tuos : si autem vis holocaustum facere, offer illud Deo. Et nesciebat Manue quod Angelus Domini esset. Dixitque ad eum : Quod est tibi nomen, ut, si sermo tuus fuerit expletus, honorificemus te ? Cui ille respondit : Nomen meum est mirabile. Tulit itaque Manue hædum de capris, et libamenta, et posuit super petram, offerens Domino, qui fecit mirabilia : ipse autem et uxor ejus intuebantur. Cumque ascenderet flamma altaris in cœlum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit. Quod cum vidissent Manue et uxor ejus, proni ceciderunt in terram, et ultra non eis apparuit Angelus Domini. Statimque intellexit Manue Angelum esse Domini, et dixit ad uxorem suam : Morte moriemur, quia vidimus Deum. Cui respondit mulier : Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum et libamenta non suscepisset, nec ostendisset nobis hæc omnia, neque ea quæ sunt ventura dixisset. Peperit itaque filium et vocavit nomen ejus Samson. Crevitque puer, et benedixit ei Dominus, Cœpitque Spiritus Domini esse cum eo. ℣.

Hymnus. Æterne lucis conditor. *fol.* 170.

Capitula. Paratum cor nostrum, Domine, eo quod placeris munere, comple ; ut te cognitione veri laudemus, et reformati in melius in tuo honore lætemur.
Pater noster.

Lauda. Bonitatem fecisti cum servo tuo Domine. P. Secundum verbum tuum vivifica me. ℣. Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me : quia mandatis tuis credidi. P. Secundum. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Secundum verbum.

Oratio. Bonitatem et disciplinam et scientiam doce nos Domine : ut nec malitia asperos ; nec desidia remissos ; nec stultitia reddat ignavos. ℟. Amen.
Per misericordiam tuam, Deus.
Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Ad Tertiam.

Ecclesiastici Salomonis (*Cap.* XXV).

℟. Deo gratias.

Fili, omnis plaga, tristitia cordis est : et omnis malitia, nequitia mulieris. Et omnem plagam, et non plagam videbit cordis : et omnem nequitiam, et non nequitiam mulieris ; et omnem obductum, et non obductum odientium : et omnem vindictam, et non vindictam inimicorum. Non est caput nequius super caput colubri : et non est ira super iram inimici. Commorari leoni et draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam. Nequitia mulieris immutat faciem ejus, et obcæcat vultum suum tanquam ursus : et quasi saccum ostendit. In medio proximorum
243 ingemuit vir ejus, et audiens suspiravit modicum. Brevis omnis malitia super malitiam mulieris, sors peccatorum cadat super illam. Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani, sic mulier linguata
A homini quiete. Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo. Cor humile, et facies tristis, et plaga mortis, mulier nequam. Manus debiles, et genua dissoluta, mulier, quæ non beatificat virum suum. At muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur. Mulier fortis oblectat virum suum, et annos vitæ illius in pace implebit. ℟. Amen.

Lectio libri Judicum (*Cap.* XIV.)

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Descendit Samson in Thamnatha : vidensque illic mulierem de filiabus Philisthiim, ascendit, et nuntiavit patri suo, et matri, dicens : Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philisthinorum : quam quæso ut mihi accipiatis uxorem. Cui dixerunt pater et mater sua : Numquid non
B est mulier de filiabus fratrum tuorum, et in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philisthiim, qui incircumcisi sunt ? Dixitque Samson ad patrem suum : Hanc accipe mihi : quia placuit oculis meis. Parentes autem ejus nesciebant quod res a Domino fieret, et quæreret occasiones contra Philisthiim, qui dominantur Israel. Descendit itaque Samson cum patre suo, et matre in Thamnatha. Cumque venissent ad vineas oppidi apparuit catulus leonis sævus, rugiens, et occurrit ei. Irruit autem Spiritus Domini in Samson, et dilaceravit leonem, quasi hædum in frustra concerperet, nihil omnino habens in manu : et hoc patri noluit indicare. Descenditque, et locutus est mulieri, quæ placuerat oculis ejus. Est post aliquos dies revertens ut acci-
C peret eam, declinavit ut videret cadaver leonis, et ecce examen apum in ore leonis erat ac favus mellis. Quem cum sumpsisset in manibus, comedebat in via : veniensque ad patrem suum et matrem, dedit eis partem qui et ipsi comederunt : nec tamen eis voluit indicare quod mel de corpore leonis assumpserat. Descendit itaque pater ejus ad mulierem, et fecit filio suo Samson convivium. Sic enim juvenes facere consueverant. Cum ergo cives loci vidissent illum, dederunt ei sodales, qui essent cum eo triginta. Quibus locutus est Samson : Proponam vobis problema : quod si solveritis mihi intra septem dies convivii, dabo vobis triginta sindones, et totidem tunicas : sin autem vos non potueritis solvere, vos dabitis mihi triginta sindones, ejusdemque numeri tunicas. Qui responderunt ei : Propone problema,
D ut audiamus. Dixitque eis : De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo : nec potuerunt per tres dies propositionem solvere. Cumque adesset dies septimus, dixerunt ad uxorem Samsonis : Blandire viro tuo, et suade ei, ut indicet tibi quid significet problema : quod si facere nolueris, incendimus te, et domum patris tui : an idcirco vocastis nos ad nuptias ut spoliaretis ? Quæ fundebat apud Samson lachrymas, et querebatur dicens : Odis me, et non diligis : idcirco problema, quod proposuisti filiis populi mei non vis mihi exponere. At ille respondit : Patri meo et matri nolui dicere : et tibi indicare potero ? Septem igitur diebus convivii flebat apud

eum : tandemque die septimo, cum ei molesta esset, exposuit. Quæ statim indicavit civibus suis. Et illi dixerunt ei die septimo ante solis occubitum : Quid dulcius melle, aut quid leone fortius? Qui ait ad eos : Si non arassetis cum vitula mea, non invenissetis propositionem meam. Irruit itaque in eo spiritus Domini, descenditque Ascalonem, et percussit triginta viros : quorum ablatas vestes dedit iis qui problema solverant. Iratusque nimis ascendit in domum patris sui : uxor autem ejus accepit maritum de amicis ejus et pronubis. (*Cap*. XV.) Post aliquantum autem temporis, cum dies tritici messis instarent, venit Samson, visere volens uxorem suam, et attulit ei hœdum de capris. Cumque cubiculum ejus solito vellet intrare, prohibuit eum pater illius, dicens : Putavi quod odisses eam, et ideo tradidi illam amico suo : sed habet B sororem, quæ junior et pulchrior illa est, sit tibi pro ea uxor. Cui respondit Samson : Ab hac die non erit culpa in me contra Philisthæos : faciam enim vobis mala. Perrexitque et cepit trecentas vulpes, caudasque earum junxit ad caudas, et faces ligavit medio : quas igne succendens, dimisit, ut huc illucque discurrerent. Quæ statim perrexerunt in segetes Philisthinorum. Quibus succensis, et comportatæ jam fruges, adhuc stantes in stipula, concrematæ sunt, in tantum, ut vineas quoque, et oliveta flamma consumeret. Dixeruntque Philisthiim : Quis fecit hanc rem ? Quibus dictum est : **244** Samson gener Thamnathæi : quia tulit uxorem ejus, et alteri tradidit, hæc operatus est. Ascenderuntque Philisthiim : et combusserunt tam mulierem quam patrem ejus. C Quibus ait Samson : Licet hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam ultionem, et tunc quiescam. Percussitque eos ingenti plaga, ita ut stupentes suram femori imponerent. Et descendit, et habitavit in spelunca petræ Etham. Igitur ascendentes Philisthiim in terram Juda, castrametati sunt in loco, qui postea vocatus Lechi, id est, Maxilla, ubi eorum est fusus exercitus. Dixeruntque ad eos de tribu Juda : Cur ascendistis adversum nos ? Qui responderunt : Ut ligemus Samson, venimus, et reddamus ei quæ in nos operatus est. Descenderunt ergo tria millia virorum de Juda, ad speluncam silicis Etham, dixeruntque ad Samson : Nescis quod Philisthiim imperent nobis ? quare hoc facere voluisti ? Quibus ille ait : Sicut fecerunt mihi, feci eis. Ligare, inquiunt, te D venimus, et tradere in manu Philisthinorum. Jurate ergo, inquit, mihi quod non me occidatis. Dixerunt : Non te occidemus. Ligaveruntque eum duobus novis funibus, et tulerunt eum de petra Etham. Qui cum venisset ad locum Maxillæ, et Philisthiim vociferantes occurrissent ei, irruit Spiritus Domini in eum : et sicut solent ad ardorem ignis ligna consumi, ita vincula quibus ligatus erat, dissipata sunt et soluta. Inventamque maxillam, id est, mandibulam asini, quæ jacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros ; et ait : In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum delevi eos, et percussi mille viros. Cumque hæc canens verba complesset, projecit A mandibulam de manu, et vocavit nomen loci illius Ramathlechi, quod interpretatur elevatio maxillæ. Sitiensque valde, clamavit ad Dominum, et ait : Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam atque victoriam : et en siti morior, incidamque in manus incircumcisorum. Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxillam asini, et exierunt ex eo aquæ. Quibus haustis, refocillavit spiritum, et vires recepit. Idcirco vocatum est nomen loci illius, Fons invocantis de maxilla, usque in præsentem diem.

Lectio libri Osee Prophetæ (*Cap*. IV).

℟. Deo gratias.

Audite verbum Domini filii, quia judicium Domini cum habitatoribus terræ : non est enim veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium, homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, et in volucre cœli : sed et pisces maris congregabuntur. Verumtamen unusquisque non judicet : et non arguatur vir : populus enim tuus, sicut hi qui contradicunt sacerdoti. Et corrues hodie, et corruet etiam propheta tecum : nocte tacere feci matrem tuam. Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam : quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi : quia oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego. Secundum multitudinem eorum sic peccaverunt mihi : gloriam eorum in ignominiam commutabo. Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum. Et erit sicut populus, sic sacerdos : et visitabo super eum vias ejus, et cogitationes ejus reddam ei. Et comedent, et non saturabuntur : fornicati sunt, et non cessaverunt : quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo. Fornicatio enim, et vinum, et ebrietas aufert cor. Populus meus in ligno suo interrogavit, et baculus ejus annuntiavit ei : spiritus enim fornicationis decepit eos, et fornicati sunt a Deo suo. Super capita montium sacrificabant, et super colles ascendebant thymiama ; subter quercum, et populum, et terebinthum, quia bona erat umbra ejus : ideo fornicabuntur filiæ vestræ, et sponsæ vestræ adulteræ erunt. Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, et super sponsas vestras cum adulteraverint : quoniam ipsi cum meretricibus versabantur, et cum effeminatis sacrificabant, et populus non intelligens vapulabit. Si fornicaveris tu Israel, non derelinquam saltem Juda : et nolite ingredi in Galgala, et ne ascenderitis in Bethavem, neque juraveritis : Vivit Dominus. Quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israel : nunc pascet eos Dominus, quasi agnum in solitudine.

Antiphona 1. Elevavi faciem meam ad Dominum Deum, ut invenirem orationem, et misericordiam. In jejunio oravi Dominum Deum, et dixi : Tu es Dominus Deus magnus, et misericors, qui custodis testamentum diligentibus legem tuam. ℣. Domine Deus virtutum quis similis tibi ? potens es Domine,

et veritas tua in circuitu tuo. *Psalmus* LXXXVIII. A

245 *Oratio*. Christe Jesu, Dei filius admirabilis, cui nullus inter filios Dei nec æqualis extat, nec similis ; ad te Domine precem nostram dirigimus, ut misericordiam, quam pollicitus es servare Sanctis, digneris prorogare conversis : ac sic, quæsumus, nos moderamine disciplinæ corrigas, ut clementiam in ira non auferas : nec prophanetur testamentum tuum ob admissa facinora ; sed temperetur ultio miseratione superna : et ipse totum, quod displicet, abluas ; qui peccatores ad te revertentes justificando glorificas : quique non esse voluisti ex nihilo id quod sumus ; ipse concede, ut cœlestibus regnis apti, tecum sine fine vivamus. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster, etc.

Antiphona 2. Laudamini in nomine sancto ejus : B lætetur cor quærentium Dominum. *Psalmus* CIV.

Oratio. Narrantes mirabilia tua, Domine, sancto tuo lætemur in nomine : da nobis te quærendi solertiam ; et inveniendi tribue efficaciam : ut te mereamur aspicere, et vultus tui semper ostensione gaudere. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Quærite Dominum, et confortamini : quærite faciem ejus semper. *Psalmus* CIV.

℟. Numquid in æternum continebis te, Domine ? tacebis et affliges nos nimis ? Utinam disrumperes cœlos, et descenderes ad liberandum nos. ℣. Facti sumus quasi in principio, cum non dominareris nostri : neque invocaretur nomen tuum super nos. P. Utinam disrumperes. ℣. Gloria, et honor Patri. C P. Utinam.

Preces. Rogamus te, Rex sæculorum, Deus sancte. P. Jam miserere ; precavimus tibi. ℣. Audi clamantes. Pater altissime, et quæ precamur, clemens attribue, exaudi nos Domine. P. Jam miserere. ℣. Indulge lapsis, indulge perditis, dimitte noxam, ablue crimina, acclives tu subleva. P. Jam miserere. ℣. Ne recorderis nostra facinora ; sed indulgendo nos omnes adjuva : prostratos tu releva. P. Jam miserere. ℣. Omnes in unum, te, Sancte, poscimus, quæ postulamus, tu dona largius : exaudi propitius. P. Jam miserere ; peccavimus tibi.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol*. 144.

Oratio. Quærentibus te, Domine, tribue fortitudinem ; et quærendi te jugiter infunde sanctum amo- D rem : ut qui tuam desiderant cernere faciem, perniciosam mundi non appetant voluptatem : eosque sæculi blandimenta non detineant usquequaque captivos ; ut lux vultus tui clarificet jam beatos.

Pater noster.

Ad Sextam.

Lectio libri Michææ Prophetæ (*Cap*. III).

℟. Deo gratias.

Audite principes Jacob, et duces domus Israel : Numquid non vestrum est scire judicium, qui odio habetis bonum, et diligitis malum : qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, et carnem eorum desuper ossibus eorum ? Qui comederunt carnem populi mei, et pelles eorum desuper expoliaverunt : et ossa eorum confregerunt, et conciderunt sicut in lebete, et quasi carnem in medio ollæ. Tunc clamabunt ad Dominum, et non exaudiet eos : et abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis. Hæc dicit Dominus super prophetas, qui seducunt populum meum : qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem : et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium. Propterea nox vobis pro visione erit, et tenebræ vobis pro divinatione : et occumbet sol super prophetas, et obtenebrabitur super eos dies. Et confundentur qui vident visiones, et confundentur divini : et operient vultus suos omnes, quia non est responsum Dei in eis. Verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, judicio, et veritate. ℟. Amen.

Antiphona 1. Memor esto nostri Domine in beneplacito populi tui. *Psalmus* CV.

Oratio. Benedic, Domine Deus, Israel a sæculo et usque in sæculum ; quem multiplex creatura multiplici naturarum varietate conlaudant : memor esto testamenti sancti tui ; et pœniteat te secundum multitudinem misericordiæ tuæ : ut iniquitatem, quam fecimus, et peccatum, quod cum patribus traduce peccati contraximus, te donante, lachrymarum fluminibus cordisque gemitibus abluamus. Libera igitur nos, Domine, de manu spirituum odientium ; et redime de insidiis inimicorum : quique verbo tuo credimus, credulitatis ipsius fortitudine muniamur ;
246 ac sic confessio humilium, cœlorum alta conscendat, ut a Verbo tuo salvatio nobis profusa subveniat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Visita nos Domine in salute tua. *Psalmus* CV.

Oratio. Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui, et in tuo nos visita salutari : ut qui nostris cum patribus coram te inique gessimus ; a damnationis origine et actualis peccati contagione, tua reduce gratia liberemur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Libera nos, Domine, propter nomen tuum : et notam fac nobis potentiam tuam. Psalmus CV.

℟. Numquid non valet manus Domini salvos nos facere : aut grababit aurem, P. Ut non exaudiat ? Sed peccata nostra inter nos, et Deum separant. ℣. Numquid abbreviata, et parvula facta est manus Domini, ut salvare nequeat : aut tales sunt cogitationes ejus. P. Ut non exaudiat ? Sed peccata nostra inter nos, et Deum separant. ℣. Gloria, et honor... *Reiteretur* ℟.

Preces. Servi tui, Domine, acclives orant. P. Cum misericordia. ℣. Amove nostrum facinus : et pelle quæ pavescimus. P. Cum. ℣. Da veniam peccantibus, et fructum pœnitentibus. P. Cum. ℣. Mortem, famem, vel gladium a nobis procul effusa. P. Cum. ℣. Regem nostrum cum plebibus solve a criminibus. P. Cum.

Hymnus. O Nazarene. *fol.* 144.

Oratio. Salvos nos fac, Domine Deus noster, et in salute tua visita : nec iniquitatis nostræ pœna, sed timoris tuis nos humiliet disciplina : ut tua gloriemur in laude, et confiteamur in nomine : nos quoque ad videndum lætitiam electorum tuorum excitet bonitas ; et ad laudandum regni tui adsistat hereditas.

Pater noster.

Ad Vesperas.

Lauda. Sol agnovit occasum suum. Posuisti tenebras, et facta est nox.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Bene nunciate de die in diem salutare Domini. P*salmus*. XCV.

Lauda. Qui timent te videbunt me, et lætabuntur : P. Quia in verbo tuo, Domine, ego speravi. ℣. Veniant mihi miserationes tuæ, ut vivam : quia lex tua meditatio mea est. P. Quia. ℣. Gloria. P. Quia.

Hymnus. Christe precamur. *Capitula.* Nonarum horarum. *fol.* 173. *Lauda.* Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine. *Oratio.* Bonitatem. *fol.* 242.

SABBATO.

Ad Matutinum.

Tu autem, Domine. P*salmus*. III. *Oratio.* Quamvis, Domine. *fol.* 141.

Antiphona. Misericors Dominus, et justus, et Deus noster miseretur. P*salmus*. CXXXIV.

Oratio. Misericors, et juste Domine, libera animas nostras de morte ; oculos nostros a lachrymis ; et pedes nostros a lapsu, atque utriusque rei in nos serva clementiam : et si justitia tua corripimur, misericordia tua protegamur. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Ego cognovi, quoniam magnus est Dominus, et Deus noster præ omnibus diis. P*salmus* LV,

Oratio. Domine, qui educens nubes ab extremo terræ, orbem universum sanctis replesti doctoribus fulgura in pluviam converte misericors : et præceptis tuis, quibus famulos tuos, ut corrigas, terres ; benedicendo reficias : tuaque repletos gratia uberius benedicas. ℟. Amen.

Per.

Antiphona. Confitemini Domino quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus. *Psalmus* CXXXV.

Oratio. Tibi, Domine, confitemur, qui cœlos intellectu fecisti ; et eruditos sublimas sapientia : qui fundasti terram super aquam ; et supra sæculum labile erexisti Ecclesiam tuam ; fac, ut nos fluida mundi delectamenta non obruant, sed virtutes acceptæ ad superna sustollant. ℟. Amen.

Per.

℟. Vocem audivi flentis, vocem turbinis, et tribulantis, vocem flentis, et lugentis, vocem dicentis : P. Parce, Domine, quoniam peccavimus tibi. ℣. Inter vestibulum, et altare plorabant sacerdotes ministri Domini, dicentes : P. Parce Domine.

In Laudibus.

Antiphona. Cor contritum et humiliatum Deus ne despicias. P*salmus* L.

A *Oratio.* Cordis, nostri secreta. *fol.* 210.

Ad Canticum. Antiphona. Ne despicias partem tuam, Domine, quem redemisti ex Ægypto.

247 *Canticum.* Domine Deus rex omnipotens. *fol.* 210,

Ad Benedictus. Antiphona. Psallam, et intelligam in matutinis : quando venies ad me ? Misericordiam, et judicium cantabo tibi, Domine.

Canticum. Benedictus es, Domine *fol.* 6.

Lauda. In sanctis laudate Dominum : in firmamento virtutis ejus. P*salmus*. CL. *fol.* 3.

Lectio libri Judicum (*Cap.* XIX)

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Fuit quidam vir Levites habitans B in latere montis Ephraïm, qui accepit uxorem de Bethlehēm Juda : quæ reliquit eum, et reversa est in domum patris sui in Bethlehem, mansitque apud eam quatuor mensibus. Secutusque est eam vir suus, volens ei reconciliari, atque blandiri, et secum reducere, habens in comitatu puerum, et duos asinos : quæ suscepit eum, et introduxit in domum patris sui. Quod cum audisset socer ejus, eumque vidisset occurrit ei lætus, et amplexatus est hominem. Mansitque gener in domo soceri tribus diebus, comedens cum eo, et bibens familiariter. Die autem quarto consurgens de nocte, proficisci voluit : quem tenuit socer, et ait : Gusta prius pusillum panis, et conforta stomachum, et sic proficisceris. Sederuntque simul et comederunt ac biberunt. Dixitque pater puellæ ad C generum suum : Quæso te ut hodie hic maneas, pariterque lætemur. Et ille consurgens, cœpit velle proficisci. Et nihilominus obnixe eum socer tenuit, et apud se fecit manere. Mane autem facto, parabat Levites iter. Cui rursum socer : Obsecro, inquit, ut paululum cibi capias, et assumptis viribus, donec increscat dies, postea proficiscaris. Comederunt ergo simul. Surrexitque adolescens, ut pergeret cum uxore sua, et puero. Cui rursum locutus est socer : Considera quod dies ad occasum declivior sit, et declinet ad vesperum : mane apud me etiam hodie, et duc lœtum diem, et cras proficisceris ut vadas in domum tuam. Noluit gener acquiescere sermonibus ejus : Sed statim surrexit et venit contra Jebus, quæ altero nomine vocatur Hierusalem, ducens D secum duos asinos onustos, et concubinam. Jamque aderant juxta Jebus, et dies mutabatur in noctem : dixitque puer ad Dominum suum : Veni, obsecro, declinemus ad urbem Jebusœorum, et maneamus in ea. Cui respondit Dominus : Non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ non est de filiis Israel, sed transibo usque Gabaa : et cum illuc venero, maneamus in ea, aut certe in urbe Rama. Transierunt igitur Jebus, et cœptum pergebant iter, occubuitque eis sol juxta Gabaa, quæ est in tribu Benjamin : Divertetuntque ad eam, ut manerent ibi. Quo cum intrassent, sedebant in platea civitatis, et nullus eos recipere volebat hospitio. Et ecce, apparuit homo senex, revertens de agro et de opere suo vesperi, qui et ipse erat de monte Ephraim, et peregrinus habitabat in

Gabaa. Homines autem regionis illius erant filii
Jemini. Levatisque oculis, senex vidit sedentem ho-
minem cum sarcinulis in platea civitatis : et dixit ad
eum : Unde venis ? et quo vadis ? Qui respondit ei:
Profecti sumus de Bethlehem Juda, et pergimus ad
locum nostrum, qui est in latere montis Ephraim,
unde ieramus Bethlehem : et nunc vadimus ad do-
mum Dei, nullusque nos sub tectum suum vult re-
cipere, habentes paleas, et fœnum in asinorum pa-
bulum, et panem ac vinum in meos et ancillæ tuæ
usus, et pueri qui mecum est : nulla re indigemus
nisi hospitio. Cui respondit senex : Pax tecum sit,
ego præbebo omnia, quæ necessaria sunt : tantum
vos quæso, ne in platea maneatis. Introduxitque
eum in domo sua, et pabulum asinis præbuit : ac
postquam laverunt pedes suos, recepit eos in convi-
vium. Illis epulantibus, ac post laborem itineris
cibo, et potu reficientibus corpora, venerunt viri
civitatis illius, filii Belial (id est absque jugo), et
circumdantes domum senis, fores pulsare cœperunt
clamantes ad dominum domus, atque dicentes :
Educ virum, qui ingressus est domum tuam, ut
abutamur eo. Egressus est ad eos senex, et ait :
Nolite, fratres, nolite facere malum hoc : quia in-
gressus est domum hospitii mei, et cessate ad hac
stultitia : habeo filiam virginem, et hic homo habet
concubinam, educam eas ad vos, ut humilietis eas,
et vestram libidinem compleatis : tantum, obsecro,
ne scelus hoc contra naturam operemini in virum.
Nolebant audire sermonibus ejus. Quod cernens ho-
mo, educit ad eos concubinam suam, et eis tradidit
illudendam : qua cum tota nocte abusi essent, dimi-
serunt eam mane. At mulier, recedentibus tenebris
venit ad ostium domus, ubi manebat Dominus suus,
et ibi corruit. Mane facto, surrexit homo, et aperuit
ostium, ut cœptam expleret viam : et **248** ecce
concubina ejus jacebat ante ostium expansis in li-
mine manibus. Cui ille, putans eam quiescere, loque-
batur : Surge, et ambulemus. Qua nihil respondente,
intelligens quod erat mortua, tulit eam, et imposuit
asino, reversusque est in domum suam. Quam cum
esset ingressus, arripuit gladium, et cadaver uxoris
cum ossibus suis in duodecim partes, ac frusta con-
cidens, misit in omnes terminos Israel. Quod cum
vidissent singuli, clamabant : Nunquam res talis fa-
cta est in Israel, ex ea die qua ascenderunt patres
nostri de Ægypto, usque in præsens tempus : ferte
sententiam, et in commune decernite, quid facto
opus sit. (*Cap.* xx.) Egressi sunt itaque omnes filii
Israel, et pariter conglobati sunt, quasi vir unus de
Dan usque Bersabee, et terra Galaad ad Dominum
in Maspha : omnesque anguli populorum, et cunctæ
tribus Israel in Ecclesiam populi Dei convenerunt
quadraginta millia peditum pugnatorum. (Nec latuit
illos Benjamin, quod ascendissent filii Israel in Ma-
pha.) Interrogatusque Levita maritus mulieris in-
terfectæ, quomodo tantum scelus perpetratum esset
respondit : Veni in Gabaa Benjamin cum uxore mea,
Illucque diverti : et ecce homines civitatis illius cir-
A cumdederunt nocte domum, in qua manebam, vo-
lentes me occidere, et uxorem meam incredibili
libidinis furore vexantes, denique mortua est,
Quam arreptam, in frusta concidi, misique partes in
omnes terminos possesionis vestræ : quia num-
quam tantum nefas, et tam grande piaculum factum
est in Israel. Adestis omnes filii Israel, decernite
quid facere debeatis. Stansque omnis populus, quasi
unius hominis sermone respondebant : Non recede-
mus in tabernacula nostra, nec suam quisque intrabit
domum : sed hoc contra Gabaa in commune faciemus.
Decem virie ligantur de centum ex omnibus tribubus
Israel, et centum de mille, et mille de decem milli-
bus, et comportent exercitui cibaria, ut possimus pu-
gnantes contra Gabaa Benjamin, reddere ei pro sce-
B lere, quod meretur. Convenitque omnis Israel ad
civitatem, quasi unus homo, eadem mente, unoque
consilio : et miserunt nuntios ad omnem tribum Ban-
jamin, qui dicerent : Cur tantum nefas in vobis
repertum est ? Tradite homines de Gabaa, qui hoc
flagatium perpetrarunt, ut moriantur, et auferatur
malum de Israel. Qui noluerunt fratrum suorum fi-
liorum Israel audire mandatum : sed ex cunctis ur-
bibus. quæ suæ sortis erant, convenerunt in Gabaa,
ut illis ferrent auxilium, et contra universum popu-
lum Israel dimicarent. Inventque sunt viginti quin-
que millia de Benjamin educentium gladium, præter
habitores Gabaa qui septingenti erant viri fortis-
simi, ita sinistra, ut dextra præliantes : et sic fundis
ad certum jactantes lapides, ut capillum quoque
C possent percutere, et nequaquam in alteram partem
ictus lapidis deferretur. Virorum autem Israel abs-
que filiis Benjamin inventa sunt quadraginta millia
educentium gladios, et paratorum ad pugnam. Qui
surgentes venerunt in domum Dei, hoc est in Silo :
consulueruntque Dominum, atque dixerunt : Quis
erit in exercitu nostro princeps certaminis contra
filios Benjamin ? Quibus respondit Dominus : Judas
sit dux vester. Statimque filii Israel surgentes mane,
castrametati sunt juxta Gabaa : et inde procedentes
ad pugnam contra Benjamin, urbem oppugnare ce-
perunt. Egressique filii Benjamin de Gabaa, occide-
runt de filiis Israel die illo viginti duo millia viro-
rum. Rursum filii Israel et fortitudine et numero
confidentes, in eodem loco, in quo prius certave-
runt, aciem direxerunt : ita tamen ut prius ascende-
D rent, et flerent coram Domino usque ad noctem :
consulueruntque Deum, et dixerunt : Debeo ultra
procedere ad dimicandum contra filios Benjamin
fratres meos, an non ? Quibus ille respondit : Ascen-
dite ad eum, et inite certamen. Cumque filii Israel
altera die processissent ad prælium contra Benjamin
de portis Gabaa : occurrerunt eos, tantaque in eis
cæde bacchati sunt, ut decem et octo millia virorum
educentium gladium prosternerent. Quamobrem om-
nes filii Israel venerunt in domum Dei, et sedentes
flebant coram Domino : jejunaveruntque die illo
usque ad vesperum, et obtulerunt ei holocausta, et
pacificas victimas. ℟. Amen.

Hymnus. Deus creator omnium. *fol.* 175.

Capitula. Misericordiam et judicium Redemptori tibi Domino cantemus et judici; illa nos quidem suscipis, hoc deterres: illic est lux miserationis; hic modus examinis: tribue igitur Domine supplicibus tuis, ut cor pravum nobis non adhæreat; et res mala ante oculos nostros inlecebram non prætendat: sed innocentiæ simplicitate gradientes, **249** miserator et pius porrigas; et judex verus absolvas.

Pater noster.

Lauda. Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me: *P.* Da mihi intellectum Domine, ut discam mandata tua. ℣. Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur: quia in verbo tuo speravi. *P.* Da mihi. ℣. Gloria. *P.* Da mihi.

Oratio. Ad te Domine oculos nostros erigimus; quia manuum tuarum artificium sumus: da nobis intellectum discendi mandata tua; et timentes te reple lætitia: Veniat in consolationem nostri misericordia tua; quæ nos et a malis omnibus eruat, et operum dignitatem tibi placitam edoceat. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Ad Tertiam.

Lectio libri Proverbiorum Salomonis (*Cap.* XXIV).

℟. Deo gratias.

Fili, Sapientia ædificavit sibi domum, et prudentia roborabitur. In doctrina replebuntur cellaria, universa substantia pretiosa et pulcherrima. Vir sapiens, fortis est: et vir doctus, robustus et validus. Quia cum dispositione initur bellum: et erit salus ubi multa consilia sunt. Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur. Cogitatio stulti peccatum est: et abominatio hominum detractor. Si desperaveris lassus in die angustiæ: imminuetur fortitudo tua. Erue eos, qui ducuntur ad mortem: et qui trahuntur ad interitum liberare non cesses. Si dixeris, Vires non suppetunt: qui inspector est cordis, ipse intelligit, et servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini juxta opera sua. Ne insidieris, et quæras impietatem in domo justi, neque vastes requiem ejus. Septies enim in die cadit justus, et resurgit: impii autem corruent in malum. Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, in ruina ejus ne exultet cor tuum: ne forte videat Dominus, et displiceat ei, et auferat ab eo iram suam. Ne contendas cum pessimis, nec æmuleris impios: quoniam non habent spem futurorum mali, et lucerna impiorum extinguetur: quoniam repente consurget perditio eorum: et ruinam utriusque quis novit? Ne sis testis frustra contra proximum tuum: nec lactes quemquam in labiis tuis. Ne dicas: Quomodo fecit mihi, sic faciam: et reddam unicuique secundum opus suum. ℟. Amen.

Lectio libri Judicum (*Cap.* XX).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Consuluerunt filii Israel Dominum, atque dixerunt: Exire ultra debemus ad pugnandum contra filios Benjamin fratres nostros, an quiescere? Quibus ait Dominus: Ascendite, cras enim tradam eos in manus vestras. Posueruntque filii Israel insi- A dias per circuitum urbis Gabaa: et tertia vice sicut semel et bis, contra Benjamin exercitum produxerunt. Sed et filii Benjamin audaciter erumperunt de civitate, et fugientes adversarios longius persecuti sunt, ita ut vulnerarent ex eis sicut primo et secundo die, et cæderent per duas semitas terga vertentes, quarum una ferebatur in Bethel, et altera in Gabaa, atque prosternerent triginta circiter viros: putaverunt enim solito eos more cædere. Qui fugam arte simulantes, inierunt consilium ut abstraherent eos de civitate, et quasi fugientes ad supradictas semitas perducerent. Omnes itaque filii Israel surgentes de sedibus suis, tetenderunt aciem in loco, qui vocabatur Baalthamar. Insidiæ quoque, quæ circa urbem erant, paulatim se aperire cœperunt, et ad occidentalem urbis B partem procedere. Sed et alia decem millia virorum de universo Israel, habitatores urbis ad certamina provocabant. Ingravatumque est bellum contra filios Benjamin: et non intellexerunt quod ex omni parte illis staret interitus. Percussitque eos Dominus in conspectu filiorum Israel, et interfecerunt ex illis illo die viginti quinque millia et centum viros, omnes bellatores et educentes gladium. Filii autem Benjamin, cum se inferiores esse vidissent, cœperunt fugere. Quod cernentes filii Israel, dederunt eis ad fugiendum locum, ut ad præparatas insidias devenirent, quas juxta urbem posuerant. Qui cum repente de latibulis surrexissent, et Benjamin terga cædentibus daret, ingressi sunt civitatem, et percusserunt eam in ore gladii. Signum autem dederunt filii Israel his C quos in insidiis collocaverant, ut postquam urbem cepissent, igne accenderent: ut ascendente in altum fumo, captam urbem demonstrarent. Quod cum cernerent filii Israel in ipso certamine positi, (putaverunt enim filii Benjamin eos fugere, et instantius sequebantur, cæsis de exercitu eorum triginta viris): Israel vero retro aspiciens cum captam cernerent civitatem, et flammas in sublime ferri: qui prius simulaverant fugam, **250** versa facie fortiter resistebant. Quod cum vidissent filii Benjamin, in fugam versi sunt, et ad viam deserti ire cœperunt, illuc quoque eos adversariis persequentibus: sed et hi qui urbem succenderant, occurrerunt eis. Atque ita factum est, ut ex utraque parte ab hostibus cæderentur, nec erat ulla morientium requies. Ceciderunt, D atque prostrati sunt ad orientalem plagam urbis Gabaa. Fuerunt autem qui in eo loco interfecti sunt, decem et octo millia virorum, omnes robustissimi pugnatores. Quod cum vidissent qui remanserunt de Benjamin, lugerunt in solitudinem: et pergebant ad petram, cujus vocabulum est Remmon. In illa quoque fuga palantes, et in diversa tendentes, occiderunt quinque millia virorum. Et cum ultra tenderent persecuti sunt eas, et interfecerunt etiam alia duo millia. Et sic factum est, ut omnes qui ceciderant de Benjamin in diversis locis, essent viginti quinque millia, pugnatores ad bella promptissimi. Remanserunt itaque de omni numero Benjamin, qui evadere potuerant, et fugere in solitudine, sexcenti viri; se

deruntque in petra Remmon mensibus quatuor. Regressi autem filii Israel omnes reliquias civitatis a viris usque ad jumenta gladio percusserunt, cunctasque urbes et viculos Benjamin vorax flamma consumpsit. (*Cap.* XXI.) Juraverunt quoque filii Israel in Maspha, et dixerunt : Nullus nostrum dabit filiis Benjamin de filiabus suis uxorem. Veneruntque omnes ad domum Dei in Silo, et in conspectu ejus sedentes usque ad vesperam, levaverunt vocem, et magno ululatu cœperunt flere, dicentes : Quare Domine Deus Israel, factum est hoc malum in populo tuo, ut hodie una tribus auferretur ex nobis ? Altera autem die diluculo consurgentes, extruxerunt altare : obtuleruntque ibi holocausta, et pacificas victimas, et dixerunt : Quis non ascendit in exercitum Domini de universis tribubus Israel? Grandi enim juramento se constrinxerunt, cum essent in Maspha, interfici eos qui defuissent. Ductique pœnitentia filii Israel super fratre suo Benjamin, cœperunt dicere. Ablata est una tribus de Israel, unde uxores accipient? omnes enim in communi juravimus, non daturos nos his filias nostras. Idcirco dixerunt : Quis est de universis tribubus Israel, qui non ascendit ad Dominum in Maspha ? Et ecce inventi sunt viri Jabis Galaad in illo exercitu non fuisse (Eo quoque tempore cum essent in Silo, nullus est ex eis ibi repertus.) Miseruntitaque decem millia viros robustissimos, et præceperunt eis : Ite, et percutite habitatores Jabis Galaad in ore gladii, tam uxores quam parvulos eorum. Et hoc erit quod observare debetis : Omne generis masculini, et mulieres quæ cognoverunt viros, interficite, virgines autem reservate. Inventæque sunt de Jabis Galaad quadringentæ virgines, quæ nesciebant viri thorum, adduxeruntque eas ad castra in Silo, in terra Chanaan. Miseruntque nuntios ad filios Benjamin, qui erant in petra Remmon, et præceperunt eis, ut eos in pace susciperent. Veneruntque filii Benjamin in illo tempore, et datæ sunt eis uxores de filiabus Jabis Galaad: alias autem non repererunt quas simili modo traderent. Universusque Israel valde doluit, et egit pœnitentiam super interfectionem unius tribus ex Israel. Dixeruntque majores natu : Quid faciemus reliquis, qui non acceperunt uxores ? omnes de Benjamin feminæ conciderunt, et magna nobis cura, ingentique studio providendum est, ne una tribus deleatur ex Israel. Filias eis dare non possumus, constricti juramento et maledictione qua diximus : Maledictus qui dederit de filiabus suis uxorem Benjamin. Ceperuntque consilium, atque dixerunt : Ecce solemnitas Domini est in Silo anniversaria, quæ sita est ad septentrionalem urbis Bethel, et ad orientalem partem viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam, et ad meridiem oppidi Lebona. Præceperuntque filiis Benjamin, atque dixerunt : Ite et latitate in vineis. Cumque videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, ite repente de vineis, et rapite eas, singuli uxores singulas, et pergite in terra Benjamin. Cumque venerint patres earum, aut fratres, et adversum vos queri cœperint, atque jurgari, dicemus eis : Miseremini eorum : non enim rapuerunt eas jure bellantium, atque victorum sed rogantibus ut acciperent, non dedistis, et a vestra parte peccatum est. Feceruntque filii Benjamin, ut sibi fuerat imperatum : et juxta numerum suum rapuerunt sibi de his quæ ducebant choros, uxores singulas : abieruntque in possessionem suam, ædificantes urbes, et habitantes in eis. Filii quoque Israel reversi sunt per tribus et familias in tabernacula sua. In diebus illis non erat rex in Israel : sed unusquisque, quod **251** sibi rectum videbatur, hoc faciebat. ℟. Amen.

Anthipona 1. Laudate Dominum, quia benignus Dominus : psallite nomini ejus, quoniam suave est. *Psalmus* CXXXIV.

Oratio. Laudemus te Domine, quia benignus ac suavis es : præsta itaque, ut dum in tua laudatione insistimus, à mundi nos inlecebris advoces, vel perfectorum societati adglomeres. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus : dum recordaremur tui Sion. *Psalmus* CXXXVI.

Oratio. Redemptor noster, Domine, amove captivitatem nostram, ad quam nos adversarius sibi male consentientes addixit : et qui super confusionis flumina flendo humiliati consedimus, te à tentationibus eripiente, surgamus : nec nos labilis voluptas trahat in præcipitium; sed lachrymarum humilitas deducat ad cœlum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus, etc.

Antiphona 3. Prope esto Domine, invocantibus te : et exaudi orationem nostram. *Psalmus* CXLIV.

℟. Ut quid, Domine, repulisti nos? Deus in finem iratus es, furor tuus super oves gregis tui. Memento congregationis tuæ, Domine, quam creasti ab initio. ℣. Salva plebem tuam, Domine, et benedic hereditatem tuam. *P.* Quam creasti.

Preces. Verus Deus Filius Dei Christe, *P.* Exaudi, et populo tuo supplicanti miserere. ℣. Propter temetipsum, Deus, inclina aurem tuam ad orationem. Misericors, *P.* Exaudi. ℣. Precibus adesto nostris ; et cuncta, quæ rogaris, dona affluenter nobis placabilis, P. Exaudi, et populo ℣. Parce jam, summe Redemptor : indulge exoratus, et petitiones supple propitius. P. Exaudi, et populo tuo supplicanti miserere.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol.* 144.

Oratio. Prope esto Domine, invocantibus te ; ac voluntatem timentium imple: erige quique corruunt, et elisos sustenta : ut, qui præcipites in mortem cadimus ; sospites te erigente surgamus.

Pater noster.

Ad Sextam.

Lectio Osee Prophetæ (*Cap.* V).

℟. Deo gratias.

Audite hoc sacerdotes, et attendite domus Israel, et domus regis auscultate : quia vobis judicium est, quoniam laquens facti estis speculationi, et sicut rete expansum super Thabor. Et victimas declina-

stis in profundum : et ego eruditor omnium eorum. A
Ego scio Ephraim, et Israel non est absconditus a me : quia nunc fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israel. Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Dominum suum : quia spiritus fornicationum in medio eorum, et Dominum non cognoverunt. Et respondebit arrogantia Israel in faciem ejus : et Israel, et Ephraim ruerunt iniquitate sua, ruet etiam Judas cum eis. In gregibus suis, et armentis suis vadent ad quærendum Dominum, et non invenient : quia ablatus est ab eis. In Domino prævaricati sunt, quia filios alienos genuerunt : et nunc devorabit eos messis cum parentibus suis. Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama : ululate in Bethaven, post tergum tuum Benjamin. Ephraim in dessolatione erit in die corruptionis : in tribubus Israel B
ostendi fidem. Facti sunt principes Juda quasi assumentes terminum : super eos effundam quasi aquam iram meam. Calumniam patiens, et quasi putredo domui Juda. Et vidit Ephraim languorem suum, et Judas vinculum suum : et abiit Ephraim ad Assur, et misit ad regem Ultorem : et ipse non poterit sanare vos, nec solvere poterit a vobis vinculum. Quoniam ego quasi leæna Ephraim, et quasi catulus leonis domui Juda : ego capiam, et vadam : tollam, et non est qui eruat. Vadens revertar ad locum meum : donec deficiatis, et quæratis meam faciem. In tribulatione sua mane consurgunt ad me : Venite, revertamur ad Dominum, quia ipse cepit, et sanabit nos. ℟. Amen.

Antiphona 1. Qui erigit elisos, et solvet compe- C
ditos ; viam peccatorum exterminet. *Psalmus* CXLV.

Oratio. Domine, qui solvis verbi potentia compeditos ; et per madidum humi collyrium sacro sputamine circumlitum illuminas cœcos : solve rogamus nostrorum vincula peccaminum ; et oppositum nobis disrumpe interitum : elisos alleva ; et cœcitatem mentium nostrarum legis tuæ doctrina perlustra ; ac, sicut in te justum dirigis ; et miserando ad veniam suscipis, et pupillum viduamque pius protector intendis, ita nosmet in hac peregrinatione custodias : ut ad æternitatis dulcedinem post concessa crimina **252** intromittas. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Qui sanas contritos corde : et alligas contritiones eorum. *Psalmus* CXLVI.

D
Oratio. Deus, qui sanas contritos corde : plagæ nostræ medelam impende : et qui stellarum numeras multitudinem ; nos ad vitam prædestinatis adjunge ; beneplacitum tibi sit in nobis ; et in salute nos æterna jubeas exaltari. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Pone Domine finibus nostris pacem : et adipe frumenti satia nos. *Psalmus* CXLVII.

℟. Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliviscatur me dextera tua. P. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si tui non meminero. ℣. Si non præposuero Hierusalem in principio lætitiæ meæ. P. Adhæreat.

Preces. Ad te clamantes, P. Deus exaudi. ℣. Afflictos corde, P. Deus exaudi. ℣. Bellis attritos, P. Deus exaudi. ℣. Confractis malis, P. Deus exaudi. ℣. De tuis cœlis, P. Deus exaudi. ℣. Flentium voces P. Deus exaudi. ℣. Gementium corda, P. Deus exaudi. ℣. Onere pressos, P. Deus exaudi. ℣. In te sperantes, P. Deus exaudi. ℣. Lugentes mala, P. Deus exaudi. ℣. Mala paventes, P. Deus exaudi. ℣. Noxam deflentes, P. Deus exaudi. ℣. Optantes pacem, P. Deus ℣. Pulsantium voces, P. Deus. ℣. Qui solus vivis, P. Deus. ℣. Rex omnis terræ. P. Deus. ℣. Simul rogamus, P. Deus. ℣. Te deprecamur, P. Deus. ℣. Voce, et corde. P. Deus.

Hymnus. O Nazarene, lux, *fol.* 144.

Oratio. Domine, qui posuisti Hierusalem terminum pacis ; credenti populo pacis tuæ tribue plenitudinem : ipsa nos immortalitate regat ; ipsa in æterna vita possideat : Satiaturus itaque nos Domine ex adipe fumenti, tribue, ut cum hoc, quod nunc cernimus in ænigmate, in omni te perfruamur perspicua veritate.

Pater noster.

IN QUARTO DOMINICO QUADRAGESIMÆ.

Ad Vesperum.

Fecit lunam. ℣. Exiit homo. *fol.* 178.

Antiphona. Israel me non cognovit : populus meus me non intellexit. P. Væ genti peccatrici, filiis sceleratis : dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel. ℣. Et non audivit populus meus vocem meam : et Israel non intendit mihi. P. Væ genti.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Multiplicata est super me iniquitas superborum : *P.* Ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua. Coagulatum est sicut lac cor eorum : ℣. Ego vero legem tuam meditatus sum, Deus meus. *P.* Bonitatem fecisti cum servo tuo Domine, secundum verbum tuum. *P.* Ego autem.

Hymnus.

Verbum Patris, quod prodiit factum caro ;
Agnus Dei peccata mundi auferens :
Ad te venimus cernui, ut inclytum
Bibamus almæ passionis sanguinem.

Ostende vulnerum sacrorum stigmata :
Exurgat insignis Crucis fortissimum
Signum, quod in vigore perpetim
Manens, credentibus salvationem conferat.

Arundo, clavi, sputa, potus myrrheus,
Corona spirarum, flagella, lancea,
Impressa sunt damnationis verbera :
Iam nostra pro his cuncta dele crimina.

Fons vulneris Sacri riget præcordia.
Lavet cruor, malitiæque contagia :
Sit vita præsens absque omni crimine ;
Futura detur in beato munere.

Ut, cum resurgendi dies effulserit,
Orbique regni claritas inluxerit,
Sequamur ætheris viam, quæ nos trahat
In se receptos jam perennes incolas.

Honor sit Æterno Deo, sit gloria

Uni Patri, ejusque soli Filio A
Cum Spiritu; quæ Trinitas perenniter
Vivit potens in sæculorum sæculis.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut nos per stigmata passionis suæ propitius justificare dignetur. Kyrie, eleison. Christe eleison. Kyrie, eleison.

Capitula. Passionis tuæ festum, Christe Dei Filius devotis cordium officiis recursu temporis inchoantes, quo pro nobis et linguas fuisti persequentium passus, et tradentium te vulneribus crucifixus; rogamus atque exposcimus, ne te elonges a nobis; ut, quia proximante tribulatione, non est qui adjuvet; tu solus passionis tuæ nos subleves ope; ne B tradas ergo nos inimicis nostris in malum; sed
253 excipe servos tuos in bonum: ut nos calumniantes superbi, inimici scilicet animarum nostrarum, virtutis tuæ potentia propellantur: Tu es enim divina lucerna per humanitatem super candelabrum Crucis imposita: ideo te rogamus, ut non accendas, ne veniamus in pœnam. Quos ergo perspicis initiatum passionis tuæ festum devotis cordibus excepisse, facito eos passionis tuæ communicare: ut tenebrarum nostrarum errore discusso, lucis tuæ muniamur præsidio.

Pater noster.

Humilitate vos benedictioni.

Benedictio. Christus Dominus, cujus passionis vulnera gratissima devotione præcinenda suscipitis, li- C beros vos efficiat a passionibus vestris; ℟. Amen. Et qui per assumptam carnem voluit crucifigi, per Divinitatis suæ potentiam participes vos efficiat regni sui: ℟. Amen. Ut in cujus passione amarescitis, in ejus resurrectione plenissime gaudeatis. ℟. Amen.

Per.

Lauda. Sederunt principes, et adversum me detrahebant: servus autem tuus P. Exercebatur in tuis justificationibus. ℣. Retribue servo tuo, vivam: et custodiam sermones tuos. P. Exercebatur in tuis justificationibus.

Oratio. Nominis tui, Deus magnitudinem dona nobis oculorum revelatione considerare: atque incolatus nostri humilitatem alleva mandatorum ere- D ctione; et concupiscentiam animæ commutatione desideriorum spiritualium in ea perficere: aufer a nobis contemptum, et obprobrium: tuorumque corda fidelium renova operatione virtutum. ℟. Amen.

Per.

Alia Lauda. Adhæsi testimoniis tuis, Domine: *P*. Noli ne confundere. ℣. Viam mandatorum cucurri, cum dilatares cor meum. P. Noli me confundere.

Oratio. Ab iniquitatis via remove, Domine, gressus nostros: et itinere mandatorum tuorum statue cursum nostrum: Animam igitur pavimento inhærentem remedio salutifero subleva: tuisque justificationibus eductam potentia verbi tui vivifica, ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Memento verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti. P. Hæc me consolata est in humilitate mea. ℣. Superbi inique agebant usquequaque: a lege autem tua non declinavi.

P. Hæc.

Oratio. Spem, quam dedisti nobis, Domine, ipsa sit in humilitate nostra consolatio, quæ nobis erit in exultatione gloriæ plenitudo. ℟. Amen.

Per.

Alia Lauda. Memor fui judiciorum tuorum Domine a sæculo: P. Et consolatus sum. ℣. Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. P. Et consolatus.

Oratio. Memores tui in nocte, Domine, legem tribue custodire: et qui de te nec in tribulationibus silent, nunquam a tuis sermonibus claudicent, sed fixa in te stabilitate perdurent. ℟. Amen.

Alia Lauda. Confundantur superbi, qui iniquitatem fecerunt in me: P. Ego autem exercebor in mandatis tuis. ℣. Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me: da mihi intellectum, ut discam mandata tua. P. Ego.

Oratio. Fiat cor nostrum, Domine, in tuis justificationibus immaculatum; ut nec intelligentia prava nos polluat, nec dispositio sinistra confundat. ℟. Amen.

Psalmus. Miserere mei Deus. *Totum*.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster.

Preces. Domine misericordiarum. P. Obliviscere peccata nostra. ℣. Qui injurias carnis nostræ in tuo corpore pertulisti, P. Obliviscere. ℣. Qui vitam mortalibus, cœcis lumen, auditum surdis dedisti, P. Obliviscere. ℣. Qui vulneratus es, ut vulnera nostra curares, P. Obliviscere. ℣. Qui perditum hominem nunc crucis tuæ passione redimis, P. Obliviscere. ℣. Quid mori dignatus es, ut immortalitatem mortalibus condonares, P. Obliviscere. ℣. Qui peccantes non judicas; sed ad pœnitentiam provocans, exspectas.

Oratio. Exaudi orationem nostram. *fol*. 3.

Ad Matutinum.

Hymnus. Æterne rerum. *fol*. 3.

Oratio. Æternum te Dominum rerum. *fol*. 215.

Antiphona. Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me. *Psalmus* III.

Antiphona. Lava me ab injustitia mea Deus: et a peccato meo munda me. *Psalmus* L.

Antiphona. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo, et psallam. *Psalmus* LVI.

254. *Oratio* Omnipotens Domine, cui in cœlestibus rite offertur summa ab Angelis gloria: tribus, ut in te sit gloriatio nostra: perveniat ad te

humilis confessio populorum, et de quibus te peccando offendimus, ad fructum indulgentiæ te propitio redeamus : ut miserando errata ignoscas, et ad promerendum te, inclyta virtute subvenias. ℟. Amen. A

Per misericordiam tuam.

Antiphona 1. Quare fremuerunt Gentes, et populi meditati sunt inania ? P. Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus Christum ejus. ℣. Disrumpamus vincula eorum : et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Oratio. Christe, Dei Patris ineffabile Verbum, contra quem et reges terræ attrociter fremuerunt, et populi inania meditati sunt; da Ecclesiæ tuæ membris optabilem de adversis potestatibus efferre triumphum : quo et persequentium mucro, obsistente sibi vanitate, vanescat, et credentium te fides super inimicos invicta præpolleat. ℟. Amen. B

Antiphona 2. Dominus orationem meam suscepit. *P*. Erubescant, et conturbentur omnes inimici mei. ℣. Domine, ne in ira arguas me, neque in furore tuo corripias me.

Oratio. Erubescant, et confundantur omnes inimici mei, Domine, et qui inrisores sunt crucis tuæ, et captores orationis nostræ : Suscipe ergo orationem fidelium, et castra abjice exterorum : ut dum oratio Ecclesiæ ad te dirigitur, omnis per te infidelitas confundatur. ℟. Amen.

Antiphona 3. Domine Deus meus in te speravi : P. Libera me ab omnibus persequentibus me, et eripe me. ℣. Nequando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat. *P*. Libera. C

Oratio. Domine Deus, sperantem in te Ecclesiam tuam a persequentibus hominibus libera : ut potentia passionis tuæ, qua eam primum liberasti a captivitate diaboli, liberes etiam ab ardoribus supplicii sempiterni. ℟. Amen.

℟. Facta est Sion sicut avis volans, de cujus loco ablatus est nidus : et tu filia Hierusalem cogita facere tibi tegumentum luctus in tenebris meridianis : quia salvator tuus comprehendetur, et Dominus universæ terræ morte condemnabitur. *P*. Sed exurgens, sedebit in throno, ut judicet adversarios suos. ℣. Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est pro peccatis nostris. *P*. Sed. D

Oratio. Christe Dei Filius, cujus locus in Sion magnus est; converte ad te corda nostra : ut in speculatione ejus constituti. te pro nobis flagellis alapisque cæsum, morti quoque adjudicatum fideliter fateamur : ut qui secundum tempus es passus pro impiis ; perenniter a fidelibus conlauderis. ℟. Amen.

Ad Canticum. Antiphona. Videte, quoniam ego sum Dominus, et non est Deus præter me : ego occidam, et vivere faciam : percutiam, et ego sanabo, et non est qui eripiat de manibus meis. Quia vivo ego in æternum. ℣. Vidit enim eos fatigatos.

Canticum. Attende cœlum. *fol*. 4.

Oratio. Tu es, Domine Deus : et non est alius præter te : qui percutis; et sanas, et sanando consolidas : fac nos in æternum tecum sine fine vivere : ut de manu tua non pereamus, cum ad judicium veneris gloriosus. ℟. Amen.

Ad Benedictus. Antiphona. Quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus? Emitte lucem tuam et veritatem tuam. ℣. Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta : ab homine iniquo et doloso libera me.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol*. 6.

Lauda. In excelsis laudate Dominum de cœlis. ℣. Sol et luna : omnes stellæ, et lumen. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Ruth (*Cap*. I).

℟. Deo gratias.

In diebus unius judicis, quando judices præerant : facta est fames in terra. Abiitque homo de Bethlehem Juda, ut peregrinaretur in regione Moabitide cum uxore suo ac duobus liberis : ipse vocabatur Elimelech, et uxor ejus Noemi : et duo filii, unus vocabatur Mahalon, et alter Chélion, Ephrathæi de Bethlehem Juda. Ingressique regionem Moabitidem, morabantur ibi. Et mortuus est Elimelech maritus Noemi : remansitque ipsa cum filiis. Qui acceperunt uxores Moabitidas, quarum una vocabatur Orpha, alteraque Ruth. Manseruntque ibi decem annis, et ambo mortui sunt, Mahalon videlicet, **255** et Chelion : remansitque mulier orbata duobus liberis ac marito. Surrexit ut in patriam pergeret, cum utraque nuru sua, de regione Mohabitide : audierat enim quod respexisset Dominus populum suum, et dedisset eis escas. Egressa est itaque de loco peregrinationis suæ, cum utraque nuru sua : et jam in via posita revertendi in terram Juda, dixit ad eas : Ite in domum patris vestri, faciat Dominus vobiscum misericordiam, sicut fecistis cum mortuis et mecum. Det vobis invenire requiem in domibus virorum, quos sortituræ estis. Et osculata est eas. Quæ levata voce flere cœperunt, et dicere : Tecum pergemus ad populum tuum. Quibus illa respondit : Revertimini filiæ mi, cur venitis mecum? num ultra habebo filios in utero meo, ut viros ex me possetis sperare? Revertimini filiæ mi, et abite : jam enim in senectute confecta sum, nec apta vinculo conjugali : etiam si possem hac nocte concipere, et parere filios, si eos expectare velitis, donec crescant, et annos pubertatis impleant, ante eritis vetulæ quam nubatis. Nolite, quæso, filiæ mi, facere hoc : quia vestra angustia me magis pressit, et egressa est manus Domini contra me. Elevata igitur voce, iterum flere cœperunt : Orpha osculata est socrum, ac reversa : Ruth adhæsit socrui suæ : cui dixit Noemi : En reversa est cognata tua ad populum suum, et ad deos suos, vade cum ea. Quæ respondit : Ne adver-

seris mihi ut relinquam te, et abeam : quocumque perrexeris, pergam : et ubi morata fueris, et ego pariter morabor. Populus tuus populus meus, et Deus tuus et Deus meus. Quæ te morientem terra susceperit, in ea moriar : ibique locum accipiam sepulturæ. Hæc mihi faciat Deus, et hæc addat, si non sola mors me et te separaverit. Videns ergo Noemi, quod obstinato Ruth animo decrevisset secum pergere, adversari noluit, nec ultra ad suos reditum persuadere : profectæque sunt simul, et venerunt in Bethlehem. Quibus urbem ingressis, velox apud cunctos fama percrebuit : dicebantque mulieres : Hæc est illa Noemi. Quibus ait : Ne vocetis me Noemi (id est, pulchram) sed vocate me Mara (id est, amaram) quia valde amaritudine replevit me Omnipotens. Egressa sum plena, et vacuam reducit me Dominus. Cur igitur vocatis me Noemi, quam humiliavit Dominus, et afflixit Omnipotens ? Venit ergo Noemi cum Ruth Mohabitide nuru sua, de terra peregrinationis suæ : ac reversa est in Bethlehem, quando primum hordea metebantur. (*Cap.* II.) Erat autem viro Elimelech consanguineus, homo potens, et magnarum facultatum, nomine Booz. Dixitque Ruth Moabitis ad socrum suam : Si jubes, vadam in agrum, et colligam spicas, quæ metentium fugerint manus, ubicumque clementis patrisfamilias reperero gratiam. Cui illa respondit : Vade filia mi. Abiit itaque et colligebat spicas post terga metentium. Accidit autem ut ager ille haberet Dominum nomine Booz, qui erat de cognatione Elimelech. Et ecce, ipse veniebat de Bethlehem, dixitque messoribus : Dominus vobiscum. Qui responderunt ei : Benedicat tibi Dominus. Dixitque Booz juveni, qui messoribus præerat : Cujus est hæc puella ? Cui respondit : Hæc est Moabitis, quæ venit cum Noemi, de regione Moabitide, et rogavit ut spicas colligeret remanentes, sequens messorum vestigia : et de mane usque nunc stat in agro, et ne ad momentum quidem domum reversa est. Et ait Booz ad Ruth : Audi filia, ne vadas ad colligendum in alterum agrum, nec recedas ab hoc loco : sed jungere puellis meis, et ubi messuerint, sequere. Mandavi enim pueris meis, ut nemo tibi molestus sit : sed etiam si sitieris, vade ad sarcinulas, et bibe aquas, de quibus et pueri mei bibunt. Quæ cadens in faciem suam et adorans ait : Unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, et nosse me dignareris peregrinam mulierem ? Cui ille respondit : Nuntiata mihi sunt omnia, quæ feceris socrui tuæ post mortem viri tui : et quod dereliqueris parentes tuos, et terram in qua nata es, et veneris ad populum, quem ante nesciebas. Reddat tibi Dominus pro opere tuo, et plenam mercedem accipies a Domino meo Deo Israel, ad quem venisti, et sub cujus confugisti alas. Quæ ait : Inveni gratiam ante oculos tuos, domine mi, qui consolatus es me, et locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum similis unius puellarum tuarum. Dixit ad eam Booz : Quando hora vescendi fuerit, veni huc, et comede panem, et tinge buccellam tuam in aceto. Sedit itaque ad messorum latus, et congessit polentam sibi comeditque, et saturata est, et tulit reliquias. Atque inde surrexit, ut spicas ex more colligeret. Præcepit autem Booz pueris suis, dicens : Etiam si vobiscum metere **256** voluerit, ne prohibeatis eam : et de vestris quoque manipulis projicite de industria, et remanere permittite, ut absque rubore colligat, et colligentem nemo corripiat. Collegit ergo in agro usque ad vesperum : et quæ collegerat virga cædens et excutiens, invenit hordei quasi ephi mensuram, id est, tres modios : quos portans reversa est in civitatem, et ostendit socrui suæ : insuper protulit, et dedit ei reliquias cibi sui, quo saturata fuerat. Dixitque ei socrus sua : Ubi hodie collegisti, et ubi fecisti opus ? sit benedictus qui misertus est tui. Indicavitque ei apud quem esset operata : et nomen dixit viri, quod Booz vocaretur. Cui respondit Noemi : Benedictus sit a Domino : quoniam eamdem gratiam, quam præbuerat vivis, servavit et mortuis, Rursusque : Propinquus noster est homo. Et Ruth hoc quoque, inquit, præcepit mihi, ut tamdiu messeribus ejus jungerer, donec omnes segetes meterentur. Cui dixit socrus : Melius est, filia mi, ut cum puellis ejus exeas ad metendum, ne in alio agro quispiam resistat tibi. Juncta est igitur puellis Booz : et tamdiu cum eis messuit, donec hordea et triticum in horreis conderentur. (*Cap.* III.) Postquam autem reversa est ad socrum suam, audivit ab ea : Filia mi, quæram tibi requiem, et providebo ut bene sit tibi. Booz iste, cujus puellis in agro juncta es, propinquus noster est, et hac nocte aream hordei ventilat. Lavare igitur, et ungere, et induere cultioribus vestimentis, ac descende in aream : non te videat homo, donec esum potumque finierit. Quando autem ierit ad dormiendum, nota locum in quo dormiat : veniesque, et discooperies pallium, quo operietur a parte pedum, et projicies te, et ibi jacebis : ipse autem dicet tibi quid agere debeas. Quæ respondit : Quicquid præceperis mihi faciam. Descenditque in aream, et fecit omnia, quæ sibi imperaverat socrus. Cumque comedisset Booz, et bibisset, et factus fuisset hilarior, issetque ad dormiendum juxta acervum manipulorum, venit abscondite, et discooperto a pedibus ejus pallio, se projecit. Et ecce, jam noctis media expavit homo, et conturbatus est : viditque mulierem jacentem ad pedes suos, et ait illi : Quæ es ? Illa respondit : Ego sum Ruth ancilla tua : expande pallium super famulam tuam, quia propinquus es. Et ille, Benedicta, inquit, es a Domino filia, et priorem misericordiam posteriore superasti : quia non es secuta juvenes, sive pauperes sive divites. Noli ergo metuere, sed quid dixeris mihi, faciam tibi. Scit autem omnis populus, qui habitat intra portas urbis meæ, mulierem te esse virtutis. Nec abnuo me propinquum, sed est alius me propinquus Quiesce hac nocte : et facto mane, si te voluerit propinquitatis jure restinere, bene res acta est : sine autem ille noluerit, ergo te absque ulla dubitatione suscipiam, vivit Dominus : dormi usque mane. Dor-

mivit itaque ad pedes ejus usque noctis abscessum. A Surrexitque antequam homines se cognoscerent mutuo, et dixit Booz : Cave ne quis noverit quod huc veneris. Et rursum, Expande, inquit, pallium tuum quo operiris, et tene utraque manu. Qua extendente, et tenente, mensus est sex modios hordei, et posuit super eam. Quæ portans ingressa est civitatem, et venit ad socrum suam. Quæ dixit ei : Quid egisti filia ? Narravitque omnia, quæ sibi fecisset homo. Et ait : Ecce sex modios hordei dedit mihi, et ait : Nolo vacuam te reverti ad domum tuam. Dixitque Noemi : Expecta filia donec videamus quem exitum habeat. Neque enim cessabit homo nisi compleverit quod locutus est. (*Cap.* IV.) Ascendit ergo Booz ad portam, et sedit ibi. Cumque vidisset propinquum præterire, de quo prius sermo habitus est, dixit ad B eum : Declina paulisper, et sede hic, vocato eo nomine suo. Qui divertit, et sedit. Tollens autem Booz decem viros de senioribus civitatis, dixit ad eos : Sedete hic. Quibus resedentibus, locutus est ad propinquum : Partem agri fratris nostri Elimelech vendit Noemi, quæ reversa est de regione Moabitide : quod audire te volui, et tibi dicere coram cunctis sedentibus, et majoribus natu de populo meo. Si vis possidere jure propinquitatis, eme, et posside : sin autem displicet tibi, hoc ipsum indica mihi, ut sciam quid facere debeam : nullus est enim propinquus, excepto te, qui prior es ; et me, qui secundus sum. At ille respondit : Ego agrum emam. Cui dixit Booz : Quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem, quæ uxor defuncti fuit, debes acci- C pere : ut suscites nomen propinqui tui. Qui respondit : Cedo jure propinquitatis : neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo. Tu meo utere privilegio, quo me libenter carere profiteor. Hic autem erat mos antiquitatis in Israel inter propinquos, si **257** quando alter alteri suo jure cedebat, ut esset firma concessio, solvebat homo calciamentum suum, et dabat proximo suo : hoc erat testimonium concessionis in Israel. Dixit ergo propinquo suo Booz : Tolle calciamentum. Quod statim solvit de pede suo. At ille majoribus natu, et universo populo ait : Testes, inquit, vos estis hodie, quod possederim omnia quæ fuerunt Elimelech, et Chélion, et Mahalon, tradente Noemi : et Ruth Moabitidem, uxorem Mahalon, in conjugium sumpserim, ut sus- D citem nomen defuncti in hereditate sua, ne vocabulum ejus de familia sua ac fratribus et populo deleatur. Vos, inquam, hujus rei testes estis. Respondit omnis populus, qui erat in porta, et majores natu : Nos testes sumus : faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel et Liam, quæ ædificaverunt domum Israel : ut sit exemplum virtutis in Ephrata, et habeat celebre nomen in Bethlehem : fiatque domus tua, sicut domus Phares quem Thamar peperit Judæ, de semine quod dederit tibi Dominus ex hac puella. Tulit itaque Booz Ruth, et accepit uxorem : ingressus est ad eam, et dedit illi Dominus, ut conciperet, et pareret filium. Dixeruntque mulieres ad Noemi : Benedictus Dominus, qui non est passus ut deficeret successor familiæ tuæ, et vocaretur nomen ejus in Israel. Et habeas qui consoletur animam tuam, et enutriet senectutem : de nuru enim tua natus est, qui te diliget : et multo tibi est melior, quam si septem haberes filios. Susceptum Noemi puerum posuit in sinu suo, et nutricis ac gerulæ officio fungebatur. Vicinæ autem mulieres congratulantes ei, ac dicentes : Natus est filius Noemi : vocaverunt nomen ejus Obed : hic est pater Isai, patris David. Hæc sunt generationes Phares : Phares genuit Esron, Esron genuit Aram, Aram genuit Aminadab, Aminadab genuit Nahasson, Nahasson genuit Salmon, Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed, Obed genuit Isai, Isai genuit David regem. ℟. Amen.

Hymnus.

Noctis tempus jam præterit,
Jam gallus canit, vivis
Gallo canente spes reddit ;
Ægris salus refunditur.

Somno gravati surgite.
Cordis reatum pandite,
Jesuque laudem dicite,
Qui nos redemit sanguine.

Non ut fallax discipulus,
Qui pacem ferens osculo ;
Et dolum tenens pectore,
Turbis Magistrum tradidit.

Jesus captus ab impiis :
Disperguntur discipuli :
Locutus est ut Dominus
Nocte ferens scandalum.

Jesus suis discipulis,
Dum crucem suam prædicat,
Negari sese præmonet ;
Petrus facturus abnegat.

Petrus fervens spiritu
Sequitur in prætorio ;
Sed agnitus discipulus,
Negavit Christum Dominum.

Petrus jurabat omnibus :
Se non novisse hominem :
Vox namque galli resonat,
Et Petrus culpam meminit.

Jesus, dum Petrum re
Fidem Petri dum suscipit.
Petrusque, fluendo, recipit
Quod ante paulo amiserat.

Et nos precamur, Domine,
Fidem Petri recipere,
Fidemque Apostolicam,
Flentes pro nostro crimine,

Gallo canente venimus
Laudes Deo persolvimus
Confessionis propriæ
Dantes ei veram fidem.

Abscede princeps de
Cum noxiis phantasmatum :

Jam nos piavit veritas ;
Jam probra tersit charitas.
Hinc te, Deus, deposcimus,
Ut pervagantes dœmonas
Signo salutis destruas ;
Nos a pavore libera.
Hac noctis hora præscius
David futuræ gloriæ
Deo preces multiplicat,
In matutinis excubans.
Hac nos oportet surgere
Illo vigore corporis,
Illoque voto spiritus,
Quo expiemur sordibus.
Exurge, nobiscum Deus,
Laudes tuorum suscipe,
Lustrando corda lubrica
Lucis novellæ gratia.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
258 Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Supplicatio. Oremus. *fol.* 138.

Capitula. Deus, Dei Filius, qui voluntarie decipulam venantium passus, voluntarie utique crederis crucifixus ; concede nobis et passionis tuæ exceptione singulariter jocundari, et resurrectionis tuæ gaudio fideliter attolli : ut qui passionis tuæ solemnia devoti præcinenda canticis inchoamus, respectu lucis tuæ copiosius inlustremur.

Pater noster.

Lauda. Laus ejus in choro. *Oratio*. Laus tua Domine. *Alia Lauda*. Laudent nomen Dei in choro. *Oratio*. Deus qui ineffabilibus. *fol.* 181.

Lauda. Usque ad vesperum quam magnificata sunt opera tua, Domine ?

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Ne tradas me, Domine, desiderio meo peccatori : cogitaverunt adversum me ; P. Ne derelinquas, ne unquam exaltentur. ℣. Eripe me Domine ab homine malo : a viro iniquo et doloso libera me. P. Ne derelinquas.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Eripe me, Domine, a calumniis hominum : quia servavi mandata tua. Faciem tuam illumina super servum tuum : P. Et doce me justificationes tuas, Domine. ℣. Mirabilia testimonia tua, Domine : ideo scrutata est anima mea. P. Et doce. ℣. Gloria, etc. P. Et doce.

Hymnus. Verbum Patri. *fol.* 252.

Capitula. Novimus, Domine, quod traditoris tui perpessus injuriam, usque ad mortem non dereliqueris patientiam : et cum ille insatiabilis homicida te Magistrum tradiderit occidendum ; tu tamen ne ipsum quidem volueris moriturum: da ergo, quæsumus. nobis, ut patiendi malos habeamus constaniam, et patientiæ teneamus exempla : non nos vo-[1]
ago iræ præcipitet, nec per noctem hujus sæcul

A tentator malignus, quasi fur in hora quacumque contaminet : quo passionis tuæ stigmata sint nobis ad custodiam indefessam.

Pater noster.

Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit. ℟. Et.

Benedictio. Christus, Dei Filius, qui olim, mediante hujus diei festi tempore, detrahentium se pertulit linguas, nostrorum omnium faciat esse dissertas ; ℟. Amen. Et qui pro impiis passus est innocens, vos sibi faciat sine fine consortes : ℟. Amen. Ut, cujus nunc passionem mœstificati excipitis, ad resurrectionis ejus gaudium lætificatis cordibus accedatis. ℟. Amen.

Per misericordiam..

B *Lauda*. Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, P. Et lumen semitis meis, Deus meus. ℣. Juravi, et statui custodire judicia justitiæ tuæ.

Oratio. Lumen tuum, Domine, legis tuæ nobis agnitione ostende : ut a lubricis casibus tuo juvamine erigamur, et alacres in tuo lumine ad destinata æternitatis tuæ gaudia festinemus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Posuerunt peccatores laqueos mihi : P. Et a mandatis tuis, Domine, non declinavi. ℣. Hereditate acquisivi testimonia tua in æternum : quia exultatio cordis mei sunt.

Oratio. Tribue nobis, Domine, adjutorium declinandi odia iniquorum, et fallacia superare prævaricatorum : Esto protector sperantium in verbo tuo ;
C et suscipe humiles juxta eloquium tuum : quatenus possimus tua mandata servare, et judicia tua metuere, et de admissis indulgentiam promereri. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Iniquos odio habui, et abominatus sum : P. Legem autem tuam dilexi, Deus meus. ℣. Adjutor, et susceptor meus es tu : et in verbum tuum speravi.

Oratio. Auxiliare nobis Domine, et salvi erimus : te enim desistente, perditio, et te præservante vitalis est plenitudo. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Preces. Averte, Domine, iram tuam a nobis. *Cum sua, oratione, fol.* 183.

D SECUNDA FERIA POST MEDIANTE DIE FESTO.

Ad Matutinum.

Exurge, Domine, salvum me fac, Deus meus. *Psalmus* III.

Oratio. Exurge Domine Deus noster in auxilium humilium, et in exterminium persequentium nos : contere adversarios nostros, qui nos a præceptis tuis, dolosis promissionibus, et apertis terroribus avertere moliuntur : in nullo enim proficient eorum insidiæ, **259** si tuo muniamur semper adjutorio gratiæ. ℟. Amen.

Per.

Antiphona I. Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et ad-

versus Christum ejus. P. Qui habitat in cœlis, irridebit eos : et Dominus subsannabit eos : et in furore suo conturbabit eos. ℣. Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania ? P. Qui. ℣. Gloria. P. Qui.

Oratio. Deus Pater Unigeniti filii tui, qui habitas in cœlis, qui irridendos atque subsannandos omnes reges terræ et principes, adversum Christum tuum convenientes, ostendis ; da nobis speciale munus hoc gratiæ tuæ, ut adversis nesciamus ullo modo cedere : quo sic in furore tuo infidelitas conturbetur, ut ex tuo adjutorio nostra credulitas coronetur. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Odisti Domine omnes qui operantur iniquitatem : P. Perdes eos qui loquuntur mendacium, ℣. Judica illos, Deus. Decidant a cogitationibus suis.

Oratio. Deus, qui odio habes omnes, qui operantur iniquitatem, charitatis munimine nos reple : ut aliquando ad te conversi, doloris sui sentiant cumulum, qui contra te loquuntur mendacium. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Quia non est in ore inimicorum veritas : cor eorum vanum est. Sepulchrum patens est guttur eorum, P. Linguis suis dolose agebant, judica illos Deus. ℣. Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa : dentes peccatorum contrivisti.

Oratio. In ore inimicorum tuorum. Domine, veritas non est : quia dum à te in intimis avertuntur, cor eorum vanitate destruitur. Da ergo nobis, ut sic lingua nostra cum puritate conscientiæ acceptum tibi deferat hymnum, ut patens malignitatis non efficiantur sepulchrum. ℟. Amen.

Per.

℟. Miseriis afflictus sum, et turbatus sum : tota die contristatus ingrediebar : quoniam anima mea completa est inlusionibus. P. Et non est sanitas in carne mea. ℣. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi : et confirmasti super me manum tuam. P. Et non est.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui traditurum te morti, ante mortem præscius prædixisti ; et illic ubi constituta est domus omnis viventis, ad inferna utique, moriens descendisti : da nobis, ut cum tempus vocationis nostræ advenerit, illic non deveniamus retenturi in pœnam : quo tu moriens liberator accesisti per veniam : sed emittens manum tuam de profundo inferni manifesta potentia libera ; qui solus pro impiis tuam ponere dignatus es animam. ℟. Amen.

Per.

In laudibus.

Antiphona. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, Domine : ab ipsa munda me. Deprecor, miserere mei, miserere. *Psalmus* L.

Oratio. Agnoscentibus nobis iniquitates nostras, A et propria tibi Domino pandentes piacula, ejulantes lachrymis, pectore verberato supplices oramus : ut avertas a nostris sceleribus faciem ; et deleas, quæ gessimus, cuncta peccata. Crea itaque Deus in cordibus nostris, quod ames ; et propitiatione solita dimitte, quod odis : ac si te crebro ad irascendum nostra exasperant vitia ; tua te nobis placabitem reddat indulgentia. ℟. Amen.

Per.

Ad Canticum. Antiphona. Confundantur omnes qui me persequuntur, et non confundar ego : paveant illi, et non paveam ego.

Canticum Hieremiæ (*Cap.* XVII).

Sana me Domine, et sanabor : * salvum me fac, et salvus ero : quoniam laus mea, et virtus mea tu es.

B Ecce ipsi dicunt mihi : Ubi est verbum Domini ? * veniat. Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens.

Et diem hominis non desideravi, tu scis. * Quod egressum de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit.

Non sis mihi formidini, * spes mea tu in die afflictionis meæ.

Confundantur omnes qui me persequuntur, et non confundar ego : * paveant illi, et non paveam ego.

Induc super eos diem afflictionis, * et duplici contritione contere eos.

Oratio. Confundantur omnes Domine, qui persequuntur in nos sanctum nomen tuum, et non confundamur nos, qui veneramur et credimus, et passionis tuæ injuriam, et resurrectionis tuæ po- C tentiam : prævaleat ergo virtus gloriæ tuæ, quæ et persequentes te a pravitate deterreat, et credentes in æternum tibi lætabundos conjungat. ℟. Amen.

Per, etc.

260 *Ad Benedictus. Antiphona.* Ego ad te, Domine, clamavi et mane oratio mea præveniet te. ℣. Domine Deus salutis meæ, die clamavi, et nocte coram te.

Lauda. In sanctis ejus laudate Dominum : in psalterio, et cithara laudate eum. *Psalmus* CL.

Lectio libri Samuelis (*Primi Regum cap.* I).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Concepit Anna, et peperit filium vocavitque nomen ejus Samuel : eo quod a Domino postulasset eum. Ascendit autem vir Elcana, et omnis domus ejus, ut immolaret Domino hostiam so- D lemnem, et votum suum, et Anna non ascendit : dixit enim viro suo : Non ascendam, donec ablactetur infans, et ducam eum, et appareat in conspectu Dei, et maneat ibi jugiter. Et ait Elcana vir suus : Fac quod tibi bonum videtur, et mane donec ablactes eum. Mansit ergo mulier, et lactabat filium suum, donec amoveret eum a lacte. Et adduxit eum secum, postquam ablactaverat, in vitulis tribus, et tribus modiis farinæ, et amphora vini, et adduxit eum in domum Domini in Silo. Puer autem erat infantulus : et immolaverunt vitulum, et obtulerunt puerum Heli, Annaque ait : Obsecro mi Domine, vivat anima tua : ego sum illa mulier, quæ steti coram

te hic orans Dominum. Pro puero isto oravi, et dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulavi eum. Idcirco commodavi eum Domino, cunctis diebus quibus fuerit accomodatus Domino. Et adoravit ibi Dominum. Et oravit Anna, et ait : Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cor meum in Deo salutari meo. (*Cap.* II.) Et abiit Elcana in Ramatha, urbem suam : puer autem Samuel erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis. Porro filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum, neque officium sacerdotum ad populum : sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, et habebat fuscinulam tridentem in manu sua, et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, sive cacabum : et omne quod levabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi : sic quoque faciebat universo Israeli venientium in Silo. Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer sacerdotis, et dicebat immolanti : Da mihi carnem ; ut coquam sacerdoti : non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam. Dicebat quoque immolans : Accendatur primum juxta morem adeps, et tolle tibi quantum desiderat anima tua. Qui respondens aiebat ei : Nequaquam : sic enim dabis, alioquin tollam vi. Erat autem peccatum puerorum grande nimis coram Domino : quia retrahebant homines a sacrificio Domini. Samuel autem ministrabat in conspectu Domini, puer autem accinctus ephod lineo. Et tunicam parvam faciebat ei mater sua, quam offerebat ei statutis diebus, ascendens cum viro suo, ut immolarent hostiam solemnem. Et benedixit Heli Elcanæ et uxori ejus Annæ : dixitque : Reddat tibi Dominus semen de muliere hac, pro fœnore quod commodasti Domino. Et abierunt in locum suum. Visitavit ergo Dominus Annam, et concepit, et peperit tres filios, et duas filias : et magnificatus est puer Samuel apud Deum. Heli autem erat senex valde, et audivit omnia quæ faciebant filii sui universo Israeli : et quomodo dormiebant cum mulieribus quæ observabant ad ostium tabernaculi : et dixit eis : Quare facitis res hujuscemodi, quas ego audio, res pessimas, ab omni Israel? Nolite filii mi : non enim est bona fama, quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini, Si peccaverit vir in virum, placare eis poterit Dominus : si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui : quia voluit Dominus occidere eos. Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, et placebat tam Deo quam hominibus. ℟. Amen.

Hymnus. Noctis tempus jam præterit. *fol*. 257.

Capitula. Libera nos Domine a labiis iniquis, et a lingua magniloqua, qui in Crucis appensus est statera : et præsta, ut nec accusatori accusandi aditus pateat, nec plebs tua ejus decipulis aquiescat, nec iram tuam suggestio fallax commoveat. Sed tu Domine ipsum humani generis callidum insidiatorem framea divina concide : et pro miseriis pauperum inclyta bonitate exurge.

Pater noster. A malo nos libera, etc.

Lauda. Lucerna pedibus mei verbum tuum, Domine. ℣. Et lumen semitis meis, Deus meus. P. Juravi, et statui custodire judicia justitiæ tuæ.

Oratio. Lumen tuum, Domine, legis tuæ nobis agitatione ostende : ut a lubricis casibus tuo juvamine erigamur ; ut alacres in tuo **261** lumine ad destinata æternitatis tuæ gaudia festinemus. ℟. Amen.

Per.

Ad Tertiam.

Proverbiorum Salomonis (*Cap.* XXVIII.)

℟. Deo gratias.

Fili, qui dat pauperi, non indigebit : qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam. Cum surrexerint impii, abscondentur homines : cum illi perierint, multiplicabuntur justi. (*Cap.* XXIX). Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinas super eum veniet interitus : et eum sanitas non sequetur. In multiplicatione justorum lætabitur vulgus : cum impii sumpserint principatum, gemit populus. Vir, qui amat sapientiam, lætificat patrem suum : qui autem nutrit scortum, perdet substantiam. Rex justus erigit terram, vir avarus destruit eam. Homo blandus, qui sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus. Peccantem virum iniquum involvit laqueus : et justus laudabit, atque gaudebit. R. Amen.

Lectio libri Samuelis (*Primi Reg. cap.* II).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Venit vir Dei ad Heli, et ait ad eum : Hæc dicit Dominus : Numquid non aperte revelatus sum domui patris tui, cum esset in Ægypto in domo Pharaonis ? Et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, et adoleret mihi incensum, et portaret ephod coram me : et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israel. Quare calce abjecistis victimam meam, et munera mea quæ præcepi ut offerrentur in templo : et magis honorasti filios tuos quam me, ut comederetis primitias omnis sacrificii populi mei ? Propterea ait Dominus Deus Israel : Loquens locutus sum, ut domus tua, et domus patris tui, ministraret in conspectu meo, usque sempiternum. Nunc autem dicit Dominus : Absit hoc a me : sed quicumque honorificaverit me, glorificabo eum : qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Ecce dies veniunt, et præcidam brachium tuum, et brachium domus patris tui, ut non erit senex in domo tua. Et videbis æmulum tuum in templo, in universis prosperis Israel ; et non erit senex in domo tua omnibus diebus. Verumtamen non auferam ex te penitus virum ab altari meo : sed ut deficiant oculi tui, et tabescat anima tua : et pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerint. Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est : duo filii tui, Ophni et Phinees in die una morientur ambo. Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum et animam meam faciet : et ædificabo illi domum fidelem, et ambulabit coram Christo

meo cunctis diebus. Futurum est autem, ut quicumque remanserit in domo tua, veniet ut oretur pro eo, et offerat nummum argenteum, et tortam panis, dicatque : Dimitte me obsecro ad unam partem sacerdotalem, ut comedam bucellam panis. (*Cap.* III.) Puer autem Samuel ministrabat coram Heli, et sermo Domini erat pretiosus ; in diebus illis non erat visio manifesta. Factum est autem in die quadam, Heli jacebat in loco suo, et oculi ejus caligaverant, nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur, Samuel autem dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei. Et vocavit Dominus Samuel. Qui respondit : Ecce ego. Et cucurrit ad Heli, et dixit : Ecce ego, quem vocasti me. Qui dixit : Non vocavi te fili : revertere, et dormi. Et abiit, et dormivit. Et adjecit Dominus vocare rursum, Samuel. Consurgensque Samuel, abiit ad Heli, et dixit : Ecce ego : vocasti enim me. Qui respondit : Non vocavi te, fili mi : revertere, dormi. Porro Samuel nec dum sciebat Dominum, neque revelatus fuerat ei sermo Domini. Et adjecit Dominus, et vocavit Samuel rursum tertio. Qui consurgens abiit ab Heli, et ait : Ecce ego : quem vocasti me. Intellexit igitur Heli quia Dominus vocaret puerum : et ait ad Samuel : Valde, dormi : et si deinceps vocaverit te, dices : Loquere Domine, quia audit servus tuus. Abiit igitur Samuel, et dormivit in loco suo. Et venit Dominus, et stetit : et vocavit, sicut vocaverat secundo, et tertio, Samuel. Et ait Samuel : Loquere Domine, quia audit servus tuus. Et dixit Dominus ad Samuel : Ecce ego facio verbum in Israel : quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus : In die illo suscitabo adversus Heli omnia quæ locutus sum super domum ejus : incipiam, et complebo. Prædixi enim ei quod judicaturus essem domum ejus in æternum propter iniquitatem filiorum ejus, eo quod noverat indigne agere filios suos, et non corripuit eos. Idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis et muneribus usque in sempiternum. Dormivit autem Samuel usque mane, aperuitque ostia domus Domini. Et Samuel timebat **262** indicare visionem Heli. Vocavit ergo Heli Samuelem, et dixit ei : Fili mi Samuel? Qui respondens, ait : Presto sum. Et interrogavit eum : Quis est sermo Domini, quem locutus est ad te? Ne celaveris mihi ; hæc faciat tibi Deus, et hæc addat, si celaveris a me sermonem, ex omnibus quæ dicta sunt tibi. Indicavit itaque Samuel universos sermones, et non abscondit ab eo quicquam. Et ille respondens ait : Dominus est : quod bonum est in oculis suis faciat. Crevit autem Samuel, et Dominus erat cum eo. ℟. Amen.

Antiphona 1. Sana me, Domine, turbata sunt ossa mea, et anima mea turbata est valde : tu, Domine, convertere, et eripe animam meam. ℣. Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me.

Oratio. Christe, Dei Filius, cujus ossa et anima in passione turbata sunt, sana plagam cordis nostri : ut, confirmatis virtutum ossibus, sic passionis tuæ concinamus præconia, ut resurrectionis conlætemur impensius gloria post futura. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Caligavit præ amaritudine oculus meus : inveteravi inter omnes inimicos meos. Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem : quia exaudivit Dominus vocem meam. ℣. Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum lachrymis stratum meum rigabo.

Oratio. Dei Patris Unigenite Filii Christe, cujus divinitatis oculos sic passionis injuria non turbat, ut tamen passione ipsa in solo homine assumpta, excipiat nos famulos tuos ; in quorum via amaritudinis ; et oculos calligavit, et vita inter inimicos posita veterascit, sic a nobis accessum exclude totius malitiæ, ut compotes habeamur felicitatis æternæ. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Domine Deus, salvum me fac secundum justitiam meam : et consumetur nequitia peccatoris, et dirige justum, scrutans corda et renes Deus. ℣. Domine Deus meus in te speravi : salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et eripe me.

℟. Non erubescant in me, qui te expectant Domine, Domine virtutum. Non confundantur super me qui requirunt te, Deus Israel. *P.* Quia propter te sustinui improperium. ℣. Ne avertas faciem tuam a puero tuo : quoniam tribulor, velociter exaudi me. *P.* Quia propter te.

Preces. Ad te clamamus, Domine, *P.* Miserere, et parce populo tuo. ℣. Esto pro nobis expostulans, qui matrem de cruce commendas. *P.* Miserere. ℣. Qui Petri lachrymas accipis, post lapsum erige nos mitis. *P.* Miserere. ℣. Ut qui te passum jam credimus, tecum sine vivamus. *P.* Miserere. *Psalmus* L.

Hymnus. O Nazarene, lux Bethlehem. *folio* 144.

Oratio. Domine Deus, salvum fac populum tuum secundum acceptum a te justitiæ donum, in quo sanctæ fidei nobis tribuisti mysterium : ut porrecto titulo Crucis, sic consumatur nequitia peccatoris, ut dirigatur justus per semitas æquitatis.

Pater noster.

Ad Sextam.

Lectio tibri Ezechielis prophetæ (*Cap.* XXXIV)

℟. Deo gratias.

Factum est verbum Domini ad me, dicens : Fili hominis propheta de pastoribus Israel : propheta, et dices pastoribus : Hæc dixit Dominus : Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos : nonne greges pascuntur a pastoribus? Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis : gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non solidastis, et quod ægrotum non sanatis, quod confractum est non alligastis, et quod abjectum est non reduxistis, et quod perierat non quæsistis : sed cum austeritate imperabamini eis, et cum potentia. Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor : et factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, et dispersæ sunt. Erraverunt greges mei in cunctis montibus, et in universo colle excel-

so : et super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, et non erat qui requireret. Propterea pastores audite verbum Domini : Vivo ego, dicit Dominus : quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam, et oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor : neque enim quæsierunt pastores gregem meum, semetipsos, et non greges meos pascebant. Propterea pastores audite verbum Domini : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam ut ultra non pascant gregem meum de ore eorum, et non erit **263** ultra eis in escam : ait Dominus omnipotens. ℞. Amen.

Antiphona 1. Cum invocarem te, exaudisti me Deus justitiæ meæ. ℣. In tribulatione dilatasti mihi. Miserere mei, et exaudi orationem meam.

Oratio. Cum invocamus te, exaudi nos Christe, qui es justitia nostra : ut qui pro impiis tribulationum es perpessus injuriam, supplicantibus nobis dones indulgentiam. ℞. Amen.

Per.

Antiphona 2. Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum : lachrymis meis stratum meum rigabo. ℣. Turbatus est præ ira oculus meus : inveteravi inter omnes inimicos meos.

Oratio. Te, Jesu, pro impiis laborasse in gemitu credimus passionis ; ideo petimus, ut singulare exemplum patientiæ tuæ proficiat ad emolumentum animæ nostræ : quo per singulas noctes sic lectum stratumque nostrum rigemus in lachrymis, ut continua capiamus præsidia sanctitatis. ℞. Amen.

Per.

Antiphona 3. Exaudivit Dominus vocem fletus mei ; exaudivit Dominus deprecationem meam. ℣. Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem : quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

℞. Tota die contristatus ambulabam. P. Quoniam anima mea completa est inlusionibus : et non est sanitas in carne mea. ℣. Incurvatus sum, et humiliatus sum valde : usquequaque rugiebam a gemitu cordis mei. P. Quoniam anima mea completa est inlusionibus : et non est sanitas in carne mea.

Preces. Verbum Patris Altissimi, P. Redemptor, peccantibus miserere. ℣. Elide nostrum facimus. qui pro nobis es traditus. P. Redemptor, peccantibus. ℣. Purifica nos a vitiis, qui cæsus es alapis. P. Redemptor, peccantibus. ℣. Tu pro nobis potatus es felle ; nos reple dulcedine. P. Redemptor, peccantibus. ℣. Accende nos igne crucis tuæ, quos redemisti sanguine. P. Redemptor, peccantibus.

Hymnus. O Nazarenè, lux. *fol*. 144.

Oratio. Salva nos Domine propter misericordiam tuam, quos scis infirmari propter iniquitatem propriam : et quoniam turbata est anima nostra ob metum tuorum justorum judiciorum, requiescat, propter jocundissimum indulgentiæ tuæ donum ; et eum percipiat ad sanitatis præmium, qui suorum confitetur vulnera peecatorum : ut purgatus per gratiam,
A veniam suscipiat, et ad te sine confusione perveniat. Pater noster.

Ad Nonam.

Lectio libri Ecclesiastici Salomonis (*Cap*. III).

℞. Deo gratias.

Fili, quam magna potentia Dei solius, et ab omnibus honoratur. Altiora te ne præscrutaberis, et fortiora te ne quæsieris : sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus ejus ne fueris curiosus. Non sunt enim tibi necessaria ea, quæ abscondita sunt ab oculis tuis. In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter, et in pluribus operibus ejus non eris curiosus. Plurima enim supra sensum hominis ostensa sunt tibi. Multos enim supplantavit suspectio illorum, et in vanitate detinuit sensus illo-
B rum. Cor durum male habebit in novissimo : et qui amat periculum, in ipso peribit. Cor ingrediens duas vias, non habebit successus, et pravi cordis in illis scandalizabitur. Cor nequam gravabitur doloribus, et peccator adjiciet ad peccandum. Cor sapiens intelligitur in sapientia, et auris bona audiet concupiscentiæ sapientiam. Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna extinguit peccatum. Sapiens cor, et intelligibile abstinebit se a peccato et in operibus justitiæ successus habebit. ℞. Amen.

Lectio libri Samuelis (*Primi Reg. Cap*. IV).

℞. Deo gratias.

In illis diebus : Egressi sunt Israel obviam Philisthiim, ét castrametatus est juxta Lapidem adjutorii. Porro Philistiim venerunt in Aphec, et instruxe-
C runt aciem contra Israel. Inito autem certamine, terga vertit Israel ante Philisthæos : et cæsa sunt illa die passim per agros, quasi quatuor millia virorum. Et reversus est populus ad castra : dixeruntque majores natu Israel : Quare percussit nos Dominus hodie coram Philisthiim ? Afferamus ad nos arcam fœderis Domini de Silo, et veniat in medio nostri, et salvet nos de manu inimicorum nostrorum. Misit ergo populus in Silo, et tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubim : erantque quo filii Heli cum arca fœderis Domini, Ophni, et Phinees. Cumque venisset area fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis populus **264** clamore grandi, et personuit terra. Et audierunt Philistim vocem clamoris, dixeruntque : Quænam hæc est vox clamoris magni in castri Hebræo-
D rum ? Et cognoverunt quod arca Domini esset in castris. Timueruntque Philistiim, dicentes : Venit Dominus in castra. Et ingemuerunt, dicentes : Væ nobis : non enim fuit tanta exultatio heri, et nudiustertius : væ nobis. Quis nos servabit de manu Deorum istorum sublimium ? hi sunt Dii qui percusserunt Ægyptum omni plaga, in deserto. Confortamini, et estote viri Philistiim : ne serviatis Hebræis, sicut illi servierunt nobis : confortamini, bellate. Pugnavernnt ergo Philistiim et cæsus est Israel, et fugit unusquisque in tabernacula sua, et facta est plaga magna nimis : et ceciderunt de Israel triginta millia peditum. Et arca Dei capta ducta est ; et duo

filii Ophni, et Phinees mortui sunt. Currens autem A vir de Benjamin ex acie, venit in Silo in die illa, scissa veste, et conspersus pulvere caput. Cumque ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam aspectans. Erat enim cor pavens pro arca Domini. Vir autem ille postquam ingressus est, nuntiavit urbi : et ululavit omnis civitas. Et audivit Heli sonitum clamoris, dixitque : Quis est sonitus hujus tumultus ? At ille festinavit, et venit, et annuntiavit Heli : Heli autem erat nonaginta, et octo annorum et oculi ejus caligaverant et videre non poterat. Et dixit ad Heli : Ego sum qui venio de prælio, et ego de acie fugi hodie. Cui ille ait : Quid actum est fili mi ? Respondens autem annuntiabat, fugit, inquit, Israel a facie Philisthiim, et ruina magna est in populo : insuper et duo filii tui mortui sunt, Ophni et B Phinees : et arca Dei, capta est. Cumque ille nominasset arcam Dei, cecidit Heli de sella retrorsum, et fractis cervicibus mortuus est. Senex enim erat, et grandævus vir : et ipse judicavit Israel quadraginta annis. ℟. Amen.

Antiphona 1. In Domino confidit anima mea : quia oculi ejus in pauperem respiciunt. ℣. Quoniam ecce peccatores tetenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.

Oratio. Deus, cujus oculi in pauperem respiciunt, in te confidenti animæ nostræ dona auxilium : ut qui sanari nos passionis tuæ vulneribus imprecamur, te auxiliante a nostris passionibus liberemur. ℟. Amen.

Per misericordiam C

Antiphona 2. Pedes impiorum veloces ad effundendum sanguinem. Deum non invocaverunt sibi, timuerunt timore, ubi non erat timor. ℣. Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in voluptatibus suis : non est qui faciat bonum, non est usque ab unum. *Non dicatur* Gloria, et honor.

Oratio. Inimici tui Domine, adversus te convenerunt, non ut compungerentur pænitentia salutari ; sed (ut soliti) tentandum te adirent inrisione crudeli : qui ergo innocens perpessus es inimicorum et inrisiones et vulnera ; nostra in his ablue propitiatus peccata. ℟. Amen.

Antiphona 3. Domine, salva me a contradictioni- D bus populi : constitues me in caput gentium et exaltetur Deus salutis meæ. ℣. Diligam te Domine virtus mea : Deus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus.

Hymnus. O Nazarene. *fol*. 144.

Oratio. Christe Deus noster, qui contumacis populi contradictionibus es contemptus, et ob hoc in capite gentium constitutus ; nos, quibus per passionem et resurrectionem tuam caput fieri voluisti non patiaris a te aliquando præcidi : ut te duce de adversis potestatibus triumphemus, quem pro nobis in Crucis patibulo exaltatum credimus.

Pater noster.

Ad Vesperum.

Lauda. Tu illuminas lucernam meam, Domine.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Antiphona. Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram. *Psalmus* CXX.

Laudà. Ab omnibus persequentibus me, P. Libera me, Domine. ℣. Domine Deus, in te speravi : salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me. P. Libera.

Hymnus, Verbum Patris *fol*. 252.

Capitula. Gloriose, potens, ac misericors Deus, erue nos ab insidiis inimici ; et, ne anima nostra a rugientibus, leonis raptu rapido, rapiatur, protectio dexteræ tuæ in nostri custodiam deputetur : ne dum non est qui redimat, ille sævus occidat : aut, si non est qui salvum faciat, ille subvertat. Sed tu Leo
265 de tribu Juda in ira tua exurge, et severitate judicii, insidiosi hosti cattervas interime : nosque in præcepto, quod mandasti, credere et permanere concede.

Pater noster.

Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit semper. ℟. Et.

Benedictio. Christus Dominus, qui morte sua quadriduanam humanitatis nostræ mortem devicit, victores vos efficiat criminis vestri. ℟. Amen. Et qui tradi se permisit ad impiis, ab æternorum vos suppliciorum eripiat pœnis. ℟. Amen. Ut cum eo sine fine vivatis, qui victor factus est mortis. ℣. Amen.

Per misericordiam ipsius, etc.

Lauda. Lucerna pedibus meis verbum. *fol*. 260.

FERTIA TERTIA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Exurge, Domine salvum me fac. *Psalmus* III. *Oratio* Exurge, Domine Deus noster, in auxilium humilium. *fol*. 258.

Antiphona 1. Salvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus : quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum. Vana locutus est ususquisque ad proximum suum : Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.

Oratio. Salvum fac populum tuum Domine, qui gloriosa passionis tuæ exceptione lætamur : ut labia dolosa non habeamus in corde : sed ore simplici, et vane loquentibus finem pore, et in te credentium possimus accendere charitatem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Notas fac mihi vias vitæ Domine, implebis me lætitia cum vultu tuo : delectationes in dextera tua usque in finem. ℣. Conserva me Domine, quoniam in te speravi. Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non indiges.

Oratio. Rogamus te, Domine Pater omnipotens Deus : ut quemadmodum nobis intellectum tribuere dignatus es ; ita et æternæ vitæ notas vias ostende : ut adimpleti lætitia cum vultu tuo, in regno tuo jocundemnr a dextris. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Usquequo, Domine, exaltabitur inimicus meus super me? respice, et exaudi me Domine Deus meus: nequando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum. Ego autem in tua misericordia speravi. Exultavit cor meum in salutari meo.

Oratio. Usquequo, Domine, exaltabitur inimicus animæ nostræ, quid nos quotidianâ vitiorum abrodit rubigine? Respice jam, et exaudi nos: ac nequando inimicus noster adversum nos prævaluisse se jactet: victoria crucis tuæ semper ad superna nos erige: et eum qui nos conatur rapere, sub nostris pedibus conterendum immerge. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Ne obduraveris aurem tuam ad orationem meam: in auxilium mihi accessisti, Domine: in die, qua te invocavi, dixisti: P. Ne timeas. ℣. Effunde framea, et conclude adversus eos, qui me persequuntur, et dic animæ meæ: P. Ne timeas.

Oratio. Ne obdures, Domine, aurem tuam ad orationem Ecclesiæ tuæ: in auxilium ejus accede; ut qui pro ea passus es passionum dura supplicia, invocantem eam tua Deitas non spernat: ut quæ tuis passionibus conformatur, tuis quoque muneribus consoletur. ℟. Amen.

Per.

In Laudibus.

Antiphona. Secundum magnam misericordiam tuam miserere mei Deus meus. Quoniam cor meum contritum est, deprecor: Miserere mei. *Psalmus* L.

Oratio. Miserere nobis Domine, secundum magnam misericordiam tuam, et ab errore resipiscentibus clementiæ tuæ aperi januam. Tuarum itaque misericordiarum magnitudine non sinimur malorum nostrorum obrui depressione: nos enim iniquitates nostras agnoscimus; et per moles criminum commissorum in nostris oculis punimur. Pro qua re, Domine: unde nos erubescimus, tu ignosce; et ea quæ egisse nos pœnitet, tu dele clementer. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Canticum. Antiphona. Quis det ut veniat petitio mea: et quod exspecto tribuat mihi Deus?

Canticum Job (*Cap*. VI).

Verba mea dolore sunt plena: * quia sagittæ Domini in me sunt.

Quarum indignatio ebibit spiritum meum, * et terrores Domini militant contra me.

Numquid rugiet onager cum habuerit herbam? * aut mugiet bos cum ante præsepe plenum steterit?

266 Aut poterit comedi insulsum, quod non est sole conditum? * aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem?

Quæ prius tangere nolebat anima mea, * nunc præ angustia, cibi mei sunt.

Quis det ut veniat petitio mea: et quod expecto, tribuat mihi Deus?

Et qui cœpit, ipse me conterat: * solvat manum suam, et succidat me?

Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore,

A non parcat, * nec contradicam sermonibus sanctis*

Quæ est enim fortitudo mea, ut mala sustineam? * aut quis finis meus, ut patienter agam?

Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, * nec caro mea ænea est.

Ecce, non est auxilium in me, * et necessarii quoque mei recesserunt a me. ℟. Amen.

Oratio. Quis det, ut veniat petitio Ecclesiæ tuæ Christe; nisi tui, qui optimus liberator es? Præsta, ut qui pro ea egenus et pauper effectus es, donis cœlestibus eam in futuro munifices. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Benedictus. Antiphona. In matutinis meditabor in te: quia fuisti adjutor meus. Domine. ℣. Deus meus, ad te de luce vigilo.

B *Canticum Danielis* III. Benedictus est Domine *fol*. 6.

Lauda. Secundum multitudinem magnitudinis ejus: laudate Dominum in sanctis ejus. *Psalmus* CL.

Lectio libri Samuelis (*Primi Reg. cap*. VII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Venerunt viri Cariathiarim, et reduxerunt arcam Domini, et intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa: Eleazarum autem ejus filium sanctificaverunt, ut custodiret arcam Domini in Cariathiarim. Et factum est, ex qua die mansit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies (erat quippe jam annus vicesimus) et requievit omnis domus Israel post Deum. Ait autem Samuel ad universam domum Israel, dicens: Si in toto corde C vestro convertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, Baalim et Astaroth: et præparate corda vestra Domino: et servite ei soli, et eruet vos de manu Philisthiim. Abstulerunt ergo filii Isrel Baalim, et Astaroth, et servierunt Domino soli. Dixit autem Samuel: Congregate universum Israel in Mastphath, ut orem pro vobis ad Dominum. Et convenerunt in Masphath: hauseruntque aquam et effuderunt in conspectu Domini, et jejunaverunt, in die illa, atque dixerunt: Tibi peccavimus Domine. Judicavitque Samuel filios Israel in Masphath. Audieruntque Philisthiim quod congregati essent filii Israel in Masphath, et ascenderunt satrapes Philisthinorum ad Israel. Quod cum audissent filii Israel, timuerunt a facie Philisthinorum. Dixeruntque filii Israel ad Samuel: Ne cesses clamare pro nobis D ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinorum. Tulit autem Samuel agnum lactantem unum, et obtullit illum holocaustum integrum Domino: et clamavit Samuel ad Dominum pro Israel, et exaudivit eum Dominus. Factum est autem, cum Samuel offerret holocaustum, Philisthiim iniere prælium contra Israel: intonuit autem Dominus fragore magnore in die illa super Philisthiim, et exterruit eos, et cæsi sunt a filiis Israel. Egressique filii Israel de Masphath, persecuti sunt Philisthæos, et percusserunt eos, usque ad locum Bethchar. Tulit autem Samuel lapidem unum, et posuit eum inter Masphath, et inter Sen: et vocavit nomen ejus, Lapis

adjutorii. Dixitque: Hucusque auxiliatus est nobis A Dominus. Et humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt ultra, ut venirent in terminos Israel. Facta est autem manus Domini super Philisthæos, cunctis diebus Samuel. Et redditæ sunt urbes, quas tulerant Philisthiim Israel, ab Accaron usque Geth, et terminos suos: liberaverunt de manu Philisthinorum, eratque pax inter Israel, et Amorrhæum. Judicabatque Samuel Israel cunctis diebus vitæ suæ. Et ibat per singulos annos circumiens Bethel, et in Galgala, et Masphath, et judicabat Israel in supradictis locis. Et revertabatur in Ramatha: ubi erat domus ejus, et ibi judicabat Israel: ædificavitque ibi altare Domino.

Hymnus. Noctis tempus. *fol*. 257. *Capitula*. Libera nos Domine *fol*. 260.

Lauda. Posuerunt peccatores laqueos mihi; et a mandatis tuis, Domine, non declinavi. ℣. Hereditate acquisivi testimonia tua in æternum: quia exultatio cordis mei sunt.

Oratio. Tribue nobis, Domine, adjutorium: declina odia iniquorum, et fallaciam superare prævaricatorum: Esto protector sperantium in verbo tuo; et suscipe humiles **267** juxta eloquium tuum: quatenus possimus tua mandata servare, et judicia tua metuere, et ab admissis indulgentiam promereri. ℟. Amen.

Per misericoridam.

Ad Tertiam.

Ecclesiastes Salomonis (*Cap*. VII).

℟. Deo gratias.

Fili, non est in hominis conditione prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis, nec sinitur quiescere ingruente bello, neque salvabit impietas impium. Omnia hæc consideravi, et dedi cor meum in multis operibus, quæ fiunt sole. Interdum dominatur homo homini in malum suum. Vidi impios sepultos: qui etiam dum adhuc viverent, in loco sancto erant, et laudabantur in civitate quasi justorum operum: sed et hoc vanitas est. Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala. Attamen quod peccator centies fecit malum, et per patientiam sustentatur, ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem ejus. Non sit bonum impio, nec prolengentur dies ejus, sed quasi umbra transeant qui non timent faciem Dei. Amor quoque, et odium simul pereunt, nec habent partem in sæculo, et in opere quod sub sole geritur. Vade ergo et comede in lætitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum: quia Deo placent opera tua. ℟. Amen.

Lectio libri Samuelis (*Primi Reg. cap*. VIII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Cum senuisset Samuel, posuit filios suos judices Israel. Fuitque nomen filii ejus primogeniti Joel: et nomen secundi Abia, judicum in Bersabee. Et non ambulaverunt filii ejus in viis ejus: sed declinaverunt post avaritiam, acceperuntque numera, et perveterunt judicium. Congregati ergo universi majores natu Israel, venerunt ad Samuel in Ramatha. Dixeruntque ei: Ecce tu senuisti, et filii tui non ambulant in viis tuis: constitue nobis regem, ut judicet nos, sicut et universæ habent nationes. Displicuitque sermo in oculis Samuelis, eo quod dixissent: Da nobis regem, ut judicet nos. Et oravit Samuel ad Dominum. Dixit autem Dominus ad Samuel: Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi: non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos. Juxta omnia opera sua, quæ fecerunt a die quo eduxi eos de Ægypto usque ad diem hanc: sicut dereliquerunt me, et servierunt diis alienis, sic facient etiam tibi. Nunc ergo audi vocem eorum; verumtamen contestare eos, et prædic
B eis jus regis, qui regnaturus est super eos. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat a se regem, et ait: Hoc erit jus regis, qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, et ponet in curribus suis, facietque sibi equites et præcursores quadrigarum suarum, et constituet sibi tribunos, et centuriones, et aratores agrorum suorum, et messores segetum, et fabros armorum et currum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, et focarias, et panificas. Agros quoque vestros, et vineas, et oliveta optima tollet, et dabit servis suis. Sed segetes vestras, et vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis et famulis suis. Servos quoque vestros, et ancillas, et juvenes optimos, et asinos auferet, et ponet in opere suo. Greges vestros addecimabit, vosque eritis ei servi.
C Et clamabitis in die illa a facie regis vestri, quem elegistis vobis: et non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem. Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt: Rex enim erit super nos, et erimus quoque nos, sicut et omnes gentes: et judicabit nos rex, et pugnabit bella nostra pro nobis. Et audivit Samuel omnia verba populi, et locutus est ea in auribus Domini. Dixit autem Dominus ad Samuel: Audi vocem eorum, et constitue super eos regem. ℟. Amen.

Antiphona 1. Vana locutus est unusquisque ad proximum suum: labia dolosa in corde, et corde locuti sunt mala. P. Disperdat Dominus universa labia dolosa. ℣. Salvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates
D a filiis hominum. P. Disperdat.

Oratio. Vana satis, Domine, de te loquuntur, qui te Dei Filium confiteri nefariis vocibus dedignantur: disperde ergo labia dolosa a cœtu Ecclesiæ tuæ, ut destructa vanitate superbiæ, candor in nos rutilet humilis disciplinæ. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Susceperunt me, sicut leo paratus ad prædam. Exurge Domine, præveni eos, et subverte illos: eripe animam meam de manibus inimicorum meorum. ℣. Exaudi, Deus, justitiam meam: intende deprecationem meam. **268** Auribus percipe orationem meam, et non in labiis dolosis.

Oratio. Auxiliare Domine, et adjuva Ecclesiam A tuam, quam adversiarus noster nititur suscipere devorandam, sicut leo paratus ad prædam : Exurge jam Domine, et nostros præveni inimicos, subvertens eos et passionis gloria et resurrectionis tuæ potentia : ut conversis illis, et passio tua victoriæ nobis in commune præparet titulum ; et resurrectio præmium conferat sempiternum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Fructum inimicorum, Domine, de terra perdes : et semen eorem a filiis hominum. *P.* Quoniam declinaverunt in te mala ; cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire. ℣. Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis. *P.* Quoniam.

℟. Quot sunt dies servi tui ? *P.* Domine quando facies de persequentibus me judicium ? ℣. Posuerunt peccatores laqueos mihi : et a mandatis tuis non erravi. *P.* Domine.

Preces. Dicamus omnes : Miserere nobis, Deus. *P.* Miserere nobis. ℣. Tu Redemptor Jesu Christe salva mundum tua morte. P. Miserere nobis. ℣. Qui pro nobis es percussus, et inique judicatus. *P.* Miserere nobis. ℣. Qui ligatus crucem portas, et in cruce Patrem vocas. *P.* Miserere. ℣. Cujus latus perfoditur, et humilitas irridetur. *P.* Miserere nobis.

Hymnus. O Nazarene, lux *fol.* 144.

Capitula. Fructum inimicorum, Domine, de terra disperde, et semen eorum a filiis hominum, qui te unum Christum Dei, et hominis Filium confiteri C refugiunt : ut Crux tua, quæ Judæis est scandalum, Gentilibus autem stultitia, utrosque populos ad fidei regulam dirigat ; tibique conectendos, ac coronandos sine fine conjungat.

Pater noster.

Ad Sextam.

Lectio libri Ezechielis Prophetæ (*Cap.* XXVIII).

℟. Deo gratias.

Factus est sermo Domini ad me dicens : Fili hominis, pone faciem tuam contra Sidonem : et prophetabis de ea, et dices : Hæc dicit Dominus : Ecce ego ad te Sidon, et glorificabor in medio tui : et scient quia ego Dominus, cum fecero in ea judicia, et sanctificatus fuero in ea. Et mittam ei pestilentiam, et sanguinem in plateis ejus : et corruent interfecti in D medio ejus gladio per circuitum : et scient quia ego Dominus. Et non erit ultra domus Israel offendiculum amaritudinis, et spina dolorem inferens undique per circuitum eorum, qui adversantur eis : et scient quia ego sum Dominus Deus Quando congregavero domum Israel de populis, in quibus dispersi sunt, sanctificabor in eis coram gentibus : et habitabunt in terram suam, quam dedi servo meo Jacob. Et habitabunt in ea securi : et ædificabunt domos, plantabuntque vineas, et habitabunt confidenter, cum fecero judicia in omnibus qui adversantur eis per circuitum : et scient quia ego Dominus Deus eorum. ℟. Amen.

Antiphona 1. Discedite a me maligni. *P.* Quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei, et orationem meam suscepit. ℣. Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum : lachrymis stratum meum rigabo. *P.* Quoniam.

Oratio. Discedant a te Domine omnes maligni quos utique infidelitatis suæ vorago a te discedere fecit : non quo ipsi pœnali ultione a te perituri recedant ; sed ut infidelitatis eorum discedente protervia, mitissima levi jugo tuo sua colla submittant. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Domine Deus meus, in te speravi : *P.* Salva me : ab omnibus, qui me persequuntur, B libera me. ℣. Nequando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat, P. Salva.

Oratio. Domine Deus sperantem in te tuam Ecclesiam salva ; quæ per te, qui pro ea passus es ; et ab omnibus persequentibus liberetur, et cum omnibus qui te diligunt perpetim jocundetur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Liberator meus Deus de gentibus iracundis. P. Et ab insurgentibus in me libera me, Domine. ℣. Dilligam te, Domine virtus mea : Dominus firmamentum meum, et liberator meus. P. Et ab insurgentibus.

℟. Humiliatus sum et curvatus sum usquequaque : P. Tota die contristatus ambulabam. ℣. Quoniam anima mea completa est illusionibus : et non est sanitas in carne mea. P. Tota die.

Preces. Servi tui, Domine, acclives. P. Misericordia. ℣. Da veniam delictis, qui es illusus **269** ab impiis. P. Misericordia. ℟. Quos liberasti cruce, non patiaris venire in mortem. P. Misericordia. ℣. Effusio tui sanguinis valeat ad liberationem redemptis. P. Misericordia.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol.* 144.

Oratio. Liberator noster et Domine, da nobis amorem diligendi te ; ut laudantes invocemus te : et tu mittas sagittas tuas, et dissipes inimicos nostros ; et eripias nos ab his qui oderunt nos : sicque et illi confundantur dum conteruntur : et nos jocundemur et cum tua protectione salvemur.

Pater noster.

Ad Nonam.

Ecclesiastes (*Cap.* X)

℟. Deo gratias.

Fili, Verba oris sapientis gratia : et labia insipientis præcipitabunt eum. Initium verborum ejus stultitia, et novissimum oris illius error pessimus. Stultus verba multiplicat. Ignorat homo, quid ante fuerit : et quid post futurum est : quis illi poterit indicare ? Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere. Væ tibi terra, cujus rex est puer, et cujus principes mane comedunt. Beata terra, cujus rex nobilis est, et cujus principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, et non est ad luxuriam. In pigritia humiliabitur contignatio, et infirmi-

tate manuum præstillabit domus. In risu faciunt panem, et vinum ut epulentur viventes : et pecuniæ obediunt omnia. In cogitatione tua regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti : quia aves cœli portabunt vocem tuam, et qui habet pennas annuntiabit sententiam. Mitte panem tuum super transeuntes aquas : quia post multa tempora invenies eum. ℟. Amen.

Lectio libri Samuelis (*Primi Reg.*, *cap.* IX).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Erat vir de Benjamin nomine Cis, filius Abiel, filii Seor, filii Bechoreth, filii Aphia, filii viri Jemini, fortis robore. Erat ei filius vocabulo Saül, electus, et bonus : et non erat de filiis Israel melior illo : ab humero et sursum eminebat super omnem populum. Peregre ierant autem asinæ Cis patris Saül : et dixit Cis ad Saül filium suum ; Tolle tecum unum de pueris, et consurgens vade, et quære asinas. Cumque transissent per montem Ephraim, et per terram Salisa, et non invenissent ; transierunt etiam per terram Salim, et non erant : sed et per terram Jemini, et minime repererunt. Cum autem venissent in terram Suph, et non invenissent, dixit Saul ad puerum suum qui erat cum eo : Veni et revertamur, ne forte dimiserit pater meus asinas, et solicitus sit pro nobis. Qui ait : Ecce est vir Dei in civitate hac, vir nobilis : omne quod loquitur, absque ambiguitate venit. Nunc ergo eamus, si forte indicet nobis de re nostra, propter quam venimus. Dixitque Saul ad puerum suum : Ecce ibimus : quid feremus ad virum ? panis defecit in sitarciis nostris : et sportulam non habemus, ut demus homini Dei. nec quicquam aliud. Rursum puer respondit Saul, et ait : Ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti, demus homini Dei, ut indicet nobis viam nostram. (Olim in Israel sic loquebatur unusquisque vadens consulere Dominum : Venite, et eamus ad Videntem. Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.) Et dixit Saul ad puerum suum : Optimus sermo tuus. Veni, eamus. Et ierunt in civitatem, in qua erat vir Dei. Cumque ascenderent clivum civitatis, invenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, et dixerunt eis : Num hic est Videns ? Quæ respondentes, dixerunt illis : Hic est : ecce ante te, festina nunc : hodie enim venit in civitatem, quia sacrificium est populo in excelso. Ingredientes urbem, statim invenietis eum antequam ascendat in exelsum ad vescendum : neque enim comesurus est populus donec ille veniat : quia ipse benedicet hostiæ, et deinceps comedunt qui vocati sunt. Nunc ergo conscendite, quia hodie reperietis eum. Et ascenderunt in civitatem. Cumque illi ambularent in medio urbis apparuit Samuel egrediens obviam eis, ut ascenderet in excelsum. Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis ante unam diem quam veniret ad Saul, dicens : Hac ipsa, quæ nunc est, hora, cras mittam ad te virum de terra Benjamin, et unges eum ducem super populum meum : et salvabit populum meum de manu
A Philisthinorum : quia respexi populum meum, venit ergo clamor eorum coram me. Cumque aspexisset Samuel Saulem, Dominus ait ei : Ecce vir quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo. Accessit autem Saul ad Samuelem in medio portæ, et ait : Indica, oro, mihi, ubi est domus Videntis. Et respondit Samuel dicens : **270** Ego sum Videns : ascende ad me in excelsum, ut comedas mecum hodie, et dimittam te mane : et omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi. Et de asinis, quas perdidisti nudiustertius, ne solicitus sis, quia inventæ sunt. Et cujus erunt optima quæque Israel ? nonne tibi, et omni domui patris tui ? Respondens autem Saul, ait : Numquid non filius Jemini ego sum, de minima tribu Israel, et cognatio mea novissima inter omnes cognationes de
B tribu Benjamin ? quare ergo locutus es mihi sermonem istum ? Assumens itaque Samuel Saulem, et puerum ejus, introduxit eos in triclinium, et dedit eis locum in capite eorum qui fuerant invitati ; erant enim quasi triginta viri. Dixitque Samuel coquo : Da partem, quam dedi tibi, et præcepi ut reponeres seorsum apud te. Levavit autem coquus armum, et posuit ante Saul. Dixitque ei Samuel : Ecce quod remansit, pone apud te, et comede : quia de industria servatum est tibi, quando populum vocavi. Et comedit Saul cum Samuele in die illa. Et descenderunt de excelso in oppidum. ℟. Amen.

Antiphona 1. Erubescant impii, et deducantur in infernum : muta efficiantur labia iniqua. Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem. ℣. In te Do-
C mine speravi, non confundar in æternum : in tua justitia libera me, et eripe me. *Psalmus*. XXX.

Oratio. Erubescant, Domine, impii, et deducantur in infernum, qui te Christum Dei filium negaverunt : ut ora te loquentium, alto prædicationis culmine polleant, dum adversus justum iniquitatem loquentium destruxeris labia. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Judica Domine nocentes me, et expugna impugnantes me. Apprehende arma et scutum : et exurge in adjutorium mihi. ℣. Effunde framea, et conclude adversus eos, qui me persequuntur : dic animæ meæ : Salus tua ego sum. *Psalmus*. XXXIV.

Oratio. Judica Domine nocentes nos ; et impugnantes nos ipse expugna : ut qui primum es impugnatus
D in corpore nostro ; nunc nos inexpugnabiles reddas, permanentes in corpore tuo. ℟. Amen.

Antiphona 3. Stridebant in me dentibus suis : Domine quando respiciens, restitues animam meam ? ℣. Non insultent in me qui adversantur mihi inique : qui oderunt me gratis et annuebant oculis. *Psalmus* XXXIV.

Hymnus. O Nazarene, lux. *Quære fol*. 144.

Oratio. Christe, Dei Filius, qui stridentium inimicorum dentibus non es commotus, sed singulari patientia, effrenis stridoribus spicula, et humanis languoribus porrigis medicinam : restitue tibi per veram pœnitentiam animas nostras ; ut a te respecti,

non feramur præcipiti in ira damnabiles; sed exemplo tuæ passionis reddamur ad omnia mites.

Pater noster.

Ad Vesperos.

Lauda. Illuminatio mea, et salus mea Dominus.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Intende animæ meæ, Domine, et libera eam. *Psalmus.* LXVIII.

Lauda. In toto corde meo, Deus exquisivi te: *P.* Ne repellas me a mandatis tuis. ℣. In toto corde meo abscondi eloquia tua: ut non peccem tibi. *P.* Ne repellas

Hymno. Verbum Patris quod prodiit. *fol.* 252.

Capitula. Bellantium mucrones, quæsumus, Domine, vitricis semper potestatis tuæ virtute retunde; et contra sortem tuam meditantes inania, veritatis tuæ corrige disciplina: quique adversus Christum tuum blasphemant declamsntes, ad prædicationem veræ fidei sua corda convertant: ut et vincula peccatorum, quibus vincti detinentur, miseratus disrumpas; et cunctos justificatos digiti tui calamo in libro vitæ conscribas.

Pater noster.

Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Benedictio. Benedicat vos Pater, qui in principio per Verbum cuncta creavit. ℟. Amen. Benedicat vos Filius, qui a Paterna sede pro nostra salute descendit. ℟. Amen. Benedicat vos Spiritus Sanctus, qui super Christum in Jordane flumine ut columba requievit. ℟. Amen.

Per misericordiam

Lauda. Posuerunt peccatores, *Et Oratio.* Tribue nobis, Domine *fol.* 266.

FERIA QUARTA.

Ad Matitunum.

Antiphona. Gloria mea, et exaltans caput meum. Voce mea ad Dominum clamavi: et exaudivit me de monte sancto suo. *Psalmus* III.

271 *Oratio.* Gloria nostra Deus noster, da nobis, ut in te sine fine gloriemur: quosque fecisti de capitis exultatione sublimes, quæsumus, ut efficias de totius corporis consummata salute securos: Elevet abjectionem nostram tua celsitudo: ut qui humilitate tua a terrenis erigimur; exaltatione quoque provehi mereamur. ℟. Amen.

Antiphona 1. Da mihi, Domine, clypeum salutis tuæ: et dextera tua conforta me. Accinge me fortitudinem ad prælium, incurva super me resistentes mihi et odientes me disperde. ℣. Diligam te Domine virtus mea: Dominus firmamentum meum, et liberator meus.

Oratio. Da nobis, Domine, clypeum salutis tuæ: et dextera tua nos ad alta semper provehendo confortet, quo accincti fortitudine tua ad prælium per insigne Crucis tuæ trophæum dejiciamus adversantem nobis humani generis inimicum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. In tribulatione mea invocavi Dominum; et ab inimicis meis salvus ero. *P.* Qua custodivi vias ejus; et non egi impie a Deo meo. ℣. Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam: et clamor meus in conspectu ejus, et introivit in aures ejus.

Oratio. In tribulatione sua te Deum liberatorem suum invocat Ecclesia tua: petimus proinde, ut eam salves ab inimicis: qui eam redemisti pretio tui cruoris: quo ita vias tuas in hac peregrinatione custodiat, ut ovans ad tua mereatur pervenire promissa. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Deus meus salva me de inimicis meis: et a resistentibus mihi erue me. P. Et confitebor tibi in gentibus, et nomini tuo cantabo. ℣. Eripe me de contradictionibus populi: constitues me in caput gentium.

Oratio. Deus noster, salva nos ab insurgentibus inimicis; et a resistentibus victoriæ Crucis, libera nos potentia Deitatis: ut nomini tuo cantantes, te semper gloriosum confiteamur in gentibus, cujus sanguine redemptus est mundus ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Cogitaverunt iniqui dicentes: Venite, disperdamus eum de gente, *P.* Et non memorabitur nomen ejus amplius. Sed tu, Domine Deus Israel, a te confundantur inimici mei. ℣. Dixerunt: Venite, mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium. P. Et non. *Non dicatur* Gloria.

Oratio. Deus, quis similis tibi tam in bonitate, quam in virtute? qui Sanctos tuos et bonitate erudis et virtute defendis: inimicorum ora frementia conprimis, et tuorum obsecrationem agnoscis: Da nobis de tua bonitate confidentibus operum bonorum particulam, quæ nos et ab inimicis consilio tutos efficiat, et mundatos a crimine tibi placere ostendat: ut tu nos ad gloriam perducas æternam, qui solus es Altissimus super omnem terram. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Antiphona. Ego in iniquitatibus conceptus sum: et in peccatis peperit me mater mea. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. *Psalmus* L.

Oratio. Averte faciem tuam. *fol.* 161.

Ad Canticum. Antiphona. Non sis mihi formidini spes mea; in die afflictionis meæ succurre mihi.

Canticum. Sana me, Domine. *fol.* 259.

Oratio. Adesto nobis Domine, quasi bellator fortis: ut te in nobis pugnante, omnis vigor nos impugnantis adversæ corruat fortitudinis: et in sopore suæ confessionis nostris labentibus inimicis, ereptos nos sibi vendicet tuæ vis potentiæ majestatis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Benedictus. Antiphona. Mane astabo tibi et videbo te, Domine: quoniam tu es qui non vis iniquitatem. ℣. Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum. Intende voci orationis meæ,

rex meus et Deus meus. Quoniam ad te orabo, Domine.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6.

Lauda. Montes et omnes colles : ligna fructifera, et omnes cedri laudate Dominum. P*salmus* CXLVIII.

Lectio libri Samuelis (*Primi Reg. cap.* IX).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Vocavit Samuel Saul in solario domus, dicens : Surge, et dimittam te. Et surrexit Saul : et egressi sunt ambo, ipse videlicet, et Samuel. Cumque descenderent in extrema parte civitatis, Samuel dixit ad Saul : Dic puero ut antecedat nos, **272** et transeat : tu autem subsiste paulisper, ut indicem tibi verbum Domini. (*Cap.* X.) Tulit autem Samuel lenticulam olei, et fudit super caput ejus, et osculatus est eum, et ait : Ecce, unxit te Dominus super hereditatem suam in principe. Cumque abieris hodie a me, invenies duos viros juxta sepulchrum Rachelis in finibus Benjamin, meridie, dicentque tibi : Inventæ sunt asinæ, quas ieras perquirendas : et intermissis pater tuus asinis, solicitus est pro vobis, et dicit : Quid faciam de filio meo? Cumque abieris inde, et ultra transieris ad quercum Thabor, invenient te ibi tres viri ascendentes ad Dominum in Bethel, unus portans tres hædos, et alius tres tortas panis, et alius portans lagenam vini. Cumque te salutaverint, dabunt tibi duos panes, et accipies de manibus eorum. Post hæc venies in collem Domini, ubi est statio Philisthinorum : et cum ingressus fueris urbem, obviam habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, et ante eos psalterium, et tympanum, et tibiam, et citharam, ipsosque prophetantes. Et insiliet in te spiritus Domini, et prophetabis cum eis, et mutaberis in virum alium. Quando ergo venerint signa hæc omnia tibi, fac quæcumque invenerit manus tua, quia Dominus tecum est. Et descendes ante me in Galgala, et ego quippe descendam ad te, ut offeras victimas pacificas : septem diebus expectabis, donec veniam ad te, et ostendam tibi quid facias. Itaque cum avertisset humerum suum, ut abiret a Samuele, immutavit ei Deus cor aliud, et venerunt omnia signa hæc in die illa. Veneruntque ad prædictum collem, et ecce cuneus prophetarum obvius ei : et insiluit super eum Spiritus Domini, et prophetavit in medio eorum. Videntes autem qui noverant eum ab heri, et nudiustertius, quod esset cum prophetis, et prophetaret, dixerunt ad invicem : Quænam res accidit filio Cis? num et Saul inter prophetas? Responditque alter ad alterum dicens : Et quis pater eorum? Propterea versum est in proverbium : Num et Saul inter prophetas? Cessavit autem prophetare, et venit ad excelsum. Dixit autem pater Saul ad eum, et ad puerum ejus : Quo abistis? Qui responderunt : Quærere asinas : quas cum non reperissemus, venimus ad Samuelem. Et dixit ei pater suus : Indica mihi quid dixerit tibi Samuel. Et ait Saul ad patrem suum : Indicavit nobis quia inventæ sunt asinæ. De sermone autem regni non indicavit ei quem locutus fuerat ei Samuel. Et convocavit Samuel populum ad Dominum in Masphat : et ait ad filios Israel : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ego eduxi Israel de Ægypto, et erui vos de manu Ægyptiorum, et de manu omnium regum, qui affligebant vos. Vos autem hodie projecistis Dominum Deum vestrum, qui solus salvavit vos de universis malis, et tribulationibus vestris : et dixistis : Nequaquam : sed regem constitue nobis. Nunc autem state coram Domino per tribus vestras, et familias. Et applicavit Samuel omnes tribus Israel, et cecidit sors tribui Benjamin. Et applicavit tribum Benjamin et cognationes ejus, et cecidit in cognatione viri, et pervenit usque ad Saul filium Cis. Quæsierunt ergo eum, et non est inventus. Et consuluerunt post hæc Dominum utrumnam venturus esset illuc. Responditque Dominus : Ecce absconditus est domi. Miserunt itaque, et tulerunt eum inde : et stetit in medio populi, et altior fuit universo populo ab humero et sursum. Et ait Samuel ad omnem populum : Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non est similis ei in omni populo. Et clamavit omnis populus, et ait : Vivat Rex. Locutus est Samuel ad populum legem regni, et scripsit in libro, et reposuit coram Domino. ℟. Amen.

Hymnus. Noctis tempus jam præterit. *Quære fol.* 257.

Capitula. Domine, qui olim in corpore nostro pati dignatus es : quando ad nos respicies, et ad solitudinem, atque implorationem nostram? Quando propitius convertes obtutum? Nec moreris, nec tardes : jam intende, jam convertere, jam respice : ut orationis nostræ, quæ nunc in sinum nostrum pro secretorum suorum compunctione convertitur, ante conspectum tuum purgato corde, gemitus dirigantur. Pater noster.

Lauda. Iniquos odio habui, et abominatus sum : *P.* Legem autem tuam dilexi, Deus meus. ℣. Adjutor, et susceptor meus es tu : et in verbum tuum speravi. *P.* Legem autem.

Oratio. Auxiliare nobis, Domine, et salvi erimus : te enim desistente, perditio, et te præsente vitalis est plenitudo. ℟. Amen.

273 *Ad Tertiam.*

Proverbiorum Salomonis (*Cap.* XIV).

℟. Deo gratias.

Fili, qui despicit proximum, suum, peccat : qui autem miseretur pauperis, beatus erit. Errant qui operantur malum : misericordia et veritas præparant bona. In omni opere erit abundantia : ubi autem verba sunt plurima, frequenter egestas. Corona sapientiæ, divitiæ eorum : fatuitas stultorum, impietas. Liberat animas testis fidelis : et profert mendacia versipellis. In timore Domini fiducia fortitudinis ; et filiis ejus erit spes. Timor Domini fons vitæ, ut declinet a ruina mortis. In multitudine populi dignitas regis : et in paucitate plebis ignominia principis. Qui patiens est, multa gubernatur prudentia : qui autem impatiens, exaltat stultitiam suam. Vita carnium, sanitas cordis : putredo ossium, invidia. Qui calumniatur egentem, exprobrat factori

ejus : honorat autem eum, qui miseretur pauperis. A ℟. Amen.

Lectio libri Samuelis (*Primi Reg. cap.* XI).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Saul abiit in domum suam in Gabaa : et abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda. Filii vero Belial dixerunt : Num salvare nos poterit iste ? Et despexerunt eum, et non attulerunt ei munera : ille vero dissimulabat se audire. Ascendit autem Naas Ammonites, et pugnare cœpit adversus Jabes Galaad. Dixeruntque universi viri Jabes ad Naas : Habeto nos fœderatos, et serviemus tibi. Et respondit ad eos Naas Ammonites : In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrorum oculos dextros, ponamque vos obprobrium in universo Israel. Et dixerunt ad eum seniores Ja- B bes : Concede nobis septem dies, ut mittamus nuntios ad universos terminos Israel : et si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te. Venerunt autem nuntii in Gabaa ad Saul : et locuti sunt verba, audiente populo : et levavit omnis populus vocem suam et flevit. Et ecce Saul : veniebat, sequens boves de agro, et audiens quod populus plorat. Et narraverunt ei verba virorum Jabes. Et insiluit spiritus Domini in Saul, cum audisset verba hæc, et iratus est furor ejus nimis. Assumens utrumque bovem, concidit in frusta, misitque in omnes terminos Israel per manum nuntiorum, dicens : Quicumque non exierit, secutusque fuerit Saulem, et Samuelem, sic fiet bobus ejus. Invasit ergo populum timor Domini, et egressi sunt quasi vir unus in Bezech : fueruntque filii Israel C trecenta millia : virorum autem Juda triginta millia. Et dixerunt nuntiis, qui venerant : Sic dicetis viris, qui sunt in Jabes Galaad : Cras enim erit nobis salus, cum incaluerit sol. Venerunt ergo nuntii, annuntiaverunt viris Jabes : qui lætati sunt ; atque dixerunt : Mane exibimus ad vos : et facietis nobis omne, quod placuerit vobis. Et factum est, cum venisset dies crastina, constituit Saul populum in tres partes : et ingressus est media castra in vigilia matutina, et percussit Ammon usque dum inclaresceret dies : reliqui autem dispersi sunt, ita ut non derelinquerentur in eis duo pariter. Et ait populus ad Samuel : Quis est iste qui dixit : Saul num regnabit super nos ? Date viros, et interficiemus eos. Et ait Saul : Non occidetur quisque in die hac, quia D hodie fecit Dominus salutem in Israel. Dixit autem Samuel ad populum : Venite, et eamus in Galgala, et innovemus ibi regnum. Et perrexit omnis populus in Galgala, et fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala, et immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et lætatus ibi Saul, et cuncti viri Israel. ℟. Amen.

Antiphona 1. Exaudi Domine de templo sancto tuo vocem meam. Quia circumdederunt me gemitus mortis. *P.* Et torrentes iniquitates conturbaverunt me. ℟. Diligam te Domine virtus mea : Dominus firmamentum meum, et liberator meus. *P.* Et torrentes. *Non dicatur* Gloria.

Oratio. Exaudi Domine de templo sancto tuo vocem Ecclesiæ tuæ : ut qui in passione positus, rivulos sanguinis patiendo tolerasti, nos mortis gemitibus circumdatos solaturus aspicias ; ut torrentes iniquitatis in nullo nos noceant : cum imperturbatos nos reddiderit adjutrix gratia tua. ℟. Amen.

Antiphona 2. In pulverem mortis deduxerunt me, Domine. Quoniam circumdederunt me canes multi : concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas, et pedes : dinumeraverunt omnia ossa mea. ℣. Tu autem Domine ne longe facias auxilium tuum a me : ad defensionem meam conspice. *Non dicatur* Gloria.

Oratio. Tu Deus noster et fortitudo nostra, qui pro nobis crucis sustinuisti injuriam, **274** ne repellas Ecclesiam tuam : ut quæ constricta formidine, affligente inimico incedit, te sibi parcente, gratuletur se in persecutionibus dilatari. ℟. Amen.

Antiphona 3. Infirmatus est in paupertate vigor meus : et ossa mea conturbata sunt. Factus sum obprobrium vicinis meis, et timor notis meis. ℣. In te Domine speravi non confundar in æternum : in tua justitia libera me et eripe me.

℟. Omnes amici mei illuserunt mihi. Prævaluerunt adversum me viri pacis meæ et qui edebat mecum, *P.* Posuit adversum me supplantationem. ℣. Verbum iniquum disposuerunt adversum me : Numquid qui dormit non abjiciet ut resurgat ? Etenim homo pacis meæ, in quem ego sperabam. *P.* Posuit. *Non dicatur* Gloria.

Preces. Clamamus ad te, Deus, exaudi nos, *P.* Et a flagello iræ tuæ libera. ℟. Tu traditus es ad mortem, Redemptor Sancte, sanctifica gregem, quem tuo redemisti cruore. *P.* Et. ℣. Qui portas spineam in caput tuum coronam : nos membra tua ab spinis criminum purga. *P.* Et. ℣. Vox tua Patrem pro nobis nunc interpellet, qui clamavit in cruce : ut ignorantibus subveniret. P. Et.

Hymnus. O Nazarene. *fol.* 144.

Capitula. Domine Jesu Christe, non infirmetur, quæsumus, in peregrinatione hujus paupertatis vigor Ecclesiæ tuæ : ac si contigerit in nobis virtutum ossa pro tempore conturbari ; exemplo passionis tuæ erecti, non incidamus usquequaque in laqueos inimici.

Pater noster.

Ad Sextam.

Lectio libri Ezechielis Prophetæ (*Cap.* XXIX).

℟. Deo gratias.

Factum est verbum Domini ad me, dicens : Fili hominis pone faciem tuam contra Pharaonem regem Ægypti ; et prophetabis de eo, et de Ægypto universa : Loquere, et dices : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego te ad te Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, et dixisti : Meus est fluvius, et ego feci me ipsum. Et ponam frenum in maxillis tuis : et adglutinabo pisces fluminum tuorum. Et projiciam te in desertum, et omnes pisces fluminum tuorum : super

faciem terræ cades, non colligeris, neque congregaberis; bestiis terræ, et volatilibus cœli, dedi te ad devorandum: Et scient omnes habitatores Ægypti quia ego Dominus: pro eo quod fuisti baculus arundineus domui Israel. Quando apprehenderunt te manu, et confractus es, et lacerasti omnem humerum eorum: et innitentibus eis super te, comminutus es, dissolvisti omnes renes eorum. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego adducam super te gladium, et interficiam de te hominem, et jumentum. Et erit terra Ægypti in desertum, et solitudinem: et scient quia ego Dominus. ℟. Amen. A

Antiphona 1. Respice in me, Deus, et miserere mei. *P.* Deus, Deus meus, ne derelinquas me. ℣. Vide humilitatem meam, et laborem meum: et dimitte mihi omnia peccata mea. *P.* Deus, Deus meus. B

Oratio. Respice in nos Domine, et miserere nostri; teque in tribulatione invocantibus assiste propitius: ut in quibus majestatem tuam adorando laudamus, digne suscipias; et pro quibus te timemus, pius ignoscas. Timoris igitur tui obedientia corda nostra lætifica; et consolationis dulcedine dubietatem nostræ mentis conforta: et quia tu suavis, ac mitis es; suavitatem ex tua indulgentia hauriamus: et in retribuendo pium te, mitemque sentiamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Circumdederunt me, Domine, vituli multi: tauri pingues obsederunt me. ℣. Aperuerunt in me os suum, sicut leo rapiens, et rugiens.

Oratio. Christe Dei Filius, quem hominem purum, non Deum credentes, vitulorum multitudo circum- C dat, et taurorum pinguium persequens crassitudo dilaniat: da nobis invicto Crucis tuæ signaculo frui; ut omnis per hoc a nobis congregatio dispereat inimici. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus, etc.

Antiphona 3. Quare tristis es anima mea? et quare conturbas me? Spera in Domino, et confitere illi. ℣. Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam: quoniam ingrediar in locum tabernaculi mirabilis, usque ad domum Dei: in voce exultationis, et confessionis: sonus epulantis.

℟. Cogitaverunt adversum me: ne derelinquas me, Domine Deus meus. *P.* Ne discedas a me. ℣. Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ. *P.* Ne discedas a me. *Non dicatur* Gloria. D

275 *Preces.* Quos redemisti sanguine, *P.* Tua salva potentia, Christe misericors. ℣. Pro quibus flagellis cæsus adductus es, *P.* Tua salva potentia, Christe. ℣. Pro quorum crimine Piissime cruci affixus es, *P.* Tua. ℣. Pro quibus verberatus es, capite et percussus es, P Tua. ℣. Qui tibi flentes mala nostra pandimus, *P.* Tua.

Hymnus. O Nazarene. *fol.* 144.

Oratio. Dirige nos in via tua, et sitientibus nobis sapientiæ fontem benignus ostende: ut nimia tristitia careamus, et æternæ vitæ dulcedinem hauriamus.

Pater noster

Ad Vesperum

Lauda. Vespere, et mane, et meridie te laudamus, Domine.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discedas a me. *Psalmus* XXXVII.

Lauda. Qui das salutem regibus, *P.* Et liberasti David servum tuum: libera me de gladio maligno. ℣. Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum. *P.* Et liberasti.

Hymnus. Verbum Patris, quod prodiit. *fol.* 252.

Capitula. Sit festum jejunium nostrum apud te Domine qui iniquitates deles, et peccata dimittis: vide gemitus confitentium tibi, et preces omnium libenter exaudi; ut qui tibi in veritate serviunt, adversitate nulla turbentur: aufer omnem malitiam de cordibus nostris, ut tuis inhærendo præceptis, tua nos parce lætifices.

Pater noster.

Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Benedictio. Jesus Salvator, ac Deus noster emundet vos per abstinentiæ puritatem ab omni delicti contagione. ℟. Amen. Quique vestrarum est redemptio animarum, sit remunerator vestrorum jejuniorum. ℟. Amen. Ut ab eo donetur vobis æterna gloria, a quo sanctificari vultis per abstinentiam. ℟. Amen.

Lauda. Iniquos odio. *Et Oratio.* Auxiliare nobis. *fol.* 272.

FERIA QUINTA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Voce mea ad Dominum clamavi: et exaudivit me de monte sancto suo. *Psalmus* III.

Oratio. Exaudi nos Domine de sancto suo tuo clamantes ad te de peccati profundo: ut qui in mundo citra opera carnis prodiendo mons fractus es magnus, præbe solido nobis tuo hærere fundamento: a quo et instantium nos non convellat genus tempestatum; et insurgentium feritas te erga nostrum quiescat perseverante præsidium. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 1. Qui oderunt me gratis, annuebant oculis. Mihi quidem pacifice loquebantur: *P.* Et super iram dolose cogitabant: Deus meus, et Dominus meus in causam meam respice. ℣. Vidisti Domine, ne sileas: Domine, ne discedas a me

Oratio. Christe, Salvator noster et Domine, quem inimici tui gratis oderunt; cuique te annuentes oculis pacifice loquebantur: da nobis, ut et amicos in te, inimicosque propter te veraciter diligere valeamus: ut cum tu Dominus fueris solus in causa nostra, simplex ad omnes procedat nostra conscientia. ℟. Amen.

Antiphona 2. Verba, inimicus, et dolos, iniquitatemque meditatus est in cubili suo: ostende mihi Domine misericordiam tuam. ℣. Dixit injustus ut non derelinquat sibi; non est timor Dei ante oculos ejus.

Oratio. Non veniat nobis, Domine, pes superbiæ, nec manus peccatorum peccato prævalente nos moveat: sed sperantes in protectione alarum tuarum, circumvolantium insidiarum rapinis erepti, ab ubertate domus tuæ sancto eloquio repleamur; et torrente deliciarum tuarum, distributa per Spiritum exundantis gratiæ varietate, potemur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt. Et proximi mei a longe steterunt: et vim faciebant qui quærebant animam meam. ℣. Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. *Non dicatur* Gloria.

Oratio. Deus, ante cujus conspectum nullius desideria vel gemitus abscondita sunt: intende in adjutorium nostrum, et amove a nobis furorem indignationis tuæ: ut qui in te confidimus, non decidamus in laqueos inimici. ℟. Amen.

℟. Attende, Domine, ad me. P. Et audi **276** verba adversariorum meorum. Foderunt foveam, ut caperent me: ne propitiatus fueris iniquitati eorum. ℣. Tu autem Domine, Deus exercituum omnium regum terræ, qui sedes super Cherubim, aperi oculos tuos, et vide: inclina aurem tuam. P. Et audi. *Non dicatur* Gloria.

Oratio. Tu, Domine, in cithara, et cantico inimicorum dignatus es verti, dum linguas tibi derogantium pertulisti: te utique infideles in fabula obtrectaverunt, a quo recedentes abominati sunt, et in cujus faciem expuere non pepercerunt; tu salus proinde nostra, atque salvator, salvandis nobis inlabere: ut qui persequentium te fuisti doloribus cruciatus, credentium te et confessionibus placeris et actibus. ℟. Amen.

In Laudibus.

Antiphona. Tibi soli peccavi Domine, et malum coram te feci: miserere mei. *Psalmus* L.

Oratio. Tibi soli peccavimus Domine; et malum coram te fecimus: cui quidem non celantur abscondita nostra, quæ cordis retinent claustra: et tamen erubescimus pandere, quod non timemus perpetrare. Sed tu Domine, qui non despicis pœnitentes, suscipe preces humilium; et veniam tribue peccatorum: ac per potentiam Trinitatis, rectitudinem, qua gradiamur, doceat nos Spiritus Sanctus; et ad sanctitatis gloriam pertrahat, spiritus rectus atque ad justificationem principalis deducat spiritus: ut unicæ virtutis immensa potestas, et Pater regat quos condidit; et Filius custodiat quos redemit; et Spiritus Sanctus repleat quos creavit. ℟. Amen.

Ad Canticum. Antiphona. Domine, qui me persequuntur, corruant, et infirmi fiant.

Canticum Hieremiæ (*Cap.* XX).

Seduxisti me Domine, et seductus sum: * fortior me fuisti, et invaluisti;

Factus sum in derisum tota die * omnes subsannabant me.

Quia jam olim loquar, vociferans iniquitate, * et vastitatem clamito.

Et factus est mihi sermo Domini in obprobrium, * et in derisum tota die.

Et dixi: Non recordabor ejus, * neque loquar ultra in nomine illius.

Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, * et defeci, ferre non sustinens.

Audivi enim contumelias multorum, * et terrores in circuitu.

Persequimini, et persequamur eum: * ab omnibus viris, qui erant pacifici mei, et custodientes latus meum:

Si quo modo decipiatur, et prævaleamus adversus eum, * et consequamur ultionem ex illo.

Dominus autem mecum est quasi bellator fortis; * idcirco qui persequuntur, cadent, et infirmi erunt.

Confundantur vehementer, quia non intellexerunt obprobrium sempiternum, * quod nunquam delebitur.

Et, tu Domine exercituum probator justi, * qui probas corda et renes:

Videam quæso ultionem ex eis: * tibi enim revelavi causam meam.

Oratio. Deus, cujus animam leonum voracitas nequivit absumere in eo, quod justitia in te inventa eorum videbatur rabiem effugare: emitte Angelum tuum qui os leonis illius, qui per mundum rugiens currit, quærens quem devoret, concludat: atque animas nostras de ejus persuasione, atque dominatu eripiat. ℟. Amen.

Ad Benedictus. Antiphona. Psallam, et intelligam in matutinis, quando venies ad me? Misericordiam, et judicium cantabo tibi Domine. P. Psallam.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6. *Lauda* In sanctis ejus laudate Dominum *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Samuelis (*Primi. Reg.* XIV. XV).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Pugnavit Saul contra Moab et filios Ammon, et Edom, et reges Soba, et Philisthæos, et quocumque se verterat, superabat. Congregatoque exercitu, percussit Amalec, et eruit Israel de manu vastatorum ejus. Fuerunt autem filii Saul Jonathas, et Jessui, et Melchisua: nomina duarum filiarum ejus, nomen primogenitæ Merob, et nomen minoris Michol. Et nomen uxoris Saul, Achinoam filia Achimaas: et nomina principum militiæ ejus Abner, filius Ner, patruelis Saul. Porro Cis fuerat pater Saul, et Ner pater Abner, filius Abiel. Erat autem bellum potens adversum Philisthæos **277** omnibus diebus Saul. Nam quemcumque viderat Saul virum fortem, et aptum ad prælium, sociabat eum sibi. Et dixit Samuel ad Saul: Me misit Dominus, ut ungerem te in regem super populum ejus Israel: nunc ergo audi vocem Domini: Hæc dicit Dominus exercituum: Recensivi quæcumque fecit Amalec Israeli, quomodo restitit ei in via cum ascenderent de Ægypto. Nunc igitur vade, et percute Amalec, et demolire universa ejus: non parcas ei, sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum atque lactantem, bovem et

ovem, camelum atque asinum. Præcepit itaque Saul A populo, et recensuit eos quasi agnos: ducenta millia peditum, et decem millia virorum Juda. Cumque venisset Saul usque ad civitatem Amalec, tetendit insidias in torrente. Dixitque Saul Cinæo: Abite, et recedite, atque discedite ab Amalec: ne forte involvam te cum eo: tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cum ascenderent de Ægypto. Et recessit Cinæus de medio Amalec. Percussitque Saul Amalec, ab Hevila, donec venit ad Sur, quæ est regionis Ægypti. Et apprehendit Agag regem Amalec vivum: omne autem vulgus interfecit in ore gladii. Et pepercit Saul, et omnis populus, Agag, et optimis gregibus ovium et armentorum, et vestibus, et arietibus, et universis quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea: quidquid vero vile fuit, et reprobum. B hoc demoliti sunt. Factum est verbum Domini ad Samuel, dicens: Pœnitet me quod constituissem Saulem regem: quia dereliquit me, et verba mea opere non implevit. Contristatusque est Samuel, et clamavit ad Dominum tota nocte illa. Cumque surrexisset Samuel de nocte, ut iret ad Saul mane, nuntiatum est Samueli, eo quod venisset Saul in Carmelum, et erexisset sibi fornicem triumphalem, et reversus transisset, descendissetque in Galgala. Venit ergo Samuel ad Saul, et dixit Samuel: Et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis, et armentorum, quam ego audio? Et ait Saul: De Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus melioribus ovibus, et armentis, ut immolarentur Domino Deo tuo; reliqua vero occidimus. Dixit autem Samuel ad C Saul: Sine me, et indicabo tibi quæ locutus sit Dominus ad me nocte. Dixitque ei: Loquere. Et ait Samuel: Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? unxitque te Dominus in regem super Israel, et misit te Dominus in viam, et ait: Vade, et interfice peccatores Amalec, et pugnabis contra eos usque ad internecionem eorum. Quare ergo non audisti vocem Domini: sed versus ad prædam es, et fecisti malum in oculis Domini? Et ait Saul ad Samuelem: Immo audivi vocem Domini et ambulavi in via per quam misit me Dominus, et adduxi Agag regem Amalec, et Amalec interfeci. Tulit autem populus de præda oves et boves, primitias eorum quæ cæsa sunt, ut immolarent Domino Deo suo in Galgalis. ℟. Amen.

Hymnus. Noctis tempus. *fol.* 257.

Capitula. Educ, Domine, de tribulatione animam nostram: qui sputa pro nobis perpessus es, et flagella: ut, mundi hujus educti de carcere, triumphos Crucis tuæ debita post nostrum obitum præcinamus cum laude.

Pater noster.

Lauda. Adhæsi testimoniis tuis *P.* Domine: noli me confundere. ℣. Adhæsit pavimento anima mea: vivifica me secundum verbum tuum. *P.* Adhæsi.

Oratio. Ab iniquitatis via remove Domine gressus nostros: et in itinere mandatorum tuorum statue cursum nostrum. Animam igitur pavimento inhærentem, remedio salutifero subleva; tuisque justificationibus edoctam, potentia verbi tui vivifica. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Tertiam.

Proverbiorum Salomonis (*Cap.* XIII).

℟. Deo gratias.

Fili, de fructu oris homo saturabitur bonus: anima autem prævaricatorum iniqua. Qui custodit os suum, custodiat animam suam: qui autem inconsideratus est ad loquendum: sentiet mala. Vult et non vult piger: anima autem sperantium impinguabitur. Verbum mendax justus detestabitur: impius confunditur, justitia custodit innocentiam: impietas vero peccatorem supplantat. Est quasi dives, cum nihil habeat: et est quasi pauper, cum multis divitiis sit. Redemptio animæ viri divitiæ suæ: qui autem pauper est, increpationem non sustinet. Lux justorum lætificat: lucerna autem impiorum extinguitur. Inter superbos jurgia semper sunt: qui autem agunt cuncta
278 consilio, reguntur sapientia. Qui detrahit alicui rei, ipse in futurum obligat: qui autem timet præceptum in pace versabitur. ℟. Amen.

Lectio libri Samuelis (*Primi Reg. cap.* XVII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Congregaverunt Philisthiim agmina sua in prælium, conveneruntque in Socho Judæ: et castrametati sunt inter Socho, et Azeca in finibus Domim. Porro Saul, et viri Israel congregati venerunt in valle terebinthi, et direxerunt acies ad bellandum contra Philisthiim. Et Philisthii stabant super montem ex altera parte, et Israeli stabant super montem ex altera parte: vallisque erat inter eos. Et egressus est vir spurius de castris Philisthinorum, nomen Goliath, de Geth, altitudinis sex cubitorum, et palmi: et cassis ærea super caput ejus, et lorica armata induebatur: porro pondus loricæ ejus quinque millia siclorum æris: et ocreas æreas habebat in cruribus suis: et clypeus æreus tegebat humeros ejus: hastile autem hastæ ejus, erat quasi liciatorium texentium: ipsum autem ferrum hastæ ejus, sexcentos siclos habebat ferri: et armiger ejus antecebat eum. Stansque clamabat adversus phalanges Israel, et dicebat eis: Quare venistis parati ad prælium? Numquid ego non sum Philisthæus, et vos servi Saul? Eligite ex vobis virum, et descendat ad singulare certamen si quiverit pugnare mecum, et percusserit me, erimus vobis servi: si autem ego prævaluero, et percussero eum, vos servi eritis, et servietis nobis. Et ajebat Philisthæus: Ego exprobabo agminibus Israel hodie: Date mihi virum, et ineat mecum singulare certamen. Audiens autem Saul, et omnes viri Israelitæ sermones Philisthæi hujuscemodi, stupebant, et metuebant nimis. David autem erat filius viri Ephrathæi, de quo supra dictum est, de Bethlehem Juda, cui nomen erat Isai, qui habebat octo filios, et erat vir in diebus Saul senex, et grandævus inter viros. Abierunt autem tres filii ejus majores post Saul in prælium: et nomina trium filiorum ejus, qui perrexerunt ad cellandum, Eliab primogenitus, et secundus

Abinadab, tertiusque Samma. David autem erat minimus. Tribus ergo majoribus secutis Saulem, abiit David, et reversus est a Saule, ut pasceret gregem patris sui in Bethlehem. Dixit autem Isai ad David filium suum: Accipe fratribus tuis ephi polentæ, et decem panes istos: et curre in castra ad fratres tuos, et decem formellas casei has deferes ad tribunum: et fratres tuos visitabis, si recte agunt: et cum quibus ordinati sunt, disce. Saul autem, et omnes filii Israel, in valle terebinthi pugnabant adversus Philisthiim. Surrexit itaque David mane, et commendavit gregem custodibus: et onustus abiit, sicut præceperat ei Isai. Et venit ad locum Magala, et ad exercitum, qui egressus ad pugnam vociferatus erat in certamine. Direxerat enim aciem Israel, sed et Philisthiim ex adverso fuerant præparati. Derelinquens ergo David vasa, quæ attulerat, sub manu custodis ad sarcinas, cucurrit ad locum certaminis, et interrogavit si omnia recte agerentur erga fratres suos. Cumque ille adhuc loqueretur, apparuit eis ille spurius, Philisthæus, Goliath nomine, ascendens de Geth, ex castris Philithinorum: et loquente eo hæc eadem verba audivit David. Omnes Israelitæ, cum vidissent virum, fugerunt à facie ejus, timentes eum valde. Et dixit unus quispiam de Israel: Num vidisti virum hunc qui ascendit? Virum ergo qui percusserit eum, ditabit rex divitiis magnis, et filiam suam dabit ei, et domum patris ejus faciet in Israel absque tributo. Et ait David ad viros qui stabant secum, dicens: Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc, et tulerit opprobrium? quis est enim hic Philisthæus incircumcisus, qui exprobravit aciem Dei viventis? Referebat autem ei populus eumdem sermonem, dicens: Hæc dabuntur viro, qui percusserit eum. Quod cum audisset Eliab frater ejus major, loquente eo cum aliis, iratus est contra David, et ait: Quare venisti, et quare dereliquisti paucas oves in deserto? ego novi superbiam tuam, et nequitiam cordis tui: quia ut videres prælium, descendisti. Et dixit David: Quid feci? numquid non verbum est? Et declinavit paululum ab eo ad alium: dixitque eumdem sermonem. Et respondit ei populus verbum sicut et prius. Audita sunt autem verba, quæ locutus est David, et annuntiata in conspectu Saulis. Ad quem cum fuisset adductus, locutus est ei David: Non concidat cor cujusquam in eo: ego servus tuus vadam, et pugnabo adversus Philisthæum. Et ait Saul ad David: Non vales resistere Philisthæo isti: nec pugnare adversus eum: quia puer es, **279** hic autem vir bellator est ab adolescentia sua. Dixitque David ad Saul: Pascebam servus tuus patris mei gregem, et veniebat leo, vel ursus, tollebantque arietem de medio gregis: et sequebar eos, et percutiebam, eruebamque de ore eorum: et illi consurgebant adversum me: et apprehendebam mentum eorum, et suffocabam, interficiebamque eos. Nam et leonem et ursum interfeci ego servus tuus: erit igitur et Philisthæus incircumcisus, quasi unus ex eis: qui ausus est maledicere exercitui Dei viventis? Et ait: Dominus qui eripuit me de

A manu leonis, et de manu ursi, liberabit me de manu Philisthæi hujus. ℟. Amen.

Antiphona 1. Anima mea completa est illusionibus: *P.* Et non est sanitas in carne mea. Ne derelinquas me, Domine. ℣. Incurvatus sum, humiliatus sum: usquequaque rugiebam a gemitu cordis mei. *P.* Et.

Oratio. Christe Deus noster, qui in corpore tuo et inludi et verberari te passus es; tu animam nostram inlusionibus repletam ab omni pollutionum sorde depurga: ut, vera sanitate habitante in carne nostra ad coronam mereamur pertingere destinatam. ℟. Amen.

Antiphona 2. Multiplicati sunt super capillos capitis mei inimici mei. Complacuit Domine, ut eriperet me: *P.* Domino in auxilium meum respice. ℣.
B Tu autem Domine ne longe facias auxilium tuum a me: ad defensionem meam respice. *P.* Domine in auxilium.

Oratio. Deus Dei Filius Christe, qui tempore passionis tuæ, dum multiplicantur super capillos capitis tui qui oderunt te gratias, exsolvis ea quæ non rapuisse probaris; tu nos a numerositate peccaminum libera, quo et super numerum capillorum nostrorum copia virtutum excrescat, et debita nobis pœnalis exsolutio impensione tuæ miserationis effugiat. ℟. Amen.

Antiphona 3. Juda, quid gloriaris in malitia, qui potens es iniquitate? *P.* Tota die injustitiam cogitabat lingua tua: sicut rasorium acutum fecisti dolum. ℣. Dilexisti malitiam super benignitatem; iniquitatem C magis quam loqui æquitatem. *P.* Tota. *Non dicatur* Gloria.

℟. Heu me, quia peregrinatio mea prolongata est: habitavi cum habitantibus Cedar: multum peregrinata est anima mea. Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, debellabant me. *P.* Sine causa. ℣. Exurgentes testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me; retribuebant mihi mala pro bonis. *P.* Sine causa. *Non dicatur* Gloria.

Preces. Indulgentiam postulamus, Christe exaudi. *P.* Placare, et miserere. ℣. Redemptorum pretium, Redemptor sanctifica: in Cruce tua dele nostra crimina. P. Placare, et miserere. ℣. Qui humana sustines judicia, innocens tua nos exalta judicii gloria. P. Placare. ℣. Qui de Cruce inspicis Matrem, et Discipulum, tu nos de cœlo clementer jam respice.
D P. Placare.

Hymnus. O Nazarene, lux. *Quære folio* 144.

Oratio. Ingeniti Patris unigenitum Verbum, qui gloriantem contra te in malitia populum sustines superborum; confitentem tibi gregem salva fidelium: ut dum turba malorum tota die in lingua sua injustitias cogitat, plebs nomini tuo credula, cantica tibi deferat sine fine accepta.

Pater noster.

Ad sextam.

Lectio libri Hieremiæ prophetæ (*Cap* II).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: Verterunt ad me tergum filii

Israel,et non faciem, et in tempore afflictionis suæ A dicens: Surge, et libera nos. Ubi sunt dii tui, quos fecisti tibi? surgant et liberent te in tempore afflictionis tuæ; secundum numerum quippe civitatum tuarum erant dii tui Juda. Quid vultis mecum judicio contendere? omnes dereliquistis me, dicit Dominus. Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt: devoravit gladius vester prophetas vestros,quasi leo vastator generatio vestra. Videte verbum Domini: Numquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina? quare ergo dixit populus meus: Recessimus,non veniemus ultra ad te? Numquid obliviscetur mulier ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? populus autem meus oblitus est mei diebus innumeris. Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad quærendam dilectionem,quæ B insuper et malitias tuas docuisti vias tuas, et in alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum innocentum? non in fossis inveni eos, sed in omnibus quæ supra memoravi. Et dixisti: **280** Absque peccato et innocens ego sum: et propterea avertatur furor tuus a me. Et ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris: Non peccavi. Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas? et ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur. Nam et ab ista egredieris,et manus tuæ erunt super caput tuum: quoniam obtrivit Dominus confidentiam tuam, et nihil habetis prosperum. Vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo,duxerit virum alterum: numquid revertetur ad eam ulterius? numquid non polluta et contaminata erit mulier illa? tu autem fornicata es C cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus. ℟. Amen.

Antiphona 1. Observabit peccator justum: et quæret perdere eum: P. Dominus autem non dereliquit illum. ℣. Expectans expectavi Dominum,et intendit mihi. Et respexit me, ex exaudivit deprecationem meam. P. Dominus.

Oratio. Observat, Domine, peccator justum, insidians fidelissimum gregem tuum ad perdendum eum viventem ex fide, et de tua misericordia præsumentem. Non ergo nos perituros derelinquas in manibus ejus; qui propter nos ligno Crucis affixus es. ℟. Amen.

Antiphona 2. Quid gloriaris in malitia,qui potens es iniquitate? P. Tota die injustitiam cogitabat lingua tua. ℣. Dilexisti injustitiam super benignitatem; iniquitatem magis quam loqui æquitatem. P. Tota. D

Oratio. Deus, qui gloriantem contra te in malitia discipulum pateris; da nobis sublimiter gloriari passionibus tuis: ut quem malitia porrecti arcum doloris emisit; sic spiculum vulneris in eo credulitas defigat voluntaria sua confessione. ℟. Amen.

Antiphona 3. Inruerunt in me fortes, occupaverunt animam meam. P. Exurge mihi in occursum, Domine Deus meus. ℣. Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa. P. Exurge.

℟. Deus meus, ne elongeris a me, P. Quoniam tribulatio proxima est: et non est qui adjuvet. ℣. Tu autem, Domine,ne longe facias auxilium a me: ad defensionem meam respice. P. Quoniam. *Non dicatur* Gloria.

Preces. Clamemus omnes una voce: Domine,miserere. ℣. Qui ductus ut ovis, crucifigeris. P. Domine. ℣. Qui sanguine fuso das salutem mundo. P. Domine. ℣. Qui spiritum tuum Patri commendas. P. Domine. ℣. Fac nos per crucem tuam mereri veniam. P. Domine.

Hymnus. O Nazarene. *fol*. 144.

Oratio. Inruentes in me fortes, Christe Domine, virtutis tuæ valore compesce: quique tuam in passione animam occupaverunt, jugo servitutis tuæ, eorum genimina occupentur: ut tu solus Dominus Redemptor sæculi agnoscaris cum in occursum Ecclesiæ tuæ surrexeris.

Pater noster.

Ad Nonam.

Proverbiorum Salomonis (*Cap*. XII).

℟. Deo gratias.

Fili,fructus justi lignum vitæ: et qui suscipit animas, sapiens est. Si justus in terra recipit, quanto magis peccator, et impius? Qui diligit disciplinam, diligit scientiam: qui autem odit increpationes, insipiens est. Qui bonus est,haurit a Domino gratiam: qui autem confidit in cogitationibus suis,impie agit. Non roborabitur homo ex impietate: et radix justorum non commovebitur. Mulier diligens corona est viro suo: et putredo ossibus ejus, quæ confusione res dignas gerit. Cogitationes justorum judicia: et consilia impiorum fraudulenta. Verba impiorum insidiantur sanguini: os justorum liberabit eos. Verte impios, et non erunt: domus autem justorum permanebit. ℟. Amen.

Lectio libri Samuelis (*Primi Reg. cap*. XVII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Ait David: Dominus qui eruit me de manu leonis, et de manu ursi, ipsi liberabit me de manu Philisthæi hujus. Et dixit Saul ad David: Vade,et Dominus tecum. Et induit Saul David vestimentis suis,et imposuit galeam æream super caput ejus, et vestitit eum lorica. Accinctus ergo David gladio ejus super veste sua,cœpit tentare si armatus posset incedere; non enim habebat consuetudinem. Dixitque David ad Saul. Non possum sic incedere. quia nec usum habeo. Et deposuit ea,et tulit baculum quem semper habebat in manibus: et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, et misit in peram pastoralem, quam habebat secum, et fundam in manu tulit: et processit adversus Philisthæum. Ibat autem Philisthæus incedens, **281** et appropinquans adversum David, et armiger ejus ante eum. Cumque inspexisset Philisthæus, et vidisset David, despexit eum. Erat enim adolescens,rufus,et pulcher aspectu. Et dixit Philisthæus ad David: Numquid ego canis sum,quod tu venisti ad me cum baculo? Et maledixit Philisthæus David in diis suis: Dixitque ad David: Veni ad me, et dabo carnes tuas

volatilibus cœli et bestiis terræ. Dixit autem David A
ad Philisthæum: Tu venis ad me cum gladio, et hasta, et clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie, et dabit te Dominus in manu mea, et percutiam te, et auferam caput tuum a te: et dabo cadavera castrorum Philisthinorum hodie volatilibus cœli et bestiis terræ: ut sciat omnis terra, quia est Deus in Israel. Et noverit universa hæc, quia non in gladio, nec in hasta salvavit Dominus: ipsius enim est bellum, et tradet vos in manus nostras. Cum ergo surrexisset Philisthæus, et veniret, et appropinquaret contra David, festinavit David, et occurrit ad pugnam ex adverso Philisthæi. Et misit manum suam in peram, tulitque lapidem unum, et
funda jecit, et percussit Philisthæum in fronte: et B
infixus est lapis in fronte, et cecidit in faciem suam super terram. Prævaluitque David adversus Philisthæum, et interfecit. Cumque gladium non haberet in manu sua David, cucurrit, et stetit super Philisthæum, et tulit gladium ejus, eduxit de vagina sua: et interfecit eum, præciditque caput ejus. Videntes autem Philisthiim, quod mortuus esset fortissimus eorum, fugierunt. Et consurgentes viri Israel, et Juda vociferati sunt, et persecuti Philisthæos usque dum venirent in vallem, et usque ad portas Accaron, ceciderunt que vulnerati Philisthiim in viam Saraim, usque ad Geth, et usque ad Accaron. Et revertentes filii Israel postquam persecuti fuerant Philisthæos, invaserunt castra eorum. Assumens autem David caput Philisthæi, attulit illud in Hierusalem: arma vero ejus posuit in tabernaculo suo. C
℟. Amen.

Antiphona 1. Humiliavi in jejunio animam meam: et factum est mihi in obprobrium. P. Adversum me exercebantur qui sedebant in porta. ℣. Ego vero orationem meam ad te, Domine: tempus beneplaciti. Deus. P. Adversum me.

Oratio. Christe, Dei Filius, aspice humilitatem nostram in jejuniis: qui deceptoris discipulis fraude innocens traderis ad supplicium Crucis, et super quem innocentem munera accepta sunt captionis; da nobis, ut nec jurando decipere proximo, nec noxiis moribus studeamus perdere nosmetipsos: quin potius patientiæ tuæ doctrinam sequentes, internos, externosque valeamus evincere hostes. ℟. Amen.

D *Antiphana*. 2. Deus meus, eripe me de manu peccatoris, de manu contra legem agentis et iniqui. P. Quoniam tu es patientia mea. ℣. Deus, in te speravi: Domine, non confundar in æternum. P. Quoniam.

Oratio. Deus noster eripe nos de manu peccatoris qui pro nobis pænam perferre dignatus es Crucis: ut tu solus sis patientia nostra; qui pro nobis passus es sepulturam. ℟. Amen.

Antiphona 3. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: longe fecerunt injustitiam suam. P. Dominus justus concidet cervices peccatorum. ℣. Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel. P. Dominus.

Hymnus. O Nazarene. *fol*. 144.

Oratio. Ecce, Domine, supra Ecclesiæ tuæ dorsum iniquitas onerosa peccantium fabricata est superborum; cum incorrigibiles moribus, membra tua atrociter premunt. Da ergo, quæsumus, nobis, ita tolerantiæ virtute fulciri, ut eos, quos in dorsum animæ nostræ sanandos portamus, salubriter nobiscum ad cœleste stabulum reportemus: quo, uno ac singulari denario cum illis accepto, et nos de prædicatione mereamur percipere lucrum, et ipsi de obedientia capiant nobiscum præmium sempiternum. Pater noster.

Ad Vesperos.

Lauda. Dominus illuminatio mea, et salus mea: quem timebo?

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Judica Domine nocentes me, et expugna impugnantes me. Apprehende arma et scutum: et exurge, Deus, in adjutorium mihi. *Psalmus* XXXIV.

Lauda. Memento verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti. P. Hæc me consolata est in humilitate mea: ℣. Quia eloquium tuum vivificavit me. P. Hæc.

282 *Hymnus*. Verbum Patris. *fol*. 252.
Capitula. Deus qui in hac. *fol*. 241.
Lauda. Adhæsi testimoniis.
Et Oratio. Ab iniquitatis. *fol*. 277.

FERIA SEXTA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me. *Psalmus* III.

Oratio. Multiplicati sunt, Domine, qui tribulant nos: sed tu multus es in misericordia qua eruas nos: in nullo enim formidabimus ab imminenti pressura, si tantum tua muniamur, Omnipotens, gratia. ℟. Amen.

Antiphona 1. Tu mihi es refugium a pressura, quæ circumdedit me, Domine: P. Exultatio mea redime me a circumdantibus me. ℣. Intellectum tibi dabo, et instruam te in via, qua egredieris: Domine, firmabo super te oculos meos. P. Exultatio mea.

Oratio. Tu nobis es Domine refugium a pressura, quæ circumdedit nos: et ideo, qui patiendo pro nobis, exaltatio facta es nostra, redime nos a circumdantium inimicorum muscipula. ℟. Amen.

Antiphona 2. Cum mihi molesti essent, P. Induebam me cilicio. Et humiliabam in jejunio animam meam. ℣. Judica Domine nocentes me, et expugna impugnantes me. P. Induebam me.

Oratio. Da nobis Domine, ut mortificationem tuam circumferamus in corpore nostro; qui nos vivificasti in corpore tuo: ut cum molesti nobis fuerint inimici, non eamus contra illos reddituri vindictam; sed induti cilicio, nostramque humiliantes in jejunio animam, tibi Domino in sinu nostro effusam orationem deferamus acceptam. ℟. Amen.

Antiphona 3. Exurge Domine, et intende in judi-

cium meum ; Deus meus, et Dominus meus in causam meam. *P.* Non supergaudeant de me inimici mei, neque dicant in corde suo : Devorabimus eum. ℣. Confundantur et revereantur omnes simul, qui quærunt animam meam. *P.* Non supergaudeant.

Oratio. Deus noster et Domine Jesu Christe, tu semper adesto in causa Ecclesiæ tuæ ; per quam eam patienter discernas a cæteris ; qui solus pro ea pertulisti vulnera passionis. ℟. Amen.

℟. Contumelias, et improperium passus sum ab eis : et proximi mei, qui custodiebant latus meum, dicebant : Decipiamus eum, et prævaleamus ei. Sed tu, Domine, mecum es quasi bellator fortis : cadant in obprobrium sempiternum : *P.* Et videam vindictam in eis : quia tibi revelavi causam meam. ℣. Da filios eorum in fame, et deduc eos in manu gladii : fiant uxores eorum absque liberis, et viduæ : et viri eorum interficiantur morte. *P.* Et videam. *Non dicatur* Gloria.

Oratio. Quid tibi, Domine, a te formata creatura restituat, pro qua exprobrantium obprobria sustimens, solus sedens comminatione repletus es ? Pro quibus ergo tanta passionum vulnera sustulisti, quæsumus, ut eos, nec carnis passionibus dejici, nec Inferni patiaris barathro dimergi. ℟. Amen.

In Laudibus.

Antiphona. In iniquitatibus ego conceptus sum : et in peccatis peperit me mater mea. Tibi soli peccavi, Domine, et malum coram te feci : miserere mei. *Psalmus* L.

Oratio. Agnoscentibus nobis iniquitates nostras, et propria tibi Domine pandentes piacula, ejulantes lachrymis, pectore verberato supplices oramus : ut avertas a nostris sceleribus faciem tuam ; et deleas, quæ gessimus cuncta peccata : Crea itaque, Deus, in corde nostro, quod ames : et propitiatione solita dimitte, quod odis : ac si te crebro ad irascendum nostra iniqua exasperant vitia ; tua te nobis placabilem reddat indulgentia copiosa. ℟. Amen.

Antiphona. Ecce in cœlis est judex meus, et conscius meus in excelsis.

Canticum Job. (*Cap.* XVI).

Nunc ecce oppressit me dolor meus, * et in nihilum redacti sunt omnes artus mei.

Rugientes testimonium dicunt contra me, * et suscitatur falsiloquus adversus faciem meam contradicens mihi.

Collegit furorem suum in me, et comminans mihi infremuit contra me dentibus suis : * hostis nimis terribilibus oculis me intuitus est.

Aperuerunt super me ora sua, * exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis.

Conclusit me Deus apud iniquum, * et in manus impiorum me tradidit.

283 Ego ille quondam opulentus, * contritus sum : Tenuit cervicem meam, et confregit me, * et quasi jugum posuit sibi.

Circumdedit me lanceis suis, convulneravit me : *

A lumbis meis non pepercit, et effudit in terra viscera mea.

Concidit in me vulnera, et super vulnus irruit in me quasi gigans. * Saccum meum consui super cutem meam, et operui cinere carnem meam.

Facies mea intumuit a fletu, * et palpebræ meæ caligaverunt.

Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, * cum exhiberem mundas ad Deum preces.

Terra ne operiat sanguinem meum, * neque inveniat in te locum latendi clamor meus.

Ecce enim in cœlo testis meus, * et conscius meus in excelsis.

Oratio. Jesu Domine, qui dolorem Ecclesiæ tuæ, quod ad nihilum redacta sunt ossa ejus, pius gu-
B bernator intelligis ; dum alios extra eam tentationum fœditas, necat : concede nobis ; ut, quia tu solus pro nobis tentatus es, passus es ; tu nos a tentationibus et a passionibus nostris solus ipse eripias : quo testimonium nostrum intra tuam Ecclesiam ita sit utile, ut mereamur tibi sine fine placere. ℟. Amen.

Ad Matutinum Antiphona. Deus Deus meus ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter et caro mea ! ℣. Sic in sancto apparui tibi, Deus, ut videam voluntatem tuam, et gloriam tuam.

Lauda. Cum senioribus juniores laudent nomen Domini. *Psalmus.* CXLVIII.

Lectio libri Samuelis (*Primi Reg. cap.* XVII). ℟. Deo gratias.

Eo autem tempore, quo viderat Saul David egre-
C dientem contra Philisthæum, ait ad Abner principum militiæ : De qua stirpe descendit hic adolescens ? dixitque Abner : Vivat anima tua, rex, si novi. Et ait rex : Interroga tu, cujus filius sit iste puer. Cumque regressus esset David, percusso Philisthæo, tulit eum Abner, et introduxit coram Rege Saul, caput Philisthæi habentem in manu sua. Et ait Saul ad David : De qua progenies tu, o adolescens ? Dixitque David : Filius servi tui Isai Bethlehemitæ ego sum. (*Cap.* XVIII.) Et factum est cum complesset loqui ad Saul : anima Jonathæ conglutinata est animæ David, et dilexit eum Jonathas quasi animam suam. Nam expoliavit se Jonathas tunica, qua erat vestitus, et dedit eam David, et reliqua vestimenta sua, usque ad gladium et arcum suum,
D et usque ad balteum. Egrediebatur quoque David ad omnia quæcumque mississet eum Saul et prudenter se agebat : posuitque eum Saul super viros belli, et acceptus est in oculis universi populi, maximeque in conspectu famulorum Saul. Porro cum reverteretur percusso Philisthæo David, egressæ sunt mulieres de universis urbibus, cantantes chorosque ducentes in occursum Saul regis, in tympanis lætitiæ, et in sistris. Et præcinebant mulieres laudantes, atque dicentes : Percussit Saul mille, et David decem millia. Iratus est autem Saul nimis, et displicuit in oculis ejus iste sermo : dixitque : Dederunt David decem millia, et mihi dederunt mille : quid ei superest nisi solum regnum ? Non rectis ergo

oculis Saul aspiciebat David ex die illa, et deinceps. A
Post diem autem alterum, invasit spiritus Domini malus Saul, et prophetabat in medio domus suæ : David autem psallebat in manu sua, sicut per singulos dies : tenebatque Saul lanceam, et misit eam, putans quod configere posset David in pariete et declinavit David a facie ejus secundo. Et timuit Saul David, eo quod esset Dominus cum eo, et a se recessisset. Amovit ergo eum Saul a se, et fecit eum tribunum super mille viros : et egrediebatur, et intrabat in conspectu populi. In omnibus quoque viis suis David prudenter se agebat, et Dominus erat cum eo. Vidit itaque Saul David quod prudens esset nimis, et cœpit cavere eum. Omnis autem Israel, et Juda diligebat David : ipse enim egrediebatur et ingrediebatur ante eos. Dixit autem Saul ad David : B
Ecce filia mea major Merob, ipsam dabo tibi uxorem : tantummodo esto vir fortis, et præliare bella Domini. Saul autem reputabat, dicens : Non sit super illum manus mea, sed Philisthinorum. Ait autem David ad Saul : Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israël, ut fiam gener regis ? Factum est autem tempus, cum deberem dari Merob filia Saul David, data est Hadrieli Molathitæ uxor. Dilexit autem Michol filiam Saul alteram David, et nuntiatum est Saul, et placuit ei. Dixitque Saul : Dabo eam illi, ut fiat ei in scandalum, et sit super eum manus Philisthinorum. **284** Dixit ergo Saul ad David : In duabus rebus gener meus eris hodie. Et mandavit Saul servis suis : Loquimini ad David clam me, dicentes : Ecce places regi, et omnes servi ejus diligunt te. Nunc ergo esto gener C
regis. Et locuti sunt servi Saul in auribus David omnia verba hæc. Et ait David : Num parum vobis videtur, generum esse regis ? Ego autem sum vir pauper et tenuis. Et renuntiaverunt servi, Saul dicentes : Hujuscemodi verba locutus est David. Dixit autem Saul : Sic loquimini ad David : Non habet necesse rex sponsalia, nisi tantum centum præputia Philisthinorum, ut fiat ultio de inimicis regis. Porro Saul cogitabat tradere David in manibus Philisthinorum. Cumque renuntiassent servi ejus David, verba quæ dixerat Saul, placuit sermo in oculis David, ut fieret gener regis. Et post dies paucos surgens David, abiit cum viris, qui sub eo erant. Et percussit Philisthiim ducentis viris, et attulit præputia eorum, et annumeravit ea regi, ut esset gener regis. Dedit D
itaque ei Saul Michol filiam suam uxorem. Et vidit Saul, et intellexit quod Dominus esset cum David. Michol autem filia Saul diligebat eum. Et Saul magis timere cœpit David : factusque est Saul inimicus David cunctis diebus. Et egressi sunt principes Philisthinorum : a principio autem egressionis eorum, prudentius se gerebat David quam omnes viri Saul, et celebre factum est nomen ejus nimis. ℟. Amen.

Hymnus. Noctis tempus. *Quære fol.* 257.

Capitula. In die tribulationis nostræ, Domine, precem, quam effundimus, suscipe : et extensis in nocte manibus, quæ desideramus intellige : occurre animabus nostris optimus Consolator, et indulgentiali favore existe Redemptor : et, qui nos acquisisti passione voluntaria, erue nos de laqueo venantis invicta potentia.

Pater noster.

Lauda. Memento verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti. Hæc me consolata est in humilitate mea. ℣. Superbi inique agebant usquequaque : a lege autem tua non declinavi.

Oratio. Spem quam dedisti nobis Domine, ipsa sit in humilitate nostra consolatio; quæ nobis erit in exultatione gloriæ plenitudo. ℟. Amen.

Ad Tertiam.

Proverbiorum Salomonis (*Cap.* xxv).

Deo gratias.

Fili, nubes, et caligo, et ventus, et pluviæ, non sequentes, vir gloriosus, et promissa non complens. Patientia lenietur princeps, et lingua mollis confringit duritiam. Mel invenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatis evomas illud. Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, nequando satiatus tui oderit te. Jaculum, et gladius, et sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium. Deus putridus, et pes lapsus, qui sperat super infidele in die angustiæ, et amittit pallium in die frigoris. Acetum in nitro, et qui cantat carmina cordi pessimo. Sicut tinea vestimento, et vermis ligno : ita tristitia viri nocet cordi. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, da ei aquam bibere : prunas enim congregabis super caput ejus, et Dominus reddet tibi. Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem. Melius est sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa, et in domo communi. Aqua frigida animæ sitienti, et nuntius bonus de terra longinqua. Fons turbatus pede, et vena corrupta, justus cadens coram impio. Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum : sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria. Sicut urbs patens, et absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Comede, filii mi, mel, quia bonum est, et favum dulcissimum gutturi tuo. Sic et doctrina animæ tuæ : quam cum inveneris, habebis in novissimis spem, et spes tua non peribit, ℟. Amen.

Lectio libri Samuelis Primi (*Reg. cap.* xix).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Locutus est Saul ad Jonathan filium suum, et ad omnes servos suos, ut occiderent David. Porro Jonathas filius Saul diligebat David valde, et indicavit Jonathas David, dicens : Quærit Saul pater meus occidere te : quapropter observa te, quæso, mane, et manebis clam, et absconderis. Ego autem egrediens stabo juxta patrem meum, in agro ubicumque fuerit : et ego loquar de te bona ad patrem meum : et quodcumque videro, nuntiabo tibi. Locutusque est Jonathas de David bona ad patrem suum : dixitque ad eum : Ne pecces, rex, in servum tuum David, quia non peccavit tibi, **285**

285 et opera ejus bona tibi sunt valde, Et posuit ani- A mam suam in manu tua, et percussit Philisthæum, et fecit Dominus salutem magnam universo Israel: vidisti, et lætatus es. Quære ergo peccas in sanguine innoxio, interficiens David, qui est absque culpa ? Quod cum audisset Saul, placatus voce Jonathæ, juravit : Vivit Dominus, quia non occidetur. Vocavit itaque Jonathas David et indicavit ei omnia verba hæc : et introduxit Jonathas David ad Saul, et fuit ante eum, sicut fuerat heri et nudiustertius. Motum est autem rursum bellum : et egressus David, pugnavit adversus Philisthiim : percussitque eos plaga magna, et fugierunt a facie ejus. Et factus est spiritus Domini malus in Saul : sedebat autem in domo sua, et tenebat lanceam : porro David psallebat in manu sua. B Nisusque est Saul configere lanceam David in pariete, et declinavit a facie Saul : lancea autem casso vulnere perlata est in parietem, et David fugit et salvatus est nocte illa. Misit autem Saul satellites suos nocte in domum David, ut custodierent eum, et interficeretur mane. Quod cum annuntiasset David Michol uxor sua, dicens : Nisi salvaveris te nocte hac, cras morieris : et deposuit eum per fesnestram. Porro ille abiit, et fugit, et salvatus est. Tulit autem Michol statuam, et posuit eam super lectum, et pellem pilosam caprarum posuit ad caput ejus, et operuit eam vestimentis. Misit autem Saul apparitores, qui raperent David : et responsum est quod ægrotaret. Rursumque misit Saul nuntios, ut viderent David, dicens : Afferte eum ad me in lecto, ut occidatur. C Cumque venissent nuntii inventum est simulachrum super lectum, et pellis caprarum ad caput ejus. Dixitque Saul ad Michol : Quare sic inlusisti me, et dimisisti inimicum meum, ut fugeret ? Et respondit Michol ad Saul : Quia ipse locutus est mihi : Dimitte me, alioquin interficiam te. David autem fugiens, salvatus est et venit ad Samuel in Ramatha, et renuntiavit ei omnia quæ fecerat sibi Saul : et abierunt ipse et Samuel, et morati sunt in Naioth. Nuntiatum est autem Sauli a dicentibus : Ecce David in Naioth in Ramatha. Misit ergo Saul lictores, ut raperent David : qui cum vidissent cuneum prophetarum vaticinantium et Samuel stentem super eos, factus est etiam Spiritus Domini in illis, et prophetare cœperunt etiam ipsi. D Quod cum nuntiatum esset Sauli, misit et alios nuntios : prophetaverunt autem et illi. Et rursum misit Saul tertios nuntios : qui et ipsi prophetaverunt. Et iratus iracundia Saul, abiit etiam ipse in Ramatha, et venit usque ad cisternam magnam, que est in Socho, et interrogavit, et dixit : In quo loco sunt Samuel et David ? Dictumque est ei : Ecce in Naioth sunt in Ramatha. Et abiit in Naioth in Ramatha, et factus est etiam super eum Spiritus Domini, et ambulabat ingrediens, et prophetabat usque dum veniret in Naioth in Ramatha. Et expoliavit se etiam ipse vestimentis suis, et prophetavit cum cæteris coram Samuel, et cecinit nudus tota die, et nocte. Unde et exivit proverbium : Num et Saul inter prophetas ? (*Cap.* xx.) Fugit autem David de Naioth, quæ erat in Ramatha, veniensque locutus est coram Jonatha : Quid feci ? quæ est iniquitas mea, et quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam ? Qui dixit ei : Absit, non morieris : neque enim faciet pater meus quicquam grande vel parvum, nisi prius indicaverit mihi : hunc ergo celavit pater meus sermonem me tantummodo ? nequaquam erit istud. Et juravit rursum Davidi. Et ille ait : Scit profecto pater tuus, quia inveni gratiam in oculis tuis, et dicit : Nesciat hoc Jonathas, ne forte contristetur. Quinimo vivit Dominus, et vivit anima tua, quia uno tantum (ut itaque dicam) gradu, ego morsque dividimur. Et ait Jonathas ad David : Quodcumque dixerit mihi anima tua, faciam tibi. Dixit autem David ad Jonathan : Ecce calendæ sunt crastino, et ego ex more sedere soleo juxta regem ad vescendum : dimitte ergo me ut abscondar in agro usque ad vesperum diei tertii. Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei : Rogavit me David, ut iret celeriter in Bethlehem civitatem suam : quia victimæ solemnes ibi sunt universis contribulibus ejus. Si dixerit, Bene : pax erit servo tuo : si autem fuerit iratus, scito quia completa est malitia ejus. Fac ergo misericordiam in servum tuum : quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire fecisti. ℟. Amen.

Antiphona 1. Deus vitam meam annuntiavi tibi : posuisti lacrymas meas in conspectu tuo, Domine. Sicut in repromissione tua, Deus Deus meus : convertantur inimici mei retro. ℣. Miserere mihi Domine, quoniam conculcavit me homo : tota die bellans tribulavit me.

286 *Oratio.* Deus vitam nostram annuntiamus tibi, quoniam inferna moriendo vicisti : tu enim firma, quæ nostra agnoscis ; qui solus inspector es cordis : Pone quæsumus in conspectu tuo lachrymas nostras : ut repromissionis percipiant donum ; dum per eam sanctum paraverimus indulgentiæ fructum. ℟. Amen.

Antiphona 2. Non erubescant in me qui expectant te Domine, Deus virtutum. Quoniam propter te portavi obprobrium : operuit confusio faciem meam. Accede nunc, Domine, ad animam meam, et redime eam : propter inimicos meos libera me. ℣. Quoniam zelus domus tuæ comedit me : et obprobrie exprobrantium tibi, ceciderunt super me.

Oratio. Non erubescant in nobis Domine Deus virtutum, qui te expectant de humanis actibus judicium esse facturum : ut Crucis tuæ potentia et placitos nos tibi operarios salutis exhibeat, et cœlestis militiæ curiam de nostris actibus contristari non sinat. ℟. Amen.

Antiphona 3. Lingua mea meditabitur justitiam tuam, Domine : tota die laudem tuam : dum confusi et reveriti fuerint omnes qui quærunt mala mihi. ℣. Deus in te speravi, Domine, non confundatur in æternum, qui habitat in Hierusalem.

℟. Posuerunt me inimici mei in angustia : et

amaritudini tradidit me, quem diligebam. P. Sine causa vulneravit me : tu Domine libera me. ℣. Etenim homo pacis meæ, in quem ego sperabam : qui edebat panes meos. *P.* Sine.

Preces. Rogamus te, Rex sæculorum Deus sancte, *P.* Jam miserere : peccavimus tibi. ℣. Jesu Redemptor, qui solus victima factus es mundo, Patri gratissima, nos clemens tu libera. P. Jam. ℣. Quo moriente, terra contremuit, e monumentis sepultos pariens ad fidem credentium. *P.* Jam. ℣. Qui in sepulchro quiescis positus, tua quiete mortuos refoves, inferna percutiens. *P.* Jam. ℣. Qui sepulchrali lapide clauderis, et resurgis custodibus nesciis purga nos a vitiis. *P.* Jam.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol.* 144.

Oratio. Lingua nostra, Domine, meditetur justitias tuas : ut laus tua tota die ex ore nostro procedat in eo, quod passionis tuæ a nobis prædicata fuerit gloria : ut in ea justitia, qua ex fide vivimus et nunc et semper sine fine laudemus.

Pater noster.

Lectio libri Ezechielis Prophetæ (*Cap.*xxxv).

℟. Deo gratias.

Factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis pone faciem tuam adversum montem Seir : et extendam manum meam super te, et dabo te desolatum atque desertum. Urbes tuas demoliar, et tu desertus eris : et scies quia ego Dominus. Eo quod fueris inimicus sempiternus, et concluseris filios Israel in manu gladii in tempore iniquitatis extremæ. Propterea vivo. ego, dicit Dominus Deus quoniam sanguini tradem te, et sanguis persequetur te: et dabo montem Seir desolatum et desertum : et auferam de eo euntem, et redeuntem. Et implebo montes ejus occisorum suorum : et in collibus suis, atque in vallibus suis, et in torrentibus interfecti gladio cadent. In solitudines sempiternas tardam te, et civitates tuæ non inhabitabuntur : et scies quia ego Dominus. ℟. Amen.

Antiphona. Ecce enim Deus adjuvat me : et Dominus susceptor meus est animæ meæ, reddens mala inimicis meis. ℣. Deus in nomine tuo salvum me fac : et in virtute tua libera me.

Oratio. Adjuva nos, Deus salutaris noster, qui susceptor es animarum nostrarum ; ut in nomine sancto tuo lætemur : et qui censemur vocabulo Christi, mereamur ejus participio perfrui : sicque æterna consequamur gaudia, et præsentia superemus adversa : ut per omnia te laudemus ; et te in nobis esse gaudeamus. ℟. Amen.

Antiphona 2. Ecce elongavi fugiens : et mansi in solitudine. P. Expectabam Dominum, qui salvaret me a pusillo animo, et tempestate. ℣. Præcipita Domine, et divide linguas eorum : quoniam vidi iniquitatem, et contradictionem in civitate. Die ac nocte circumdabit eam super viros ejus.

Oratio. Ecce, Domine, positi in perturbatione mundana, quietem solitudinis eligentes, elongari fugiendo a terrenis actibus cupimus; ut a pusillo animo, et tempestate salvemur: Qui ergo nunc locorum præparatam requiem expectamus ; præbe nobis, ut exempto humano strepitu, in sola dulcedinis tuæ contemplatione lætimur. ℟. Amen.

287 *Antiphona* 3. Protege me, Domine, a conventu malignantium : et a multitudine operantium iniquitatem libera me. ℣. Eripe me Domine ab homine malo : a viro iniquo et doloso libera me.

℟. Quare tristis es anima mea : et quare conturbas me ? Spera in Deo, quoniam P. Confitebor illi. ℣. Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis : usque ad domum Dei. In voce exultationis, et confessionis confitebor illi.

Preces. Miserere mei Domine. *P.* Qui potens es in misericordia. ℣. Morte tua nos libera. *P.* Qui. ℣. Salva nos tuo vulnere. P. Qui. ℣. Crux tua nos vivificet. P. Qui. ℣. Te moriente, vivamus. P. Qui.

Hymnus. O Nazarene. *fol.* 144.

Oratio. Protege nos, Domine, a conventu malignantium inimicorum ; qui Crucis pertulisti obprobrium : ut qui contra te linguas suas exacuerunt ut gladium ; saluberrimo tuæ gratiæ dono conquisisti, devorentur Ecclesiæ morsu.

Pater noster.

Ad Vesperos.

Lauda. Sol agnovit occasum suum. Posuisti tenebras, et facta est nox.

Antiphona. Misericordia mea Deus et refugium meum: susceptor meus, et liberator meus. *Psalmus* CXLIII.

Lauda. Pauper sum ego, et dolens: salus vultus tui Deus suscepit me. ℣. Laudabo nomen Dei mei cum cantico : magnificabo eum in laude.

Hymnus. Verbum Patris. *fol.* 252.

Capitula. Nonarum horarum. *fol.* 173.

Lauda. Memento verbi tui servo tuo. *folio.* 281.

SABBATO.

Ad Matutinum.

Antiphona. Tu autem Domine. *Psalmus* III.

Oratio. Quamvis Domine. *fol.* 141.

Antiphona 1. Deus contere dentes inimicorum : molas leonum confringe. Ut ad nihilum deveniant, velut aqua decurrens. Ut lætetur justus cum viderit vindictam impiorum. ℣. Vere utique justitiam loquimini : recte judicate, filii hominum.

Oratio. Deus, qui admirabili responsionis objectu dentes conteris inimicorum : molasque frangis leonum : dum et interrogationibus eorum inexpugnabile præparas telum ; et eorum clamoribus insultans, viventem te ostendis post vulnera crucifixum : frange nunc, quæsumus, sequentium contra te inimicorum audaciam : ut ad nihilum, velut decurrens aqua, deveniant, qui malitiæ suæ gestiunt intra tuam Ecclesiam spargere documenta. ℟. Amen.

Antiphona 2. Occupaverunt animam meam inimici mei, Domine : inruerunt in me fortes. Ecce ipsi loquuntur adversum me : et gladius in labiis eorum. Disperge illos in virtute tua : et destrue eos protector meus. ℣. Eripe me de inimicis meis Deus meus ; ab insurgentibus in me libera me.

Oratio. Occupantes animam tuam, Christe Domine, fortes, super te acriter inruerunt; cum tempore passionis cuneus super te inruit superborum : et ideo quæsumus, ad precem Ecclesiæ tuæ jam respice et cruentum hostis de manu gladium tolle : ut mucrone suo decisum sentiat; cum per eos, quos tenuerat, fidei tuæ cognoverit prædicari doctrinam.

℟. Amen,

Antiphona 3. Deus in adjutorium meum intende : Domine ad adjuvandum me festina. Confundantur et revereantur qui quærunt animam meam : ℣. Avertantur retrorsum, et confundantur, qui cogitant mihi mala.

Oratio. Deus, in adjutorium nostrum intende : ut qui passionibus tuis communicare votis sincerissimis anhelamus, adjutorem te nostrum in ipsis nostris conatibus sentiamus. ℟. Amen.

℟. In via, quam ambulabam, absconderunt mihi muscipulam. Considerabam in dexteram, et videbam : nec erat qui me cognosceret. Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam. ℣. Ut quid, Domine, in oratione mea avertis faciem tuam a me ?

Oratio. Effundentibus nobis in conspectu tuo orationem nostram, Domine, misericors adjutor assiste : esto nostra protectio, qui es nostra redemptio : Sensus nostros sub tua benignitate dirige ; et semitas nostras placida directione cognosce : ut inter absconditos in hac via tua, qua gradimur, laqueos, ita tui desiderio percurramus ; ut in placitam tibi partem fidei vestigio occurramus. ℟. Amen.

Antiphona. Tibi soli peccavi Domine, malum coram te feci : miserere mei. *Psalm.* L.

288 *Oratio.* Tibi soli peccavimus. *fol.* 276.

Antiphona. Factus sum in derisum tota die : et omnes subsannant me.

Canticum. Seduxisti me. *fol.* 276.

Ad Matutinum.

Antiphona. Deus Deus meus ad te de luce vigilo. ℣. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi et caro mea. In terra deserta, invia et inaquosa.

Lauda. Omnis spiritus laudet nomen Domini *Psalmus* CL.

Lectio libri Samuelis (*Primi Reg. cap.* XXI).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Venit David in Nobe ad Achimelech sacerdotem : et obstupuit Achimelech, eo quod venisset David. Et dixit ei : Quare tu solus, et nullus est tecum ? Et ait David ad Achimelech sacerdotem : Rex præcepit mihi sermonem, et ait : Nemo sciat rem, propter quam a me missus es, et cujusmodi tibi præcepta dederim : nam et pueris condixi in illum et illum locum. Nunc igitur si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quicquid inveneris. Et respondens sacerdos ad David, ait ei : Non habeo panes laïcos ad manum, sed tantum panem sanctum : si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus ? Et respondit David sacerdoti, et dixit ei : Equidem, si de mulieribus agitur : continuimus nos ab heri, et nudiustertius, quando egrediebamur et fuerunt vasa
A puerorum sancta : porro via hæc polluta est, sed ea ipsa hodie sanctificabitur in vasis. Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem : neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant a facie Domini, ut ponerentur panes calidi. Erat autem ibi vir de servis Saul, in die illa, intus in tabernaculo Domini : et nomen ejus Doeg Idumæus, potentissimus pastor Saul ; hic pascebat mulas Saul. Dixit autem David ad Achimelech : Si habes huc ad manum gladium, aut hastam ? da mihi, quia gladium meum, et arma mea non tuli mecum : sermo enim regis urgebat. Et dixit sacerdos : Ecce hic gladius Goliath Philisthæi, quem percussisti in Vallem terebinthi, est involutus pallio post ephod : si istum vis tollere, tolle : neque enim est hic alius
B absque eo. Et ait David : Si non est hic alius absque eo, da mihi eum. Surrexit itaque David, et fugit in die illa a facie Saul : et venit ad Achis regem Geth : dixeruntque servi Achis, cum vidissent David : Numquid non iste est David rex terræ ? nonne huic cantabant per choros, dicentes : Percussit Saul mille, et David decem millia ? Posuit autem David sermones istos in corde suo, et extimuit valde a facie Achis regis Geth. Et mutavit os suum coram Achis, et conlabebatur inter manus eorum, et impingebat in ostia portæ, defluebantque salivæ ejus in barbam. Et ait Achis ad servos suos : Vidistis hominem insanum : quare adduxistis eum ad me ? An desunt nobis furiosi, quia introduxistis istum, ut fureret me præsente ? dimittite illum : hinc ne ingrediatur do-
C mum meam ? (*Cap.* XXII.) Abiit ergo inde David, et fugit in speluncam Odollam. Quod cum audissent fratres ejus, descenderunt ad eum illuc. Et convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, et oppressi a rege alieno, et amaro animo : et factus est eorum princeps, fueruntque cum eo quasi quadringenti viri. Et profectus est David inde in Maspha, quæ est Moab : et dixit ad regem Moab : Maneat, oro, pater meus et mater mea vobiscum, donec sciam quid faciat mihi Deus. Et reliquit eos ante faciem regis Moab : manseruntque apud eum cunctis diebus, quibus David fuit in præsidio. Dixitque Gad propheta ad David : Noli manere in præsidio, proficiscere, et vade in terram Juda. Et profectus David, et venit in saltum Hareth. Et audivit Saul quod ap-
D paruisset David, et viri qui erant cum eo. Saul autem cum maneret in Gabaa, et esset in nemore, quod est in Rama, hastam manu tenens, cunctique servi ejus circumstarent eum, ait ad servos qui assistebant ei : Audite filii Jemini : numquid omnibus vobis dabit filius Isai agros et vineas, et universos vos faciet tribunos, et centuriones : quoniam conjurastis omnes adversum me, et non est qui mihi renuntiet, maxime cum et filius meus fœdus inierit cum filio Isai ? Non est qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annuntiet mihi ; eo quod suscitaverit filius meus servum meum adversum me, insidiantem mihi usque hodie. Respondens autem Doeg Idumæus, qui ei assistebat, et erat primus inter servos Saul. Vidi,

inquit, filium Isai in Nobe, apud Achimelech filium Achitob sacerdotem. Qui consuluit pro eo Dominum, et cibaria dedit ei : sed et gladium Goliath Philisthæi dedit illi. Misit ergo rex ad accersendum Achimelech filium Achitob, **289** sacerdotem, et omnem domum patris ejus, sacerdotum, qui erant in Nobe, qui venerunt universi ad regem. Et ait Saul ad eos : Audi fili Achitob. Qui respondit. Præsto sum domine. Dixitque ad eum Saul : Quare conjurastis adversum me, tu et filius Isai ; et dedisti eis panes et gladium, et consuluisti eis Dominum, ut consurgeret adversum me, insidiator usque hodie permanens ? Respondítque Achimelech regi, et ait : Et quis in omnibus servis tuis, sicut David fidelis, et gener regis, et pergens ad imperium tuum, et gloriosus in domo tua ? Num hodie cœpi consulere pro eo Dominum ? absit hoc a me : ne suspicetur rex adversus servum suum rem hujuscemodi in universa domo patris mei : non enim scivit servus tuus quicquam super hoc negotium vel medicum vel grande. Dixitque rex : Morte morieris Achimelech, tu, et omnis domus patris tui. Et ait rex emissariis, qui circumstabant eum : Convertimini, et interficite sacerdotes Domini : nam manus eorum cum David est : scientes quod fugisset, et non indicaverunt mihi. Noluerunt autem servi regis extendere manum suam in sacerdotes Domini. Et ait ad Doeg Idumæum : Convertere tu, et inrue in sacerdotes Domini. Conversusque Doeg Idumæus, inruit in sacerdotes Domini, et trucidavit in die illa octoginta quinque viros vestitos ephod lineo. Nobe autem civitatis sacerdotum percussit in ore gladii, viros et mulieres, parvulos et lactantes, bovem et asinum, et ovem in ore gladii. Evadens autem unus filius Achimelech, filii Achitob, cujus nomen erat Abiathar, fugit ad David, et annuntiavit ei quod occidisset Saul sacerdotes Domini. Et ait David ad Abiathar : Sciebam in die illa, quod cum ibi esset Doeg Idumæus, proculdubio annuntiaret Sauli : ego sum reus omnium animarum patris tui. Mane mecum, si quis quæsierit animam meam, quæret et animam tuam, mecumque servaberis. (*Cap.* XXIII.) Et nuntiaverunt David, dicentes : Ecce Philisthiim appugnant Ceilam, et diripiunt areas. Consuluit igitur David Dominum, dicens : Nunc vadam, et percutiam Philisthæos istos ? Et ait Dominus ad David : Vade, et percuties Philisthæos, et salvabis Ceilam. Et dixerunt viri, qui erant cum David, ad eum : Ecce nos hic in Juda consistentes timemus : quanto magis si ierimus in Ceila adversum agmina Philisthinorum ? Rursum ergo David consuluit Dominum. Qui respondens, ait : Surge, et vade in Ceila : ego enim tradam Philisthæos in manu tua. Abiit ergo David, et viri ejus in Ceila, et pugnavit adversum Philisthæos, et abegit jumenta eorum, et percussit eos plaga magna : et salvavit David habitatores Ceilæ. Porro eo tempore, quo fugiebat Abiathar filius Achimelech ad David in Ceilam, ephod secum habens descenderat. Nuntiatumque est Sauli quod venisset David in Ceila : et ait Saul : Tradidit eum Dominus in manus meas,

A conclususque est, introgressus urbem, in qua portæ et seræ sunt. Et præcepit Saul omni populo, ut ad pugnam descenderet in Ceilam : et obsideret David et viros ejus. Quod cum rescisset David, quia præpararet ei Saul clam manum, dixit ad Abiathar sacerdotem : Applica ad me ephod. Et ait David : Domine Deus Israel, audivit famam survus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam, ut evertat urbem propter me : Si tradent me viri Ceilæ in manu ejus ? et si descendet Saul sicut audivit servus tuus ? Domine Deus Israel indica servo tuo. Et ait Dominus : Descendet. Dixitque David : Si tradent viri Ceilæ me, et viros qui sunt mecum, in manus Saul ? Et dixit Dominus : Tradent. Surrexit ergo David et viri ejus quasi sexcenti, et egressi de Ceila, huc atque illuc B vagabantur incerti : nuntiatumque est Saul quod fugisset David de Ceila. Quamobrem dissimulabat exire. Morabatur autem David in deserto in locis fortissimis, mansitque in montem solitudinis Ziph : quærebat tamen eum Saul cunctis diebus : et non tradidit eum Deus in manus ejus. Et vidit David quod egressus est Saul ut quæreret animam ejus. Porro David erat in deserto Ziph in silva. Et surrexit Jonathas filius Saul in sylvam, et confortavit manus ejus in Domino, dixitque ei : Ne timeas : neque enim inveniet te manus Saul patris mei, et tu regnabis super Israel, et ergo ero tibi secundus, sed et Saul pater meus scit hoc. Percusserunt igitur uterque fœdus coram Domino : mansitque David in silva : Jonathas autem reversus est in domum suam.

C ℟. Amen.

Hymnus. Noctis tempus. *fol.* 257.

Capitula. Multis te pro nobis vulneribus, bone Christe, confossum credimus, et fatemur, cum exceptis suppliciis carnis, et loquens, **290** et tacens dolores sustines passionis : te etenim loquente blasphemasse declamant : qui converti debuerant : et te tacente, in furoris copiam exardescunt ; qui humilitatis tuæ mansuetudinem non verentur : da ergo nobis, ut, qui passionis tuæ dolores concinimus, a nostris doloribus liberemur : ut magno discretionis articulo præditi, et loquentes de te, et prædicantes, quæ vera sunt ; et tacere nostrum sit utile, et loqui æternam nobis proficiat ad mercedem.

Pater noster.

Lauda. Memor fui judiciorum tuorum, Domine a D sæculo : et consolatus sum. ℣. Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

Oratio. Memores tui in nocte Domine, legem tribue custodire : et qui de te nec in tribulationibus silent, numquam a tuis sermonibus claudicent ; sed fixa stabilitate perdurent. ℟. Amen.

Ad Tertiam.

Lectio libri Proverbiorum (*Cap.* XXII).

℟. Deo gratias.

Fili, Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ : super aurum et argentum, gratia bona. Dives et pauper obviaverunt sibi ; utriusque operator est Dominus. Callidus videt malum, et abscondet se ;

innocens pertransit, et afflictus est damno. Finis modestiæ timor Domini, divitiæ et gloria et vita. Arma et gladii in via perversi: custos animæ suæ longe recedit ab eis. Proverbium est: Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Dives pauperibus imperat: et qui accipit mutuum, servus est fœnerantis. Qui seminat iniquitatem, metet et mala, et virgam iræ suæ consummabit. Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur: de panibus enim suis dedit pauperi. ℟. Amen.

Lectio libri Samuelis (*Primi Reg. cap.* XXIII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Ascenderunt Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Nonne David latitat apud nos in locis tutissimis silvæ, in colle Hachila, qui est ad dexteram deserti? Nunc ergo, sicut deliberavit anima tua ut descenderes, descende: nostrum autem erit ut tradamus eum in manu regis. Dixitque Saul: Benedicti vos a Domino, qui doluisti vicem meam. Abite, oro, et diligentius properate, et curiosius agite, et considerate locum ubi sit pes ejus, vel quis viderit eum ibi: recogitat enim de me, quod callide insidier ei. Considerate et videte omnia latibula ejus, in quibus absconditur: et revertimini ad me ad rem certam, et vadam vobiscum: quod si etiam in terram se obstruxerit, præscrutabor eum in multis millibus Juda. At illi surgentes abierunt in Ziph ante Saul: David autem et viri ejus erant in deserto Maon, in campestribus, ad dexteram Lesimuth. Abiit ergo Saul et socii ejus ad quærendum: et nuntiatum est David, statimque descendit ad petram, et versabatur in deserto Maon: quod cum audisset Saul, persecutus est David in deserto Maon. Et ibat Saul in latus montis ex parte una: David autem et viri ejus erant in latere montis ex parte altera: porro David desperabat se posse evadere a facie Saulis: itaque Saul et viri ejus in modum coronæ cingebant David et viros ejus, ut caperent eos. Et nuntius venit ad Saul, dicens: Festina, et veni, quoniam infuderunt se Philisthiim super terram. Reversus est ergo Saul desistens persequi David, et perrexerit in occursum Philisthinorum propter hoc vocaverunt locum illum, Petram dividentem. Ascendit ergo David inde: et abiit in locis tutissimis Engaddi. Cumque reversus esset Saul cum tria milia electorum virorum ex omni Israel, perrexit ad investigandum David et viros ejus, etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus perviæ sunt. Venit ad caulas ovium, quæ se offerebant vianti: eratque ibi spelunca, in quam ingressus est Saul, ut purgaret ventrem: porro David et viri ejus in interiori parte speluncæ latebant. Et dixerunt servi David ad eum: Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo David, et præcidit oram chlamydis Saul silenter. Post hæc percussit cor suum, eo quo abscidisset oram chlamydis Saul. Dixitque ad viros suos: Propitius sit mihi Dominus, nec faciam hanc rem

A Domino meo, christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia christus Domini est. Et confregit David viros sermonibus, et non permisit eos, ut consurgerent in Saul: porro Saul exurgens de spelunca, pergebat cœpto itinere. Resurrexit autem et David post eum: et egressus de spelunca, clamavit post tergum Saulis, dicens: Domine mi rex. Et respexit Saul post se: **291** et inclinans se David pronus in terra, adoravit, dixitque ad Saul: Quare audis verba hominum loquentium, David quærit malum adversum te? Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradidit te Dominus in manu mea in spelunca: et cogitavi ut occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus: dixi enim: Non extendam manum meam in domino meo, quia christus Domini est. Quin potius

B pater mi, vide, et cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea: quomodo cum præciderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum in te. Animadverte, et vide, quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccavi in te: tu autem insidiaris animæ meæ ut auferas eam. Judicet Dominus inter me et te, et ulciscatur me Dominus ex te: manus autem mea non sit in te. Quem et in proverbio antiquo dicitur: Ab impiis egredietur impietas: manus ergo mea sit in te. Quem sequeris? canem mortuum persequeris, et pulicem unum. Sit Dominus judex, et judicet inter me et te: et videat, et judicet causam meam, et eruat me de manu tua. Cum autem complesset David loqui sermones hujuscemodi ad Saul, dixit Saul: Numquid

C vox tua hæc est, fili mi, David? Et levavit Saul vocem suam, et flevit: dixitque ad David: Justior es tu quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala. Et tu indicasti hodie quæ feceris mihi bona: quomodo tradiderit me Dominus in manu tua, et non occideris me. Quis enim cum invenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc, pro eo quod hodie operatus es in me. Et nunc quia scio quod certissime regnaturus sis, et habiturus in manu tua regnum Israel: jura ergo mihi in Dominum, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei. Et juravit David Sauli. Abiit ergo Saul in domum suam: et David et viri ejus ascenderunt ad tutiora loca deserti. ℟. Amen.

D *Antiphona* 1. Ad defensionem meam attende, Domine. Eripe a framea animam meam: et de manu canis unicam meam. Salva me, rex meus, et Deus meus. ℣. Ne discedas a me: quoniam tribulatio proxima est: et non est qui adjuvet.

Oratio. Ad defensionem Ecclesiæ respice pastor animarum, Domine Jesu Christe, liberans misericorditer animas nostras de ore leonis: cujus anima a framea et manu liberata est canis. ℟. Amen.

Antiphona 2. Firmamentum meum, et refugium es tu, Deus meus. Eripe me de manu contra legem agentis, et iniqui: ℣. Quoniam tu es patientia mea Domine: spes mea a juventute mea.

Oratio. Firmamentum nostrum atque refugium, A te Dominum poscimus crucifixum : ut de manu peccatoris nos liberans, in locum munitum coronandos statuas. ℟. Amen.

Antiphona 3. Quare, Domine, abjicis animam meam, avertis faciem tuam a me? Pauper sum ego, et ærumnosus ab adolescentia. Longe fecisti a me amicum, et sodalem, notum meum abstulisti. ℣. In me pertransierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me.

℟. Deus meus salva me de manu impii : de manu iniqui, et nocentis : quia tu es expectatio mea Deus. Domine, fiducia mea ab adolescentia mea ℣. Eripe me, Domine, ab homine malo : a viro iniquo libera me.

Preces. Miserere, Domine, supplicantibus; *P.* Et B dona nobis veniam. ℣. Quem passum, Christe Domine, pro nobis esse credimus. P. Tu. ℣. Quem verberatum alapis fatemur, et suppliciis. P. Et. ℣. Quem terra tremuit mortuum ; quo resurgente lætatur. *P.* Tu. ℣. Jam morte tua liberi capiamus regnum cœli. *P.* Et dona.

Hymnus. O Nazarene, *fol.* 144.

Capitula. Indigentiæ nostræ, inopiam bone Christe considera : ne quando avertis a nobis faciem tuam, abjicias animam nostram : ut, qui pauperes, et ærumnosi ab adolescentia sumus ; deliciis aliquando recreati cœlestibus, æterna nos vestitos immortalitate lætemur.

Pater noster.

Ad Sextam.

Lectio libri Hieremiæ Prophetæ (Cap. v).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Audi popule, qui non habes cor : qui habentes oculos, non videtis. Me ergo non timebitis, ait Dominus : et a facie mea non dolebitis ? Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit : et commovebuntur, et non poterunt : intumescent fluctus ejus, et non transibunt illuc : **292** populo autem huic factum est cor incredulum et exasperans, recesserunt et abierunt. Et non dixerunt in corde suo : Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam et serotinam in tempore suo ; plenitudinem annuæ messis custodientem nobis. Iniquitates vestræ declinaverunt ab eo : et peccata nostra prohibuerunt bonum a nobis : qui inventi sunt in populo meo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes et pedicas ad capiendos viros. Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo : quia magnificati sunt et ditati. Incrassati sunt et impinguati : et præterierunt sermones meos pessime. Causam viduæ non judicaverunt causam pupilli non direxerunt, et judicium pauperum non judicaverunt. Numquid super his visitabo, dicit Dominus ? aut super gentem hujuscemodi non ulciscetur anima mea ? Stupor et mirabilia facta sunt in terra : prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis : et populus meus dilexit talia : quid igitur fiet in novissimo ejus ? Confortamini filii Benjamin in medio Hierusalem. ℟. Amen.

Antiphona 1. Ne simul tradas me cum peccatoribus : et cum operantibus iniquitatem ne perdas me, Domine : ℣. Da illis, Domine, secundum opera eorum, et secundum nequitiam studiorum ipsorum.

Oratio. Christe Deus noster, qui inter peccatores, cum latronibus scilicet, Crucis, supplicio, traditus, perpessus es : quæsumus, ne nos simul cum peccatoribus tradas ; neque cum operantibus iniquitatem pariter punias : ut, quos passione tua a diaboli potestate liberare dignatus es, et hic et in æternum ab infernali peccatorum sorte dissocies. ℟. Amen.

Antiphona 2. Domine exaudi orationem meam : et clamor meus ad te perveniat. In quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam. ℣. In quacunque die invocavero te, velociter exaudi me.

Oratio. Domine, exaudi orationem meam ; et clamor noster ad te placida benignitatis tuæ aure perveniat : ne revoces nos in dimido dierum nostrorum ; sed ad certam stationem tendentes, fac nos cursum consummare virtutis ; ac per studium sanctificationis acquirere æternum Gloriæ regnum, in hac dierum præsentium paucitate. ℟. Amen.

Antiphona 3. Eripe me Domine ab homine malo : et a viro iniquo, et a lingua dolosa. ℣. Custodi me Domine de manu peccatoris : et ab hominibus iniquis libera me. Qui cogitaverunt supplantare gressus meos.

C ℟. Eripe me de inimicis meis, Domine. P. Quia tu es Deus meus. ℣. Eripe me de operantibus iniquitatem : et de viris sanguinum libera me. P. Quia.

Preces. Ad te clamamus omnes, Domine, *P.* Miserere. ℣. Exaudi Deus tuam plebem, et nos ab hoste defende. *P.* Miserere. ℣. Exaudi Deus Pontificem, ejusque Sacerdotem. P. Miserere. ℣. Exaudi Deus miseros, et revoca captivos. P. Miserere. ℣. Exaudi Deus viduas, et orphanorum lachrymas, P. Miserere. ℣. Exaudi Deus cæcos, et redde illis lumen. in æternum : tecum sine fine vivamus, P. Miserere.

Hymnus O Nazarene, lux. *fol.* 144.

Oratio. Eripe me, Domine, ab homine malo, qui traditus es pro scelere alieno : ut passio tua a futuris D nos eripiat tormentis, quæ in derisum facta est ab impiis.

Pater noster.

IN QUINTO DOMINICO QUADRAGESIMÆ.

Ad Vesperum.

Lauda. Sacrificate sacrificium, *fol.* 214.

Oratio. Deus justitiæ nostræ, invocantibus te nobis propitius appare ; ut et sacrificium vespertinum sacrificemus ; et ad præmia cœlestia, te auxiliante, perveniamus. ℟. Amen.

Antiphona. Dixit Moyses ad populum : Quarta decima die mensis nonarum celebrabitis Pascha. ℣. Canite in initio mensis tuba in signis solemnitatis nostræ.

Lauda. Tædium tenuit me, pro derelinquentibus legem tuam. Cantabiles erant mihi justificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ. ℣. Memento verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.

Hymnus. Verbum Patris. *Quære fol.* 252.

Capitula. Christe Deus noster, qui pro nobis omnibus passionis sustulisti injuriam; cum inter odientes pacem pacificus inveniris; et innocens a nocentibus crucifigeris: sicque mortem humani generis morte tua transfigis: da nobis, ut multiplicata super nos superborum **293** iniquitas non prævaleat; atque meditatio legis tuæ cordis nostri studium non recedat: ut, quia tu solus pro nobis omnibus et mortem passus es et sepulchrum; credentibus tibi et lumen æternæ vitæ dones, et præmium.

Pater noster.

Benedictio. Christus Dominus, qui morte sua humanitatis nostræ mortem devicit, victores vos efficiat criminis vestri. R. Amen. Et qui tradi se permisit ab impiis, ab æternorum vos suppliciorum eripiat pœnis. ℟. Amen. Et cum eo sine fine vivatis, qui victor factus est mortis. ℟. Amen.

Lauda. Multi persequentes me, tribulant me, Domine: a lege autem tua non declinavi, Deus meus. ℣. Vide humilitatem meam, et eripe me: quia legem tuam non sum oblitus.

Oratio. Miserationes tuæ multæ, Domine, omnes iniquitates nostras deleant; et ad indulgentiam tuam nos emundandos perducant. ℟. Amen.

Lauda 2. Exclamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine. ℣. Clamavi ad te, salvum me fac: ut custodiam testimonia tua.

Oratio. Exclamamus ad te, Domine, ut nos exaudias, et oculos humo acclives ad te admittas: ut, tua nos inlustrante serenitate, semper maneamus in lumine. ℟. Amen.

Lauda 3. Vide humilitatem meam, et eripe me, Domine: quia legem tuam non sum oblitus. ℣. Judica causam meam, et redime me: propter eloquium tuum vivifica me.

Oratio. Vide humilitatem nostram, Domine; et eripe nos: te enim respiciente, etsi dejicimur, sublevamur; quo sustentante, ne corruamus, excipimur. ℟. Amen.

Preces. Domine misericordiarum. P. Obliviscere peccata nostra. ℣. Qui resurgens a mortuis sedes ad dexteram Dei Patris, P. Obliviscere. ℣. Qui promittis justis præmia; et iniquis minaris supplicia. P. Obliviscere. ℣. Qui peccantem non judicas; sed ad pœnitentiam procovans expectas, P. Obliviscere. ℣. Qui justos vocas ad tolerantiam; et post tentationem provocas ad coronam, P. Obliviscere.

Oratio. Exaudi orationem. *fol.* 138.

Ad Matutinum.

Hymnus. Æterne rerum Conditor. *Require fol.* 3.

Oratio. Deus, quem totius opificem operis laudando concelebrat condita magnitudo: cujusque potentiam intelligibilis creatura miratur: tibi supplices honorem deferimus, et cordis vocibus provocamus: ut, qui nos ad matutinum officium, gallo præconante, exsuscitas; placida tibi nostri famulatus vota efficias, et tuo miti præsidio, quod delinquendo sorduimus, abluas: et jugi te prece rogamus, ut justificationes tuæ gratiam nobis impertias. ℟. Amen.

Antiphona. Gloria mea Deus, et exaltans caput meum. *Psalmus* III.

Antiphona. Tibi soli peccavi miserere mei, Deus. *Psalmus* L.

Oratio. Susceptor noster Domine exalta caput nostrum in gloria, et locupleta nos in misericordia tua: lava intima cordis nostri ab intima cordis nostris injustitia; et a peccati inquinamentis purifica: mitte de cœlo, et erue nos a conculcantis obprobrio: ut alacres ad hoc tuum recurramus altarium; et matutinum sacrificium tibi offeramus in templo. ℟. Amen.

Antiphona. Psallam nomini tuo, Altissime. In convertendo inimicum meum retrorsum: infirmabuntur et perient a facie tua. ℣. Quoniam fecisti judicium meum et causam meam: sedisti super thronum qui judicas æquitatem.

Oratio. Psallat semper Ecclesia tua nomini tuo, Altissime Deus; qui per passionis tuæ triumphum convertisti inimicum animæ nostræ retrorsum: quæsumus proinde, ut eodem cum suis satellitibus infirmatis et perditis, affatim tua nos semper protegat passio gloriosa. ℟. Amen.

Antiphona 2. Peccatores tetenderunt arcum, paraverunt sagittas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde. Quem tu perfecisti, ipsi destruxerunt: justum autem quid fecit? ℣. Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus.

Oratio. Adversus te, Christe Domine, peccatores malignitatis prætendentes arcum, dolositatis suæ nihilominus sagittis transfixi sunt: Quia igitur te in obscuro nequitiæ in jaculis linguæ suæ, ut conati sunt, transfigere **294** nequierunt; nos, quæsumus, ab eorum dentibus tuæ passionis munimine extrahamur: ut te, quem rectum corde persecuti sunt impie, sentiant nostrum in omnibus protectorem. ℟. Amen.

Antiphona 3. Disperdat Dominus universa labia iniqua, et linguam magniloquam. Qui dicunt: Labia nostra nobiscum sunt, quis noster est Deus? Ponam in salutari meo: fidenter agam in eo. ℣. Salvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum.

Oratio. Disperde Domine universa labia dolosa et linguam magniloquam; ut qui in salutare tuum fidenter agere nolunt, labiorum suorum malitia confundantur: sicque illis in Christo Domino nostro vocatis per pœnitentiam, unaque nobiscum fidei lingua effectis; ut labia dolosa utcumque a nobis usquequaque dispereant. ℟. Amen.

℟. Viri iniqui dixerunt: Opprimamus virum justum injuste, et deglutiamus eum tanquam infernus vivum: auferamus memoriam illius de terra; P. Et

de spoliis ejus sortem mittamus inter nos : ipsi A autem homicidæ thesaurizaverunt sibi mala. Insipientes, et maligni oderunt sapientiam, et rei facti sunt in cogitationibus. ℣. Dixerunt : Venite, percutiamus eum lingua, et non attendamus ad universos sermones ejus. P. Et de spoliis.

Oratio. Christe Dei Filius, cujus vitam viri impii et opprimendam diffiniunt, et deglutiendam, ut inferi statuerunt, nitentes memoriam tuam auferre de terra, qui creaveras cœlos et terram ; te petimus, et rogamus, ut, qui in spoliis vestis tuæ missam sortem patienter perferre dignatus es, lapsus fragilitatis nostræ benignissime toleres, ac a cunctorum nos elogio criminum expiatos conserves : quatenus, dum nos malæ consuetudinis ligamine reddideris absolutos, Sanctorum catervis in futuro consocies B laureandos. ℟. Amen.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Facta est pars Domini, plebs Jacob : funiculum hereditatis ejus Israel. Sufficientiam eis in terra deserta, in siti caloris, ubi non erit aqua.

Canticum. Attende cœlum. *fol.* 4.

Oratio. Fac nos, Domine Deus noster, portionem esse funiculo hereditatis tuæ : ut sufficientia ignis caloris tui in terra sitienti corporis tui, a te, qui es spes, et satietas nostra, refici mereamur. ℟. Amen.

Ad Benedictus. Antiphona. Emitte lucem tuam, Domine : quia tu es Deus meus, et fortitudo mea. ℣. Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. C

Canticum. Benedictus es Domine. *Quære fol.* 6.

Lauda. Laudate Dominum de terra : montes et omnes colles : ligna fructifera, et omnes cedri : quia exaltatum est nomem ejus solius. *P.* Et exultavit cornu populi sui. ℣. Laus ejus in omnibus sanctis ejus. *P.* Et exultavit.

Lectio libri Samuelis (*Primi Reg. cap.* xxv).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Erat vir quispiam in solitudine Maon, et possessio ejus in Carmelo, et homo ille magnanimis : erantque ei oves tria millia, et mille capræ : et accidit ut tonderetur grex ejus in Carmelo. Nomen autem viri illius Nabal : et nomen uxoris ejus Abigail : eratque mulier illa prudentissima et speciosa : porro vir ejus durus, et pessimus, et malitiosus : erat autem de genere Caleb. Cum ergo audisset D David in deserto quod tonderet Nabal gregem suum, misit decem juvenes, et dixit eis : Ascendite in Carmelum, et venietis ad Nabal, et salutabitis eum ex nomine meo pacifice. Et sic dicetis : Sit fratribus meis, et tibi pax, et domui tuæ pax, et omnibus, quæcumque habes, sit pax. Ex multis annis salvos faciens tuos, et omnia tua, audivi, quod tonderent pastores tui greges tuos, qui erant in deserto nobiscum : nunquam istis molesti fuimus, nec aliquando defuit quicquam eis de grege omni tempore quo fuerunt nobiscum in Carmelo. Interroga pueros tuos, et indicabunt tibi. Nunc ergo inveniant pueri mei gratiam in oculis tuis : in die enim bona venimus ad te quodcumque invenerit manus tua, da servis tuis, et filio tuo David. Cumque venissent pueri David, locuti sunt ad Nabal omnia verba hæc ex nomine David : et siluerunt. Respondens autem Nabal pueris David, et ait : Quis est David ? aut quis est filius Isai ? Hodie increverunt servi qui fugiunt Dominos suos. Tollam ergo panes meos, et aquas meas, et carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, et dabo viris quos nescio unde sint ? Regressi sunt itaque pueri ad David per
295 viam suam, et reversi venerunt, et nuntiaverunt ei omnia verba quæ dixerat Nabal. Tunc ait David viris suis : Accingatur unusquisque gladio suo. Et accincti sunt singuli gladiis suis, accinctusque est David ense suo : et secuti sunt David quasi quadringenti viri : porro ducenti remanserunt ad sarcinas. Abigail autem uxori Nabal nuntiavit unus de pueris, dicens : Ecce misit David nuntios de deserto, ut benedicerent Domino nostro : et adversatus est eos : homines isti, satis boni fuerunt nobis, et non molesti : nec quicquam aliquando periit omni tempore, quo sumus conversati cum eis in deserto : pro muro erant nobis tam in nocte quam in die, omnibus diebus quibus pavimus apud eos greges. Quamobrem considera, et cogita quid facias : quoniam completa est malitia adversum virum tuum, et adversum domum tuam, et ipse est filius tuus Belial, ita ut nemo possit ei loqui. Festinavit igitur Abigail, et tulit ducentos panes, et duos utres vini, et quinque arietes coctos, et quinque sata polentæ, et centum ligaturas uvæ passæ, et ducentas massas caricarum, et posuit super asinos : dixitque pueris suis : Præcedite me : et ecce, ego post tergum sequar vos : viro autem suo Nabal non indicavit. Cum ergo ascendisset asinum, et descenderet ad radicem montis, David et viri ejus descendebant in occursum ejus : quibus et illa occurrit. Et ait David : Vere frustra servavi omnia quæ hujus erant in deserto, et non periit quicquam de cunctis quæ ad eum pertinebant : et reddidit mihi malum pro bono. Hæc faciat Deus inimicis David, et hæc addat, si reliquero de omnibus quæ ad eum pertinent usque mane, mingentem ad parietem. Cum autem vidisset Abigail David, festinavit, et descendit de asino, et corruit coram David super faciem suam, et adoravit super terram, et cecidit ad pedes ejus, et dixit : In me sit, domine mi, hæc iniquitas : loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis : et audi verba famulæ tuæ. Non ponat, oro, dominus meus rex cor suum super virum istum iniquum Nabal : quoniam secundum nomen suum stultus est, et est stultitia cum eo : ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, domine mi hi rex, quos misisti. Nunc ergo domine mi, vivit Dominus, et vivit anima tua, qui prohibuit te ne venires in sanguinem, et salvavit manum tuam tibi : et nunc fiant sicut ut Nabal inimici tui, et qui quærunt Domino meo malum. Quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attuli ancilla tua tibi domino meo ; et da pueris qui sequun-

tur te dominum meum. Aufer iniquitatem famulæ A tuæ: faciens enim faciet tibi Dominus domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, domine mi, tu præliaris: malitia ergo non inveniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ. Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, vel quærens animam tuam, et erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viventium apud Dominum tuum: porro animæ inimicorum tuorum rotabuntur quasi impetu et circulo fundæ. Cum ergo fecerit tibi Dominus domino meo omnia quæ locutus est bona de te, et constituerit te ducem super Israel, et non erit tibi hoc in singultum, et in scrupulum cordis domino meo, quod effunderis sanguinem innoxium, aut ipse te ultus fueris: et cum benefecerit Dominus domino meo, recordaberis ancillæ tuæ, et tu benefacies ei. Et ait David B ad Abigail: Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit te hodie in occursum meum, et benedictum eloquium tuum, et benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, et ulciscerer me manu mea. Aloquin vivit Dominus Deus Israel, qui prohibuit me, ne malum facerem tibi: nisi cito venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal usque ad lucem matutinam, nec mingens ad parietem. Suscepit ergo David de manu ejus omnia quæ attulerit ei, dixitque ei: Vade pacifice in domum tuam, ecce audivi vocem tuam, et honoravi faciem tuam. Venit autem Abigail ad Nabal: et ecce erat ei convivium in domo ejus, quasi convivium regis, et cor Nabal jocundum: erat enim ebrius nimis: et non indicavit ei verbum pusillum aut grande usque mane. Diluculo C autem cum digessisset vinum Nabal, indicavit ei uxor sua verba hæc, et mortuum est cor ejus intrinsecus, et factus est quasi lapis. Cumque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, et mortuus est. Quod cum audisset David mortuum Nabal, ait: Benedictus Dominus, qui judicavit causam obprobrii mei de manu Nabal, et servum suum custodivit a malo. ℟. Amen.

Hymnus. Noctis tempus. *fol.* 257.

Capitula. Unigenite Dei Filius, qui passiones mortalitatis nostræ in te suscipiens, passionis tuæ **296** nos voluisti esse participes: effice nos et sectatores lucis, et operarios veritatis: ut, mortis nostræ naufragio evadentes, quadrifluo Evangeliorum tuorum amne uberius inlustrati, passionis tuæ exemplo mereamur esse idonei.

Pater noster.

In secundis Vesperis

Lauda. Usque ad vesperum quam magnificata sunt opera tua Domine!

Antiphona. Animas nostras humiliemus in jejunio: quia Pascha Domini proxima est, et eripiet nos Dominus de domo servitutis. ℣. Deus misereatur nobis, et benedicat nos: illuminet Dominus vultum suum super nos, et misereatur nobis.

Lauda. Me expectaverunt peccatores ut perderent me: testimonia autem tua non intellexerunt. ℣. In æternum Domine, permanet verbum tuum in cœlo.

Hymnus. Verbum Patris. *fol.* 252.

Capitula. Humiliantes animas nostras in jejunio, Domine Deus educ eas ab inferis; et a descendentibus in lacum nos erue: et qui virtute inenarrabili mundum redempturus, descendens a supernis, inferi confregisti recessus, ne peccato duce illuc deducamur, custodi propitius: et præsta, ut cum his, qui ad vitam æternam conscripti sunt, tibi medulo pietatis psallamus; atque in dilectionibus tuis consortia beatitudinis mereamur.

Pater noster.

Benedictio. Unigenitus Dei Filius, qui assumptum hominem passus est appendi in ligno, Crucis suæ nos dignetur salvare mysterio. Amen. ℟. Ut, qui persequentium vulneratus es linguis, os nostrum removeat ab omni casu tentationis. ℟. Amen. Quique singulari morte sua quadriduanum morsum nostræ mortis devicit, a cruciatu nos eripiat æterni supplicii. ℟. Amen.

Lauda. Principes persecuti sunt me gratis: et a verbis tuis formidavit cor meum. Lætor ego super eloquia tua: sicut qui invenit spolia multa. ℣. Iniquitatem odio habui, et abominatus sum: legem autem tuam dilexi.

Oratio. In dilectione tua, Deus, sit pax diligentibus te: et quia lætaris in pacis bonitate, pacis tuæ nos refice dono; ac per charitatis præmium remove a nobis scandalum: ut de tua pace superemus odium; et de charitate nostrorum cooperiamur multitudinem peccatorum: sicque mandata tua servemus, ut ad conspectus tui gloriam, charitatis dulcedine perducamur. ℟. Amen.

Antiphona 2. Vide humilitatem meam, et eripe me, Domine. ℣. Judica causam meam, et redime me: propter eloquium tuum vivifica me.

Oratio. Vide humilitatem nostram, Domine; et eripe nos: te enim respiciente, etsi dejicimur, sublevamur: quo sustentante, ne corruamus, excipimur. ℟. Amen.

Lauda 3. Exclamavi in toto corde meo, exaudi me Domine. ℟. Clamavi ad te, salvum me fac; ut custodiam testimonia tua.

Oratio. Exclamamus ad te, Domine, ut nos exaudias; et oculos humo acclives ad te admittas; ut tua nos inlustrante serenitate, semper maneamus D in lumine. ℟. Amen.

Lauda 4. Feci judicium et justitiam Domine: ne tradas me persequentibus me. ℟. Suscipe servum tuum in bono: ut non calumnientur mihi superbi.

Oratio. Judicium et justitiam doce nos facere Domine; qualiter valeamus superborum calumnias conculcare: excipe servos tuos in bono, qui sperant in salutare tuum: quorumque interiores oculi Christi tui expectant regnum, hos partem habere facito Electorum. ℟. Amen.

Preces, et Oratio. Averte Domine iram tuam, *fol.* 183.

FERIA SECUNDA.

Ad Matutinum.

POST OVILE OVIUM.

Antiphona. Gloria mea exaltans. *fol.* 156.

Psalmus LI. *Oratio*. Gloria nostra Deus. *fol.* 156.

Antiphona. Miserere mihi, Domine; et vide humilitatem meam de inimicis meis. Qui exaltas me de portis mortis, ℣. Ut annuntiem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion. Et exultabo in salutari tuo.

Oratio. Miserere nostri Domine, et vide humilitatem nostram de inimicis nostris; ut qui nullis teneri potuisti dolorum infernalium vinculis, nos a portis mortis potentialiter exaltare digneris. ℟. Amen.

Antiphona 2. Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Corrupti sunt, et abominabiles **297** facti sunt in voluntatibus suis: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. ℣. Dominus de cœlo prospexit super filios hominum: ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.

Oratio. Jesu, Dei Patris ineffabile Verbum, quem insipientium corda ideo verum Deum esse non credunt, quia in ipso corde suo corrupti et abominabiles facti sunt; te petimus et rogamus, ut cognoscant te et ipsi, sicut et nos cognovimus: ut sic fidelibus hi per veram fidei cognitionem lætabundi jungantur, qualiter plenissime gaudeant se ipsos additos ad numerum redemptorum. ℟. Amen.

Antiphona 3. Inimici mei animam meam circumdederunt, adipe suo concluserunt: os eorum locutum est superbiam. Eripe ab impiis animam meam, Domine. ℣. Exaudi Deus justitiam meam; intende deprecationem meam. Auribus percipe orationem meam, et non in labiis dolosis.

Oratio. Christe Dei Filius, cujus animam circumdantes insatiabiles inimici adipe suæ maltitiæ obcœcati, loquebantur superbiam: eripe ab impiis animam nostram: et sic passio tua passiones nostras extinguat, ut nunquam oculos nostros statuamus declinare in terram. ℟. Amen.

℟. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, *P*. Qui me oderunt gratis. Confortati sunt inimici mei, qui me persequebantur injuste: quæ non rapui, tunc revertebam. Deus tu nosti imprudentiam meam: et delicta mea a te non sunt abscondita. ℣. Effunde, Domine, super inimicos meos iram tuam: et indignatio iræ tuæ apprehendat eos, qui me oderunt.

Oratio. Domine Deus, apud quem delicta nostra non sunt abscondita; cujus oculi non solum exteriora prospiciunt, sed et cordis intima insensibili intuitu penetrant: da nobis pœnitentiæ remedium pro cilicio indumentum: da confessionis præconium pro veniæ lucro; da, ut effluant oculi pro admissis flumina lachrymarum; da voci nostræ gemitibus expetere suffragia precum: Et tu Domine exaudi orationem nostram; quia benigna est misericordia tua: et ne nos inferi profundum absorbeat, aut lutulenta facinora subruant, multitudo nos tuarum miserationum respiciat. ℟. Amen.

Antiphona. Asperges me, Domine, hyssopo, et mun- A dabor: lavabis me, et supra nivem dealbabor. *Psalmus* L.

Oratio. Deus, qui scelera nostra figmento operta denudas; qui incerta dubiis, et occulta consciis, consueta pietate transducis: ut noxietate prodita adspargas nos rore misericordiæ tuæ; et velut nive dealbemur vitæ correctione: averte quæsumus faciem tuam a peccatis nostris; et omnes iniquitates nostras delens, innova in visceribus nostris Spiritus tui Sancti infusionem: qua tali inhabitatore gaudentes, aperiamus jugiter labia nostra, ad annuntiandam laudem tuam. ℟. Amen.

Canticum. Sana me Domine. *fol.* 259.

Oratio. Sana nos, Domine, et sanabimur: confundantur omnes, qui persequuntur in nos nomen sanctum tuum; et non confundamur nos, qui venera- B mur et credimus passionis tuæ potentiam: Prævaleat ergo virtus gloriæ tuæ; ut credentes in æternum tibi lætabundos conjungat. ℟. Amen.

Matutinarium. Ego ad te Domine clamavi: et mane oratio mea. ℣. Domine Deus salutis meæ, in die clamavi, et nocte coram te.

Lauda. In psalterio, et cithara hymnum dicamus. In choro laus resonet Domino, in chordis, et organo. *Psalmus*. CL.

Lectio libri Samuelis (*Primi Reg. cap.* XXVIII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Samuel mortuus est, planxitque eum omnis Israel, et sepelierunt eum in Ramatha urbe sua. Et Saul abstulit magos, et hariolos de terra, et interfecit eos, qui pythones habebant in C ventre. Congregatique sunt Philisthiim, et venerunt, et castrametati sunt in Sunam: congregavit autem et Saul universum Israel, et venit in Gelboe. Et vidit Saul castra Philisthiim, et timuit, et expavit cor ejus nimis. Consuluitque Dominum, et non respondit ei, neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas. Dixitque Saul servis suis: Quærite mulierum habentem phythonem, et vadam deam, et sciscitabor per illam. Et dixerunt servi ejus ad eum: Est mulier habens pythonem, in Endor. Mutavit ergo habitum suum: vestitusque est aliis vestimentis, et abiit ipse, et duo viri cum eo. **298** veneruntque ad mulierem nocte: et ait illi: Divina mihi in pythone, et suscita mihi, quem dixero tibi. Et ait mulier ad eum: Ecce, tu nosti quanta fecerit Saul, et quomo- D do eraserit magos et hariolos de terra: quare ergo insidiaveris animæ meæ, ut occidar? Et juravit ei Saul in Domino, dicens: Vivit Dominus, quia non eveniet tibi quicquam mali propter rem hanc. Dixit mulier: Quem suscitabo tibi? Qui ait: Samuelem mihi suscita. Cum autem vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magna, et dixit ad Saul: Quare imposuisti mihi? Tu es enim Saul. Dixitque ei rex: Noli timere: quid vidisti? Et ait mulier ad Saul: Deos vidi ascendentes de terra. Dixitque ei: Qualis est forma ejus? Quæ ait: Vir senex ascendit, et ipse amictus est pallio. Et intellexit autem Saul, quod Samuel esset, et inclinavit se super faciem suam in terra, et adoravit. Dixit autem Samuel ad Saul: Qua-

re inquietasti me ut suscitarer? Et ait Saul: Coarctor nimis: siquidem Philisthiim pugnant adversum me, et Deus recessit a me, et exaudire me noluit, neque in manu prophetarum, neque per somnia: vocavi ergo te, ut ostenderes mihi quid faciam. Et ait Samuel: Quid interrogas me, cum Dominus recesserit a te, et transiret ad æmulum tuum? Faciet enim Dominus tibi sicut locutus est in manu mea, et scindet regnum tuum de manu tua, et dabit illud proximo tuo David: quia non obedisti voci Domini, neque fecisti iram furoris ejus in Amalec: idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie. Et dabit Dominus etiam Israel tecum in manu Philistiim; cras autem tu et filii tui mecum eritis: sed et castra Israel tradet Dominus in manu Philisthiim. Statimque Saul cecidit porrectus in terram: extimuerat enim verba Samuelis, et robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa. Ingressa itaque mulier illa ad Saul (et conturbatus enim erat valde), dixitque ad eum: Ecce obedivit ancilla tua voci tuæ, et posui animam meam in manu tua: et audivi sermones tuos, quos locutus es ad me. Nunc igitur audi et tu vocem ancillæ tuæ, et ponam coram te buccellam panis, ut comedens convalescas, et possis iter facere. Qui renuit, et ait: Non comedam. Coegerunt autem eum servi sui et mulier, et tandem audita voce eorum resurrexit de terra, et sedit super lectum. Mulier autem illa habebat vitulum pascualem in domo, et festinavit, et occidit eum: tollensque farinam, miscuit eam, et coxit azyma, et posuit ante Saul et ante servos ejus. Qui cum comedissent, surrexerunt, et ambulaverunt per totam noctem illam. ℟. Amen.

Hymnus. Noctis tempus. *fol.* 257. *Capitula.* Libera nos Domine. *fol.* 260.

Lauda. Exclamavi in toto corde meo, exaudi me Domine. ℣. Clamavi ad te, salvum me fac, ut custodiam testimonia tua.

Oratio. Exclamamus ad te, Domine, ut nos exaudias et oculos humo acclives ad te admittas: ut tua nos inlustrante serenitate, semper maneamus in lumine Amen.

Ad Tertiam.

Lectio libri Proverbiorum Salomonis (*Cap.* xix).
℟. Deo gratias.

Fili, Cum obsecrationibus loquitur pauper: et dives effabitur rigidus. Vir amicabilis ad societatem, magis amicus erit, quam frater. Melior est pauper, qui ambulat in simplicitate sua, quam torquens labia insipiens. Ubi non est scientia animi, non est bonum et qui festinus est pedibus, offendet. Stultitia hominis supplantat gressus ejus: et contra Deum fervet animo suo. Divitiæ addunt amicos plurimos: a paupere autem et hi, quos habuit, separantur. Testis falsus non erit impunitus: et qui mendacia loquitur, non effugiet. Multi colunt personam potentis, et amici sunt dona tribuentis. Fratres hominis pauperis, oderunt eum: insuper et amici procul recesserunt ab eo. Qui tantum verba sectatur, nihil habebit: qui autem pessessor est mentis, diligit animam suam et custos prudentiæ inveniet bona. ℟. Amen.

Lectio libri Samuelis (*Primi Reg. cap.* xxix).
℟. Deo gratias.

In illis diebus: Congregata sunt Philisthiim universa agmina in Aphec: sed et Israel castrametatus est super fontem, qui erat in Jezrahel. Et satrapæ quidem Philisthiim incedebant in centuriis, et millibus: David autem, et viri ejus erant in novissimo agmine cum Achis. Dixeruntque principes Philisthiim ad Achis: Quid sibi volunt Hebræi isti? Et ait Achis ad principes Philisthiim: Num ignoratis David, qui fuit servus Saul regis Israel, et est apud me multis diebus, et annis, et non inveni in eo quicquam, ex die qua transfugit ad me, usque **299** ad diem hanc? Irati sunt autem adversus eum principes Philisthiim, et dixerunt ei: Revertatur vir, et sedeat in loco suo, in quo constituisti eum, et non descendat nobiscum in prælium, ne fiat nobis adversarius, cum præliari cœperimus: quomodo enim aliter placare poterit Dominum suum: nisi in capitibus nostris? Nonne iste est David, cui cantabant in choris dicentes: Percussit Saul in millibus suis, et David in decem millibus suis? Vocavit ergo Achis David, et dixit ei: Vivit Dominus, quia rectus es tu, et bonus in conspectu meo: et exitus tuus, et introitus tuus mecum est in castris: et non inveni in te quicquam mali, ex die qua venisti ad me, usque in diem hanc: sed satrapis non places. Revertere ergo, et vade in pace, et non offendas oculos satraparum Philisthiim. Dixitque David ad Achis: Quid enim feci? aut quid invenisti in me servo suo, a die qua fui in conspectu tuo, usque in diem hanc, ut non veniam, et pugnem contra inimicos domini mei regis? Respondens autem Achis, locutus est ad David: Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Domini: sed principes Philistinorum dixerunt: Non ascendat nobiscum in prælium. Igitur consurge mane tu, et servi domini tui, qui venerunt tecum: et cum de nocte surrexeritis, et cœperit illucescere, pergite. Surrexit itaque David de nocte, ipse et viri ejus, ut proficerentur mane, et reverterentur ad terram Philisthiim: Philistiim autem ascenderunt in Jezrahel. (*Cap.* xxx.) Cumque venissent David et viri ejus in Siceleg die tertia, Amalecitæ impetum fecerunt ex parte australi in Siceleg, et percusserunt Siceleg, et succenderunt eam igni. Et captivas duxerunt mulieres ex ea, a minimo usque ad magnum: et non interfecerunt qnemquam, sed secum duxerunt, et pergebant itinere suo. Cum ergo venisset David et viri ejus ad civitatem, et invenissent eam succensam igni, et uxores suas, et filios suos, et filias ductas esse captivas, levavit David et populus qui erat cum eo voces suas, et planxerunt donec deficerent in eis lachrymæ. Siquidem duæ uxores David captivæ ductæ fuerant, Achinoam Jezraelites, et Abigail uxor Nabal Carmeli. Et contristatus est David valde: volebat enim eum populus lapidare, quia amara erat anima uniuscujusque viri super filiis suis, et filiabus: confortatus est autem David in Domino Deo suo. Et ait ad Abiathar sacer-

dotem filium Achimelech : Applica ad me ephod, Et applicavit Abiathar ephod ad David, et consuluit David Dominum, dicens : Persequar latrunculos hos, et comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus: Persequere: absque dubio enim comprehendes eos, et excuties prædam. Abiit ergo David ipse, et sexcenti viri qui erant cum eo, et venerunt usque ad torrentem Besor : et lassi quidam subtiterunt. Persecutus est autem David ipse, et quadringenti viri cum eo : substiterant enim ducenti, qui lassi transire non potuerant torrentem Besor. Et invenerunt virum Ægyptium in agro, et adduxerunt eum ad David : dederuntque ei panem ut comederet, et biberet aquam, sed et fragmen massæ caricarum, et duas ligaturas uvæ passæ. Qui cum comedisset, reversus est spiritus ejus, et refocillatus est : non enim comederat panem, neque biberat aquam, tribus diebus et tribus noctibus. Dixitque ei David : Cujus es tu? vel unde? et quo pergis? Qui ait ei : Puer Ægyptius ego sum, servus viri Amalecitæ : dereliquit me autem Dominus meus, quia ægrotare cœpi nudius tertius. Siquidem nos erupimus ad australem plagam Cerethi, et contra Judam, et ad meridiem Caleb, et Siceleg, succendimus igni. Dixit ei David : Potes me ducere ad cuneum istum? Qui ait : Jura mihi per Deum, quod non occidas me, et non tradas me in manu Domini mei, et ducam te ad cuneum istum. Et juravit ei David. Qui cum duxisset eam, ecce illi discumbebant super faciem universæ terræ, comedentes et bibentes, et quasi festum celebrantes diem, pro cuncta præda, et spoliis quæ ceperant de terra Philisthiim, et terra Juda. Et percussit eos David vespere usque ad vesperam alterius diei, et non evasit ex eis quisquam, nisi tantum quadringenti viri adolescentes, qui ascenderant camelos, et fugierant. Eruit ergo David omnia quæ tulerant Amalecitæ, et duas uxores suas eruit. Nec defuit quisquam a parvo usque ad magnum, tam de filiis quam de filiabus, et spoliis, et quæcumque rapuerant, omnia reduxit David. Et tulit universos greges et armenta, et minavit ante faciem suam : dixeruntque : Hæc est præda David. Venit autem David ad ducentos viros, qui lassi substiterant, nec sequi potuerant David, et residere eos jusserat in torrentem Besor : qui egressi sunt **300** obviam David et populo qui erat cum eo. Accedens autem David ad populum, salutavit eos pacifice. Respondensque unus vir pessimus et iniquus, de viris qui erant cum David, dixit : Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quicquam de præda, quam eruimus: sed sufficiat unicuique uxor sua, et filii : quos cum acceperint, recedant. Dixit autem David : Non sic facietis fratres mei de his, quæ tradidit Dominus nobis, et custodivit nos, et dedit latrunculos, qui erumperant adversum nos, in manus nostras : nec audiet vos quisquam sub sermone hoc : æqua enim pars erit descendentis ad prælium, et remanentis ad sarcinas, et similiter divident. Et factum est hoc ex die illa, et deinceps constitutum et præfini-

A tum, et quasi lex in Israel usque ad diem hanc.

Antiphona 1. Inveniatur manus tua, Domine, omnibus inimicis tuis : dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt. Pones eos ut clibanum ignis; in tempore vultus tui. ℣. Domine in virtute tua lætabitur rex : et super salutare tuum vehementer exultabit.

Oratio. Inveniatur manus tua, Domine, omnibus inimicis tuis in vindictam; qui nolunt Cruci tuæ sua subdere colla : inveniatur quoque et in eis, qui te oderunt, dextera tua parcens; cum eos dexteræ tuæ feceris esse participes : ut in tempore vultus tui, cum manifesta nobis fuerit facies tua, non ponantur ut clibanum ignis; sed transferantur nobiscum coronandi in cœlestibus regnis. ℟. Amen.

B *Antiphona* 2. Eripe, Deus, a framea animam meam : et de manu canis unicam meam. Libera me de ore leonis : et a cornibus unicornium humilitatem meam. ℣. Narrabo nomen tuum fratribus meis : in medio Ecclesiæ laudabo te.

Oratio. Eripe animam nostram a framea potentissimi inimici, Christe Fili Dei : ut noster sis liberator de ore leonis, qui animam tuam potenter eduxisti ab inferis. ℟. Amen.

Antiphona 3. Inclina Domine aurem tuam ad me : accelera, ut eripias me. ℣. Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum : ut salvum me facias.

℟. Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam, et sicut catulus leonis habitans in occultis. P. Exurge
C Domine, præveni eos, et subverte illos : eripe animam meam ab eis. ℣: Custodi me Domine, ut pupillam oculi. Sub umbra alarum tuarum protege me : Quia omnes inimici mei circumdederunt me. P. Exurge Domine.

Preces. Acclives te oramus, Christe, parce nobis, *P*. Et miserere. ℣. Qui in forma servi apparens mundum salvare venisti, reforma quod perierat tuæ Crucis potentia, *P*. Et miserere. ℣. Qui mortem vincis moriens, et flagellaris innocens, nos ab æterno erue suppliciorum dolore, *P*. Et miserere. ℣. Qui confitenti Latroni das requiem paradisi, nobis da indulgentiam per Crucis tuæ gloriam, *P*. Et miserere. ℣. Tu pro nobis vocem accipe hujus Latronis, Do-
D mine; memento nostri Domine, et parce, cum veneris, ut judices, *P*. Et miserere.

Hymnus. O Nazarene lux. *fol*. 144.

Capitula. Bellantium mucrones, quæsumus Domine, victricis semper potestatis tuæ virtute retunde; et contra sortem tuam meditantes insaniam, veritatis tuæ corrige disciplina : Quique adversus Christum tuum blasphemias declamant, ad prædicationem veræ fidei sua corda convertant : ut et vincula peccatorum, quibus vincti detinentur, miseratione disrumpas; et cunctos justificatos digiti tui calamo in libro vitæ conscribas.

Pater noster.

Ad Sextam.

Lectio libri Amos Prophetæ (*Cap.* IX).

Deo gratias.

Vidi Dominum stantem super altare: et dixit: Percute cardinem, et commoveantur superliminaria: avaritia enim in capita hominum, et novissimum eorum in gladio interficiam: non erit fuga eis. Et qui fugerit ex eis, non salvabitur. Si descenderint usque in infernum, inde manus mea educet eos: et si ascenderint usque ad cœlos, inde detraham eos. Et si absconditi fuerint in verticem Carmeli, inde scrutans auferam eos: et si celaverint se ab oculis meis in profundum maris, ibi mandabo serpenti, et mordebit eos. Et si abierunt in captivitate coram inimicis suis, ibi mandabo gladium, et occidet eos: et ponam oculos meos super eos in malum, et non in bonum. Et Dominus qui tangit terram, et tabescit: lugebunt omnes inhabitantes in ea: et ascendet sicut annis, et defluet sicut rivus Ægypti. Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, et fasciculum suum
301 super terram fundavit: qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen est illi. ℟. Amen.

Antiphona 1. Non veniat mihi Domine pes superbiæ: et manus impiorum non moveant me. ℣. Dixit injustus ut delinquat sibi: non est timor Dei ante oculos ejus.

Oratio. Non veniat nobis pes superbiæ, neque manus peccatoris moveat nos; ut qui passionem tuam veneranter accipimus; animam nostram non ad pœnam, sed ad vitam facias pervenire perpetuam ℟. Amen.

Antiphona 2. Lætus erit justus, cum viderit vindictam impiorum: manus suas lavabit in sanguine peccatorum. ℣ Si vere utique justitiam loquimini: recte judicate filii hominum.

Oratio. Sperantes in te Domine non contristemur: ut nec animam nostram conturbes, nec a tuo grege separes: sed sperantes in te, tibi confiteamur, et tibi corde puro psallamus. ℟. Amen.

Antiphona 3. Deus meus, adjutor meus, sperabo in eum: Protector meus, et cornu salutis meæ, et Redemptor meus. ℣. Liberator meus de inimicis meis iracundis: Et ab insurgentibus in me exaltabis me: a viro iniquo eripies me.

℟. Domine, judica nocentes me, et expugna impugnantes me. Apprehende arma, et scutum: et exurge, Deus meus, in adjutorium mihi. ℟. Exurge, Domine, et intende judicio meo; Deus meus, et Dominus meus auxiliare, et respice. P. In adjutorio.

Preces. Subveniat nobis Domine misericordia tua P. Velociter. ℣. Sanguinis tui hostia nos a criminibus libera P. Velociter. ℣. Crucem perpessus Domine, a cruciatu nos libera P. Velociter. ℣. Crucis tuæ præsidio nos libera a supplicio P. Velociter. ℣. Cum veneris judex omnium redemptorum, esto refugium P. Velociter.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol.* 144.

A *Oratio.* Gloriose, potens, ac misericors Deus, erue nos ab insidiis inimici; et, ne anima nostra a rugientis leonis raptu rapido rapiatur, protectio dexteræ tuæ in nostri custodiam deputetur: ne dum non est qui redimat, ille sævus occidat: aut, si non est qui salvum faciat, ille subvertat. Sed tu Leo de tribu Juda in ira tua exurge; et in severitate judicii insidiosi hostis catervas interime: nosque in præcepto, quod mandasti, credere et permanere concede.

Pater noster.

Ad Nonam.

Ecclesiastici Salomonis (*Cap.* XXII).

℟. Deo gratias.

Fili, supra mortuum plora, deficit enim lux ejus: et supra fatuum plora, deficit enim sensus. Modicum
B plora super mortuum, quoniam requievit. Nequissimi enim nequissima vita supra mortem fatui. Luctus mortui septem dies: fatui autem et impii, omnes dies vitæ illorum. Cum stulto ne multum loquaris, et cum insensato ne abieris. Serva te ab illo, ut non molestiam habeas, et non coinquinaberis in peccato illius. Deflecte ab illo, et inveniens requiem, et non accidiaberis in stultitiam illius. Super plumbum quid gravabitur? et quod illi aliud nomen quam fatuus? Arenam, et salem, et massam ferri facilius est portare, quam hominem imprudentem, et fatuum, et impium. Sicut loramentum ligneum conligatum in fundamentum ædificii non dissolvitur: sic et cor confirmatum in cogitatione consilii. Domine pater, et Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu
C impiorum. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, et omne desiderium pravum aufer a me. Domine da ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum. ℟. Amen.

Lectio libri Samuelis Primi (*Reg. cap.* XXXI).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Philisthiim pugnabant adversus Israel: et fugierunt viri Israel ante faciem Philisthiim, et ceciderunt interfecti in montes Gelboe. Irrueruntque Philisthiim in Saul, et filios ejus, et percusserunt Jonatham, et Abinadab, et Melchisue, filios Saul, totumque pondus prælii versum est in Saul: et consecuti sunt eum viri sagittarii, et vulneratus est vehementer a sagittariis. Dixitque Saul ad armigerum suum: Evagina gladium tuum, et percute me: ne forte veniant incircumcisi isti, et
D interficiant me, inludentes mihi. Et noluit armiger ejus: fuerat enim nimio timore perterritus. Arripuit itaque Saul gladium, et inruit super eum. Quod cum vidisset armiger ejus, videlicet quod mortuus esset Saul, inruit etiam ipse super gladium suum, et mortuus est cum eo. Mortuus est ergo Saul, et tres filii ejus, et armiger illius, et universi viri ejus **302** in die illa pariter. Videntes autem viri Israel, qui erant trans vallem, et trans Jordanem, quod fugissent viri Israelitæ, et quod mortuus esset Saul, et filii ejus, reliquerunt civitates suas, et fugierunt: veneruntque Philisthiim, et habitaverunt ibi. Facta autem die al-

tera, venerunt Philisthiim, ut expoliarent interfectos, et invenerunt Saul et filios ejus jacentes in montem Gelboe. Et præciderunt caput Saul, et expoliaverunt eum armis: et miserunt in terram Philisthinorum per circuitum, ut annuntiaretur in templis idolorum, et in populis. Et posuerunt arma ejus in templo Astaroth, corpus vero ejus suspenderunt in muros Bethsam. Quod cum audissent habitatores Jabes Galaad, quæcumque fecerant Philisthiim Saul, surrexerunt omnes viri fortissimi, et ambulaverunt tota nocte, et tulerunt cadaver Saul, et cadavera filiorum ejus de muro Bethsan: veneruntque viri Jabes Galaad, et combusserunt ea igni. Et tulerunt ossa eorum, et sepelierunt in nemore Jabes, et jejunaverunt septem diebus. (*Cap.* I.) Factum est autem, postquam mortuus est Saul, ut David reverteretur a cæde Amalec, et maneret in Siceleg dies duos. In die autem tertia, apparuit homo veniens de castris Saul, veste conscissa, et pulvere aspersus caput: et ut venit ad David, cecidit super faciem suam, et adoravit. Dixitque ad eum David: Unde venis? Qui ait ad eum: De castris Israel fugi. Et dixi ad eum David: Quod est verbum quod factum est? indica mihi. Qui ait: Fugit populus e prælio, et multi corruentes e populo mortui sunt: sed et Saul, et Jonathas filius ejus interierunt. Dixitque David ad adolescentem, qui nuntiabat ei: Unde scis quia mortuus est Saul, et Jonathas filius ejus? Ait adolescens, qui narrabat ei: Casu veni in montes Gelboe, et Saul incumbebat super hastam suam: porro currus et equites appropinquabant, et conversus post tergum suum, vidensque me vocavit. Cui cum respondissem, Adsum: dixi mihi: Quisnam es tu? Et aio ad eum: Amalecites sum. Et locutus est mihi: Sta super me, et interfice me: quoniam tenent me angustiæ, et adhuc tota anima in me est. Stansque super eum, occidi illum: sciebam enim quod vivere non poterat post ruinam: et tuli diadema quod erat in capite ejus, et armillam de brachio ejus, et attuli ad te Dominum meum huc. Apprehendens autem David vestimenta sua, scidit, omnesque viri qui erant cum eo, et planxerunt, et fleverunt et jejunaverunt usque ad vesperam super Saul, et super Jonatham filium ejus, et super populum Domini, et super domum Israel, eo quod corruissent gladio. Dixitque David ad juvenem qui nuntiaverat ei: Unde es tu? Qui respondit: Filius hominis advenæ Amalecitæ ego sum. Et ait ad eum David: Quare non timuisti mittere manum tuam ut occideres christum Domini? Vocansque David unum de pueris suis, ait: Accedens irrue in eum. Qui percussit illum, et mortuus est. Et ait David ad eum: Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est adversum te, dicens: Ego interfeci christum Domini. Planxit autem David planctum hujuscemodi super Saul, et super Jonathan filium ejus (et præcepit ut docerent filios Juda arcum, sicut scriptum est in libro Justorum). Et ait: Considera Israel, pro his qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati. Inclyti tui, Israel, super

A montes tuos interfecti sunt: quomodo ceciderunt fortes? Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in conspectu Ascalonis: ne forte lætentur filiæ Philisthiim, et ne exultent filiæ incircumcisorum. Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniant super vos, neque sint agri primitiarum: quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo. A sanguine interfectorum, ab adipe fortium, sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum, et gladius Saul non est reversus inanis. Saul et Jonathas amabiles, et decori valde in vita sua, in morte quoque non sunt divisi: aquilis velociores, leonibus fortiores. Filii Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui nostro. Quomodo ceciderunt fortes in B prælio? Jonathas in excelsis tuis occisus es? Doleo super te frater mi Jonatha decore nimis, et amabilis super amorem mulieris. Sicut mater unicum amat filium, ita et ego te diligebam. Quomodo ceciderunt robusti, et perierunt arma bellica? (*Cap.* II.) Igitur post hæc consuluit David Dominum, dicens: Num ascendam in unam de civitatibus Juda? Et ait Dominus ad eum: Ascende. Dixitque David: Quo ascendam? Et respondit ei: In Hebron. Ascendit ergo David, et duæ uxores ejus, Achinoam, Jezraelites, et Abigail uxor Nabab Carmeli: sed et viros qui erant cum eo, duxit **303** David singulos cum domo sua: et manserunt in oppidis Hebron. Veneruntque viri Juda, et unxerunt ibi David, ut regnaret super domum Juda. Et nuntiatum est David, quod viri Jabes Galaad C sepelissent Saul. Misit ergo David nuntios ad viros Jabes Galaad, dixitque ad eos: Benedicti vos a Domino, qui fecistis misericordiam cum Domino vestro Saul, ut sepeliretis eum. Et nunc retribuet quidem vobis Dominus misericordiam et veritatem: et ego reddam gratiam, eo quod feceritis verbum istud. Confortentur manus vestræ, estote filii fortitudinis: licet enim mortuus sit Dominus vester Saul, tamen me unxit domus Juda in regem sibi. ℟. Amen.

Antiphona 1. Dic animæ meæ, Domine: Salus tua ego sum. Confundantur et revereantur omnes qui quærunt animam meam: ut auferant eam. ℣. Judica Domine nocentes me: et expugna impugnantes me.

Oratio. Dic animæ nostræ Domine: Salus tua ego D sum: Inimici quoque tui, qui adversus te convenerunt, erubescant: et qui cogitant adversus fidem tuam, per pœnitentiam corrigantur: Quid ergo innocens perpessus es inimicorum irrisiones et vulnera; nostra in his ablue propitiatus peccata. ℟. Amen.

Antiphona 2. Ad defensionem meam respice. Eripe a framea Deus animam meam: et de manu canis unicam meam. Salva me, Domine, de ore leonis. ℣. Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.

Oratio. Ad defensionem familiæ tuæ attende Domine: et jam eripe animam ejus a framea persequentis, et de manu canis: qui solus animam tuam ponere dignatus es pro omnibus nobis. ℟. Amen.

Antiphona 3. Obprobrium insipientium dedisti me. Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti : amove a me flagella tua. ℣. Dixi : Custodiam vias meas : et non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, dum consistit peccator adversum me.

Hymnus. O Nazarene. *fol.* 144.

Oratio. Christe Dei Filius, qui obprobrium insipientium factus es, amove a nobis flagella tua ; et languoribus nostris porrige medicinam : ut a te respecti, non feramur præcipiti ira damnabiles ; sed exemplo tuæ passionis reddamur ad omnia mites.

Pater noster.

Ad Vesperam.

Lauda. Tu illuminas lucernam meam Domine. ℣. Auxilium meum a Domino, *Psalmus* CXX.

Antiphona. Ab omnibus persequentibus. ℣. Domine Deus meus in te speravi : salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et eripe me.

Hymnus. Verbum Patris. *fol.* 252.

Capitula. Gloriose, potens. *fol.* 264.

Lauda. Exclamavi in toto. *fol.* 293.

FERIA TERTIA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Voce mea ad. *Psalmus* III.

Et Oratio. Exaudi nos Domine, *fol.* 275.

Antiphona 1. Tanquam lugens, et contristatus humiliabar. Et adversum me lætati sunt, et convenerunt. Congregata sunt in me flagella, et ignoraverunt : ℣. Tentaverunt me, et deriserunt derisu : stridebant in me dentibus suis.

Oratio. Libera nos Domine de contristatione et de flagellis peccatorum nostrorum : ut non humiliemur ab inimicis Eecelsiæ tuæ : sed præsta nobis, ut tecum post transitum infinito jubilo jocundemur. ℟. Amen.

Antiphona. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, et ceciderunt. ℣. Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, a quo trepidabo.

Oratio. Qui tribulant nos, Domine, infirmentur et pereant; cognoscentes potentiam tuam retrorsum redeant : ut Ecclesia tua, quæ est in omnibus terræ finibus dilatata, magnificet nomen tuum; cum manifestata fuerit gloria tua. ℣. Amen.

Antiphona 3. Ab homine iniquo et doloso libera me, Domine. Quia tu es Deus meus, et fortitudo mea. ℣. Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta : ab homine iniquo et doloso libera me.

Oratio. Tu Deus noster libera nos ab omnibus iniquis et dolosis : ut plena sanitate habitante in carne nostra, ad coronam mereamur pertingere destinatam. ℟. Amen.

℟. Multi Domine gemitus mei, et cor meum mœrens. **304** Quoniam adduxisti diem consolationis tuæ super me. Audierunt inimici mei malum meum, *P.* Et congratulati sunt : vindemia eos, sicut vindemiasti me. Quia ingemisco, et non est qui me con-

A soletur. ℣. Omnes, qui glorificabant me, inspreverunt me : viderunt enim in ignominiam meam. *P.* Et congratulati.

Oratio. Deus, qui in exercitatione nostra contristari nos inspicis ; da nobis potentissimum auxilium in victoria sanctæ Crucis : ut qui exemplo tuo mundum decertamus evincere, cœlos mereamur et post transitum possidere. ℟. Amen.

Antiphona. Auditui meo dona gaudium et lætitiam, Domine : ut exultent ossa humiliata. *Psalmus* L.

Oratio. Clamamus ad te, Domine; miserere nobis : sana animas nostras ; quia peccavimus tibi : tuum est enim, nostri misereri, prorogare misericordiam : tuum est, animæ vulneribus impendere curam, et in patefactis sceleribus debitam non ex-
B serere vindictam, nec condignam imposterum rependere pœnam : da humilitatem, quam placatus inspicias, et accipe confessionem, ut peccata dimittas. ℟. Amen.

Antiphona. Factus sum in derisum tota die, et omnes subsannant me.

Canticum. Seduxisti me Domine. *fol.* 276.

Oratio. Fac nos, Domine Deus noster, ut nec in derisu inimicorum nostrorum, uec subsannatione adversantium nos fatigemur : sed tu, qui es defensio nostra, a contradictione improborum nos libera, ℟. Amen.

Antiphona. Auditam fac mihi mane misericordiam tuam : quoniam in te speravi Domine. *P.* Demonstra mihi, viam, per quam ambulem : quia ad te
C Domine, levavi animam meam. ℣. In tympano, e choro laudate Dominum : in chordis et organo laudate eum.

Lectio libri Samuelis (*II Regum* II).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Abner filius Ner, princeps exercitus Saul, tulit Isboseth filium Saul et circumduxit eum per castra, regemque constituit super Galaad et super Gessuri, et super Jezrael, et super Ephraim, et super Benjamin, et super Israel universum. Quadraginta annorum erat Isboseth filius Saul, cum regnare cœpisset super Israel, et duobus annis regnavit : sola autem domus Juda, sequebatur David. Et fuit numerus dierum, quos commoratus est David imperans in Hebron super domum Juda septem annorum, et sex mensium. Egressusque est Abner filius Ner, et pueri Isboseth
D filii Saul de castris juxta piscinam Gabaon. Porro Joab filius Sarviæ, et pueri David egressi sunt et occurrerunt eis juxta piscinam Gabaon. Et cum in unum convenissent, e regione sederunt : hi ex una parte piscinæ, et illi ex altera. Dixitque Abner ad Joab : Surgant pueri, et ludant coram nobis. Et respondit Joab : Surgant. Surrexerunt ergo, et transierunt numero duodecim de Benjamin, ex parte Isboseth filii Saul, et duodecim de pueris David. Apprehensoque unusquisque capite comparis sui, defixit gladium in latus contrarii, et ceciderunt simul : vocatumque est nomen loci illius : Ager robustorum, in Gabaon. Et ortum est bellum durum satis in die illa:

fatigatusque est Abner,et viri Israel a pueris David. Erant autem ibi tres filii Sarviæ, Joab, et Abisai, et Asael : porro Asael cursor velocissimus fuit, quasi unus de capreis quæ morantur in silvis. Persequebatur autem Asael Abner, et non declinavit ad dexteram, sive ad sinistram omittens persequi Abner. Respexit itaque Abner post tergum suum, et ait: Tu ne es Asael? Et ille respondit : Ego sum. Dixitque ei Abner : Vade ad dexteram, sive ad sinistram, et apprehende unum de adolescentibus, et tolle tibi spolia ejus. Noluit autem Asael omittere quin urgeret eum. Rursumque locutus est Abner ad Asael: Recede, noli me sequi, ne compellar confodere te cum terra, et levare non potero faciem meam ad Joab fratrem tuum. Qui audire contempsit, et noluit declinare : percussit ergo eum Abner aversa hasta in inguine, et transfodit, et mortuus est in eodem loco: omnes igitur qui transibant per locum, in quo ceciderat Asael, et mortuus fuerat, subsistebant. Persequentibus autem Joab, et Abisai fugientem Abner, sol occubuit : et venerunt usque ad collem aquæductus, qui est ex adverso vallis, et itineris deserti in Gabaon. Congregatique sunt filii Benjamin ad Abner: et conglobati in unum cuneum steterunt in summitate tumuli unius. Et clamavit Abner ad Joab, et ait: Num usque ad internecionem **305** tuus mucro desæveit? an ignoras quod periculosa sit desperatio? usquequo non dicis populo ut omittat persequi fratres suos? et ait Joab : Vivit Dominus, si locutus fuisses, mane recessisset populus persequens fratrem suum. Insonuit ergo Joab buccina, et stetit omnis exercitus, nec persecuti sunt ultra Israel, neque iniere certamen, Abner autem et viri ejus abierunt per campestria, tota nocte illa : et transierunt Jordanem, et lustrata omni Beth horon venerunt ad castra. Porro Joab reversus est, omisso Abner, congregavitque omnem populum : et defuerunt de pueris David decem et novem viri, excepto Asaele. Servi autem David percusserunt de Benjamin, et de viris qui erant cum Abner, trecentos sexaginta, qui mortui sunt. Tulerunt Asael, et sepelierunt in sepulchro patris sui in Bethlehem. ℟. Amen.

Hymnus. Noctis tempus. *fol.* 257.

Capitula, Ad defensionem nostram, Domine, respice ; et, ne doctrinæ pateamus lethali, tuo nos tutamine rege : simulque de ore leonis, rapere nos cupientis, libera : et ab oblatrantis perfidia canis solita nos protege cura.

Pater noster.

Lauda. Vide humilitatem meam, et eripe me, Domine : quia legem tuam non sum oblitus.℣. Judica causam meam, et redime me : propter eloquium tuum vivifica me.

Oratio. Vide humilitatem nostram, Domine : et eripe nos: te enim respiciente, etsi dejicimur, sublevamur : quo sustentante, ne corruamus, excipimur ℟. Amen.

Ad Tertiam.

Jesu filii Sirach (*Ecclesiastici cap.* VIII).

A Fili, non judices contra judicem : quoniam secundum quod justum est judicat. Cum audace ne eas in via, ne forte gravet mala sua in te : ipse enim secundum suam voluntatem vadit, et simul cum stultitia illius peribis. Cum iracundo non facias rixam, et cum audace non eas in deserto : quoniam tanquam nihil est ante illum sanguis, et ubi non est adjutorium, elidet te. Cum fatuis ne consilium habeas. non enim poterunt diligere, nisi quæ ipsis placent. Coram extraneo ne facias consilium : nescis enim quid pariat. Non omni homini cor tuum manifestes : ne forte inferat tibi gratiam, et convitietur tibi. Fili, si attenderis mihi, disces : et si accommodaveris animam tuam, sapiens eris. Et si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam : et si dilexeris audire,
B sapiens eris.

Lectio libri Samuelis (*II Regum cap.* III).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Cum esset prælium inter domum Saul et domum David, Abner filius Ner regebat domum Saul. Fuerat autem Sauli concubina nomine Respha, filia Achia, ingressusque est ad eam Abner. Dixitque Isboseth ad Abner : Quare ingressus es ad concubinam patris mei? Qui iratus nimis propter verba Isboseth, ait: Numquid caput canis ego sum adversum Judam hodie, qui fecerim misericordiam super domum Saul patris tui, et super fratres tuos et super proximos ejus, et non tradidi te in manus David, et tu requisisti me quod redargueres pro muliere hodie? Hæc faciat Deus Abner, et hæc addat ei, nisi
C quomodo juravit Dominus David, sic faciam cum eo, ut transferatur regnum de domo Saul, et elevetur thronus David super Israel, et super Judam, a Dan usque Bersabee. Et non potuit respondere ei quicquam, quia metuebat illum. Misit ergo Abner nuntios ad David in Hebron pro se dicentes: Cujus est terra? Et ut loquerentur : Fac mecum amicitias, et erit manus mea tecum, et reducam ad te universum Israel. Qui ait : Noli timere : Ego faciam tecum amicitias : sed unam rem peto a te, dicens : Non videbis faciem meam, antequam adduxeris mihi Michol filiam Saul : et sic venies, et videbis me. Misit autem David nuntios ad Isboseth filium Saul, dicens : Redde uxorem meam Michol, quam despondi mihi centum præputiis Philisthiim. Misit ergo Isboseth, et tulit eam a viro suo Phaltiel,
D filio Lais. Sequebatur eam vir suus, plorans usque Bahurim : et dixit ad eum Abner : Vade, et revertere. Qui reversus est. Sermonem quoque intulit Abner ad seniores Israel, dicens : Tam heri quam nudiustertius quærebatis David ut regnaret super vos. Nunc ergo facite : quoniam Dominus locutus est ad David, dicens : In manu servi mei David salvabo populum meum Israel de manu Philisthiim, et omnium inimicorum ejus. Locutus est autem Abner etiam ad Benjamin. Et abiit ut loqueretur ad David in Hebron, omnia quæ placuerant Israeli et universo Benjamin. Venitque ad David in Hebron cum viginti viris : et fecit David Abner, et **306** viris ejus qui

viris : et fecit David Abner, et viris ejus qui A venerant cum eo, convivium. Et dixit Abner ad David: Surgam, ut congregem ad te Dominum meum regem omnem Israel, et ineam tecum fœdus, et imperes omnibus, sicut desiderat anima tua. Cum ergo deduxisset David Abner, et ille iret in pace, statim venerunt pueri David, et Joab cæsis latronibus, cum præda magna nimis : Abner autem non erat cum David in Hebron, quia jam dimiserat eum, et profectus fuerat in pace. Et Joab, et omnis exercitus qui erant cum eo postea venerunt : nuntiatum est itaque Joab a narrantibus : Venit Abner filius Ner ad regem, et dimisit eum, et abiit in pace. Et ingressus est Joab ad regem, et ait : Quid fecisti ? Ecce venit Abner ad te : quare dimisisti eum, et abiit et recessit ? Ignoras Abner filium Ner, quoniam ad B hoc venit, ut deciperet te, et sciret exitum tuum, et introitum tuum, et nosset omnia quæ agis ? Egressus itaque Joab David, misit nuntios post Abner, et reduxit eum ad cisternam Sira, ignorante David. Cumque rediiset Abner in Hebron, seorsum adduxit eum Joab ad medium portæ, ut loquetur ei in dolo : et percussit illum ibi in inguine, et mortuus est in ultionem sanguinis Asael fratris ejus. Quod cum audisset David rem jam gestam, ait : Mundus ego sum, et regnum meum, apud Deum. usque in sempiternum. ℣. Amen

Antiphona 1. Susurrabant adversum me omnes inimici mei : adversum me cogitabant mala mihi. Verbum iniquum mandaverunt adversum me. ℣. Etenim homo pacis meæ, in quo speravi: qui edebat C panes meos, ampliavit adversum me supplantationem.

Oratio. Christe Dei Fili, adversus quem et susurrantium inimicorum labia mota sunt. et contra quem verbum iniquum falsis fictionibus formaverunt ; tu nos ab omni tentationum genere, protectionis tuæ munimine tege: ut per te susurris non cædamus adversis ; qui semper vincis in nos potentia Deitatis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Ecce veteres posuisti dies meos, Domine : et substantia mea tanquam nihil ante te est. Opprobrium insipienti dedisti me. ℣. Dixi : Custodiam vias meas : ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, dum consistit peccator D adversum me.

Oratio. Ecce, Domine, veteres sunt positi dies nostri ; quia in vetere adhuc homine ambulamus, dum novitatem vitæ usquequaque non capiamus : operum ergo dignorum exhibitione nos amplia ; qui fidei tuæ nobis contulisti vexilla : ut non veteres simus in actibus pravitatis, qui tuæ non credimus innovatos gloria passionis. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Dum consistit peccator adversum me, obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis ; et dolor meus contra me est semper. ℣. Concaluit cor meum contra me : et in meditatione mea exardescet ignis. Locutus sum in lingua mea. ℟. Domine, qui consoletur me non est. Inimicus in ossibus meis manum suam extendit, P: Ut tribulet me. Vide ergo Domine afflictionem meam. ℣. Audite, obsecro, omnes, et videte dolorem meum : qui erectus est inimicus, et convertit manum suam, P. Ut tribulet me.

Preces. Dicamus omnes : Misericors Domine, *P.* Miserere. ℣. Qui salvare mundum veniens, in carne nostra pœnam subis indebitam, *P.* Miserere. ℣. Hujus morte terra tremuit, mundus expavit infernus omnis exorruit. *P.* Miserere. ℣. Cujus caput exaltatum in cruce, et effuso triumphavit sanguine. *P.* Miserere. ℣. Tu nos cruci tuæ applica ; ut in cruce coronandos glorifices, P. Miserere.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol.* 144.

Oratio. Educ, Domine, animam nostram ab inferis ; et a descendentibus in lacum nos erue : et, qui virtute tua inenarrabili Mundum redempturus, descendens a supernis, inferni confregistis recessus : ne peccato duce, illuc deducamur, custodi propitius : et præsta, ut cum his, qui ad vitam æternam præscripti sunt, tibi modulo pietatis psallamus: atque in delectationibus tuis consortium beatitudinis mereamur.

Pater noster.

Ad Sextam.

Lectio libri Hieremiæ Prophetæ (*Cap.* II)

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus. Audite verbum Domini domus Jacob, et omnes cognationes domus Israel : hæc dicit Dominus : Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt ? Et non dixerunt : Ubi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti : qui traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem **307** et inviam, per terram sitis, et imaginem mortis, et per terram, in qua non ambulavit vir, neque habitavit homo ? Et induxi vos per terram Carmeli, ut comederetis fructum ejus, et bona illius : et ingressi contaminastis terram meam, et hereditatem meam posuistis in abominationem. Sacerdotes non dixerunt : Ubi est Dominus ? et tenentes legem nescierunt me, et pastores prævaricati sunt in me : et prophetæ prophetaverunt in Baal, et idola secuti sunt. Propterea adhoc judicio contendam vobiscum, ait Dominus, et cum filiis vestris disceptado. Transite ad insulas Cethim, et videte : et in Cedar mittite, et considerate vehementer : et videte si factum est hujuscemodi. Si mutavit gens deos suos, et certe ipsi non sunt dii : populus vero meus mutavit gloria suam in idolum. Obstupescite cœli super hoc, et portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Numquid servus est Israel, aut vernaculus ? quare ergo factus est in præ-

dam ? Super eum rugierunt leones, et dederunt vocem suam, posuerunt terram ejus in solitudinem civitates ejus exustæ sunt, et non est qui habet in eis. Filii quoque Mempheos et Taphnes constupraverunt te usque ad verticem. Numquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat te per viam ? Et nunc qui tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam ? et quid tibi cum via Assiriorum, ut bibas aquam fluminis ? Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te. Scito, et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem ejus apud te, dicit Dominus Deus exercituum. A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti : Non serviam. In omni enim colle sublimi, et sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix. Ego autem plantavi te vineam electam, omne semen verum. ℟. Amen.

Antiphona 1. Non erubescant in me qui te expectant, Domine virtutum. Non revereantur super me, qui te requierunt, Deus Israel. ℣. Quoniam propter te sustinui opprobrium : operuit confusione faciem meam.

Oratio. Non erubescant in nobis Domine Deus virtutum, qui te expectant de humanis actibus judicium esse facturum : ut Crucis tuæ potentia et placitos nos tibi operarios salutis exhibeat, et cœlestis militiæ curiam de nostris actibus contristari non sinat. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Miserere mihi Domine quoniam conculcavit me homo : tota die bellans tribulavit me. ℣. Conculcaverunt me inimici mei tota die : ab altitudine diei.

Oratio. Miserere nostri Domine : et ne conculcari nos ab inimico homine patiaris, qui redemisti nos pretio Crucis : ut infecto adversario nostro tu solus pro nobis obsistas, qui perstrepentis mundi devincis procellas. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Prævaricatione prævaricata est in me domus Juda, dicit Dominus. Negaverunt me, et dixerunt : Non est ipse. ℣. Effundam in conspectu ejus orationem meam. tribulationem meam ante ipsum, pronuntiabo.

℟. Vindica causam meam Domine, defensor meus : tu nosti. P. Cogitationes eorum adversum me : defende, et judica. ℣. Sine iniquitate cucurri, et direxi. Exurge in occursum mihi, et vide. P. Cogitationes.

Preces. Misericors Domine, exaudi supplices. P. Et miserere. ℣. Qui Crucis mysterio salvasti sæculum : qui sputa in facem, et proba sustines, P. Et. ℣. Qui lancea latera confossus es valide, P. Et. ℣. Qui sepulchro cluderis, et post triduum surgis, P. Et miserere.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol.* 144.

Oratio. Salva Domine de necessitatibus animas famulorum tuorum : et in tua justitia sperantes ne concludas in manibus adversantis : sed respice humilitatem nostram, et in loco nos munito salvifica, qui moriens devicisti inferna : ut confusis consiliis persequentium, sine pavore in civitate sanctissima tua, feliciori proventu cœlestem gloriam consequamur.

Pater noster.

Ad Nonam

Jesu filii Sirach (*Ecclesiastici cap.* x).

Omnis potentatur brevis vita. Languor prolixior gravat medicum. Brevem languorem præciditmedicus : sic et rex hodie est, et eras morietur. Cum enim morietur homo, hereditabit serpentes, et bestias, et vermes. Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo : quoniam ab eo, qui fecit illum, **308** recessit cor ejus : quoniam initium omnis peccati est superbia : qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, et subvertet eum in finem. Propterea exhonoravit Dominus conventus malorum, et destruxit eos usque in finem. Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis. Radices gentium superbarum arefecit Deus, et plantavit humiles ex ipsis gentibus. Terras gentium evertit Dominus, et perdidit eas usque in fundamentum: arefecit Deus ex ipsis, et disperdidit eos, et cessare fecit memoriam eorum a terra. Memoriam superborum perdidit Deus, et reliquit memoriam humilium sensu. ℟. Amen.

Lectio libri Samuelis (*II Regum cap.* III).

℟. Deo gratias.

In illis diebus, dixit David : Mundus ego sum, et regnum meum, apud Deum, usque in sempiternum, a sanguine Abner filii Ner : et veniat super caput Joab, et super omnem domum patris ejus : nec deficiat de domo Joab fluxum seminis sustinens, et leprosus, et tenens fusum, et cadens gladio, et indigens pane. Igitur Joab et Abisai frater ejus interfecerunt Abner, eo quod occidisset Asael fratrem eorum in Gabaon, in prælio. Dixit autem David ad Joab, et ad omnem populum, qui erat cum eo : Scindite vestamenta vestra, et accingimini saccis, et plangite ante exequias Abner : porro rex David sequebatur feretrum. Cumque sepelissent Abner in Hebron, levavit rex David vocem suam, et flevit super tumulum Abner: flevit autem et omnis populus. Plangensque rex et lugens Abner, ait : Nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus est Abner. Manus tuæ ligatæ non sunt, et pedes tui non sunt compedibus aggravati : sed sicut solent cadere coram filiis iniquitatis, sic corruisti. Congeminansque omnis populus flevit super eum. Cumque venisset universa multitudo cibum capere cum David, clara adhuc die juravit David, dicens : Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, si ante occasum solis gustavero panem vel aliud quicquam. Omnisque populus audivit, et placuerunt eis cuncta quæ fecit rex in conspectu omnis populi. Et cognovit omne vulgus et universus Israel in die illa, quoniam non actum fuisset a rege, ut occideretur Abner filius Ner. Dixit quoque rex

ad servos suos : Num ignoratis quoniam princeps maximus cecidit hodie in Israel? Ego autem adhuc delicatus, et unctus rex : porro viri isti filii Sarviæ duri sunt mihi : retribuat Dominus facienti malum juxta malitiam suam. (*Cap.* IV.) Audivit autem Isboseth filius Saul, quod cecidisset Abner in Hebron : et dissolutæ sunt manus ejus, omnisque Israel perturbatus est. Duo autem viri principes latronum erant filio Saul, nomen uni Baana, et nomen alteri Rechab, filii Remmon Berothitæ de filiis Benjamin : siquidem et Beroth reputata est in Benjamin : et fugerunt Berothitæ in Gethaim, fueruntque ibi advenæ usque ad tempus illud. Erat autem Jonathæ filio Saul filius debilis pedibus : quinquennis enim fuit, quando venit nuncius de Saul et Jonatha ex Jezrael : tollens itaque cum nutrix sua, fugit: cumque festinaret ut fugeret, cecidit et claudus effectus est : habuitque vocabulum Miphiboseth. Venientes igitur filii Remmon Berothitæ, Rechab et Baana, ingressi sunt fervente die domum Isboseth : qui dormiebat super stratum suum meridie. Et ostiaria domus purgans triticum obdormivit. Ingressi sunt autem domum latenter assumentes spicas tritici, et percusserunt eum in inguine Rechab et Baana frater ejus, et fugerunt. Cum autem ingressi fuissent domum, ille dormiebat super lactum suum in conclavi, et percutientes interfecerunt eum: sublatoque capite ejus, abierunt per viam deserti tota nocte, et attulerunt caput Isboseth ad David in Hebron : dixeruntque ad regem : Ecce caput Isboseth filii Saul inimici tui, qui quærebat animam tuam : et dedit Dominus domino meo regi ultionem hodie de Saul, et de semine ejus. Respondens autem David Rechab, et Baana fratri ejus, filiis Remmon Berothitæ, dixit ad eos : Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia, quoniam eum, qui annunciaverat mihi, et dixerat : Mortuus est Saul : qui putabat se prospera nunciare, tenui, et occidi eum in Siceleg, cui oportebat mercedem me dare pro nuncio. Quanto magis nunc, cum homines impii interfecerunt virum innoxium in domo sua, super lectum suum, non quæram sanguinem ejus de manu vestra, et auferam vos de terra ? Præcepit itaque David pueris suis, et interfecerunt eos : præcidentesque manus et pedes eorum, suspenderunt eos super piscinam in Hebron : caput autem Isboseth tulerunt, et sepelierunt in sepulchro Abner in Hebron. (*Cap.* V.) Et venerunt universæ tribus Israel ad David in Hebron, dicentes : **309** Ecce nos, os tuum, et caro tua sumus. Sed et heri et nudiustertius, cum esset Saul rex super nos, tu eras educens et reducens Israel : dixit autem Dominus ad te : Tu pasces populum meum Israel, et tu eris dux super Israel. Venerunt quoque et seniores Israel ad regem in Hebron, et percussit cum eis rex David fœdus in Hebron coram Domino : unxeruntque David in Regem super Israel. Filius triginta annorum erat David, in cum regnare cœ pisset, et quadraginta annis regnavit. In Hebron rogavit super Judam septem annis et sex mensibus: in Hierusalem

A autem regnavit triginta tribus annis super omnem Israel et Judam. Et abiit rex, et omnes viri qui erant cum eo, in Hierusalem, ad Jebusæsum habitatorem terræ : dictumque est David ab eis : Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos et claudos dicentes : Non ingredietur David huc. Cepit autem David arcem Sion, hæc est civitas David. Proposuerat enim David in die illa præmium, qui percussisset Jebusæum, et tetigisset domatum fistulas, et abstulisset cæcos et claudos odientes animam David : idcirco dicitur in proverbio : Cæcus et claudus non intrabunt in templum. ℟. Amen.

Antiphona 1. Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi ? Eripiens in opem de manu fortioris ejus, et egenum et pauperem a diripientibus eum. ℣.
B Esurgentes testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me.

Oratio. Domine Deus virtus salutis nostræ, obumbra caput nostrum in diebus belli : ne insidiis quatiamur inimici ; nec latentia sub invidorum labiis hauriamus venena : et quia tu facis judicium inopis, et vindictam pauperis ; contemptum nostræ abjectionis, bonitatis tuæ compensa divitiis. ℟. Amen.

Antiphona 2. Dicam Deo meo : Susceptor meus, quare mei oblitus es ? Qnare tristis es, anima mea et quare me conturbas ? ℣. Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum : ita desiderat anima mea ad te Deus.

Oratio. Christe susceptor noster non obliviscaris nostri ; neque in in tristitia vertas animas nostras: et
C qui conturbant nos, convertantur : et quærant nomen sanctum tuum : ut cum in utrosque fueris glorificatus, demus gloriam nomini sancto tuo. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Eripe me de inimicis meis, Deus meus : et ad insurgentibus in me libera me, Domine. ℣. Eripe me de operantibus inquitatem : et de viris sanguinum libera me.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol.* 144.

Oratio. Eripe nos Domine de inimicis nostris : et qui tuam pro nobis dignatus es ponere animam : nos ab insurgentibus in nos libera usquequaque.

Pater noster.

Ad Vesperum.

D *Lauda.* Illuminatio mea et salus mea Dominus.

Antiphona. Præoccupemus faciem Dei in confessione, et in psalmis jubilemus ei. *Psalmus* XCIV.

Lauda. Ab omni via mala prohibe pedes meos, Domine. ℣. Quomodo dilexi legem tuam, Domine ? tota die meditatio mea est.

Hymnus. Verbum Patris. *fol* 252.

Lauda. Vide humilitatem meam.

QUARTA FERIA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Multi insurgerunt in me. Multi dicunt animæ meæ : Non est salus ipsi in Deo ejus. Tu autem Domine susceptor meus es. *Psalmus* III.

Oratio. Multiplicati sunt, Domine, qui tribulant

nos : sed tu multus es in misericordia qui eruas nos : A
in nullo enim formidabimus ab imminenti pressura, si tantum tua muniamur, Omnipotens, gratia. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 1. Domine Deus meus in te speravi : salva me : libera me ab omnibus persequentibus me. Ne quando rapiat ut leo animam meam. ℣. Exurge Domine, non prevaleat homo : judicentur gentes in conspectu tuo.

Oratio. Domine contra multiplicationem tribulantium nos fortis propugnator occurre ; et adversus multitudinem insurgentium in nos pius defensor assiste; sitque benedictio tua super populum tuum : ut qui salutem animæ nostræ in te esse denegant, te Salvatorem nostrum ipsi sibi sua expugnatione B
cognoscant. ℟. Amen.

Antiphona. 2 Deus meus, pone inimicos meos ut rotam : et sicut stipulam ante faciem venti. Ut sciant quoniam nomen tibi Dominus. ℣. Ita persequeris eos in tempestate : et in ira tua conturbabis eos.

310 *Oratio*. Domine Deus sperantem in te tuam Ecclesiam a persequentibus omnibus salva ; et de manu persequentium potentialiter libera : ac ne quando rapiat ut leo animam ejus, tuis semper inroretur virtutibus: ut cujus primum passionis completa est sanguine, ejus invicta liberetur a malis omnibus potestate. ℟. Amen.

Antiphona 3. Deus, quis similis tibi ? ne taceas : neque compescaris Deus: quoniam ecce inimici tui C
sonuerunt : et odientes te levaverunt caput. ℣. Imple facies eorum ignominia: et quærent nomen tuum, Domine.

Oratio. Redemptor noster et Domine pone inimicos tuos ut rotam, quibus mysterium Crucis tuæ est stultitia : ut illi sicut stipula ante faciem venti sint dispersi ; et credentibus in te vel credituris donetur locus æternæ mansionis. ℟. Amen.

℟. Tradiderunt me in manus impiorum, et inter iniquos projecerunt; et non pepercerunt animæ meæ. Confortati sunt adversum me fortes, et quasi gigantes steterunt super me. Fletum deduxerunt oculi mei : palpebram meam operuit umbra mortis, dum iniquitas in manibus meis non esset. Oratio mea munda est ante te Domine. ℣. Aperuerunt super D
me inimici ora sua, et exprobrantes percusserunt maxillam meam. *P*. Et non pepercerunt.

Oratio. Ne tradideris, Domine, in persequentium manum animas tibi confitentium populorum : ut qui falsorum testium pertulisti mendacium, colentium te glorificeris vocibus redemptorum ℟. Amen.

In Laudibus.

Antiphona. Redde mihi lætitiam salutaris tui, Domine : et spiritu principali confirma me. *Psalmus* L.

Oratio. Averte faciem tuam. *fol*. 161.

Ad Canticum. Antiphona. In carne mea videbo Deum meum, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius.

Canticum Job (*Cap*. XIX).

Ecce clamo vim patiens, et nemo audit : * vociferor, et non est qui judicet.

Semitam meam cicumsepsit, et transire non possum, * et in calle meo tenebras posuit.

Spoliavit me gloria mea, * et abstulit coronam de capite meo.

Dextruxit me undique, et pereo * et quasi evulsæ arbori abstulit spem meam.

Iratus est contra me furor ejus , * et sic me habuit quasi hostem suum.

Simul venerunt latrones ejus, et fecerunt sibi viam per me, * et obsederunt in gyro tabernaculum meum.

Fratres meos longe fecit a me, * et noti mei quasi alieni recesserunt a me.

Dereliquerunt me propinqui mei : * et qui me noverant, obliti sunt mei.

Inquilini domus meæ, et ancillæ meæ, sicut alienum habuerunt me, * et quasi peregrinus fui in oculis eorum.

Servum meum vocavi, et non respondit ; * ore proprio deprecabar illum.

Halitum meum exhorruit uxor mea, * et orabam filios uteri mei.

Stulti quoque despiciebant me, * et cum ab eis recessissem, detrahebant mihi.

Abominati sunt me quondam consiliarii mei : * et quem maxime diligebam, adversatus est me.

Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, * et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.

Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei ? quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo, * et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice ?

Scio enim quod Redemptor meus vivit, * et in novissimo die de terra surrecturus sum :

Et rursus circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Dominum. Quem visurus sum ege ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius : * reposita est hæc spes mea in sinu meo, et hereditas mea in Deo meo.

Oratio. Credimus Domine, in carne ista, qua tegimur, te videre ; et oculis nostris te conspicere in gloria, qua judicaturus es sæculum : Fac ergo nos oculos interiores habere apertos : ut cognoscamus te in gloria sempiterna. ℟. Amen.

Matutinarium. Ad te de luce vigilo, Deus : sitivit in te anima mea. ℣. Sic in sancto apparuit tibi, ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam.

Lauda. Laudate nomen Domini, montes et omnes colles : ligna fructifera et omnes cedri.

Lectio libri Samuelis (*II Regum cap*. XI).

℟. Deo gratias.

Eo tempore quo solent reges ad bella procedere, misit David Joab, et servos suos cum eo et universum Israel, vastaverunt **311** filios Ammon, et

obsederunt Rabba : David autem remansit in Hierusalem. A Dum hæc agerentur, accidit quadam die, ut surgeret David de strato suo post meridiem, et ambularet in solario domus regiæ : viditque mulierem se lavantem, ex adverso super solarium suum : erat autem mulier pulchra valde. Misit ergo rex, et requisivit quæ esset mulier. Nunciatum est ei, quod Ipsa esset Bethsabee filia Heliam, uxor Uriæ Hethæi. Misit itaque David nuncios, et tulit eam : quæ cum ingressa esset ad illum, dormivit cum ea : statimque sanctificata est ab immunditia sua : et reversa est domum suam concepto fœtu. Mittensque nunciavit David, et ait : Concepi. Misit autem David ad Joab, dicens : Mitte ad me Uriam Hethæum. Misitque Joab Uriam ad David. Et venit Urias ad David. Quæsivitque David quam recte ageret Joab, et populus, et quomodo administraretur bellum : B et dixit David ad Uriam : Vade in domum tuam, et lava pedes tuos. Et egressus est Urias de domo regis, secujusque est eum cibus regis. Dormivit autem Urias ante portam domus regiæ cum aliis servis domini sui, et non descendit ad domum suam. Nunciatumque est David a dicentibus : Non ivit Urias in domum suam. Et ait David ad Uriam : Numquid non de via venisti ? quare non descendisti ad domum tuam ? Et ait Urias ad David : Arca Dei et Israel et Juda habitant in papilionibus, et dominus meus Joab, et servi domini mei super faciem terræ manent: et ego ingrediar domum meam, ut comedam et bibam, et dormiam cum uxore mea ? per salutem tuam, et per salutem animæ tuæ, quod non faciam rem hanc. Ait ergo David ad Uriam : Mane etiam hic hodie, et cras C dimittam te. Mansit autem Urias in Hierusalem die illa et altera : et vocavit eum David ut comederet coram se et biberet, et inebriavit eum : qui egressus vespere dormivit in strato suo cum servis domini sui, et in domum suam non descendit. Factum est ergo mane, et scripsit David epistolam ad Joab : misitque per manum Uriæ, scribens in epistola : Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum prælium est : et derelinquite eum, ut percussus intereat. Igitur cum Joab obsideret urbem, posuit Uriam in loco in quo sciebat viros esse fortissimos. Egressique viri de civitate, bellabant adversum Joab, et ceciderunt de populo servorum David, et mortuus est etiam Urias Hethæus. Misit itaque Joab, et nunciavit David omnia verba prælii : præcepitque nuncio, dicens : D Cum compleveris universos sermones belli ad regem, si eum videris indignari, et dixerit : Quare accessistis ad murum, ut præliaremini ? an ignorabatis quod multa desuper ex muro tela mittantur ? Quis percussit Abimelech filium Jeroboal ? nonne mulier misit super eum fragmen molæ de muro, et interfecit eum in Thebes ? quare juxta murum accessistis ? dices : Etiam servus tuus Urias Hethæus occubuit. Abiit ergo nuncius, et venit, et narravit David omnia quæ præceperat ei Joab. Et dixit nuncius ad David : prævaluarunt adversum nos viri, et egressi sunt ad nos in agro : nos autem facto impetu persequuti eos sumus usque ad portam civitatis. Et direxerunt jacula sagittarii ad servos tuos ex muro desuper : mortuique sunt de servis regis, quin etiam servus tuus Urias Hethæus mortuus est. Et dixit David ad nuncium : Hæc dices Joab : Non te frangat ista res : varius est enim eventus prælii ; et nunc hunc, et nunc illum consumpsit gladius : conforta bellatores tuos adversus urbem, ut destruas eam, et exhortare eos. Audivit autem uxor Uriæ, quod mortuus esset Urias vir suus, et planxit eum. Transacto igitur luctu, misit David, et introduxit eam in domum, et facta est ei uxor peperitque ei filium : et displicuit verbum hoc, quod fecerat David coram Domino. ℟. Amen.

Hymnus. Noctis tempus. *fol.* 257.

Oratio. Domine, qui olim in corpore nostro pati dignatus es ; quando ad nos respicies ? et ad solitudinem atque implorationem nostram quando propitius convertes obtutum ? non moreris, nec tardes ; jam intende ; jam convertere ; jam respice : ut, oratio nostra, quæ nunc in sinum nostrum pro secretorum suorum compunctione convertitur ; ante conspectum tuum purgato cordis sui gemitu dirigatur.

Pater noster.

Lauda. Vide humilitatem meam, et eripe, Domine.
℣. Judica causam animæ meæ, et redime me : propter eloquium tuum vivifica me.

Oratio. Vide humilitatem nostram, Domine ; et eripe nos : te enim respiciente, etsi dejicimur, sublevamur : quo sustentante, ne corruamus, excipimur. ℟. Amen.

312 *Ad Tertiam.*

Ecclesiastici Salomonis (*Cap.* v).

℟. Deo gratias.

Fili, non sequaris concupiscentiam cordis : et ne dixeris : Quomodo potui ? aut quis me subjiciet propter facta mea ? Deus enim vindicans vindicabit. Ne dixeris : Peccavi, et quid accidit mihi triste ? Altissimus enim est patiens redditor. De propiciato peccato noli esse sine metu, neque abjicias peccatum super peccatum. Et ne dicas : Misericordia Dei magna est, multitudinis peccatorum meorum miseretur. Misericordia enim et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius. Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem : subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te. Noli anxius esse in divitiis injustis : nihil enim proderunt tibi in die obductionis et vindictæ. Non ventiles te in omnem ventum, et non eas omni via : sic enim peccator probatur duplici lingua. Esto firmus in via Dei, et in veritate sensus tui et scientia, et prosequatur te verbum pacis, et justitiæ. ℟. Amen.

Lectio libri Samuelis (*II Regum, cap.* XII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Misit Dominus Nathan ad David : qui, cum venisset ad eum, dixit ei : Duo viri erant in civitate una, unus dives, et alter pauper. Dives habebat oves, et boves plurimos valde. Pauper autem nihil habebat omnino, præter ovem unam parvulam, quam emerat et nutrierat, et creverat apud

eum cum filiis ejus simul, de pane illius comedens, A et de calice ejus bibens, et in sinu illius dormiens : eratque illi sicut filia. Cum autem peregrinus quidam venisset ad divitem, parcens ille sumere de ovibus et de bobus suis, ut exhiberet convivium peregrino illi qui venerat ad se, tulit ovem viri pauperis, et præparavit cibos homini qui venerat [ad se. Iratus autem indignatione David adversus hominem illum nimis, dixit ad Nathan : Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc. Ovem reddet in quadruplum, eo quod fecerit verbum istud, et non pepercit. Dixit autem Nathan ad David : Tu es ille vir. Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ego unxi te in regem super Israel, et erui te de manu Saul, et dedi tibi domum domini tui, et uxores domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israel et Juda : et si parva B sunt ista, adjiciam tibi multo majora. Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Uriam Hethæum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem, et interfecisti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quod despexeris me, et tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut esset uxor tua. Itaque hæc dicit Dominus : Ecce, suscitabo super te malum de domo tua, et tollam uxores tuas in oculis tuis, et dabo proximo tuo, et dormiet cum uxoribus tuis in oculis plebis hujus. Tu enim fecisti abscondite : ego vero faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, in conspectu solis. Et dixit David ad Nathan : Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque transtulit peccatum tuum; C non morieris. Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur. Et reversus est Nathan in domum suam. Percussitque Dominus parvulum, quem pepererat uxor Uriæ David, et desperatus est. Deprecatusque est David Dominum pro parvulo : et jejunabat David jejunio, et ingressus seorsum, jacebat super terram. Venerunt autem seniores domus ejus, cogentes eum, ut surgeret de terra : qui noluit, neque comedit cum eis cibum. Accidit autem, ut die septima moreretur infans : timueruntque servi David nunciare ei quod mortuus esset parvulus : dixerunt enim : Ecce, cum parvulus adhuc viveret, loquebamur ad eum, et non audiebat vocem nostram : quanto magis, si dixerimus, mortuus est D puer, se affliget? Cum ergo vidisset David servos suos musitantes, intellexit quod mortuus esset infantulus : dixitque ad servos suos : Numquid mortuus est puer ? Qui responderunt ei : Mortuus est. Surrexit igitur David : et locutus unctusque est : cumque mutasset vestem, ingressus est domum Domini : et adoravit et venit in domum suam, petivitque ut ponerent ei panem, et comedit. Dixerunt autem ei servi sui : Quis est sermo, quem fecisti ? propter infantem, cum adhuc viveret, jejunasti et flebas : mortuo autem puero, surrexisti, et comedisti panem. Qui ait : Propter infantem, cum adhuc viveret jejunavi et flevi : dicebam enim : Quis scit, si forte donet et eum mihi Dominus, et vivat infans? Nunc autem quia mortuus est, quare jejunem ? Numquid potero revocare eum amplius? ego vadam magis **313** ad eum : ille vero non revertetur ad me. Et consolatus est David Bethsabee uxorem suam, ingressusque ad eam, dormivit cum ea : quæ genuit filium, et vocavit nomen ejus Salomon, et Dominus dilexit illum. Misitque in manu Nathan prophetæ, et vocavit nomen ejus, Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus. ℟. Amen.

Antiphona 1. Exurgentes in me testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me, reddentes mihi mala pro bonis. In simulatione verborum fictorum fremebant in me dentibus suis. ℣. Judica, Domine, nocentes me, et expugna impugnantes me.

Oratio. Surgentes in te Domine testes iniqui, quæ ignorabas, interrogabant : quid enim ignorabas, qui eorum, qui te oderant, doles ante perspexeras ? et futurorum præscius omnia præsciebas ? qui ergo interrogantium blasphemias alto pietatis mysterio te ignorasse designas : scire nos veraciter, et amplectere facito ; et redemptionis nostræ mysteria plena fide cognoscere ; et ea ipsa interrogantibus inimicis cognita declarare. ℟. Amen.

Antiphona 2. Peccatores iniquitatem in excelso locuti sunt. Posuerunt in cœlo os suum : et lingua eorum transivit super terram. Domine, in civitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges. ℣. Quia exacerbavit cor meum, et renes mei resoluti sunt : et ego ad nihilum reductus sum, et nescivi.

Oratio. In excelso Domine contra te peccatores locuti sunt ; cum latentem cordis sui superbiam altis vocibus clamaverunt : Qui ergo contra te in cœlum sua nituntur ponere ora, redeant in terra conlisuri per pœnitentiam : ut nobiscum te Dei Filium humiles agnoscentes, non superba sapiant ; sed tuis semper monitis adquiescant. ℟. Amen.

Antiphona 3. Peccatori, dicit Dominus Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam : et projecisti sermones meos post te. ℣. Si videbas furem, currebas cum eo : et cum adulteris portionem tuam ponebas.

℟. Ecce inimicus meus circumdedit me lanceis suis, et non pepercit mihi : effudit in terra viscera mea, et inruit in me quasi gigas ; facies autem mea *P*. Intumuit a fletu. Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, dum haberem mundas apud Dominum preces. ℣. Complevit inimicus furorem suum in me, et comminans mihi infremuit contra me. *P*. Intumuit a fletu.

Preces. Christe redemptor pius animarum, exaudi gemitus flentium, *P*. Et miserere. ℣. Qui caput tuum arundine cæsum in cruce vis esse porrectum, ut Mundus per hoc salvaretur, *P*. Et miserere. ℣. Qui sputa, probra, spinarum coronam, lanceam, et sepulturam sustinuisti nostri causa, *P*. Jam miserere. ℣. Qui cruce tua Mundum redemisti ; quique triumphator inferni victor factus es supplicii, *P*. Jam miserere, ℣. Jam morte tua redemptis inspira, ut te

sequamur in hac vita, teque fruamur in gloria, P. Jam miserere.

Hymnus. O Nazarene. *fol*. 144.

Capitula. Ad defendendam hereditatem tuam tui sanguinis pretio emptam, Domine Jesu Christe, apprehende arma victricia: et exsurgens in adjutorium nostrum, fidei nos munera scuto, ut mentem nostram non queant inimici jacula penetrare; sed ipsum inimicum tu Rex noster framea divina concide: Et, quia tu es animæ nostræ salus; id nobis, petimus, tribuas munus, ut mentis vigilantia te sequamur; et onere peccati deposito, ad promissorum tuorum bona perveniamus.

Pater noster.

Ad Sextam.

Lectio libri Amos Prophetæ (*Cap*. II).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Juda, et super quatuor non convertam eum: eo quod abjecerit legem Domini, et mandata ejus non custodierit: deceperunt enim eos idola sua, post quæ abierant patres eorum. Et mittam ignem in Juda, et devorabit ædes Hierusalem. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Israel, et super quatuor non convertam eum: pro eo quod vendiderit pro argento justum, et pauperem pro calciamentis. Qui conterunt super pulverem terræ capita pauperum, et viam humilium declinant: et filius ac pater ejus ierunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum. Et super vestimentis pignoratis accubuerunt juxta omne altare: et vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui. Ego autem exterminavi Amorrhæum a facie eorum: **314** cujus altitudo, cedrorum altitudo ejus, et fortis ipse quasi quercus: et contrivi fructum ejus desuper, et radices ejus subter. ℟. Amen.

Antiphona 1. Circumdederunt me inimici mei, sicut apes favum; et exarserunt in me, sicut ignis in spinis: et in nomine Domini superavi eos. ℣. Dominus mihi adjutor est: non timebo, quid mihi faciat homo.

Oratio. Circumdantes animam tuam, Christe Domine, inimici super te acriter, ut apes super favum, inruerunt; cum tempore passionis super te exarserunt, ut ignis in spinis: Et ideo quæsumus, ad precem Ecclesiæ tuæ jam respice: et cruentum sævientis hostis de manu gladium tolle: ut mucrone tuo decisum sentiat; cum per eos, quos tenuerit, fidei tuæ cognoverit prædicari doctrinam. ℟. Amen.

Antiphona 2. Intende animæ meæ, Domine, et libera eam: propter inimicos meos eripe me, Domine. ℣. Tu enim scis opprobrium meum, et confusionem meam, et verecundiam meam. In conspectu tuo omnes tribulantes me.

Oratio. Christe Deus, ingeniti Patris unigenite Fili, intende animæ meæ: et libera eam propter inimicos tuos, qui Ecclesiæ tuæ adversantur: ut quia tu es redemptio nostra, expectatum te in munere, capiamus in gloria sempiterna. ℟. Amen.

Antiphona 3. Eripe me de inimicis meis, Deus

A meus: et ab insurgentibus in me libera me Domine. ℣. Eripe me de operantibus iniquitatem: et de viris sanguinem libera me.

℟. Nunc venit in me dolor meus, P. Et ad nihilum reducti sunt artus mei: rugæ meæ testimonium dicunt contra me; libera me, Domine. ℣. Defecerunt præ lachrymis oculi mei: conturbata sunt viscera mea. P. Et ad nihilum.

Preces. Ad te, Redemptor omnium, rex summe, oculos nostros sublevamus fluentes: exaudi, Christe, supplicantium preces, P. Et miserere. ℣. Dextra Patris, lapis angularis, via salutis, janua cœlestis ablue nostri maculas delicti, P. Et miserere. ℣. Rogamus, Deus, tuam majestatem: auribus sacris gemitus exaudi: crimina nostra placidus indulge,

B P. Et. ℣. Tibi fatemur crimina admissa, contrito corde pandimus occulta: tua, Redemptor, pietas ignoscat, P. Et miserere. ℣. Innocens captus, nec repugnans ductus: testibus falsis pro impiis damnatus: Quos redemisti tu, conserva, Christe. P. Et miserere.

Hymnus. O Nazarene. *fol*. 144.

Capitula. Dic animæ nostræ Domine, Salus tua ego sum: Ne deseras nostra intima, dum se iniquitas prodiderit violenta: sed nocentes nos, tu judica; tuaque pietate nos impugnantes expugna.

Pater noster.

Ad Vesperum. *Lauda*. Vespere, et mane, et meridie te laudamus, Domine.

Antiphona. Judica Domine nocentes me, et ex-

C pugna impugnantes me. *Psalmus* XXXIV.

Lauda. Respice inimicos meos, Domine: quoniam multiplicati sunt, et odio pessimo abominantur me, Domine. ℣. Deus laudem meam ne tacueris: quoniam os peccatoris et dolosi super me apertum est.

Hymnus. Verbum Patris. *fol*. 252.

Capitula. Sit festum jejunium. *fol*. 149.

Lauda. Vide humilitatem meam. *fol*. 293.

FERIA QUINTA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Tu autem, Domine. *Psalmus* III. *Oratio*. Quamvis. *fol*. 141.

Antiphona 1. Quis consurget mihi adversus mali-

D gnantes? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem? Nisi Dominus adjuvisset me: paulo minus habitaverat in inferno anima mea. ℣. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

Oratio. Da nobis, Domine, possibilitatis optabilem facultatem: quo valeamus et adversus malignantes consurgere, et malignantium sermonibus contraire: ac sicut contra te operantibus iniquitatem parata est fovea; ita credentibus nobis præparetur in cœlestibus regnis mansio gloriosa. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Zelus domus tuæ comedit me: et opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me.

℣. Et humiliavi in jejunio animam meam : et facta A est mihi in opprobrium.

Oratio. Jesu Deus noster qui facto de resticulis flagello, vendentes et ementes ex tuo eximis templo ; da nobis, in Ecclesia tua nec quæstu posse rerum temporalium capi ; nec intra eam sordidis moribus conversari : **315** sed ita zelus domus tuæ nos comedat ; ut placita tibi fratribus de nobis præbeas exempla. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. A timore inimici libera animam meam ; et protege me, Domine, a conventu malignantium. ℟. Exaudi Deus orationem meam cum tribulor : a timore inimici libera animam meam.

Oratio. A timore inimici Domine libera animam meam et a conventu malignantium eripe eam : B ut, quæ vulnere passionis tuæ educta est de lacu miseriæ ; in te credens perducatur ad libertatem æternæ gloriæ. ℟. Amen.

Per.

℟. Factus sum omni populo meo in derisum, et in opprobrium : repletus sum amaritudine, et inebriatus absynthio. Effusa sunt viscera mea : et dixi : Perii. Vide, Domine, et judica causam animæ meæ. P. Defensor vitæ meæ. ℟. Disperde inimicos meos, qui tribulant animam meam. P. Defensor.

Oratio. Recordare Jesu absynthii et fellis, quibus pro impiis amaro poculo propinatus es : et ideo amaritudo tua, quæsumus, dulcedo nostra perpetua : ut in quo tu pro nobis amaricatus es volens, in eo nos et hic et in æternum gratulemur felices. ℟. C Amen.

Per.

In Laudibus.

Antiphona. Auditui meo dona gaudium et lætitiam, Domine : ut exultent ossa humiliata. Averte faciem tuam a peccatis meis : et omnes iniquitates meas tu dele. *Psalmus* L.

Oratio. Hunc psalmum. *fol.* 173.

Antiphona. Quanta vovi, reddam tibi salvatori meo Domino.

Canticum Jonæ (*Cap.* II).

Clamavi ad Dominum Deum meum in tribulatione mea : * et exaudivit de ventre inferni clamorem meum.

Vocem meam exaudisti : * projecisti me in altitudine cordis maris, et flumina me circumdederunt :

Omnia excelsa tua, et fluctus tui super me transierunt. * Et ego dixi : Expulsus sum ab oculis tuis : forsitan non adjiciam, ut respiciam ad templum sanctum tuum.

Perfusa est mihi aqua usque ad animam : * abyssus circumdedit me,

Pelagus cooperuit caput meum. * Novissime demersit caput meum in fixuras montium :

Descendit in terra, cujus seræ sunt continentes æternæ : * et ascendat de corruptione vita mea ad te Dominum Deum meum.

In eo, dum deficeret anima mea, Domine Dei mei commemoratus sum :

Et veniet oratio mea * ad templum sanctum tuum.

Custodientes vana et falsa, * misericordiam tuam dereliquerunt.

Ego autem in voce laudis et confessionis sacrificabo tibi : * reddam, quod vovi sacrificium salvatori meo Domino.

Oratio. Salvator noster et Domine, fac nos votum tibi ex corde puro vovere : ut infatigabili cursu tua servantes præcepta, patienter adversa cuncta toleremus præsentia. ℟. Amen.

Per.

Matutinarium. Psallam, et intelligam in matutinis, quoniam venies ad me. ℟. Misericordiam, et judicium cantabo tibi Domine.

Lauda. In sanctis ejus laudate Dominum : in psalterio et cithara laudate eum. *Psalm.* CL.

Lectio libri Samuelis (*II Regum cap.* XV).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Fecit sibi Absalom currus, et equites, et quinquaginta viros, qui præcederent eum. Et mane consurgens Absalom, stabat juxta introitum portæ in via, et omnem virum, qui habebat negotium ut veniret ad regis judicium, vocabat Absalom ad se, et dicebat : De qua civitate es tu ? Qui respondens aiebat : Et una tribu Israel ego sum servus tuus. Respondebatque ei Absalom : Videntur mihi sermones tui boni et justi. Sed non est qui te audiat constitutus a rege : dicebatque Absalom : Quis me constituat judicem super terram, ut ad me veniat omnes, qui habent negotium, et juste judicem ? Sed et cum accederet ad eum homo ut salutaret illum, extendebat manum suam, et apprehendens, osculabatur eum. Faciebatque omni Israel venienti ad judicium, ut audiretur a rege, et solicitabat corda virorum Israel. Post quadraginta autem annos, dixit Absalom ad regem David : Vadam, et reddam vota mea quæ vovi Domino in Hebron. Vovens enim vovit servus tuus, cum esset in Gessur Syriæ, dicens : Si reduxerit me Dominus in Hierusalem, sacrificabo Domino. Dixitque ei rex David : Vade in pace. Et surrexit, et abiit in Hebron. Misit autem Absalom exploratores in universas tribus Israel, dicens : Statim ut audieritis clangorem **316**
D buccinæ, dicite : Regnavit Absalom in Hebron. Porro cum Absalomi erunt ducenti viri de Hierusalem vocati, euntes simplici corde, et causam penitus ignorantes. Accersivit quoque Absalom Achitophel Gilonitem consiliarium David, de civitate sua Gilo. Cumque immolaret victimas, facta est conjuratio valida, populusque concurrens augebatur cum Absalom. Venit igitur nuncius ad David, dicens : Toto corde universus Israel sequitur Absalom. Et ait David servis suis, qui erant cum eo in Hierusalem : Surgite, fugiamus : neque enim erit nobis effugium a facie Absalom : festinate egredi, ne forte veniens occupet nos, et impellat super nos ruinam, et percutiat civitatem in ore gladii. Dixeruntque

servi regis ad eum : Omnia quæcumque præcepit Dominus noster rex, libenter exequimur servi tui. Egressus est ergo rex, et universa domus ejus, pedibus suis : et reliquit rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum. Egressus rex et omnis Israel pedibus suis, stetit procul a domo, et universi servi ejus ambulabant juxta eum, et legiones Cerethi, et Phelethi, et omnes Gethæi pugnatores validi, sexcenti viri, qui secuti eum fuerant de Geth pedites, præcedebant regem. Dixit autem rex ad Ethai Gethæum : Cur venis nobiscum ? revertere, et habita cum rege, quia peregrinus es, et egressus es de loco tuo. Heri venisti, et hodie compelleris nobiscum egredi ? ego autem vadam quo iturus sum : revertere, et reduc tecum fratres tuos, et Dominus faciet tecum misericordiam et veritatem, quia ostendisti gratiam et fidem. Et respondit Ethai regi, dicens : Vivit Dominus, et vivit dominus meus rex : quoniam in quocumque loco fueris domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus. Et ait David Ethai : Veni, et transi. Et transivit Ethai Gethæus, et rex, et omnes viri, qui cum eo erant, et reliqua multitudo. Omnesque flebant voce magna, et universus populus transibat : rex vero transgrediebatur torrentem Cedron, et cunctus populus incedebat contra viam olivæ, quæ respicit ad desertum. Venit autem Sadoc sacerdos, et universi Levitæ cum eo, portantes arcam fœderis Dei, et deposuerunt arcam Dei : et ascendit Abiathar, donec expletus esset omnis populus, qui egressus fuerat de civitate. Et dixit rex ad Sadoc : Reporta arcam Dei in urbem : si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, et ostendet mihi eam, et tabernaculum suum. Si autem dixerit mihi : Non places : præsto sum, faciat quod bonum est coram se. Et dixit rex ad Sadoc sacerdotem : O videns revertere in civitatem in pace : et Achimaas filius tuus, et Jonathas filius Abiathar, duo filii vestri, sint vobiscum. Ecce ego abscondar in compestribus deserti, donec veniat sermo a vobis indicans mihi. Reportaverunt ergo Sadoc et Abiathar arcam Dei in Hierusalem : et manserunt ibi. Porro David ascendebat clivum olivarum, scandens et flens, nudis pedibus incedens, et operto capite : sed et omnis populus, qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans. Nunciatum est autem David, quod Achitophel esset in conjuratione cum Absalom. Dixitque David : Infatua, quæso, Domine consilium Achitophel. Cumque ascenderet David summitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum, ecce occurrit ei Chusai Arachites, scissa veste, et terra pleno capite. Et dixit ei David : Si veneris mecum, eris mihi oneri, si autem in civitatem revertaris, et dixeris Absalom : Servus tuus sum, rex : patere me vivere : sicut fui servus patris tui, sic ero servus tuus : dissipabis consilium Achitophel. Habes autem tecum Sadoc et Abiathar sacerdotes : et omne verbum quodcumque audieris in domo regis, indicabis Sadoc et Abiathar sacerdotibus. Sunt enim cum eis duo fi- A lii eorum, Achimaas filius Sadoc, et Jonathas filius Abiathar : et mittetis per eos ad me omne verbum quod audieritis. Veniente ergo Chusi amico David in civitatem, Absalom quoque ingressus est Hierusalem, et Achitophel cum eo. (*Cap.* XVI). Cumque David transisset paululum montis verticem, apparuit Siba puer Miphiboseth in occursum ejus cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, et centum alligaturis uvæ passæ, et centum massis palatharum, et duobus utribus vini. Et dixit rex Sibæ : Quid sibi volunt hæc ? Responditque Siba : Domine mi rex : Asini, domesticis regis ut sedeant : et panes et palathæ, ad vescendum pueris tuis : vinum autem, ut bibat si quis defecerit in deserto. Et ait rex : Ubi est filius domini tui ? Responditque Siba regi : B Remansit in Hierusalem, dicens : Hodie restituet mihi domus Israel regnum patris mei. Et ait rex Sibæ : Tua sint omnia quæ fuerunt Miphiboseth. Dixitque Siba : Oro, ut **317** inveniam gratiam apud te, domine mi rex. Venit ergo rex David usque Bahurim : et ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera procedebatque egrediens, et maledicebat, mittebatque lapides contra David, et contra universos servos regis David : omnis autem populus, et universi bellatores, a dextro et a sinistro latere regis incedebant. Ita autem loquebatur Semei cum malediceret regi : Egredere, egredere vir sanguinum, et vir Belial. Reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul : quoniam invasisti regnum pro eo, et dedit Dominus C regnum in manu Absalom filii tui : et ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es. Dixit autem Abisai filius Serviæ regi : Quare maledicit canis hic moriturus domino meo regi ? vadam, et amputabo caput ejus. Et ait rex : Quid mihi et vobis est filii Sarviæ ? dimittite eum, ut maledicat : Dominus enim præcepit ei ut malediceret David : et quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit ? Et ait rex Abisai, et universis servis suis : Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quærit animam meam : quanto magis hic filius Jemini maledicet mihi ? dimittite eum, ut maledicat juxta præceptum Domini : si forte respiciat Dominus afflictionem meam : et reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna. Ambulabat itaque David et socii ejus per D viam cum eo. Semei autem, per jugum montis ex latere, contra illum gradiebatur, maledicens, et mittens lapides adversum eum, terramque spargens. Venit itaque rex David, et universus populus cum eo lassus, et refocillati sunt ibi. Absalom autem et omnis populus ejus ingressi sunt Hierusalem, sed et Achitophel cum eo. ℟. Amen.

Hymnus. Noctis tempus, *fol.* 257.

Capitula. Intende et exaudi nos Domine ; quos frendentis inimici adversitas conturbat ; et contritio persequentis exagitat : ut, dum cernis mentes in nos desævire rebelles, magnanimes nos efficias, et invicta virtute succingas.

Pater noster.

Lauda. Feci judicium et justitiam, Domine : ne tradas me persequentibus me. ℣. Excipe servum tuum in bono : ut non calumnientur me superbi.

Oratio. Judicium et justitiam doce nos facere Domine; qualiter valeamus superborum calumnias conculcare : excipe servos tuos in bono, quia sperant in salutare tuum : quorumque interiores oculi Christi tui expectant regnum, hos partem habere facito in consortio Electorum. ℟. Amen. Per.

Ad Tertiam.

Lectio libri Ecclesiastæ Salomonis (*Cap.* VII).

℟. Deo gratias.

Fili, sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis. Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet. Sed et cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum : ne forte audias servum maledicentem tibi : scit enim conscientia tua, quia et tu crebro maledixisti aliis. Calumnia conturbat sapientem, et perdet robur cordis illius. Melior est finis orationis, quam principium. Ne velox sis ad irascendum ; quia ira in sinu stulti requiescit. Ne dicas : Quid putas causæ est, quod priora tempora meliora fuere quam nunc sunt ? stulta est hujuscemodi interrogatio. Utilior est sapientia cum divitiis, et magis prodest videntibus solem. Sicut enim proteget sapientia, sic et pecunia. Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit. In die bona fruere bonis. ℟. Amen.

Lectio libri Samuelis (*II Regum cap.* XVI).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Cum venisset Chusi Arachites amicus David ad Absalom, locutus est ad eum : Salve rex. Ad quem Absalom, Hæc est, inquit, gratia tua ad amicum tuum ? quare non ivisti cum amico tuo ? Respondit itaque Chusi ad Absalom : Nequaquam ; quia illius ero, quem elegit Dominus, et omnis hic populus, et universus Israel, et cum eo manebo. Sed ut et hoc inferam, cui ego serviturus sum ? nonne filio regis ? sicut parui patri tuo, sic parebo et tibi. Dixit autem Absalom ad Achitophel : Inite consilium quod agere debeamus. Et ait Achitophel ad Absalom : Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum : ut cum audierit omnis Israel, quod fœdaveris patrem tuum, roborentur manus eorum tecum. Tetenderunt igitur Absalom tabernaculum in solario,
318 ingressusque est ad concubinas patris sui coram universo Israel. Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum sic erat consilium Achitophel, et cum esset cum David, et cum esset cum Absalom. (*Cap.* XVII). Dixit igitur Achitophel ad Absalom : Eligam mihi duodecim millia virorum, et consurgens persequar David hac nocte. Et inruens super eum (quippe qui lassus est, et resolutis manibus) percutiam eum : cumque fugerit omnis populus qui cum eo est, percutiam regem desolatum. Et reducam universum populum, quomodo unus reverti solet : unum enim
A virum tu quæris : et omnis populus erit in pace. Placuitque sermo ejus Absalom, et cunctis majoribus natu Israel. Ait autem Absalom : Vocate Chusi Arachiten, et audiamus quid etiam ipse dicat. Cumque venisset Chusi ad Absalom, ait Absalom ad eum : Hujusmodi sermonem locutus est Achitophel: facere debemus an non ? quod das consilium ? Et dixit Chusi ad Absalom. Non est bonum consilium quod dedit Achitophel hac vice. Et rursum intulit Chusi : Tu nosti patrem tuum, et viros qui cum eo sunt, esse fortissimos et amaro animo, veluti si ursa raptis catulis in saltu sæviat : sed et pater tuus vir bellator est, nec morabitur cum populo. Forsitan nunc latitat in foveis, aut in uno, quo voluerit loco : et cum ceciderit unus quilibet
B in principio, audiet quicumque audierit, et dicet : Facta est plaga in populo qui sequebantur Absalom. Et fortissimus quisque cujus cor est quasi leonis, pavore solvetur : scit enim omnis populus Israel fortem esse patrem tuum, et robustos omnes qui cum eo sunt. Sed hoc mihi videtur rectum esse consilium : Congregetur ad te universus populus Israel, a Dan usque ad Bersabee quasi arena maris innumerabilis ; et tu eris in medio eorum. Et inruemur super eum, in quocumque loco inventus fuerit : et operiemus eum, sicut cadere solet ros super terram : et non relinquemus de viris, qui cum eo sunt, ne unum quidem. Quod si urbem aliquam fuerit ingressus, circumdabit omnis Israel civitati illi funes, et trahemus eam in torrentem, ut
C non reperiatur ne calculus quidem ex ea. Dixitque Absalom, et omnes viri Israel : Melius est consilium Chusi Arachitæ consilio Achitophel : Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel utile, ut induceret Dominus super Absalom malum. Et ait Chusi Sadoc et Abiathar sacerdotibus : Hoc et hoc modo consilium dedit Achitophel Absalom, et senioribus Israel : et ego tale et tale dedi consilium. Nunc ergo mittite cito, et nunciate David, dicentes : Ne moreris nocte hac in campestribus deserti, sed absque dilatione transgredere : ne forte absorbeatur rex, et omnis populus qui cum eo est. Jonathas autem et Achimaas stabant juxta fontem Rogel : abiit ancilla et nunciavit eis : et illi profecti sunt, ut referrent ad regem David nuncium : non enim poterant videri, aut introire civitatem. Vidit autem eos
D quidam puer, et indicavit Absalom : illi vero concito gradu ingressi sunt domum cujusdam viri in Bahurim, qui habebat puteum in vestibulo suo, et descenderunt in eum. Tulit autem mulier, et expandit velamen super os putei, quasi siccans ptisanas et sic latuit res. Cumque venissent servi Absalom in domum, ad mulierem dixerunt : Ubi est Achimaas et Jonathas ? Et respondit eis mulier : Transierunt festinanter gustata paululum aqua. At hi qui quærebant, cum non reperissent, reversi sunt in Hierusalem. Cumque abiissent, ascenderunt illi de puteo, et pergentes nunciaverunt regi David, et dixerunt : Surgite, et transite cito fluvium ; quoniam

hujuscemodi dedit consilium contra vos Achitophel. Surrexit ergo David et omnis populus qui cum eo erat, et transierunt Jordanem, donec illucesceret antequam denudaretur verbum : et ne unus quidem residuus fuit, qui non transiret fluvium. Porro Achitophel videns quod non fuisset factum consilium suum, stravit asinum suum, surrexit, et abiit in domum suam, et in civitatem suam : et disposita domo sua, suspendio interiit, et sepultus est in sepulchro patris sui. ℟. Amen.

Antiphona 1. Inimici mei dixerunt mala mihi : Quando morietur, et periet nomen ejus ? Tu autem, Domine, miserere mei. ℣, Simul in unum adversum me cogitabant mala mihi. *Non dicatur* Gloria.

Oratio. Inimici tui, Domine, cupientes de terra perdere nomen tuum, mala de te locuti sunt, dicentes : Quando morietur? nomen videlicet volentes perdere Christianum : Sed tu Domine, cujus promissum fidele tenemus, quod permaneas nobiscum usque ad consummationem sæculi, **319** miserere nobis; et resuscita nos propter innocentiam fidei, qua in te credimus; ut non gaudeat de nobis insatiabilis inimicus. ℟. Amen,

Antiphona 2. Zelus domus tuæ, Domine, comedit me : et obprobria exprobrantium ceciderunt super me. Ego vero oratio mea ad te Domine. ℣. In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ.

Oratio. Christe Dei Filius, quem zelus domus Dei Ecclesiæ videlicet Patris tui, comedit; dum iniqua gerentes, de ea funiculo audacter expellis : ab omnium nos iniquitatum funiculo absolve ; atque in medio domus tuæ digne habitare concede: quo et ipsi domus tibimet spiritualis effecti, a te mereamur cœlitus laureari, ℟. Amen.

Antiphona 3. Emitte manum tuam, Domine de alto, eripe me, et libera me de manu filiorum alienorum. ℣. Quorum os locutum est vanitatem : et dextera eorum, dextera iniquitatis.

℟. Omnes amici mei obliti sunt me, et insidiantibus mihi tradidit me, quem diligebam : et terribilibus oculis, plaga crudeli percutiens, aceto potavit : jam, Deus, pone vulneri meo salutem, *P.* Et resuscita me. ℣. Qui edebat panes meos, ampliavit adversum me supplantationem : tu autem, Domine, miserere mei, *P.* Et resuscita me.

Preces. Verus Deus misericors, *P.* Supplicanti pupillo miserere. ℣. Qui mundum redimis effusione cruoris, et vulnere cædis, *P.* Supplicanti. ℣. Per crucis sanguinem et mortem vulnere sacro tuo Mundum salvasti, *P.* Supplicanti. ℣. Qui crucis gloria tartari dissolvis pœnam, credentes tu salva, *P.* Supplicanti. ℣. Crucis mysterium sit omnibus ad profectum, quos redemisti in Mundo, *P.* Supplicanti.

Hymnus. O Nazarene. *fol.* 144.

Capitula. Miserere nobis Deus, miserere nobis, et in te confidentes exaudi : adversantium arma confringe ; laqueos nobis destrue præparatos : ut circumdati claritate cœlesti, non incidamus in foveam mortis; sed parato corde tuam in populis exaltemus misericordiam veritatis; qui pro nobis sustinuisti obprobrium crucis.

Pater noster.

Ad Sextam.

Lectio libri Amos (*Cap.* v).

℟. Deo gratias.

Quærite Dominum, et vivite : ne forte comburatur ut ignis domus Joseph, et devorabit, et non erit qui extinguat Bethel. Qui convertitis in absynthium judicium, et justitiam in terra relinquitis. Facientem Arcturum et Orionem, et convertentem in mane tenebras, et diem in noctem mutantem : qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ : Dominus nomen est ejus. Qui subridet vastitatem super robustum, et depopulationem super potentem affert. Odio habuerunt corripientem in porta: et loquentem perfecte abominati sunt. Idcirco, pro eo quod diripiebatis pauperem, et prædam electam tollebatis ab eo : domos quadro lapide ædificabitis, et non habitabitis in eis : vineas plantabitis amantissimas, et non bibetis vinum earum. Quia cognovi multa scelera vetra, et fortia peccata vestra : hostes justi accipientes munus, et pauperes deprimentes in porta : ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est. Quærite bonum, et non malum, ut vivatis : et erit Dominus Deus exercituum. ℟. Amen.

Antiphona 1. Adversum me exercebantur qui sedebant in porta : et in me psallebant qni bibebant vinum. Ego vero orabam ad te, Domine. ℣. Inimici mei dixerunt mala mihi : Quando morietur, et peribit nomen ejus.

Oratio. Christe rex noster, qui dura pro impiis supportasti obprobria, dum adversus te vino malitiæ crapulata turba omnis infidelium exerceretur in porta: tu nos miseratione assidua et ab omnium peccatorum contagione emunda; et piæ actionis efficacia operando glorifica: quo in termino vitæ nostræ non confundamur, inimicis nostris loqui in porta; sed sanctorum Angelorum occursione adtollamur lætitiâ sempiterna. ℟. Amen.

Antiphona 2. In tua justitia libera me, Domine : inclina ad me aurem tuam, accelera, ut eripias me. ℣. In te Domine speravi, non confundar in æternum : in tua justitia libera me, et eripe me.

Oratio. Libera nos Domine in tua justitia ; et ad precem nostram inclina aurem tuam : ut a malis erepti, et recreati cœlestibus, **320** æterna nos esse vestitos immortalitate lætemur. ℟. Amen.

Antiphona 3. Exaudi vocem orationis meæ, dum oro ad te, Domine : dum levavero manus meas ad templum sanctum tuum, ℣. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo : elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

℟. Intende ad orationem meam, Domine ; quia humiliatus sum nimis. ℣. Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo; *P.* Quia humiliatus sum nimis.

Preces. Pænitentiam agimus pro malis nostris. P.

Tu, Christe,miserere : peccavimus. ℣. Qui, ut ovis A ad victimam,ductus es, Domine,clementer nos protege; *P.* Tu, Christe. ℣. Qui crucem pateris, et sepulchro clauderis, salva nos a vitiis ;*P*, Tu, Christe. ℣. Qui in cruce, moriente te, terra contremuit, trementes nos respice ; *P.* Tu, Christe. ℣. Ut tua in morte consepulti, Domine, vivamus perenniter ; *P.* Tu, Christe.

Hymnus. O Nazarene. *fol.* 144.

Oratio. Salvum fac populum tuum Domine dextera tua : et, qui dedisti timentibus te Crucis significationem,da plenissimam fidei dignitatem: ut,quos peccantes repuleras,convertentes suscipias: et tu da in tribulatione auxilium necessarium,qui pro peccatoribus factus es pretium: et ipse tribulantem inimicum ad nihilum redigas ; ipse redemptos in civitate B circumstantiæ introducas. ℟. Amen.

Ad Nonam.

Lectio libri Ecclesiastici Salomonis (Cap. XXXVIII).

℟. Deo gratias.

Fili, in mortuum produc lachrymas, et quasi dira passus,incipe plorare,et secundum judicium contege corpus illius, et non despicias sepulturam illius. Propter delaturam autem amare fer luctum illius, uno die, et consolare propter tristitiam : et fac luctum secundum meritum ejus uno die,vel duobus propter detractionem. A tristitia enim festinat mors, et cooperit virtutem,et tristitia cordis flectit cervicem. In abductione permanet tristitia : et substantia inopis secundum cor ejus.Non dederis in tristitia cor tuum, sed repelle eam a te : et memento novissimorum, noli C oblivisci : neque enim est conversio, et huic nihil proderis,et te ipsum pessimabis.Memor esto judicii mei: sic enim erit et tuum : mihi heri, et tibi hodie.In requie mortui requiescere fac memoriam ejus,et consolare illum in exitu spiritus sui. Deus creavit de terra medicinam,et vir prudens non abhorrebit illam. Nonne a ligno indulcata est aqua amara? Ad agnitionem hominum virtus illorum, et dedit hominibus scientiam Altissimus, honorari in mirabilibus suis. ℟. Amen.

Lectio libri Samuelis (II Regum cap. XVIII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Considerato David populo suo, constituit super eum tribunos et centuriones, et dedit populi tertiam partem sub manu Joab,et tertiam partem sub manu Abisai filii Sarviæ fratris Joab, et ter- D tiam partem sub manu Ethai,qui erat de Geth, dixitque rex ad populum : Egrediar et ego vobiscum. Et respondit populus : Non exibis : sive enim fugerimus,non magnopere ad eos de nobis pertinebit: sive enim media pars ceciderit e nobis, non satis curabunt: quia tu unus solus pro decem millibus computaris : melius est igitur ut sis nobis in urbe præsidio. Ad quos rex ait : Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. Stetit ergo rex juxta portam : egrediebaturque populus per turmas suas, centeni, et milleni. Et præcepit rex Joab, et Abisai, et Ethai, dicens : Servate mihi puerum Absalon. Et omnis populus audiebat præcipientem regem cunctis principibus pro Absalon.Itaque egressus est populus in campum contra Israel, et factum est prælium in saltu Ephraim. Et cæsus est ibi populus Israel ab exercitu David, factaque est plaga magna in die illa, viginti millium.Fuit autem ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ,et multo plures erant quos saltus consumpserat de populo,quam hi quos voraverat gladius in die illa. Accidit autem ut occurreret Absalon servis David, sedens mulo:cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum et magnam,adhæsit caput ejus quercui:et illo suspenso inter cœlum et terram, mulus,cui insederat, pertransivit. Vidit autem hoc quispiam,et nunciavit Joab, dicens : Vidi Absalon pendere de quercu. Et ait Joab viro qui nunciaverat ei : Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra? et ego dedissem tibi decem argenti siclos,et unum balteum? Qui dixit ad Joab: Si appenderes in manibus meis mille argenteos,nequaquam mitterem manum meam **321** in filium regis:audientibus enim nobis, præcepit rex tibi, et Abisai, et Ethai, dicens: Custodite mihi puerum Absalon.Sed et si fecissem contra animam meam audacter, nequaquam hoc regem latere potuisset, et tu stares ex adverso.Et ait Joab: Non sicut tu vis,sed aggrediar eum coram te. Tulit ergo Joab tres lanceas in manu sua,et infixit eas in corde Absalon:cumque adhuc palpitaret hærens in quercu,cucurrerunt decem juvenes armigeri Joab, et percutientes interfecerunt eum. Cecinit autem Joab buccina,et retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israel,volens parcere multitudini. Et tulerunt Absalon, et projecerunt eum in saltu, in foveam grandem, et comportaverunt super eum acervum lapidum magnum nimis : omnis autem Israel fugit in tabernacula sua.Porro Absalon erexerat sibi, cum adhuc viveret, titulum qui est in Valle regis : dixerat enim : Non habeo filium, et hoc erit monimentum nominis mei. Vocavitque titulum nomine suo, et appellatur Manus Absalon, usque ad hanc diem. Achimaas autem filius Sadoc, ait : Curram,et nunciabo regi,quia judicium fecerit ei Deus de manu inimicorum ejus.Ad quem Joab dixit: Non eris nuncius in hac die,sed nunciabis in alia: hodie nolo te nunciare, filius enim regis est mortuus. Et ait Joab Chusi : Vade, et nuncia regi quæ vidisti. Adoravit Chusi Joab, et cucurrit.Rursus autem Achimaas filius Sadoc dixit ad Joab : Quid impedit si etiam ego curro post Chusi ? Dixitque Joab : Quid vis currere, fili mi? veni huc : non eris boni nuncii bajulus.Qui respondit : Quid enim si cucurrero ? et ait ei: Curre.Currens ergo Achimaas per viam compendii, transivit Chusi. David autem sedebat inter duas portas : speculator vero, qui erat in fastigio portæ super murum,elevans oculos, vidit hominem currentem solum. Et exclamans indicavit regi : dixitque rex : Si solus est, bonus est nuncius in ore ejus. Properante autem illo, et accedente propius, vidit speculator hominem alterum currentem, et vociferans in culmine, ait : Apparet mihi alter homo currens solus. Dixitque rex : Et iste bonus est nun-

cius. Speculator autem, Contemplor, ait, cursum A prioris, quasi cursum Achimaas filii Sadoc. Et ait rex : Vir bonus est : et nuncium portans bonum, venit. Clamans autem Achimaas, dixit ad regem : Salve rex. Et adorans regem, coram eo pronus in terram, ait : Benedictus Dominus Deus tuus, qui conclusit homines qui levaverunt manus suas contra dominum meum regem. Et ait rex : Estne pax puero Absalon ? Dixitque Achimaas : Vidi tumultum magnum, cum mitteret Joab servus tuus, o rex, me servum tuum : nescio aliud. Ad quem rex, Transi, ait, et sta hic. Cumque ille transisset, et staret, apparuit Chusi : et veniens ait : Bonum apporto nuncium, domine mi rex : judicavit enim pro te Dominus hodie de manu omnium qui surrexerunt contra te. Dixit autem rex ad Chusi: Estne pax puero Absa- B lon ? Cui respondens Chusi, Fiant, inquit, sicut puer, inimici domini mei regis, et universi qui consurgunt adversus eum in malum. Contristatus itaque rex, ascendit cœnaculum portæ, et flevit. Et sic loquebatur, vadens : Fili mi Absalon, Absalon fili mi : quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, Absalon fili mi, Fili mi Absalon ? (*Cap.* XIX.) Nunciatum est autem Joab quod rex fleret, et lugeret filium suum : et versa est victoria in luctum in die illa omni populo : audivit enim populus in die illa dici : Dolet rex super filio suo. Et declinavit populus in die illa ingredi civitatem, quomodo declinare solet populus versus et fugiens de prælio. Porro rex operuit caput suum, et clamabat voce magna : Fili mi Absalon, Absalon fili mi. Ingressus ergo Joab ad regem in domum, dixit : Confudisti hodie vultus omnium ser- C vorum tuorum, qui salvam fecerunt animam tuam, et animam filiorum tuorum, et filiarum tuam, animam uxorum tuarum, et animam concubinarum tuarum. Diligis odientes te, et odio habes diligentes te : et ostendisti hodie, quia non curas de ducibus tuis, et de servis tuis : et vere cognovi modo, quia si Absalon viveret, et omnes nos occubuissemus, tunc placeret tibi. Nunc ergo surge, et procede, et alloquens satisfac servis tuis : juro enim tibi per Dominum, quod si non exieris, ne unus quidem remansurus sit tecum nocte hac : et pejus erit hoc tibi, quam omnia mala quæ venerunt super te, ab adolescentia tua usque in præsens. Surrexit ergo rex et sedit in porta : et omni populo nunciatum est quod rex sederet in porta : venitque universa mul- D titudo coram rege : Israel autem fugit in tabernacula sua. ℟. Amen.

Antiphona 1. Qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes : **322** Deus derelinquit illum : persequimini, et comprehendite eum, quia non est, qui liberet eum. Deus meus, ne elonges a me : Deus meus, in adjutorium meum intende. ℣. Deus, in te speravi : Domine non confundar in æternum.

Oratio 1. Deus virtutum, qui cum esses Deus, spontanee te comprehendi voluisti tempore passionis ; dum adversum te consilium facerent, dicentes : Liberet eum, si vult : ne derelinquas nos in tribulatione nostra ; et ne a te nos elonges : ut tu solus in adjutorium nostrum respicias, quin in Cruce tua potestates hujus Mundi triumphas. ℟. Amen.

Antiphona 2. Quadraginta annis proximus fui generationi huic, et dixi : Semper isti errant corde. Quibus juravi in ira mea : Non introibunt in requiem meam. ℣. Ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt, et viderunt opera mea.

Oratio. Domine, qui populo tuo per quadragenarium numerum annorum proximus fuisti ; præsta Ecclesiæ tuæ, quam acquisisti pretio sanguinis tui ; ut corde non errent : sed infusione Sancti Spiritus illam reple ; et eam tibi adsocia in æterna beatitudine. ℟. Amen.

Antiphona 3. Inimici mei vivent, et confortati sunt super me : et multiplicati sunt super me : ne derelinquas me. ℟. Intende animæ meæ, et libera eam : propter inimicos meos eripe me.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol.* 144.

Oratio. Inimici tui, Domine, vivent in pœnis : quos destruxisti potentia Crucis : Non ergo super Ecclesiam tuam ulterius confortentur, qui semel gloria tuæ passionis evincti sunt : ut membra tua vexillo Crucis erepta, et de hoste victoriam capiant, et exoptata de spoliis hostium lucra conquirant.

Pater noster.

Ad Vesperos.

Lauda. Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo ?

Antiphona. Clamavi ad te Domine, et dixi : Tu spes mea es, portio mea in terra viventium. Educ de carcere. *Psalmus* CXLI.

Lauda. Quomodo dilexi legem tuam, Domine ? tota die meditatio mea est. ℣. Retribue servo tuo, vivam : et custodiam sermones.

Hymnus. Verbum Patris. *fol.* 252.

Capitula. Gloriose, potens. *fol.* 264.

Lauda. Feci judicium. *fol.* 296.

FERIA SEXTA

Ad Matutinum.

Antiphona. Multi dicunt animæ meæ : Non est salus ipsi in Deo ejus. Tu autem Domine susceptor meus es. *Psalmus* III.

Oratio. Multiplicati sunt, Domine. *fol.* 170.

Antiphona 1. Placeat tibi, Domine, liberare me : Domine in auxilium meum respice : confundantur, et revereantur omnes inquirentes animam meam : avertantur retro, et erubescant, qui cogitant mihi mala. ℣. Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi : Euge, euge. *Non dicatur* Gloria.

Oratio. Placeat tibi Domine liberare nos de manu hostium : et confundantur et revereantur quærentes deglutire nos : In auxilium nobis occurre, qui factus es noster adjutor : ut non erubescamus in actibus pravitatis, qui tuæ nos credimus innovatos gloria passionis. ℟. Amen.

Antiphona 2. Locuti sunt adversum me inimici mei mala, et sermonibus odii circumdèderunt me,

Pro eo, quod eos diligebam, adversabantur me: ego autem orabam pro eis. ℣. Tu es, Domine, Deus: fac mecum misericordiam propter nomen tuum: quia suavis est misericordia tua.

Oratio. Locuti sunt adversum te Domine, inimici tui malum, tunc utique quando te magnum bonum captiosa adulatione laudabant. Qui ergo odiosis sermonibus eorum circumdari et expugnari te passus es, confessionis nostræ supplices jam quæsumus, suscipe preces. ℟. Amen.

Antiphona 3. Concilium fecerunt in unum, dicentes: Persequimini, et comprehendite eum: quia non est, qui eripiat eum de manibus nostris. Ne elongeris a me: in adjutorium meum intende: ℣. Confundantur et revereantur simul, qui quærunt animam meam, ut auferant eam.

Oratio. Jesu Dei Fili, quem impia malignorum turba inaniter persequens, dum consilium contra te agit comprehensionis, fugat potius a se beneficium pietatis: dum nisa est, delendo vitam, comprehendere, quem utique nesciebant vitæ esse auctorem; præbe nobis, ut te, quem illi maligna voluntate persecuti sunt, nos pia devotione in bonis actibus **323** assequamur: ut in quo inimicis erit perpetuus luctus: in eo sit nobis perpetuum gaudium. ℟. Amen.

℟. Facta est lingua iniquorum fraudulenta in ore eorum, et loquebantur mendacium omnes: in sanguine insidiati sunt: virum justum venati sunt ad mortem; P. Ipse autem pacifica verba loquebatur ad eos. ℣. Congregati sunt adversus justum omnes principes Juda, et comprehenderunt eum dicentes: Morte moriatur homo iste. P. Ipse. *Non dicatur* Gloria.

Oratio. Christe Dei Patris ineffabile Verbum, apud quem lingua iniquorum fraudulenta est: immane facinus perpetrantes, ut sanguinem innocentem effunderent: præbe Ecclesiæ tuæ pacificum verbum; ut qui exemplo tuo mundum decertamus evincere, cœlos mereamur post transitum videre. ℟. Amen.

In Laudibus.

Antiphona. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus ne spernas. Miserere mei Deus. *Psalmus* L.

Oratio. Quinquagesimum psalmum medicaminibus plenum pœnitenti meditanti, tu Deus, qui cuncta prospicis, et nostram linguam persolvas: ut sicut David post Uriæ Cethæi sanguinem fusum per cor contritum et humiliatum diluisti peccata: ita et nostra satisfactione digneris abluere delicta. ℟. Amen.

Antiphona. Tu scis Domine, recordare mei, tuere me ab his qui persequuntur me: scito quoniam sustinui obprobrium pro te.

Canticum Hieremiæ (*Cap.* XV).

Tu scis Domine, recordare mei, et visita me *, et tuere me ab his qui persequuntur me,

Noli in patientia tua suscipere me: * scito quoniam sustinui obprobrium pro te.

Inventi sunt sermones tui, et comedi eos, et factum est mihi verbum tuum in gaudium et lætitiam cordis A mei: * quoniam invocatum est nomen tuum super me, Domine Deus exercituum.

Non sedi in concilio ludentium, et gloriatus sum a facie manus tuæ: * solus sedebam, quoniam comminatione replesti me.

Quare factus est dolor meus perpetuus, et plaga mea insanabilis renuit curari? * factum est mihi quasi mendacium aquarum infidelium.

Propter hoc hæc dicit Dominus: * Si converteris, convertam te, et ante faciem nostram stabis.

Et si, separaveris pretiosum a vili, * quasi os meum eris:

Convertentur ipsi ad te, * et tu non converteris ad eos.

Et dabo te populo huic in murum æreum, for- B tem; * et bellabunt adversum te, et non prævalebunt: quia ego tecum sum ut salvem te, et eruam te, dicit Dominus.

Et liberabo te de manu pessimorum, et redimam te de manu fortiorum.

Oratio. Recordare nobis, Domine: et tuere nos ab his qui persequuntur nos, qui pro nobis sustinuisti obprobrium Crucis: ut, in quo tu pro nobis amaricatus es volens; in eo nos et hic et in æternum gratulemur felices. ℟. Amen.

Matutinarium. Mane exaudies vocem meam, Domine. Mane adstabo tibi et videbo. ℣. Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

Lauda. Cœli cœlorum, et aquæ, quæ supra cœlos sunt, laudent nomen Domini. *Ps.* CXLVIII.

C *Lectio libri Samuelis* (*II Regum cap.* XIX).

In diebus illis: Rex David misit ad Sadoc et Abiathar sacerdotes, dicens: Loquimini ad majores natu Juda, dicentes: Cur venitis novissimi ad reducendum regem in domum suam? (Sermo autem omnis Israel pervenerat ad regem in domo ejus.) Quia dixerat rex: Hæc dicetis ad populum: Fratres mei vos, os meum, et caro mea vos, quare novissimi reducitis regem? Et Amasæ dicite: Nonne os meum es, et caro mea? Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Joab. Et inclinavit cor omnium virorum Juda, quasi viri unius: miseruntque ad regem, dicentes: Revertere tu, et omnes servi tui. Et reversus est rex: et venit usque Jordanem, et omnis Juda venit usque in Galgala, ut occurreret regi, et traduceret eum Jor- D danem. Festinavit autem Semei filius Gera filii Jemini de Bahurim, et descendit cum viris Juda in occursum regis David cum mille viris de Benjamin, et Siba puer de domo Saul: et quindecim fili ejus, ac viginti servi erant cum eo: et irrumpentes Jordanem, ante regem transierunt vada, ut traducerent domum regis, et facerent juxta jussionem ejus: Semei autem filius Gera prostratus coram rege, cum jam transisset Jordanem, dixit **324** ad eum: Ne reputes mihi domine mi iniquitatem, neque memineris injuriarum servi tui in die qua egressus es domine mi de Hierusalem, neque pones rex in corde tuo. Agnosco enim servus tuus peccatum meum: et idcirco hodie primus

veni de omni domo Joseph, descendique in occursum A domini mei regis. Respondens vero Abisai filius Sarviæ dixit: Numquid pro his verbis non occidetur Semei, qui maledixerit christo Domini? Et ait David: Quid mihi, et vobis fili Sarviæ? cur efficimini mihi hodie in sathan? ergone hodie interficietur vir in Israel? an ignoro hodie me factum regem super Israel? Et ait rex Semei: Non morieris. Juravitque ei. Miphiboseth quoque filius Saul descendit in occursum regis, illotis pedibus, et intonsa barba: vestesque suas non laverat a die qua egressus fuerat rex, usque ad diem reversionis ejus in pace. Cumque occurrisset regi, dixit ei rex: Quare non venisti mecum, Miphiboseth? Et respondens ait: Domine mi rex, servus meus contempsit me: dixique ei ego famulus tuus, ut sterneret mihi asinum, et descen- B dens abirem cum rege: claudus enim sum servus tuus. Insuper et accusavit me servum tuum ad te dominum meum regem: tu autem domine mi rex, sicut angelus Dei es, fac quod placitum est tibi. Neque enim fuit domus patris mei nisi morti obnoxia domino meo regi: tu aurem posuisti me servum tuum inter convivas mensæ tuæ: quid ergo habes justæ querelæ? aut quid possum ultra vociferari ad regem? Ait ergo ei rex: Quid ultra loqueris? fixum est quod locutus sum: tu et Siba dividite possessiones. Respondit que Miphiboseth regi: Etiam cuncta accipiat, postquam reversus est dominus meus rex pacifice in domum suam. Berzelai quoque Galaadites, senex valde, descendens de Rogelim, traduxit regem Jordanem, paratus etiam ultra fluvium prosequi eum, C Erat autem Berzelai Galaadites senex valde, id est, octogenarius, et ipse præbuit alimenta regi, cum moraretur in castris: fuit quippe vir dives nimis. Dixit itaque rex ad Berzelai: Veni mecum, ut requiescas securus in Hierusalem. Et ait Berzelai ad regem: Quot sunt dives annorum vitæ meæ, ut ascendam cum rege in Hierusalem? Octogenarius sum hodie: numquid vigent sensus mei ad discernendum suave, aut amarum? aut delectare potest servum tuum cibus aut potus? vel audire possum ultra vocem cantorum, atque cantatricum? quare servus tuus sit oneri domino meo regi? Paululum procedam famulus tuus ab Jordane tecum: non indigeo hac vicissitudine, sed obsecro, ut revertar servus tuus et moriar in civitate mea, et sepeliar juxta sepulchrum D patris mei, et matris meæ. Est autem servus tuus Chamaam: ipse vadat tecum, domine mi rex, et fac ei, quicquid bonum tibi videtur. Dixit itaque et rex: Mecum transeat Chamaam, et ego faciam ei, quicquid tibi placuerit, et omne quod petieris a me, impetrabis. Cumque transisset universus populus et rex Jordanem, restitit, et osculatus est rex Berzelai, et benedixit ei: et ille reversus est in locum suum. Transivit ergo rex ad Galgalam, et Chamaam cum eo: omnis autem populus Juda traduxerat regem, et media tantum pars affuerat de populo Israel. Itaque omnes viri Israel concurrentes ad regem, dixerunt ei: Quare te furati sunt fratres nostri viri Juda, et traduxerunt regem et domum ejus Jordanem, omnesque viros David cum eo? Et respondit omnis vir Juda ad viros Israel: quia mihi propior est rex: cur irasceris super hac re? numquid comedimus aliquid ex rege, aut munera nobis data sunt? Et respondit vir Israel ad viros Juda, et ait; Decem partibus major ego sum apud regem, magisque ad me pertinet David, quam ad te: cur fecisti mihi injuriam et non mihi nunciatum est priori, ut reducerem regem meum? Durius autem responderunt viri Juda viris Israel. (*Cap.* xx.) Accidit quoque ut ibi esset vir Belial, nomine Seba, filius Bochri: vir Jemineus: et cecinit buccina, et ait: non est nobis pars in David, neque hereditas in filio Isai: revertere in tabernacula tua Israel. Et separatus est omnis Israel a David, secutusque est Seba filium Bochri: viri autem Juda adhæserunt regi suo, a Jordane usque Hierusalem. Cumque venisset rex in domum suam in Hierusalem, tulit decem mulieres concubinas, quas dereliquerat ad custodiendam domum, et tradidit eas in custodiam, alimenta eis præbens: et non est ingressus ad eas, sed erant clausæ usque in diem mortis suæ in viduitate viventes. Dixit autem rex Amasæ: Convoca mihi omnes viros Juda in diem tertium, et tu adesto præsens. Abiit ergo Amasa, ut convocaret Judam et moratus est extra placitum, quod ei constituerat rex. Ait autem David ad Abisai: **325** Nunc magis afflicturus est nos Seba filius Bochri, quam Absalom: tolle ergo servos domini tui, et persequere eum, ne forte inveniat civitates munitas, et effugiat nos. Egressi sunt ergo cum eo viri Joab, Cerethi quoque et Phelethi: et omnes robusti exierunt de Hierusalem ad persequendum Seba filium Bochri. Cumque illi essent juxta lapidem grandem, qui est in Gabaon, Amasa veniens occurrit eis. Porro Joab vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui, et desuper accinctus gladio dependente usque ad illa, in vagina, qui fabricatus levi motu egredi poterat, et percutere. Dixit itaque Joab ad Amasam: Salve mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum. Porro Amasa non observavit gladium, quem habebat Joab, qui percussit eum in latere et effudit intestina ejus in terram, et mortuus est, nec secundum vulnus apposuit. Joab autem et Abisai frater ejus persecuti sunt Seba filium Bochri. Interea quidam viri, cum stetissent juxta cadaver Amasæ de sociis Joab, dixerunt: Ecce qui esse voluit pro Joab comes David. Amasa autem conspersus sanguine, jacebat in media via. Vidit hoc quidam vir, quod subsisteret omnis populus ad videndum eum, et amovit Amasam de via in agrum, operuitque eum vestimento, ne subsisterent transeuntes propter eum. Amoto ergo illo de via, transibat omnis vir sequens Joab ad persequendum Seba filium Bochri. Porro ille transierat per omnes tribus Israel usque in Abelam, et in Bethmacha: omnesque viri electi congregati fuerant ad eum. Venerunt itaque, et oppugnabant eum in Abela, et in Bethmacha, et circumdederunt muni-

tionibus civitatem, et obsessa est urbs : omnis au- A
tem turba, quæ erat cum Joab, moliebatur destruere muros. Et exclamavit mulier sapiens de civitate : Audite, audite, dicite Joab : Appropinqua huc, et loquar tecum. Qui cum accessisset ad eam, ait illi : Tu es Joab ? Et illi respondit : Ego. Ad quem sic locuta est : Audi sermones ancillæ tuæ. Qui respondit : Audio. Rursumque illa : Sermo, inquit, dicebatur in veteri proverbio : Qui interrogant, interrogent in Abela : et sic perficiebat : Nonne ego sum quæ respondeo veritatem in Israel, et tu quæris subvertere civitatem, et evertere matrem in Israel ? Quare præcipitas hereditatem Domini ? Respondens Joab, ait : Absit, absit hoc a me : non præcipito, neque demolior : Non se sit habet res, sed homo de monte Ephraim Seba, filius Bochri cognomine, levavit ma- B
num suam contra regem David : tradite illum solum, et recedemus a civitate. Et ait mulier ad Joab : Ecce caput ejus mittetur ad te per murum. Ingressa est ergo ad omnem populum, et locuta est eis sapienter : qui abscissum caput Sebæ filii Bochri projecerunt ad Joab : et ille cecinit tuba, et recesserunt ab urbe, unusquisque in tabernacula sua : Joab autem reversus est Hierusalem ad regem. Fuit ergo Joab super omnem exercitum Israel : Banaias autem filius Joiadæ super Cerethæos et Phelethæos. Aduram vero super tributa : porro Josaphat filius Ahilud a commentariis. Siva autem, scriba : Sadoc vero et Abiathar, sacerdotes. Hiram autem Iliraetes erat sacerdos David. (*Cap.* XXI.) Facta est quoque fames in diebus David tribus annis jugiter : et consulit Da- C
vid oraculum Domini. Dixitque Dominus : Propter Saul, et domum ejus sanguinum, quia occidit Gabaonitas. Vocatis ergo Gabaonitis, rex dixit ad eos. (Porro Gabaonitæ non erant de filiis Israel, sed reliquiæ Amorrhæorum : filii quippe Israel juraverunt eis, et voluit Saul percutere eos zelo, quasi pro filiis Israel et Juda.) Dixit ergo David ad Gabaonitas : Quid faciam vobis ? et quod erit vestri piaculum, ut benedicatis hereditati Domini ? Dixeruntque ei Gabaonitæ : Non est nobis super argento et auro quæstio, sed contra Saul, et contra domum ejus : neque volumus ut interficiatur homo de Israel. Ad quos rex ait : Quid ergo vultis ut faciam vobis ? Qui dixerunt regi : Virum, qui attrivit nos, et oppressit inique, ita delere debemus, ut ne unus quidem D
residuus sit de stirpe ejus in cunctis finibus Israel. Dentur nobis septem viri de filiis ejus, ut crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul, quondam electi Domino. Et ait rex : Ego dabo. Pepercitque rex Miphiboseth filio Jonathæ filii Saul, propter jusjurandum, quod fuit inter David et Jonatham filium Saul. Tulit itaque rex duos filios Respha filiæ Ahia, quos peperit Sauli, Armoni, et Miphiboseth : et quinque filios Michol filiæ Saul, quos genuerat Hadrieli filio Berzelai, qui fuit de Molathi, et dedit eos in manus Gabaonitarum : qui crucifixerunt eos in monte coram Domino : et ceciderunt hi septem simul occisi in diebus messis primæ, incipiente messione hordei. **326** Tollens autem Respha filia Ahia cilicium, substravit ibi supra petram, ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de cœlo : et non dimisit aves lacerare eos per diem, neque bestias per noctem. Et nunciata sunt David quæ fecerat Respha filia Ahia concubina Saul. Et abiit David, et tulit ossa Saul, et ossa Jonathæ filii ejus a viris Jabes Galaad, qui furati fuerant ea de platea Bethsan, in qua suspenderant eos Philisthiim cum interfecissent Saul in Gelboë : et asportavit inde ossa Saul, et ossa Jonathæ filii ejus : et colligentes ossa eorum qui affixi fuerant, sepelierunt ea cum ossibus Saul et Jonathæ filii ejus in terra Benjamin, in latere, in sepulchro Cis patris ejus : feceruntque omnia, quæ præceperat rex, et repropitiatus est Deus terræ post hæc. Factum est autem rursum prælium Philisthinorum adversum Israel, et descendit David, et servi ejus cum eo, et pugnabant contra Philisthiim. Deficiente autem David, Jesbibenob, qui fuit de genere Arapha, cujus ferrum hastæ trecentas uncias appendebat, et accinctus erat anse novo, nisus est percutere David. Præsidioque ei fuit Abisai filius Sarviæ, et percussum Philisthæum interfecit. Tunc juraverunt viri David, dicentes : Jam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israel. Secundum quoque fuit bellum in Gob contra Philisthæos : tunc percussit Sabochai de Husathi Saphde stirpe Arapha de genere gigantum. Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philisthæos, in quo percussit Adeodatus filius Saltus polymitarius Bethlehemites Goliath Getæum : cujus hastile hastæ erat quasi liciatorium texentium. Quartum bellum fuit in Geth ; in quo vir fuit excelsus, qui senos in manibus pedibusque habebat digitos, id est, viginti quatuor, et erat de origine Arapha. Et blasphemavit Israel : percussit autem eum Jonathas filius Samaa fratris David. Hi quatuor nati sunt de Arapha in Geth, et ceciderunt in manu David, et servorum ejus. ℟. Amen

Hymnus. Noctis tempus. *fol.* 257. *Capitula*. In die tribulationis. *fol*. 284.

Lauda. Feci judicium et justitiam, Domine : ne tradas me nocentibus me. ℣. Excipe servum tuum in bono : ut non calumnientur mihi superbi.

Oratio. Judicium et justitiam doce nos facere Domine; qnaliter valeamus superborum calumnias conculcare : excipe servos tuos in bono, qui sperant in salutare tuum : quorumque interiores oculi Christi expectant regnum, hos partem habere facito in consortio Electorum. ℟. Amen.

Ad Tertiam.

Ecclesiastici Salomonis (*Cap.* XI).

℟. Deo gratias.

Fili, mirati sunt opera Altissimi solius, et gloriosa, abscondita, et invisa opera illius. Multi tyranni sederunt in throno. et insuspicabiles portabunt diadema. Multi majores recesserunt valde, et gloriosi traditi sunt in manu alterius. (*Cap.* XXIV.) Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum, et here-

ditatem domui Jacob, et Israel promissiones. Posuit A David puero suo excitare regem ex ipso fortissimum, et in throno honoris sedentem (*Cap.* XXXIX). Occulta proverbiorum exquiret, et in absconditis parabolarum conversabitur. In medio magnatorum sedebit, in conspectu omnium judicabit. In terram alienarum gentium transibit: bona enim et mala in hominibus tentabit. Cor suum dabit an vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur. Et Dominus spiritu intelligentiæ replebit illum; et ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ, et in oratione confidebitur Domino: et ipse dirigit consilium ejus, et disciplinam, et in absconditis suis consiliabitur. Ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, et in lege testamenti Domini gloriabitur. ℟. Amen.

Principium libri Malachim (*III Regum cap.* I).

In illis diebus: Rex David senuerat, habebatque ætatis plurimos dies: cumque operiretur vestibus, non calefiebat. Dixerunt ergo ei servi tui: Quæramus domino nostro regi adolescentulam virginem, et stet coram rege, et foveat eum, dormi atque in sinu suo, et calefaciat dominum nostrum regem. Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, et invenerunt Abisag Sunamitem, et adduxerunt eam ad regem. Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum rege, et ministrabat ei, rex vero non cognovit eam. Adonias autem filius Haggith elevabatur, dicens: Ego regnabo. Fecitque sibi currus et equites, et quinquaginta viros qui currerent ante eum. Nec corripuit eum pater suus aliquando, **327** dicens: Quare hoc fecisti? Erat autem et ipse pulcher valde, secundus natu post Absalon. Et sermo ejus cum Joab filio Sarviæ, et cum Abiathar sacerdote, qui adjuvabant partes Adoniæ. Sadoc vero sacerdos, et Banaias filius Joiadæ, et Nathan propheta, et Semei, et Cerethæi, et Phelethæi, et omne robur exercitus David, non erat cum Adonia. Immolatis ergo Adonias arietibus et vitulis, et universis pinguibus juxta lapidem Zohelech, qui erat vicinus fonti Rogel, vocavit universos fratres suos filios regis, et omnes viros Juda servos regis. Nathan autem prophetam, et Banaiam, et robustos quosque, et Salomonem fratrem suum non vocavit. Dixit itaque Nathan ad Bethsabée matrem Salomonis: Num audisti, quod regnaverit Adonias filius Haggith? et dominus noster David hoc ignorat? Nunc ergo veni, accipe consilium a me; et salva animam tuam, filiique tui Salomonis. Vade, et ingredere ad regem David, et dic ei: Nonne tu domine mi rex jurasti mihi ancillæ tuæ, dicens: Quod Salomon filius tuus regnabit post me, et ipse sedebit in solio meo? quare ergo regnat Adonias! Et adhuc tibi te loquente cum rege, ego veniam post te, et complebo sermones tuos. Ingressa est itaque Bethsabee ad regem in cubiculo: rex autem senuerat nimis, et Abisag Sunamitis ministrabat ei: inclinavit se Bethsabee, et adoravit regem. Ad quam rex, Quid tibi, inquit, vis? Quæ respondens ait: Domine mi rex, tu jurasti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ, Salomon filius tuus regnabit post me, et ipse sedebit in solio meo. Et ecce nunc Adonias regnat, te, domine mi rex, ignorante. Mactavit boves, et pinguia quæque, et arietes plurimos, et vocavit omnes filios regis. Abiathar quoque sacerdotem, et Joab principem militiæ: Salomonem autem servum tuum non vocavit. Verumtamen domine mi rex, in te oculi respiciunt totius Israel, ut indices ei, quis sedere debeat in solio tuo, domine mi rex, post te. Eritque cum dormierit dominus meus rex cum patribus suis, erimus ergo et filius meus peccatores. Adhuc illa loquente cum rege, Nathan propheta venit. Et nunciaverunt regi, dicentes: Adest Nathan propheta. Cumque introisset in conspectu regis, et B adorasset eum pronus in terram dixit Nathan: Domine mi rex, tu dixisti: Adonias regnet post me, et ipse sedeat super thronum meum? Quia descendit hodie, et immolavit boves, et pinguia, et arietes plurimos, et vocavit universos filios regis, et principes, Abiathar quoque sacerdotem: illisque vescentibus, et bibentibus coram eo, et dicentibus: Vivat rex Adonias: Me servum tuum, et Sadoc sacerdotem, et Banaiam filium Joiadœ, et famulum tuum Salomonem non vocavit. Nnmquid a domino meo rege exivit hoc verbum, et mihi non indicasti servo tuo, qui sessurus esset super thronum domini mei regis post eum? Et respondit rex David, dicens: Vocate ad me Bethsabee. Quæ cum fuisset ingressa coram rege, et stetisset ante eum, juravit rex, et ait: Vi- C vit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia, quia sicut juravi tibi per Dominum Deum Israel, dicens: Salomon filius tuus regnabit post me, et ipse sedebit super solium meum pro me: sic faciam hodie. Summissoque Bethsabee in terram vultu, adoravit regem, dicens: Vivat Dominus meus rex David in æternum. Dixit quoque rex David: Vocate mihi Sadoc sacerdotem, et Nathan prophetam, et Banaiam filium Joiadæ. Qui cum ingressi fuissent coram rege, dixit ad eos: Tollite vobiscum servos domini vestri, et imponite Salomonem filium meum super mulam meam, et ducite eum in Gihon: et ungat eum ibi Sadoc sacerdos, et Nathan propheta in regem super Israel: et canetis buccina, atque dicetis: Vivat rex Salomon. Et ascendetis post eum, et venietis in Hierusalem, et sedebit super solium D meum, et ipse regnabit pro me: illique præcipiam ut sit dux super Israel, et super Judam. Et respondit Banaias filius Joiadæ, regi, dicens: Amen; sic loquatur Dominus Deus domini mei regis. Quomodo fuit Dominus cum domino meo rege, sic sit cum Salomone, et sublimius faciat solium ejus a solio domini mei regis David. Descendit ergo Sadoc sacerdotis, et Nathan propheta, et Banaias filius Joiadæ, et Cerethi, et Phelethi: et imposuerunt Salomonem super mulam regis David, et adduxerunt eum in Gihon. Sumpsitque Sadoc sacerdos cornu olei de tabecnaculo, et unxit Salomonem: et cecinerunt buccina, et dixit omnis populus: Vivat rex

Salomon. Et ascendit universa multitudo post eum, et populus canentium tibiis, et lætantium gaudio magno, et insonuit terra a clamore eorum. Audivit autem Adonias, et omnes qui invitati fuerant ab eo, jamque convivium finitum erat: sed **328** et Joab, audita voce tubæ, ait: Quid sibi vult clamor civitatis tumultuantis? Adhuc eo loquente, Jonathan filius Abiathar sacerdotis venit: cui dixit Adonias: Ingredere, quia vir fortis es, et bona nuntians. Responditque Jonathan Adoniæ. Nequaquam: dominus enim noster rex David regem constituit Salomonem: misitque cum eo Sadoc sacerdotem, et Nathan prophetam, et Banaiam filium Joiadæ, et Cerethi et Phelethi, et imposuerunt eum super mulam regis. Unxeruntque eum Sadoc sacerdos, et Nathan propheta regem in Gihon: et ascenderunt inde lætantes, et insonuit civitas: hæc est vox, quam audistis. Sed et Salomon sedet super solium regni. Et ingressi servi regis benedixerunt domino nostro regi David, dicentes: Amplificet Deus nomen Salomonis super nomem tuum, et magnificet thronum tuum. Et adoravit rex in lectulo suo: insuper et hæc locutus est: Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis. ℟. Amen.

Antiphona 1. Effunde, Domine, super inimicos meos iram tuam: et indignatio iræ tuæ apprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta: et non intrent in tua justitia. ℣. Deleantur de libro viventium: et cum justis non scribantur.

Oratio. Effunde, Domine, super inimicos meos iram tuam: ut habitatione eorum permanente deserta, tandem aliquando agnoscant locum furoris, et injustitiæ suæ: ut conversionis illius ad te aditus pateat in Ecclesia, quia terrenæ civitatis Hierusalem perdiderunt auxilia. ℟. Amen.

Antiphona 2. Dum congregarentur omnes simul adversum me, ut acciperent animam meam, consiliati sunt. Ego vero in te speravi, Domine. ℣. Illumina faciem tuam super servum tuum, et salvum me fac in tua misericordia.

Oratio. ineffabili Domine enituisti patientia, dum congregata omnis simul adversum te infidelium turba, ut acciperent animam tuam: nitebantur consiliis, quod in verbis te caperent, quem utique Verbum Dei esse nescirent: et ideo, qui tam potentialiter vicisti in tuis: glorificare te dignare in confessionibus nostris. ℟. Amen.

Antiphona 3. Domine retribue pro me: Domine misericordia tua in æternum: opera manuum tuarum ne despicias. ℣. Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ: qui audierunt omnia verba oris tui.

℟. Ecce non auxilium mihi, et dilecti mei recesserunt a me: suscitatus falsiloquus adversus faciem meam. P. Contradicens mihi frenduit in me dentibus suis. ℣. Facta est hereditas mea mihi tamquam leo in silva: dedit contra me adversarius vocem suam. P. Contradicens mihi.

Preces. Miserere, et parce, clementissime Domine, populo tuo; P. Quia peccavimus tibi. ℣. De Crucis throno aspice nos miseros, et passionum compeditos vinculis; nostris absolve, Redemptor, suppliciis; P. Quia. ℣. Passus flagella, et Crucis injuriam, persequutorum sustinens convicia, dona delictis nostris pœnitentiam; P. Quia. ℣. Qui justus judex, male judicatus es, et pœnas Crucis suscepisti innocens; tu nos a pœnis nostris salva redimens: P. Quia ℣. Vox tua Patrem pro nobis exspostulet, quæ silens fuit olim ante judicem, ut te regnante perfruamur Domino: P. Quia.

Hymnus. O Nazarene. *fol.* 144.

Capitula. Surge Deus, et judica terram: ut qui cunctis dominaris Gentibus, jam resurrexisse credaris, a quibus es crucifixus: quo sibi uterque populus charitate consentiat: dum circumcisionem et præputium nexu fidei christianæ adglomeres.

Pater noster.

Ad Sextam.

Lectio libri Hieremiæ Prophetæ (*Cap.* III).

℟. Deo gratias.

Verbum quod factum est ad Hieremiam a Domino, dicens: Numquid vidisti quæ fecerit adversatrix Israel? abiit sibimet super omnem montem excelsum, et sub omni ligno frondoso, et fornicata est ibi. Et dixi, cum fecisset hæc omnia: Ad me revertere: et non est reversa. Et vidit prævaricatrix soror ejus Juda, quia pro eo, quod nœchata esset adversatrix Israel, dimisissem eam, et dedissem ei libellum repudii: et non timuit prævaricatrix Juda soror ejus, sed abiit, et fornicata est etiam ipsa. Et facilitate fornicationis suæ contaminavit terram, et mœchata est cum lapide et ligno. Et in omnibus his non est reversa ad me prævaricatrix soror ejus Juda in toto corde suo, sed in mendacio, ait Dominus. Et dixit Dominus **329** ad me: Justificavit animam suam aversatrix Israel, comparatione prævaricatricis Juda. Vade, et clama sermones istos contra Aquilonem, et dices: Revertere aversatrix Israel, ait Dominus, et non avertam faciem meam a vobis: quia sanctus ego sum, dicit Dominus, et non irascar in perpetuum. Verumtamen scito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum prævaricata es: et disperdisti vias tuas alienis sub omni ligno frondoso, et vocem meam non audisti, ait Dominus. Convertimini filii revertentes, dicit Dominus. ℟. Amen.

Antiphona 1. Ad te Dominum cum tribularer clamavi: et exaudivit me. Domine libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa.

Oratio. Ad te Dominum, dum tribulamur clamamus: ut nos a labiis iniquis liberes, et a lingua dolosa tutes: nec blandientibus iniquitatem nos humilies; nec recessum a veritate suadentibus, adsensum nostrum incurves. ℟. Amen.

Antiphona 2. Discerne causam meam Domine de gente non sancta: ab homine iniquo et doloso libera me. ℣. Quare tristis es anima mea? e tquare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

Oratio. Dei Patris Unigenite Fili, qui passione tua A discernis causam populi tui a grege insatiabilis inimici; discerne causam nostram a gente non sancta per passionis tuæ potentiam : ut tu solus in causa Ecclesiæ tuæ agnoscaris; qui te voluisti fieri pretium nostræ redemptionis. ℟. Amen.

Antiphona 3. In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem : in Domino sperabo, non timebo quid mihi faciat homo. ℣. Dominus mihi adjutor : et ego despiciam inimicos meos.

℟. Circumdederunt me inimici mei sicut apes ceram, et exarserunt in me sicut ignis in spinis. *P*. Tamquam cumulus arenæ impulsus sum ut caderem : et Dominus suscepit me. ℣. Quasi rupto muro et aperta janua inruerunt super me : et ad meas miserias evoluti sunt. *P*. Tamquam.

Preces. Exaudi, Domine, preces nostras, *P*. Et miserere nobis. ℣. Cruci affixe, et morti adjudicate, *P*. Et. ℣. Qui moriens redemisti sæculum, *P*. Et. ℣. Ut salvati per Crucem transire possimus, *P*. Et. ℣. Mors nobis tua vitam æternam conferat, *P*. Et miserere.

Hymnus. O Nazarene. *fol*. 144.

Oratio. Respice Domine, populum tuum; et super odientes te exaltare magnificus : ac eos, qui adversum fideles tuos declinare festinant, in præcipitem verte ruinam : ut confusi et turbati, te solum altissimum in omni terra Dominum recognoscant.

Pater noster.

Ad Vesperum.

Lauda. Sol agnovit occasum suum. Posuit tenebras, et facta est nox.

Antiphona. Eripe me Domine ab homine malo : a viro iniquo libera me. *Psalmus*. CXXXIX.

Lauda. Viderunt me, et moverunt capita sua : adjuva me, Domine Deus meus. ℣. Domine Deus salutis meæ, in die clamavi, et nocte coram te.

Hymnus. Verbum Patris. *fol*. 252.

Capitula.

Multæ sunt, Domine, iniquitates nostræ; sed tu, Domine, qui es retributor justissimus, delicta nostra dele propitius : vide ejulantium lachrymas : captivis occurre restitutor egregius : et, qui in diebus istis ad te de transgressionibus veniam postulant, non te severissimum reperiant judicem; sed mitem se gaudeant invenisse patrem et dominum.

Pater noster.

Benedictio. Deus, apud quem est misericordia copiosa, efficiat nos sibi per gemitum vasa mundissima. ℟. Amen. Quique est indeficiens divinitatis natura, ipse spiritualibus deliciis reficiat infirmitatem nostram. ℟. Amen. Ut corda nostra eum semper esuriant atque sitiant, ad quem vota nostræ abstinentiæ clamant. ℟. Amen.

Lauda. Feci judicium et justitiam. *fol*. 296.

SABBATO.

Ad Matutinum.

Antiphona. Tu autem, Domine. *Psalmus* 3. *Oratio*. Quamvis. *fol*. 141.

Antiphona 1. Multum peregrinata est anima mea. Cum his qui oderant pacem, eram pacificus dum loquebar illis, impugnabant me gratis. ℣. Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me.

Oratio. Multum peregrinantem animam nostram in tabernaculis Cedar, tu Christe, **330** lux vera justitiæ, peccatorum nostrorum tenebras exue : et sanctæ claritatis tuæ lucem perfunde; ut in hoc mundo cum odientibus pacem pacifici, et in futuro sæculo cum filiis Hierusalem, sancta confœderante concordia, mereamur esse beati. ℟. Amen.

Antiphona 2. Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta : ab homine iniquo et doloso libera me. ℣. Quia tu es Deus meus, et fortitudo mea : quare me repulisti? et quare tristis in-
B cedo, dum affligit me inimicus?

Oratio. Christe Dei filius, discerne causam nostram de gente non sancta per passionem tuam : ut tu solus sis in causa nostra defensor; qui pro nobis passus es sepulturam. ℟. Amen.

Antiphona 3. Adjutor et susceptor meus tu es, Deus : ne discedas a me. In adjutorium meum intende, Domine : ad adjuvandum me festina. ℣. Confundantur, et revereantur inimici mei : qui quærunt animam meam.

Oratio. Adjutor, et susceptor noster Domine, in adjutorium nostrum intende; ut qui passionibus tuis votis sincerissimis anhelamus, adjutorem te nostrum in ipsis nostris conatibus sentiamus. ℟. Amen.

℟. Deus Israel, propter te sustinui improperium :
C operui reverentia faciem meam. Extraneus factus sum fratribus meis, et hospes filiis matris meæ. *P*. Quoniam zelus domus tuæ comedit me. ℣. In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ. *P*. Quoniam.

Oratio. Christe Dei Fili, quem zelus domus Dei, Ecclesiæ videlicet Patris tui, comedit; dum iniqua gerentes de ea funiculo audacter expellis; ab omnium nos funiculo iniquitatum absolve; atque in medio domus tuæ digne habitare concede : quo et ipsi domus tibimet spiritualis effecti, a te mereamur cœlitus laureari. ℟. Amen.

In Laudibus.

Antiphona. Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis *Psalmus* L.

D *Oratio*. Cordis nostri, *fol*. 210. *Canticum*. Sana me, Domine. *fol*. 259.

Matutinarium. Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi, Domine. ℣. Demonstra mihi viam, in qua ambulem; quia ad te, Domine, levavi animam meam.

Lauda. In sanctis ejus.

Lectio libri Malachim (*Regum III cap*. II).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Salomon sedit super thronum David patris sui, et firmatum est regnum ejus nimis. Et ingressus est Adonias filius Aggith ad Bethsabee matrem Salomonis. Quæ dixit ei : Pacificusne est

ingressus tuus? Qui respondit : Pacificus. Addiditque : A Sermo mihi est ad te. Cui ait : Loquere. Et ille : Tu, inquit, nosti, quia meum erat regnum, et me præposuerat omnis Israel sibi in regem : sed translatum est regnum, et factum est fratris mei : a Domino enim constitutum est ei. Nunc ergo petitionem unam precor a te ; ne confundas faciem meam. Quæ dixit ad eum : Loquere. Et ille ait : Precor ut dicas Salomoni regi (neque enim negare tibi quicquam potest) ut det mihi Abisag Sunamitem uxorem. Et ait Bethsabee : Bene, ego loquar pro te regi. Venit ergo Bethsabee ad regem Salomonem, ut loqueretur ei pro Adonia : et surrexit rex in occursum ejus, adoravit eam, et sedit super thronum suum : positusque est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram ejus. Dixitque ei : Petitionem unam B parvulam ego deprecor a te ; ne confundas faciem meam. Et dixit ei rex : Pete mater mea : neque enim fas est ut avertam faciem tuam. Quæ ait : Detur Abisag Sunamitis Adoniæ fratri tuo uxor. Responditque rex Salomon, et dixit matri suæ : Quare postulas Abisag Sunamitem Adoniæ? Postula ei et regnum : ipse est enim frater meus major me : et habet Abiathar sacerdotem, et Joab filium Sarviæ. Juravit itaque rex Salomon per Dominum, dicens : Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, quia contra animam suam locutus est Adonias verbum hoc. Et nunc vivit Dominus qui firmavit me, et collocavit me super solium David patris mei, et qui fecit mihi domum, sicut locutus est, quia hodie occidetur Adonias. Misitque rex Salomon per manum Banaiæ filii C Joiadæ, qui interfecit eum, et mortuus est. Abiathar quoque sacerdoti dixit rex : Vade in Anathoth ad agrum tuum, equidem vir mortis es : sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini Dei coram David patre meo, et sustinuisti laborem in omnibus, in quibus laboravit pater meus. Abjecit ergo Salomon Abiathar, ut non esset sacerdos Domini, ut impleretur sermo **331** Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo. Venit autem nuncius ad Salomonem, quod Joab declinasset post Adoniam, et post Salomonem, non declinasset : fugit ergo Joab in tabernaculum Domini, et apprehendit cornu altaris. Nunciatumque est regi Salomoni, quod fugisset Joab in tabernaculum Domini, et esset juxta altare : misitque Salomon Banaiam filium D Joiadæ, dicens : Vade, interfice eum. Et venit Banaias ad tabernaculum Domini, et dixit ei : Hæc dixit rex, egredere. Qui ait : Non egrediar, sed hic moriar. Renunciavit Banaias regi sermonem, dicens : Hæc locutus est Joab, et hæc locutus est mihi. Dixitque ei rex : Fac, sicut locutus est, et interfice eum, et sepeli, et amovebis sanguinem innocentem ; qui effusus est a Joab, a me, et a domo patris mei. Et reddet Dominus sanguinem ejus super caput ejus, quia interfecit duos viros justos, melioresque se : et occidit eos gladio, patre meo David ignorante, Abner filium Ner principem militiæ Israel, et Amasam filium Jether principem exercitus Juda : et revertetur sanguis illorum in caput Joab, et in caput seminis ejus in sempiternum. David autem et semini ejus, et domui, et throno illius sit pax usque in æternum a Domino. Ascendit itaque Banaias filius Joiadæ, et aggressus eum, interfecit sepultusque est in domo sua in deserto. Et constituit rex Banaiam filium Joiadæ pro eo super exercitum, et Sadoc sacerdotem posuit pro Abiathar. Misit quoque rex, et vocavit Semei. Dixit ei : Ædifica tibi domum in Hierusalem, et habita ibi : et non egredieris inde huc atque illuc. Quacumque autem die egressus fueris, et transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum : sanguis tuus erit super caput tuum. Dixitque Semei regi : Bonus sermo : sicut locutus est dominus meus rex, sic faciet servus tuus. Habitavit itaque Semei in Hierusalem diebus multis. Factum est autem post annos tres, ut fugerent servi Semei ad Achis filium Maacha regem Geth : nunciatumque est Semei, quod servi ejus issent in Geth. Et surrexit Semei, et stravit asinum suum : ivitque ad Achis in Geth ad requirendum servos suos, et adduxit eos de Geth. Nunciatum est autem regi Salomoni, quia esset Semei in Geth de Hierusalem, et rediisset. Et mittens vocavit eum, dixitque illi : Nonne testificatus sum tibi per Dominum, et prædixi tibi : Quacumque die egressus fueris huc et illuc, scito te esse moriturum? Et respondisti mihi : bonus sermo, quem audivi. Quare ergo non custodisti jusjurandum Domini ; et præceptum quod præceperam tibi? Dixitque rex ad Semei : Tu nosti omne malum, cujus tibi conscium est cor tuum, quod fecisti David patri meo : reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum. Et rex Salomon benedictus, et thronus David erit stabilis coram Domino usque in sempiternum. Jussit itaque rex Banaiæ filio Joiadæ : qui aggressus, percussit eum, et mortuus est. (*Regum III cap.* III.) Confirmatum est igitur regnum in manu Salomonis, et affinitate conjunctus est Pharaoni regi Ægypti : accepit namque filium ejus, et adduxit in civitatem David, donec compleret ædificans domum suam, et domum Domini, et murum Hierusalem per circuitum. Attamen populus immolabat in excelsis : non enim ædificatum erat templum nomini Domini usque in diem illum. Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis David patris sui. ℟. Amen.

Hymnus. Noctis tempus. *fol.* 257.

Capitula. Cognoscant gentes Christe, quod nomen sit tibi Dominus, pro quibus es patibulo crucis adpensus : quosque ignavia ignorantiæ dedit, scientia restituat conditori : ut fidei convertantur constantia ; et spe lætentur in gloria.

Pater noster.

Lauda. Feci judicium et justitiam. *fol.* 296.

Ad Tertiam.

Ecclesiastici Salomonis (*Cap.* I).

℟. Deo gratias.

Fili, timor Domini gloria est, et gloriatio, et lætitia et corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam, et gaudium in longitudinem dierum

Timenti Dominum bene erit in extrêmis, et in die defunctionis suæ benedicetur. Dilectio Dei honorabilis sapientia. Quibus autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione, et agnitione magnalium suorum. Initium sapientiæ, timor Domini, et cum fidelibus in vulva concreatus est, et cum electis feminis graditur. Concupisce sapientiam, et Deus præbebit illam tibi: sapientia, enim et disciplina timor Domini: et quod bene placitum est illi, fides, et mansuetudo, adimplebit thesauros illius. Audi fili, **332** et suscipe verba intellectus, et ne abjicias consilium meum. Mitte pedem tuum in compedibus illius, et in torque ejus tuum collum. Qui audit illam, judicat populus et qui intuetur illam permanebit confidenter. ℟. Amen.

Lectio libri Malachim (*II Regum. cap.* III).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Apparuit Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens: Postula quod vis ut dem tibi. Et ait Salomon: Tu fecisti cum servo tuo David patre meo misericordiam magnam, sicut ambulavit in conspectu tuo in veritate, et justitia, et recto corde tecum: custodisti ei misericordiam tuam grandem, et dedisti ei filium sedentem super thronum, sicut est hodie. Et nunc Domine Deus tu regnare fecisti servum tuum pro David patre meo: ego autem sum puer parvulus, et ignorans egressum et introitum meum. Et servus tuus in medio est populi, quem elegisti, populi infiniti, qui enumerari, et supputari non potest præ multitudine. Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, et discernere inter bonum et malum: quis enim potest judicare populum istum, populum tuum hunc multum? Placuit ergo sermo coram Domino, quod Salomon postulasset hujuscemodi rem. Et dixit Dominus Salomoni: Qui postulasti verbum hoc, et non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium: ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrectus sit. Si autem ambulaveris in viis meis, et custodieris præcepta mea, et mandata mea, sicut ambulavit pater tuus, longos faciem dies tuos. Igitur evigilavit Salomon, et intellexit quod esset somnium: cumque venisset Hierusalem, stetit coram arca fæderis Domini et obtulit holocausta, et fecit victimas pacificas, et grande convivium universis famulis suis. Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad regem, steteruntque coram eo, quarum una ait: Obsecro, mi domine: ego et mulier hæc habitabamus in domo una, et peperi apud eam in cubiculo. Tertia autem die postquam ego peperi, peperit et hæc: et eramus simul nullusque nobiscum in domo, exceptis nobis duabus. Mortuus est autem filius mulieris hujus nocte: dormiens quippe oppressit eum. Et consurgens intempestæ noctis silentio, tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, et collocavit in sinu suo: suum autem filium, qui erat mortuus, posuit in sinu meo, Cumque surrexissem mane, ut darem lac filio meo, apparuit mortuus: quem diligentius intuens clara luce deprehendi non esse meum quem genueram. Responditque altera mulier: Non est ita ut dicis, sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit. E contrario illa dicebat: Mentiris: filius quippe meus vivit, et filius tuus mortuus est. Atque in hunc modum contendebant coram rege. Tunc rex ait: Hæc dicit, Filius meus vivit, et filius tuus mortuus est. Et ista respondit. Non, sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit. Dixit ergo rex: Afferte mihi gladium. Cumque attulissent gladium coram rege: Dividite, inquit, infantem vivum in duas partes, et date dimidiam partem uni, et dimidiam partem alteri. Dixit autem mulier, cujus filius erat vivus, ad regem: (commota quippe sunt viscera ejus super filio suo): Obsecro, domine, date illi infantem vivum, et nolite interficere eum. E contrario illa dicebat: Nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur. Respondit rex, et ait: Date huic infantem vivum, et non occidatur: hæc est autem mater ejus. Audivit itaque omnis Israel judicium quod judicasset rex, et timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum judicium. ℟. Amen.

Antiphona 1. Deus meus ne elongeris a me: Deus meus in adjutorium meum intende. ℣. Deus in te speravi, Domine non confundar in æternum.

Oratio. Deus noster, ne elongeris qui longe factus est a persecutoribus tuis: ut tu solus in adjutorium nostrum respicias, qui in Cruce tua potestates hujus mundi triumphas. ℟. Amen.

Antiphona 2. Acuerunt linguas suas, sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum. ℣. Qui cogitaverunt malitias in corde suo: tota die constituebant prælia.

Oratio. Eripe, Domine, gregem populi tui a laqueis viri iniqui: ut, passionis tuæ circumfulti præsidio, nec hominem inimicum simplicitas Christiana incurrat; nec linguæ dolosæ in causis fidei, jaculo pertimescat. ℟. Amen.

333 *Antiphona* 3. Libera me, Domine, de ore leonis: et a cornibus unicornium humilitatem meam. ℣. Narrabo nomen tuum fratribus meis in medio ecclesiæ laudabo te.

℟. O vos omnes, qui transitis per viam, aspicite, et videte si est dolor sicut dolor meus: quia circumdederunt me undique, et captivum duxerunt. P. Et non est qui consoletur, nisi tu, Deus. ℣. Circumdederunt me inimici mei sicut apes ceram, et exarserunt sicut ignis in spinis; P. Et non est.

Preces. Verus Dei Filius Christe, P. Exaudi: populo supplicanti miserere. ℣. Qui triumpho Crucis tuæ salvasti solus orbem; tu cruoris tui pœna nos libera, P. Et exaudi. ℣. Qui moriens mortem damnas, resurgens vitam præstas, sustinens pro nobis pœnam indebitam, P. Et exaudi. ℣. Passionis tuæ dies celebremus indemnes, ut per hoc dulcedo tua nos foveat, P. Et exaudi. ℣. Pro quibus passus es crucem, non permittas perire: sed per crucem duc ad vitam perpetuam, P. Et exaudi.

-- *ymnus.* O Nazarene. *fol.* 144.

apitula. Exaltare, Domine, qui judicas terram: et qui ultionem reddis superbis, pietatis medelam impertire redemptis: et ipse præroga misericordiam re's, qui pro nobis es Cruci adjudicatus ab impiis. Pater noster.

Ad Sextam.

Lectio. Ezechielis Prophetæ (Cap. XXXVI).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: Tollam vos de gentibus, et congregabo vos de universis terris, et adducam vos in terram vestram. Et effundam super vos aquam mundam, et emundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris, et ab universis idolis vestris, et mundabo vos. Et faciam vos, ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis: ut sit signum inter me et vos, et sciatis quia ego sum Dominus Deus vester. ℟. Amen.

Antiphona 1. Tollam vos de gentibus, et congregabo vos de universis terris. Et effundam super vos aquam mundam. ℣. Audi populus meus, et loquar: Israel, testificabor tibi: Deus Deus tuus sum ego.

Oratio. Effunde, Domine, super nos aquam mundam, qua in omne sæculum erexisti Ecclesiam tuam: ut, quos ex gentibus, videlicet de universis terris, in eam adglomeras, regnum eis tuum usquequaque concedas. ℟. Amen.

Antiphona 2. Faciam vos ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis; ut non patiamini ultra opprobrium famis in gentibus. ℣. Audite hæc omnes gentes: auribus percipite, qui habitatis orbem. C

Oratio. Fac nos, Domine, in præceptis ambulare, et judicia tua custodire: ut, qui malorum famelico ore sæpe conlidimur, protectionis tuæ dexteræ conatu liberemur. ℟. Amen.

Antiphona 3. Lex Domini immaculata, convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

Oratio. Lex tua imprehensibilis convertat animas nostras: et testimonium tuum fidele præstet parvulis sapientiam: tuæ quoque justitiæ corda nostra lætificent, non contristent: tuumque præceptum oculos mentium nostrarum illuminet. ℟. Amen.

℟. Ecce per omnes semitas pascua eorum; non esurient, neque sitient: P. Sed misericordiam suam exhibet eis Dominus Deus eorum. ℣. Vide, Hierusalem, congregatos filios tuos, quia non percutientur ab æstu usque ad solem: P. Sed misericordiam. D

Preces. Dicamus omnes: Miserere, Domine, et exaudi nos. P. Quia. ℣. Jugum grave premit plebem; et non est qui eruat nisi tu, Domine, *P.* Quia. ℣. Peccata nostra nos incurvant, et flagellant; sed tu, Domine, libera. *P.* Quia. ℣. Vastati sumus et turbati a gentibus; sed tu, Domine, defende nos. *P.* Quia. ℣. Cor contritum et humiliatum ne spernas, sed lætum facias. *P.* Quia. ℣. Dispersi sumus: ne a bestiis abigamur; sed jam redime, Domine. P. Quia. ℣. Furorem tuum fac pla-

A catum propter populum humiliatum. P. Quia. ℣. Ululatum plebis audi clemens, et respice, Domine, quos redemisti sanguine. P. Quia.

Hymnus. O Nazarene. *fol.* 144.

Capitula. Hymnum novum, et dulce canticum, ac tuæ laudis præconium, Domine, crebro nos tibi facito adclamare: ut in pascua vitæ, id est, super aquam refectionis educando convertas: ut non esuriamus nec sitiamus in æternum; dum pedes nostros in semitis tuis gratia tua feceris esse firmissimos. Pater noster.

334 *In Ramis palmarum, ingrediente Vespera.*

Lauda. Illumina, Domine, in vultum tuum super nos servos tuos: P. Et doce eos justificationes tuas. ℣. Declaratio sermonum tuorum illuminet eos, et
B intellectum det parvulis. P. Et doce eos.

Oratio. Illumina Domine vultum tuum super nos, ut declaratio sermonum tuorum corda illuminet nostra; et intellectus pectora enutriat parvulorum: ut, dum mandata tua concupiscimus, sapientiæ et intellectus spiritum corde patefacto sumamus. ℟. Amen.

Antiphona. Benedicti Patris mei, venite: P. Percipite regnum, quod præparatum est vobis ab initio sæculi. ℣. Magnificate Dominum mecum: et exaltemus nomen ejus in unum.

Lauda. Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. ℣. Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos.

Hymnus.

Vocaris ad vitam, Sacrum Dei Genus,
Creator asciscens, amat quæ condidit:
Redemptor attrahit benigno spiritu:
Venite, dicit, vester unus sum Deus.

Damnationis vos jugum pressit grave;
Collum dedistis ponderi nequitiæ;
Os tranquillavit guttur, et pernicies;
Substate, quicquid affluit, totum ruit.

Prorsus relicto claritatis lumine
Ingens chaos vos pessime concluserat:
Locus Beatitudinis jam non erat;
Cruenta terra qua re mors intraverat.

En, mitis adveni, creans, recreans, Deus.
Potens, infirmitatis particeps vestræ
Valenter vos feram, concurrite;
Ut jam receptet vos ovile gaudii.

Signo crucis frons prænotetur indito:
Aures, et os perfusa signet unctio:
Præbete dictis cordis aurem: vividum
Confessionis personate canticum

Omnes novo estote læti nomine:
Omnes novæ sortis fovet hereditas:
Nullus manebit servus hostis subditus:
Eritis unius Dei regnum manens.

Honor sit æterno Deo, sit gloria
Uni Patri, ejusque soli Filio,
Cum Spiritu; quæ Trinitas perenniter
Vivit potens in sæculorum sæcula.
Amen.

Capitula. Deus, qui ad judicium cum Sanctis omnibus venies, et tamen nunc in gremio matris Ecclesiæ facis per fidem populos habitare unanimes, suscipe precem familiæ tuæ, et benedic hereditati tuæ : injunge, ut et renatis jam nobis omnibus per aquam et Spiritum Sanctum sit remissio peccatorum ; et his quis sacramentis fidei initiantur perfectæ credulitalis imprimatur mysterium quo et in nobis et in illis ita veræ fidei sacramenta fructificent, ut tu, solus sacramentorum ipsorum auctor, in nobis nunc et in æternum solus exultes.

Pater noster.

Benedictio. Deus, qui Ecclesiam suam ditat multiplici fœconditate credentium, et regeneratis suam præbeat gratiam, et regeneraturis concedat, ut ad sanctæ fidei consummata perveniant mysteria. ℟. Amen. Sit utrorumque plena salvatio, qui Christianorum est vera redemptio. ℟. Amen. Ut in illo et credentes habeatis vitam, et cum credituris gaudia possideatis cœlestia. ℟. Amen.

Lauda. Pater, clarifica me claritate, quam habui apud te priusquam mundus fieret. ℣. Declaratio sermonum tuorum illuminat: et intellectum dat parvulis.

Oratio. Declaratio sermonum tuorum illuminans Domine, corda et intellectum, pectora enutriat parvula : ut dum mandata tua conscupiscimus, sapientiæ et intellectus spiritum corde patefacto sumamus. ℟. Amen.

Lauda. Hæc est generatio quærentium Dominum, requirentium faciem Dei Jacob. ℣. Domini est terra, et plenitudo ejus : orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo.

Oratio. Ædifica Domine super aquam refectionis plebem quam formasti per aquam baptismatis: ut legalibns inebriata doctrinis, illic nostrum inrapiat desiderium, ubi te dare æternum promittis præmium Beatorum. ℟. Amen.

Lauda. Inquirentes Dominum non deficient ad omni bono. Venite filii audite me : timorem Domini docebo vos. ℣. Magnificate Dominum mecum : et exaltemus nomen ejus in unum.

Oratio. Inquirentes te Domine, dignanter exaudi, atque ut in te laudetur anima nostra **335** propitius indulator imperti : et quia juxta es iis qui tribulato sunt corde, aurem tuam ad contritionem nostri spiritus pande ; et ad pacem, quæ exsuperat omnem sensum, corpora nostra et corda converte. ℟. Amen,

DOMINICA IN RAMIS PALMARUM.

Ad Matutinum.

Hymnus. Æterne rerum. *fol.* 3.

Oratio. Domine Deus Pater omnipotens, inspirator precum, teque invocantium velox auditor, voci nostræ, oramus, clementiæ tuæ aurem appone; et nostrorum vincula peccaminum potenti miseratione dissolve : ac, sicut nos gallorum canoribus ad matutini gratiam provocas consurgere, et prophetali vaticinio in lucem gentium unicæ redemptionis prænuncias ; ita A nunc navigantibus nobis intuitu superno adsiste. Sic, quæsumus, famulatus nostri vota suscipias : ut ad lucem lucis abundanti nos misericordia sublevando perducas. ℟. Amen.

Antiphona. Super populum tuum, Deus salus tua et benedictio. *Psalmus* III.

Antiphona. Cor mundum crea in nos Deus : et spiritum rectum innova in visceribus meis. *Psalmus* L.

Antiphona. In umbra alarum tuarum speramus, Deus, donec transeat a nobis iniquitas. *Psalmus* LVI.

Oratio. Domine Deus, apud quem confitentes medelam salutis inveniunt ; dele piaculorum vulnera cordibus hominum ; et ostende super nos clementiæ tuæ clarissimum vultum; tuumque clamoribus supplicum
B inclina sanctum auditum : Effunde mentibus nostris tuæ gratiæ donum ; et concede postulantibus remedium quæsitum ; ac qui ad impendendum debitum nostræ servitutis consurgimus; effunde benedictionis et salutis abundantiam super populum tuum : ac dele misericors scelus contractum ; et fac non esse liberos a reatu facinorum : audi gemitus pœnitentium ; largire indulgentiæ fructum ; et clamoribus pulsantium fidelium concede singulis suffragium postulatum. ℟. Amen.

Antiphona 1. Annunciabitur Domino generatio ventura. P. Et annunciabunt justitiam ejus populo, qui nascetur, quem fecit Dominus. ℣. Narrabo nomen tuum fratribus meis : in medio Ecclesiæ laudabo te.

C *Oratio.* Ecce, Domine, venturam, quam prædixit olim generationem Propheta; quæ utique per fidem cucurrit, ut ad te veniat: Suscipe ergo eam : ut perfectione salutaris lavacri tincta, æternæ Hierusalem nobiscum possideat gaudia infinita. ℟. Amen.

Antiphona 2. Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ ; et adorabunt in conspectu ejus omnes patriæ gentium. ℣. Edent pauperes, et saturabuntur : et laudabunt Dominum, qui requirunt eum : vivit cor eorum in sæculum sæculi.

Oratio. Christe, qui propter incredulitatem relinquens populum Synagogæ, innumeram tibi plebem Ecclesiæ ex omnibus gentibus ampliasti : imple quod prophetali vaticinio prædixisti ; ut reminiscantur, et convertantur ad te Deum universi fines terræ, adorentque
D te omnes patriæ gentium, qui solus salvasti utique mundum : Suscita ergo tibi filios credulitatis, ex Circumcisione et Præputio venientes : ut et quot veniunt, pervehantur ad fidei regnum ; et quot venerunt vel venerint, nullis meritorum sordibus a tua hereditate priventur. ℟. Amen.

Antiphona 3. Intrate portas Domini in confessione, P. Atria ejus in hymnis confessionum. ℣. Jubila te Domino omnis terra, psalmum dicite nomini ejus.

Oratio. Servientes tibi, Domine, in timore, intremus portas tuas in confessione, et atria tua in hymnis confessionum : laudemus nomen tuum ; quoniam suavis es ; atque ut os nostrum dilatetur in tuis lau-

dibus, cor nostrum instiges; et in sæculum præ- A
cellet veritas infinita. ℟. Amen.

℟. Boves meæ et oves gregis mei vos estis ;

P. Et ego Dominus vester, dicit Dominus,

℣. Dabo legem meam in visceribus vestris, et in cordibus vestris adscribam eam, et eritis mihi in populum; P. Et ego.

Oratio. Christe, Filius Dei Patris, qui ad oves, quæ perierant domus Israel, te missum esse testaris ; ut verus pastor super oves tuas invigila, et gubernacula in eis prætende pastoria : quo tuæ custodiæ defensione vallata, et credentes et credituri morsum evadant insatiabilis inimici. ℟. Amen.

Ad Canticum. Antiphona. Attende cælum, et loquar, et **336** audiat terra verba ex ore meo : exspectetur sicut pluvia eloquium meum. Quia nomen B
Domini invocavi.

Canticum. Attende cœlum. *fol.* 4.

Matutinarium. Hierusalem vitæ claritatem, quæ tibi a Deo superveniet : ecce filii tui collecti ab oriente et occidente gaudentes in regno Dei. ℣. Lauda Hierusalem Dominum : conlauda Deum tuum Sion.

Lauda. Seniores cum junioribus laudate Dominum ; P. Et exaltate nomen ejus solius. ℣. Confitemini Domino in cœlo et in terra ; P. Et exaltate. ℣. Hymnum dicite Deo omnes servi ejus ; *P.* Et exaltate.

Lectio libri Samuelis (*I Regnum cap.* XVI).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Dixit Dominus ad Samuelem : C
Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum ne regnet super Israel ? Imple cornu tuum oleo, et veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemitem : providi enim in filiis ejus mihi regem. Et ait Samuel : Quo vadam? audiet enim Saul, et interficiet me. Et ait Dominus : Vitulum de armento tolles in manu tua, et dices ; Ad immolandum Domino veni. Et vocabis Isai ad victimam, et ego ostendam tibi quid facias, et unges quemcumque ad monstravero tibi. Fecit ergo Samuel, sicut locutus est ei Dominus. Venitque in Bethlehem, et admirati sunt seniores civitatis, occurrentes ei. Dixeruntque : Pacificusne est ingressus tuus ? Et ait : Pacificus : ad immolandum Domino veni, sanctificamini, et venite mecum ut immolem. Sanctificavit ergo Isai et filios ejus, et vocavit eos D
ad sacrificium. Cumque ingressi essent, vidit Heliab, et ait : Num coram Domino est Christus ejus? Dixit Dominus ad Samuelem : Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus : quoniam abjeci eum, neque juxta intuitum hominis ego judico : homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. Et vocavit Isai Aminadab, et adduxit eum coram Samuel. Qui dixit : Nec hunc elegit Dominus. Adduxit autem Isai Samma, de quo ait : Etiam hunc non elegit Dominus. Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuel : et ait Samuel ad Isai : Non elegit Dominus ex istis. Dixitque Samuel Isai : Numquid jam completi sunt filii? Qui respondit : Adhuc reliquus est parvulus, et pascit oves. Et ait Samuel ad Isai : Mitte, et adduc eum : nec enim discumbemus priusquam huc ille veniat. Misit ergo, et adduxit eum. Erat autem rufus, et pulcher aspectu, decoraque facie : et ait Dominus : Surge, et unge eum, ipse est enim. Tulit ergo Samuel cornu olei, et unxit eum in medio fratrum ejus : et directus est Spiritus Domini a die illa in David. ℟. Amen.

Hymnus. Vocaris ad vitam. *fol.* 334.

Capitula. Ne obliviscaris Domine vocem quærentium te; et superbiam eorum, qui te oderunt, ascendentem in sempiternum : ut hi, qui per adnotationem officii in gremio Ecclesiæ matris suscepti sunt; ad sacri Baptismatis gratiam accedere mereantur : quo et illi talia optantes perceptum inter nos lavacri non denegatur mysterium ; et ipsi nobiscum possideant gaudium infinitum.

Lauda. Pater, clarifica me. *fol.* 334.

Exeunte Vespera.

Lauda. In noctibus extollite. *fol.* 140.

Antiphona. Pater sancte, quos dedisti mihi, volo ut, ubi ego sum, et ipsi sint mecum. ℣. Narrabo nomen tuum fratribus meis : in medio Ecclesiæ laudabo te.

Lauda. Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit : sanctifica illos, ut sint et ipsi sancti in veritate. ℣. Declaratio sermonum tuorum illuminat : et intellectum dat parvulis.

Hymnus. Vocaveris ad vitam. *fol.* 334.

Capitula. Hæc est, Domine, novella generationis inclyta fides, quæ te exquirit, ut videat; quæ te concupiscit, ut in te feliciter vivat : Aperi ergo eis, quæsumus, sanctæ fidei sacramentum : ut in qua nos perfectione conscendisse cognoscimus, in ea etiam et hos illustres existere gratulemur : ut et illi ad redemptionis perveniant gaudia, et nos perceptæ redemptionis inlibata in nobis conservemus mysteria.

Pater noster.

Benedictio. Christus Dominus, qui salutis suæ signo humano generi dat salutem, det nobis cum his, qui nunc ad ejus veniunt fidem, pervenire ad æternam hereditatem. ℟. Amen. Donet quoque vobis inlibatum redemptoris nostræ capere fructum, et illis feliciter ad salutaris lavacri pervenire mysterium. ℟. Amen. Ut regeneratis et regeneraturis sic divinæ protectionis gratia faveat, ut nullum ex his ad æterna possessione excludat. ℟. Amen.

Lauda. Notum feci eis, Domine, nomen tuum, **337** et notum faciam : ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis. ℣. Lex Domini immaculata convertens animas.

Oratio. Notam nobis fac, Domine, tuam justitiam; et ut eam exquiramus, cor nostrum ardore caritatis accende : da intellectum sensui nostro, quo valeamus tuæ legis abdita prescrutari : da perfectionem fidei, ut possimus tuorum præceptorum ordinem custodire, ut per hæc et a peccato immunes, et beatæ vitæ efficiamur heredes. ℟. Amen.

Lauda. Legem pone eis Domine viam justitiæ : et

exquirant eam semper. ℟. Da mihi intellectum, et perscrutabor legem tuam : et custodiam illam in toto corde, Domine.

Oratio. Inclina cor nostrum, Domine, in testimonia tua ; a quo intuitus vanitatis averte : ut ab amore terreno nos segreges : et supernæ dilectioni consocies. ℟. Amen.

Lauda. Da eis intellectum, Domine, ut discant mandata tua. ℟. Qui timent te videbunt me, et lætabuntur : quia in verbo tuo speravi.

Oratio. Æquitatem testimoniorum tuorum, Domine, da nobis avidiori sensu capere : ut, quod mortificat in nos stultitia vivificet a te sapientia destinata. ℟. Amen.

SECUNDA FERIA POST RAMOS.

Ad Matutinum.

Antiphona. Exsurge Domine: salvum me fac Deus meus. Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa. *Psalmus* III.

Oratio. Exsurge Domine, non a somno, non a loco, non e tempore, immense pervigil sempiterne : ut quia pusillum gregem tuum multi persequuntur, multi lacerant; ut propitiator atque defensor adesto spes a turbine, umbraculum ab æstu : et insurgentium feritatem, nos quæsumus, et consilia iniqua despicias ; et sævientium in nos dentes ac pedes conteras ; et circumdantium nos millia collecta disperdas. ℟. Amen.

Antiphona 1. Ne tradideris me, Domine, in manibus persequentium me : quoniam insurrexerunt in me testes falsi, et mentiti sunt ipsi sibi. Adjutor meus es tu, Domine : ne derelinquas me. ℣. Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo ? Dominus defensor vitæ meæ, a quo trepidabo ?

Oratio. Ne tradideris Domine, Ecclesiam tuam in persequentium se manu cruenta : in insurgentes in ea testes falsi, resileant ; cum in ea Crucis vexilla fuerint elevata . ℟. Amen.

Antiphona 2. Cum operantibus iniquitatem ne perdas me, Domine ; cum his, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. ℟. Secundum operationem manuum eorum retribue illis ; redde retributionem eorum ipsis.

Oratio. Cum operantibus iniquitatem ne perdas nos Domine : et quia passionis tempore loquentes foris pacem, mala autem in cordibus meditantes, singulari patientia perferre dignatus es : nos famulos tuos et a totius simultatis vitio liberes, et a talium conventu et hic et in æternum reddas exsortes. ℟. Amen.

Antiphona 3. Circumdederunt me inimici mei, sicut apes ceram, et exarserunt, sicut ignis in spinis : et in nomine Domini superavi eos. ℣. Tamquam cumulus arenæ impulsus sum, ut caderem : et Dominus suscepit me.

Capitula. Circumdantes animam tuam, Christe Domine, inimici alacriter super te, ut apes super ceram, inruerunt ; cum tempore passionis cuneus super te exarsit, sicut ignis in spinis. Et ideo quæ-

A sumus, ad precem Ecclesiæ tuæ jam respice : et cruentum sævientis hostis de manu gladium tolle : ut mucronem suum decisum sentiat, cum per eos, quos tenuerit, fidei tuæ cognoverit prædicari doctrinam. ℟. Amen.

℟. Congregati sunt adversus justum omnes principes Juda, et comprehenderunt eum dicentes : Morte moriatur homo iste : et locutus est ad eos, dicens : P. Ecce ego in manibus vestris sum ; operamini in me, sicut consiliamini in cordibus vestris: verumtamen, si morte condemnabitis, scitote, quia sanguinem innocentem contra vos traditis. ℣. Omnes in sanguine insidiati sunt virum justum : venati sunt ad mortem ; ipse autem pacifica verba loquebatur ad eos. P. Ecce. *Non* Gloria.

B *Oratio.* Jesu, Salvator noster et Domine, adversus quem omnes Juda principes congregati, immane facinus perpetrantes, sanguinem innocentem effnudunt : quo et Mundus **338** veternosi criminis eloquio emundatur, et cuncta, quæ in terra sunt, unione pacis sociata noscuntur ; nos ejusdem tui cruoris perceptione a cunctis sordibus delictorum emacula, et innocentiæ bono exorna : quatenus vinculo alternæ pacis innexi, tempore judicii tui tibi ut veræ pacis filii præsentemur, et ex tuæ visionis intuitu nullatenus confundamur. ℟. Amen.

In Laudibus.

Antiphona. Averte faciem tuam a peccatis meis : et omnes iniquitates meas dele. *Psalmus* L.

Oratio. Averte faciem tuam. *fol.* 161.

C *Ad Canticum Antiphona.* Factus sum in derisum tota die, et omnes subsannabant me.

Canticum. Seduxisti me, Domine. *fol.* 276.

Matutinarium. In matutinis meditabor in te : quia factus es susceptor meus, Domine. ℣. Deus Deus meus ad te de luce vigilo.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis : laudate eum in excelsis : Angeli ejus, laudate eum.

Lectio, libri Malachim. (*III Regum cap.* XI).

℟. Deo gratias.

In illis diebus cum esset Salomon senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos : nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus. Sed colebat Salomon Astherthen deam Sidoniorum, et Chamos deum Moabitarum, et Moloch idolum Ammonitarum.
D Fecitque Salomon quod non placuerat coram Domino, et non adimplevit ut sequeretur Dominum sicut David pater ejus. Tunc ædificavit Salomon fanum Chamos idolo Moab, in monte contra Hierusalem, et Moloch idolo filiorum Ammon. Atque in hunc modum fecit universis uxoribus suis alienigenis, quæ adolebant thura, et immolabant diis suis. Igitur iratus est Dominus Salomoni, quod aversa esset mens ejus a Domino Deo Israel, qui apparuerat ei secundo, et præceperat de verbo hoc ne sequeretur deos alienos, et non custodivit quæ mandavit ei Dominus, Dixit itaque Dominus Salomoni : Quia habuisti hoc apud te, et non custodisti pactum

meum, et præcepta mea quæ mandavi tibi, disrumpens scindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo. Verumtamen in diebus tuis non faciam, propter David patrem tuum : de manu filii tui scindam illud, nec totum regnum auferam, sed tribum unam dabo filio tuo, propter David servum meum, et Hierusalem quam elegi. Suscitavit autem Dominus adversarium Salomoni, Adad Idumæum de semine regio, qui erat in Edom. Cum enim esset David in Idumæa, et ascendisset Joab princeps militiæ ad sepeliendum eos qui fuerant interfecti, et occidisset omne masculum in Idumæa (sex enim mensibus ibi moratus est Joab, et omnis Israel, donec interimeret omne masculum in Idumæa), fugit Adad ipse, et viri Idumæi de servis patris ejus cum eo, ut ingrederetur Ægyptum : erat autem Adad puer parvulus. Cumque sur- B
rexissent de Madian, venere in Pharan, tuleruntque secum viros de Pharan, et introierunt Ægyptum ad Pharaonem regem Ægypti : qui dedit ei domum, et cibos constituit, et terram delegavit. Et invenit Adad gratiam coram Pharaone valde intimam, ut daret ei uxorem sororem uxoris suæ germanam Taphnes reginæ. Genuitque ei soror Taphnes Genebath filium, et nutrivit eum Taphnes in domo Pharaonis : eratque Genebath habitans apud Pharaonem cum filiis ejus. Cumque audisset Adad in Ægypto, dormisse David cum patribus suis, et mortuum esse Joab principem militiæ, dixit Pharaoni : Dimitte me, ut vadam in terram meam. Dixitque ei Pharao : Qua enim re apud me indiges, ut quæras ire ad terram tuam ? At ille respondit : Nulla : sed C
obsecro te ut dimittas me. Suscitavit quoque ei Deus adversarium Razon filium Eliadam, qui fugerat ad Adarezer regem Soba dominum suum : et congregavit contra eum viros, et factus est princeps latronum cum interficeret eos David : abieruntque Damascum, et habitaverunt ibi, et constituerunt eum regem in Damasco, eratque adversarius Israeli cunctis diebus Salomonis : et hoc est malum Adad, et odium contra Israel, regnavitque in Syria. Hieroboam quoque filius Nabath Euphrateus de Sareda servus Salomonis, cujus mater erat nomine Sarva, mulier vidua : lævavit manum contra regem. Et hæc est causa rebellionis adversus eum, quia Salomon ædificavit Mello, et coæquavit voraginem civitatis David patris sui. Erat autem Hieroboam vir fortis et potens : vi- D
densque Salomon adolescentem bonæ indolis et industrium, constituerat eum præfectum super tributa universæ domus Joseph. Factum est igitur in tempore illo, ut Hieroboam egrederetur de Hierusalem, et inveniret eum. **339** Abias Silonites propheta in via, opertus pallio novo : erant autem duo tantum in agro. Apprehendensque Ahias pallium suum novum, quo coopertus erat, scidit in duodecim partes, et ait ad Hieroboam : Tolle tibi decem scissuras : hæc enim dicit Dominus Deus Israel : Ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus. porro una tribus remanebit ei, propter servum meum David, et Hierusalem civitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Israel : eo quod dereliquerit me, et adoravit Astherthen deam Sidoniorum, et Chamos deum Moab, et Moloch deum filiorum Ammon : et non ambulaverit in viis meis, ut faceret justitiam coram me, et præcepta mea et judicia, sicut David pater ejus. Nec auferam omne regnum de manu ejus, sed ducem ponam eum cunctis diebus vitæ suæ, propter David servum meum, quem elegi, qui custodivit mandata mea et præcepta mea. Auferam autem regnum de manu filii ejus, et dabo tibi decem tribus : filio autem ejus dabo tribum unam, ut remaneat lucerna David servo meo cunctis diebus coram me in Hierusalem civitate, quam elegi ut esset nomen meum ibi. Te autem assumam, et regnabis super omnia, quæ desiderat anima tua, erisque rex super Israel. Si igitur audieris omnia quæ præcepero tibi, et ambulaveris in viis meis, et feceris quod rectum est coram me, custodiens mandata mea et præcepta mea, sicut fecit David servus meus : ero tecum, et ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificavi David domum, et tradam tibi Israel : et affligam semen David super hoc, verumtamen non cunctis diebus. Voluit ergo Salomon interficere Hieroboam : qui surrexit, et aufugit in Ægyptum ad Sesac regem Ægypti, et fuit in Ægypto usque ad mortem Salomonis. Reliquum autem verborum Salomonis, et omnia, quæ fecit, et sapientia ejus : ecce universa scripta sunt in libro verborum Salomonis. Dies autem quos regnavit Salomon in Hierusalem super omnem Israel, quadraginta anni sunt. Dormivitque Salomon cum patribus suis, et sepultus est in civitate David patris sui, regnavitque Roboam filius ejus pro eo. (*Cap.* XII.) Venit autem Roboam in Sichem : illuc enim congregatus erat omnis populus israel ad constituendum eum regem. At vero Hieroboam filius Nabath, cum adhuc esset in Ægypto profugus a facie regis Salomonis, audita morte ejus, reversus est de Ægypto. Miseruntque et vocaverunt eum : venit ergo Hieroboam, et omnis multitudo Israel, et locuti sunt ad Roboam, dicentes : Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis : tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, et de jugo gravissimo quod imposuit nobis, et serviemus tibi. Qui ait eis : Ite usque ad tertium diem, et revertimini ad me. Cumque abiisset populus, iniit consilium rex Roboam cum senioribus, qui assistebant coram Salomone patre ejus, cum adhuc viveret, et ait eis : Quod datis consilium, ut respondeam populo ? Qui dixerunt ei : Si hodie obedieris populo huic, et servieris, et petitioni eorum cesseris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi servi cunctis diebus : qui dereliquit consilium senum, quod dederant ei, et adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo, et assistebant illi, dixitque ad eos : Quod mihi datis consilium, ut respondeam populo huic, qui dixerunt mihi : Levius fac jugum quod imposuit pater tuus super nos ? Et dixerunt ei juvenes qui nutriti fuerant cum eo : Sic loquere populo huic, qui locuti sunt ad te dicentes : Pater

tuus aggravavit jugum nostrum, tu releva nos. Sic A loqueris ad eos: Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. Et nunc pater meus posuit super vos jugum grave, ego autem addam super jugum vestrum: pater meus cecidit vos flagellis; ego autem cædam vos scorpionibus. Et non acquievit rex populo: quoniam adversatus fuerat eum Dominus, ut suscitaret verbum suum, quod locutus fuerat in manu Abiæ Silonitæ ad Hieroboam filium Nabath. Videns itaque populus, quod noluisset eos audire rex, respondit ei dicens: Quæ nobis pars in David? vel quæ hereditas in filio Isai? Vade in tabernacula tua Israel, nunc vide domum tuam David. Et abiit Israel in tabernacula sua. Super filios autem Israel, quicumque habitabant in civitatibus Juda, regnavit Roboam. Misit ergo rex Roboam Aduram, qui erat B super tributa: et lapidavit eum omnis Israel, et mortuus est. Porro rex Roboam festinus ascendit currum, et fugit in Hierusalem: recessitque Israel, a domo David, usque in presentem diem. Factum est autem cum audisset omnis Israel, quod reversus esset Hieroboam, miserunt, et vocaverunt eum congregato cœtu, et constituerunt eum regem super omnem Israel, nec **340** secutus est quispiam domum David præter tribum Juda solam. Venit autem Roboam Hierusalem, et congregavit universam domum Juda, et tribum Benjamin centum octoginta milia electorum virorum et bellatorum, ut pugnarent contra domum Israel, et reducerent regnum Roboam filio Salomonis. Factus est autem sermo Domini ad Semeiam virum Dei, dicens: Loquere ad C Roboam filium Salomonis regem Juda, et ad omnem domum Juda, et Benjamin, et reliquos de populo, dicens: Hæc dicit Dominus: Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros filios Israel: revertatur vir in domum suam; a me enim factum est verbum hoc. Audierunt sermonem Domini, et reversi sunt de itinere, sicut eis præceperat Dominus. ℟. Amen.

Hymnus. Noctis tempus jam præterit. *f.* 257.

Capitula. Exaudi Domine lamentabilem Ecclesiæ tuæ gemitum; qui pro ea sustulisti injuriam passionum: ignominiis careat, quæ se salvatam tuis passionibus ignorat: ut æternitatis tuæ judicio, et pressurarum eam tribulationibus releves, et tibi coronandam sine fine associes. D

Pater noster.

Lauda. Inquirentes Dominum non deficient ab omni bono. Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos. ℣. Redimet Dominus animas servorum suorum: et non derelinquet omnes qui sperant in eum.

Oratio. Inquirentes te Domine dignanter exaudi; atque ut in te laudetur anima nostra, propitius indultor imperti: et quia juxta es his qui tribulato sunt corde, aurem tuam ad contritionem nostri spiritus pande: et ad pacem, quæ exsuperat omnem sensum, corpora nostra et corda converte. ℟. Amen.

Ad Tertiam.

Ecclesiastici Salomonis (*Cap.* XXXVII).

℟. Deo gratias.

Fili, omnis amicus dicet: Et ego amicitiam copulavi: sed est amicus solo nomine amicus. Nonne tristitia inest usque ad mortem? Sodalis autem et amicus ad inimicitiam convertentur. O præsumptio nequissima, unde creata es cooperire aridam malitia, et dolositate illius? Sodalis amico condolet causa ventris, et contra hostem accipiet scutum. Non obliviscaris amici tui in animo tuo, et non immemor sis illius in operibus tuis. Omnis consiliarius prodit consilium, sed est consiliarius in semetipso. A consiliario serva animam tuam: prius scito quæ sit illius necessitas: et quod ipse in animo suo cogitabit: ne forte mittat sudem in terram, et dicat tibi: Bona est via tua; et stet e contrario videre quid tibi eveniat. Cum viro religioso tracta de sanctitate, et cum justo de justitia. ℟. Amen.

Antiphona 1. Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus Christum ejus. ℣. Disrumpamus vincula eorum: et projiciamus a nobis jugum ipsum.

Oratio. Christe Deus, apud quem reges terræ astiterunt meditantes inania, et principes convenerunt; da nobis speciale munus hoc gratiæ, ut adversis nesciamus ullo modo cedere: quo sic in furore tuo infidelitas conturbetur, ut lex adjutorio nostra credulitas coronetur. ℟. Amen.

Antiphona 2. Genua mea infirmata sunt præ jejunio: et caro mea immutata est propter misericordiam. Et ego factus sum opprobrium illis. ℣. Deus laudem meam ne tacueris: quoniam os peccatoris, et os dolosi super me apertum est.

Oratio. Unigenite Fili Dei, cujus in jejunio infirmata sunt genua; cujusque caro immutata est propter oleum: fac nos post te efficaciter currere in odorem unguentorum; ut qui factus est in opprobrium inimicis nostris, efficiaris potentia salutaris. ℟. Amen.

Antiphona 3. Ego, Domine, cum mihi molesti essent, induebam me cilicio. Et humiliabam in jejunio animam meam: et oratio mea in sinu meo convertebatur. ℣. Sicut proximum, et sicut fratrem nostrum, ita complacebam: tamquam lugens contristatus, ita humiliabar. *Non dicatur* Gloria.

℟. Animam meam dilectam tradidi in manibus inimicorum meorum. Et facta est mihi hereditas mea tamquam leo in silva: dedit contra me vocem adversarius, dicens: Congregamini, et properate ad devorandum illum: posuerunt me in desertum solitudinis. P. Et luxit super me omnis terra, quia non est inventus, qui me cognosceret, nec faceret bene. ℣. Posuerunt me in lacu inferiori in tenebris et in umbra mortis. P. Et luxit. *Reiteretur* ℟.

Preces. Precem populi tui, Domine, attende. P. Et parce peccatis nostris, quia pius es. **341** ℣. Creator Mundi Domine, qui æquitatem judicas, tu

nos a malo libera dextera tua, P. Et parce. ℣. Qui cruce tua Gentium adquiris tibi populum : dele peccata omnium placatus, Christe, P. Et. ℣. Qui Patrem tuum invocas ; et ut ignoscat, postulas : dimitte nobis debita, vincla relaxa, P. Et. ℣. Qui paradisi requiem prius latroni confers, succurre pœnitentibus vinctos, P. Et.

Hymnus. O Nazarene. *fol.* 144.

Capitula. Deus Dei Fili, qui in suscepta veri hominis carne passionum injuriam pro nobis dignatus es tolerare ; tu nos passionis tuæ mysterio a morte perpetua liberos redde ; ut, quos moriens et resurgens liberasti de tenebris, judicans et regnans eruas a tormentis.

Pater noster, etc.

Ad Sextam.

Lectio libri Ezechielis Prophetæ (*Cap.* XXV).

℟. Deo gratias.

Factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, pone faciem tuam contra filios Ammon, et prophetabis de eis. Et dices filiis Ammon : Audite verbum Domini Dei : Hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod dixisti : Euge, euge super sanctuarium meum, quia pollutum est ; et super domum Juda quoniam ducti sunt in captivitatem : idcirco ecce ego tradam te filiis orientalibus in hereditatem, et collocabunt caulas suas in te, et ponent in te tentoria sua : ipsi comedent fruges tuas : et ipsi bibent lac tuum. Daboque Rabbath in habitaculum Camelorum, et filios Ammon in cubile pecorum : et scietis quia ego Dominus. Quia hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod plausisti manu, et percussisti pede, et gavisa es ex toto affectu super terram Israel : Idcirco ecce ego extendam manum meam super te, et tradam te in direptionem gentium, et interficiam te de populis, et perdam te de terris, et conteram : et scietis quia ego sum Dominus Deus vester. ℟. Amen.

Antiphona 1. Custodi me, Domine, de manu peccatoris : ab hominibus iniquis libera me, Domine. ℣. Eripe me, Domine, ab homine malo : a viro iniquo et doloso libera me.

Oratio. Custodi nos, Domine, de manu peccatoris ; et libera ab hominibus iniquis : ut, quia tu es protectio nostra ; protectorem te in munere capiamus in gloriam sempiternam. ℟. Amen.

Antiphona 2. Dederunt fel in escam meam, et in siti mea potaverunt me aceto : fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum. ℣. Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum illorum semper incurva.

Oratio. Christi, Dei Fili, qui ultimo passionis exitu felle et aceto potatus es Judæorum ; præsta nobis, ut per hoc, quod tu amaritudinem propinatus es, amaritudinum tuarum nos potatione debries : ut et amaritudo mortis tuæ, dilectionis in nos augeat flammam ; et resurrectionis potentia perfectam faciei tuæ nobis repræsentet gloriam repromissam. ℟. Amen.

Antiphona 3. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum : factus sum sicut homo sine adjutorio, in-

A ter mortuos liber. ℣. Domine Deus salutis meæ, die clamavi, et nocte coram te.

℟. Unusquisque se a proximo suo custodiat ; et in fratre suo non habeat fiduciam : quia omnis frater supplantavit, et omnis amicus fraudulenter incedit, P. Nec loquitur veritatem. ℣. In labiis suis indulcat inimicus, ut subvertat amicum suum in foveam : ex multa enim loquela intentavit eum, et deridet P. Nec loquitur.

Preces. Fac nobiscum, Domine, misericordiam : da veniam : dona indulgentiam ; P. Et miserere placatus. ℣. Qui Mundum salvare veniens, judicatus es ; cum judex adveneris, non nos tradas cum impiis ; P. Et miserere. ℣. Qui crucis patibulo suspensus in ligno es, mortem nostri criminis tuis portas

B in humeris ; P. Et miserere. ℣. Semel passus pro impiis, qui numquam moreris, mortifica nos a vitiis, et cura vulnere crucis : P. Et miserere. ℣. Ut tua nobis facies in judicium non præsentetur ad pœnam ; sed donet nobis veniam ; P. Et miserere.

Hymnus. O Nazarene. *fol.* 144.

Capitula. Deus Dei Fili, qui pro impiis passus es innocens ; placita tibi nos innocentiæ dignitate perlustra, et passionis tuæ ignominiis salva : ut per indebita supplicia mortis tuæ, nos debita evadamus tormenta iniquitatis nostræ. ℟. Amen.

Pater noster. Et ne nos.

Ad Nonam.

Lectio libri Ecclesiastici Salomonis (*Cap.* XXVII).

℟. Deo gratias.

C Fili, dilige proximum, et conjungere fide cum illo. Quod si denudaveris **342** absconsa illius, non persequeris post eum. Sicut enim homo, qui perdit amicum suum, sic et qui perdit amicitiam proximi sui. Et sicut qui dimittit avem de manu sua, sic qui reliquisti proximum tuum : et non eum capies : non illum sequaris, quoniam longe abest. Denudare autem amici mysteria, desperatio est animæ infelicis. Annuens oculo fabricat iniqua, et nemo eum abjiciet : in conspectu oculorum tuorum conculcavit os suum, et super sermones tuos admirabitur : novissime autem pervertet os suum, et in verbis tuis dabit scandalum. Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet : et plaga dolosa, dolosi dividet vulnera. Et qui foveam fodit, incidet in eam : et qui statuit lapi-

D dem proximo suo, offendet in eo : et, qui laqueum alii ponit, peribit in illo. Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, et non agnoscet unde advenietilli. Illusio, et improperium superborum, et vindicta sicut leo insidiabitur illi. Laqueo peribunt qui oblectantur casu justorum : dolor autem consumet illos antequam moriantur. (*Cap.* XXVIII). Relinque proximo tuo nocenti te : et tunc deprecanti tibi peccata solventur. ℟. Amen.

Lectio libri Malachim (*III Regum cap.* XII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Hieroboam fecit solemnitatem filiis Israel, et ascendit super altare, ut adoleret incensum. (*Cap.* XIII.) Et ecce vir Dei venit de Juda in sermone

Domini in Bethel, Hieroboam stante super altare, et A thus jaciente. Et exclamavit contra altare in sermone Domini, et ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine, et immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, et ossa hominum super te incendet. Deditque in illa die signum, dicens: Hoc erit signum, quod locutus est Dominus: Ecce altare scindetur, et effundetur cinis, qui in eo est. Cumque audisset rex sermonem hominis Dei, quem inclamaverat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari, dicens: Apprehendite eum. Et exaruit manus ejus, quam extenderat contra eum: nec valuit retrahere eam ad se. Altare quoque scissum est, et effusus est cinis de altari juxta signum quod prædixerat vir Dei in sermone Domini. Et ait rex ad virum Dei: B Deprecare faciem Domini Dei tui, et ora pro me, ut restituatur manus mea mihi. Oravit vir Dei faciem Domini, et reversa est manus regis ad eum, et facta est sicut prius fuerat. Locutus est autem rex ad virum Dei: Veni mecum domum ut prandeas, et dabo tibi munera. Responditque vir Dei ad regem: Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, neque comedam panem, neque bibam aquam in loco isto: sic enim mandatum est mihi in sermone Domini præcipientis: Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reverteris per viam qua venisti. Abiit ergo per aliam viam, et non est reversus per iter, quo venerat in Bethel. Prophetes autem quidam senex habitabat in Bethel, ad quem venerunt filii sui, et narraverunt ei omnia opera, quæ fecerat C vir Dei in illa die in Bethel: et verba quæ locutus fuerat ad regem, narraverunt patri suo. Et dixit eis pater eorum: Per quam viam abiit? Ostenderunt ei filii sui viam, per quam abierat vir Dei, qui venerat de Juda. Et ait filiis suis: Sternite mihi asinum. Qui cum stravissent, ascendit, et abiit post virum Dei, et invenit eum sedentem subtus terebinthum: et ait illi: Tu ne es vir Dei, qui venisti de Juda? Respondit ille: Ego sum. Dixitque ad eum: Veni mecum domum, ut comedas panem. Qui ait: Non possum reverti, neque venire tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto: quia locutus est Dominus ad me in sermone Domini, dicens: Non comedes panem, et non bibes aquam ibi, nec reverteris per viam qua ieris. Qui ait illi: Et ego D propheta sum similis tui: et Angelus locutus est in sermone Domini, dicens: Reduc eum tecum in domum tuam, ut comedat panem, et bibat aquam. Fefellit eum, et reduxit secum: comedit ergo panem in domo ejus, et bibit aquam. Cumque sederent ad mensam, factus est sermo Domini ad prophetam, qui reduxerat eum. Et exclamavit ad virum Dei qui venerat de Juda, dicens: Hæc tibi dicit Dominus: Quia non obediens fuisti ori Domini, et non custodisti mandatum quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, et reversus es, et comedisti panem, et bibisti aquam in loco in quo præcepit tibi ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadaver tuum in sepulchrum patrum tuorum. Cumque comedisset et bibisset, stravit asinum suum prophetæ, quem reduxerat. Qui cum abiisset, invenit eum leo **343** in via, et occidit, et erat cadaver ejus projectum in itinere: asinus autem stabat juxta illum, et leo stabat juxta cadaver. Et ecce, viri transeuntes viderunt cadaver projectum in via, et leonem stantem juxta cadaver. Et venerunt, ut divulgaverunt in civitatem, in qua propheta ille senex babitabat. Quod cum audisset propheta ille, qui reduxerat eum de via, ait: Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, et tradidit eum Dominus leoni, et confregit eum, et occidit juxta verbum Domini, quod locutus est ei. Dixitque ad filios suos: Sternite mihi asinum. Qui cum stravissent, et ille abiisset, invenit cadaver ejus projectum in via, et asinum et leonem stantes juxta cadaver: non comedit leo de cadavere, nec læsit asinum. Tulit quoque prophetes cadaver viri Dei, et posuit illud super asinum, et reversus intulit in civitatem prophetæ senis, ut plangerent eum, et posuit cadaver ejus in sepulcro suo: ut planxerunt eum: Heu, heu, mi frater. Cumque planxissent eum, dixit ad filios suos: Cum mortuus fuero, sepelite me in sepulcro, in quo vir Dei sepultus est: juxta ossa ejus ponite ossa mea: ℟. Amen.

Antiphona 1. Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea: in me pertransierunt iræ tuæ: circuierunt me sicut aqua, tota die: circumdederunt me simul. Elongasti a me amicum meum, et notos meos præ miseria. ℣. Domine Deus salutis meæ, in die clamavi, et nocte coram te. *Non dicatur* Gloria.

Oratio. Egenti, et in laboribus consistenti Ecclesiæ tuæ, Christe, citius consolator occurre: ut tu, qui pro ea egens et pauper effectus es, donis cœlestibus eam in futuro remuneres. ℟. Amen.

Antiphona 2. Deus, injusti insurgunt super me, et sinagoga impiorum quærit animam meam et non præponent te ante se. ℣. Et tu, Domine Deus, miserator, et misericors et verax. *Non dicatur* Gloria.

Oratio. Salvator et Domine, quem injusta super te insurgentium malitia perculit; et sinagoga impiorum linguis sæviens crucifixit; da nobis alto pietatis te semper mysterio sequi: ut in eo quod tu pro nobis et crucem passus es et sepulchrum, nos devicto sæculo victores transeamus ad cœlum. ℟. Amen.

Antiphona 3. Conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris. Quoniam declinaverunt in me iniquitates: et in ira molesti erant mihi. ℣. Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me,

Hymnus. O Nazarene. *fol*. 144.

Oratio. Contristamur ecce Domine a voce inimici, dum feralia super nos cadunt jacula odii: sed tu, qui pro nobis acerba sustulisti opprobria, nos famulos tuos et a tribulatione peccatoris elonga; et declinantes in nos iniquitates virtutis tuæ disperde potentia.

Pater noster.

Ad Vesperum.

Lauda. Tu illuminas lucernam meam, Domine.

Antiphona. Exurge, Domine, et intende judicio meo; Deus meus, et Dominus meus in causam meam, *Psalmus* XXXIV.

Lauda. Tu mandasti mandata tua custodire nimis. ℣. Beati immaculati in via : qui ambulant in lege Domini.

Hymnus. Vocaris ad vitam. *fol.* 334.

Capitula. Deus auctor luminis, conditor claritatis, qui summovisti omnia opera tenebrarum, ut in nobis lucis tuæ plenitudo regnaret; respice, quæsumus; et per hoc lumen accensum hanc gratiam benedictionis a nobis omnibus exoratus infunde: ut, sicut hæc flamma in altaris tui obsequium constituta vincit tenebras ac repellit, ita inluminatio tua a sensibus nostris superet omnem fomitem vitiorum.

Pater noster.

Benedictio. Christus Dominus vos custodiat propitius, et benedicat placatus. ℟. Amen. Clementia sua vos protegat, et a cunctis malis incessanter defendat. ℟. Amen. Ejus vos gaudeatis munere digni, qui peccatorum veniam concedit benignus. ℟. Amen.

Laudă. Inquirentes Dominum. *Quære. f.* 310.

TERTIA FERIA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Exurge Domine, salva me Deus meus. Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa. *Psalmus* III.

Oratio. Exurge Domine Deus noster in auxilio. *fol.* 258.

Antiphona 1. Eripe a framea animam meam, **344** Domine, et de manu canis unicam meam. Libera me de ore leonis : et a cornibus unicornium humilitatem meam. ℣. Narrabo nomen tuum fratribus meis : in medio Ecclesiæ laudabo te. *Non dicatur* Gloria.

Oratio. Christe Fili Dei eripe animam nostram a framea inimici potentissimi: ut tu noster sis semper liberator de ore leonis ; qui animam tuam potenter eduxisti ab inferis. ℟. Amen.

Antiphona 2. Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me: debellabant me gratis. Pro eo ut diligerent me, detrahebant mihi : ego autem orabam. ℣. Posuerunt adversum me mala pro bonis: et odium pro dilectione mea.

Oratio. Adversum te inimici tui, Domine, malum locuti sunt; tunc utique quando te Magistrum bonum captiosa adulatione laudabant. Qui ergo odiosis sermonibus eorum expugnari et circumdari te passus es; confessionis nostræ, supplices jam quæsumus, suscipe preces. ℟. Amen.

Antiphona 3. Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, dicat vero Israel. Sæpe a juventute mea :
A etenim non potuerunt mihi. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: longe fecerunt injustitiam suam. ℣. Confundantur et avertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.

Oratio. Ecce, Domine, supra Ecclesiæ tuæ dorsum iniquitas onerosa peccantium fabricata est superborum; cum incorrigibiles moribus, membra tua atrociter expugnant. Da ergo, quæsumus, nobis, ita tolerantiæ virtute fulciri; ut eos, quos in dorso animæ nostræ sanandos portamus, salubriter nobiscum ad cœleste stabulum reportemus: quo, uno ac singulari denario cum illis accepto, et nos de prædicatione mereamur percipere lucrum, et ipsi de obedientia capiant nobiscum præmium sempiternum. ℟. Amen.

℟. Collocaverunt me, quasi signum ad lanceam,
B inimici mei, et brachio suo comprehenderunt me, Cibaverunt me amaritudine, et ebriaverunt felle unicam meam. Percusserunt ad numerum dentes meos; *P.* Et consummaverunt in pace animam meam. ℣. Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis. Lapsa est in lacu vita mea, et posuerunt lapidem super me ; *O.* Et consummaverunt.

Oratio. Salvum fac populum tuum Domine dextera tua; et, qui dedisti timentibus te crucis significationem, da plenissimæ fidei dignatum : ut, quos peccantes repuleras, convertentes suscipias: et tu da in tribulatione auxilium necessarium, qui pro peccatoribus factus es pretium: et ipse tribulantem inimicum ad nihilum redigas; ipse redemptos in civitatem circumstantiæ introducas. ℟. Amen.

In Laudibus.

C *Antiphona.* Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ : et exultabit lingua mea justitias tuas. *Psalmus* L.

Oratio. Christe Deus nostræ salutis, qui passionibus tuis nostrorum criminum passiones extinguis ; libera nos de sanguinum viris, et ab omnibus corruptionibus nostris: ut facta carnis et sanguinis declinantes, non virorum sanguinum præcipitio iteritus, sed placentium tibi mereamur numero aggregari. ℟. Amen.

Ad Canticum. Antiphona. Domine, vim patior, responde pro me. Quid dicam, aut quid respondebo tibi, cum ipse fecerim?

Canticum. Ego dixi : In dimidio dierum meo-
D rum, etc. *fol.* 122.

Oratio. Recordare Domine Jesu Christe, quoniam passus es in conspectu inimicorum tuorum; dum te innocentem invenisset in fictionibus eorum ; sed quia nos ab inimicis nostris infestamur, præsta, ut responsio nostra apud te verra inveniatur. ℟. Amen.

Matutinarium. Rex meus et Deus meus, ad te orabo : Domine mane exaudies vocem meam. ℣. Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum. Intende voci orationis meæ, rex meus et Deus meus. Quoniam ad te orabo, Domine.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. Laudate omnes Angeli ejus : laudate.

Lectio libri Malachim (*III Regum cap.* XVII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus locutus est Dominus ad Heliam Thesbitem, dicens : Recede hinc, et vade contra orientem, et abscondere in torrente Carith, qui est contra Jordanem, et **345** ibi de torrente bibes : corvisque præcepi ut pascant te ibi. Abiit ergo, et fecit juxta verbum Domini : cumque abiisset, sedit in torrente Carith, qui est contra Jordanem. Corvi quoque deferebant ei panem et carnes mane, similiter panem et carnes vesperi, et bibebat de torrente. Post dies autem aliquantos siccatus est torrens : non enim pluerat super terram. Factus est ergo sermo Domini ad eum, dicens : Surge, et vade in Sareptam Sidoniorum, et manebis ibi : præcepi enim ibi mulieri viduæ ut pascat te. Surrexit, et abiit in Sareptam Sidoniorum. Cumque venisset ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, et vocavit eam, dixitque ei : Da mihi paululum aquæ in vase, ut bibam. Cumque illa pergeret ut afferret, clamavit post tergum ejus, dicens : Affer mihi, obsecro, et buccellam panis in manu tua. Quæ respondit : Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, et paululum olei in lecytho : en colligo duo ligna, ut ingrediar et faciam illud mihi et filio meo, ut comedamus, et moriamur. Ad quam Helias ait : Noli timere, sed vade, et fac, sicut dixisti : verumtamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, et affer ad me : tibi autem et filio tuo facies postea. Hæc autem dicit Dominus Deus Israel : Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur usque in diem in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ. Quæ abiit, et fecit juxta verbum Heliæ : et comedit ipse, et illa, et domus ejus : et ex illa die hydria farinæ non defecit, et lecythus olei non est imminutus juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Heliæ. Factum est autem post verba hæc, ægrotavit filius mulieris matris familias, et erat languor fortissimus, ita ut non remaneret in eo halitus. Dixit ergo ad Heliam : Quid mihi et tibi vir Dei ? ingressus es ad me. ut rememorarentur iniquitates meæ, et interficeres filium meum ? Et ait ad eam Helias. Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu ejus, et portavit in cœnaculum ubi ipse manebat, et posuit super lectum suum. Et clamavit ad Dominum, et dixit : Domine Deus meus, etiamne viduam, apud quam ego utcumque sustentor, afflixisti ut interficeres filium ejus ? Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, et clamavit ad Dominum, et ait : Domine Deus meus, revertatur, obsecro, anima pueri hujus in viscera ejus. Et exaudivit Dominus vocem Heliæ : et reversa est anima pueri intra eum, et revixit. Tulitque Helias puerum, et deposuit eum de cœnaculo in inferiorem domum, et tradidit matri suæ, et ait illi : En vivit filius tuus. Dixitque mulier ad Heliam : Nunc in isto cognovi, quoniam vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum est. ℟. Amen.

Hymnus. Noctis tempus jam. *fol.* 257.

Capitula. Deus Dei Fili, qui diligens oderis, et parcens occidendus impeteris, dum in persecutoribus tuis, et benignus ostenderis, et misericors inveniris; da nobis, ut per passionis tuæ vulnera, nostra expientur delicta : ut, qui humilis pro nobis passus es mortem, gloriosus æternam nobis tribuas claritatem.

Pater noster.

Lauda. Hæc est generatio quærentium Dominum i requirentium faciem Dei Jacob. ℣. Domini est terra, et plenitudo ejus : orbis terrarum, et universi qu, habitant in eo.

Oratio. Educa Domine super aquam refectionis plebem, quam formasti per aquam baptismatis : ut legalibus inebriata doctrinis, illuc nostrum rapiat desiderium, ubi te dare æternum promittis præmium Beatorum. ℟. Amen.

Ad Tertiam.

Ecclesiastici Salomonis (*Cap.* XV).

℟. Deo gratias.

Fili, multa est sapientia Deo, et fortis in potentia, videns omnes sine intermissione. Oculi Domini ad timentes eum, et ipse agnoscit omnem operam hominis. Attendite ab homine iniquo, et a proximo cave. (*Cap.* XVII.) Viæ eorum coram ipso sunt semper, non sunt absconditæ ab oculis ipsius. In unamquamque gentem præposuit rectorem : et pars Dei Israel facta est manifesta. Et omnia opera eorum sicut sol in conspectu Dei : et oculi ejus sine intermissione inspicientes in viis eorum. Non sunt abscondita testamenta per iniquitatem eorum, et omnes iniquitates eorum in conspectu Dei. Eleemosyna viri quasi signaculum in ipso, et gratiam hominis quasi pupillam concervabit : et postea resurget, et retribuet illis retributionem, unicuique in caput illorum, **346** et convertet inferiores partes terræ. Pœnitentibus autem dedit viam justitiæ, et corroboravit deficientes sustinere, et destinavit sortem veritatis. Convertere ad Dominum, et relinque peccata tua : et sta in sortem præpositionis et orationis altissimi Dei. ℟. Amen.

Lectio Hieremiæ Prophetæ. Threnorum (*Cap.* III).

℟. Deo gratias.

Ego vir videns paupertatem meam, et virga indignationis ejus. Me minavit, et adduxit in tenebris, et non in lucem. Tantum in me vertit manum suam tota die. Vetustam fecit pellem meam, et carnem meam, contrivit ossa mea. Ædificavit in gyro meo, et circumdedit me felle, et labore. In tenebrosis conlocavit me, quasi mortuos sempiternos. Circumædificavit adversum me, ut non egrediar : aggravavit compedem meum. Sed et cum clamavero, et oravero, exclusit orationem meam. Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas subvertit. Ursus insidians factus est mihi, leo in abscondito. Semitas meas subvertit, et confregit me : posuit me desolatam. Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam : misit in renibus meis filias pharetræ suæ. Factus sum in derisum omni populo

meo, canticum eorum tota die. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio. Confregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere. Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis. Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me. Inundaverunt aquæ super caput meum : et dixi : Perii. Invocavi nomen tuum Domine de lacis novissimis. Vocem meam audisti ne avertas aurem tuam a singultu meo gravissimo et clamoribus. Appropinquasti in die, qua te invocavi : dixisti : Ne timeas. Judicasti Domine causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ. Vidisti Domine iniquitates eorum adversum me : judica judicium meum. Audisti obprobria eorum Domine, omnes cogitationes eorum adversum me ; labia insurgentium mihi, et meditationes eorum adversum me tota die. Sessionem eorum, et resurrectionem eorum vide ; ego sum psalmus eorum. Redde eis vicem Domine juxta opera manuum suarum. Dabis eis scutum cordis laborem tuum. (*Cap.* IV.) Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli : super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris : cui diximus : In umbra tua vivemus in gentibus. ℟. Amen.

Antiphona 1. Libera me, Domine, de ore leonis : et de manu canis eripe animam meam. Ut narrem nomen tuum fratribus meis : in medio Ecclesiæ laudabo te, Domine Deus meus. ℣. Eripe a framea animam meam : et de manu canis unicam meam.

Oratio. Libera nos Domine de ore leonis ; qui injuriam perpessus es crucis ; ut in medio Ecclesiæ te laudantes, narremus nomen tuum fratribus nostris : qui solus victor factus es mortis. ℟. Amen.

Antiphona 2. Exurgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me. Retribuebant mihi mala pro bonis. Ego autem induebam me cilicio, et humiliabam in jejunio animam meam. ℣. Sicut proximum, et sicut fratrem nostrum, ita complacebam : tanquam lugens et contristatus ita humiliabar.

Oratio. Deus Dei Fili, adversus quem exurgentes iniqui, dum ignoranda interrogant, se ipsos ignorantia cæcitatis jugulant reddentes tibi pro bonis mala : da nobis, sic in tuis passionibus conlætari, ut in cœlestis gloriæ curia mereamur coronandi admitti. ℟. Amen.

Antiphona 3. Improperium, et miseriam expectavit anima mea. Et sustinui qui mecum contristaretur, et non fuit : consolantem me non inveni. ℣. Et dederunt in escam meam fel : et in siti mea potaverunt me aceto.

℟. Conclusit vias meas inimicus : insidiator factus est mihi, sicut leo in absconditis. Semitam meam subvertit, et confregit. Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam. Replevit, et inebriavit me amaritudine. Comprehenderunt me inimici mei sine causa quasi avem in muscipula. Deduxerunt in lacu mortis vitam meam, et posuerunt lapidem contra me. Vide Domine iniquitates eorum et judica causam animæ meæ, *P*. Defensor vitæ meæ.

A ℣. Sessionem eorum et resurrectionem eorum vide ego sum psalmus eorum. Redde eis vicem Domine, *P.* Defensor.

Preces. Parce, Jesu redemptor; subveni redemptis delens peccata nostra. *P.* Pretio sanguinis. ℣. Sacratæ manus illæ, quæ cruci sunt affixæ, nos a delicto purgent *P*. Pretio. ℣. Vox, quæ oravit Patrem, ut hostibus **347** parceret, hæc nos tibi commendet delens peccata nostra *P*. Pretio. ℣. Omni nos reple bono ; et fac carere malo, ut satiemur omnes *P*. Pretio. ℣. Hodie finem nostris pone, Christe, delictis, ut cras reficiamur *P*. Pretio.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol.* 144.

Capitula. Christe Dei Fili, quem atrox persequentium turba cæco furore persequitur, et persequens
B obcæcatur : dum Hominem in te passionibus punit, et, Deitatis in te substantiam non agnoscit; concede nobis, ut, te Deum verum, et Hominem, unum Christum esse fatentes, ab æternis suppliciis haberi mereamur extorres.

Pater noster.

Ad Sextam.

Lectio libri Michææ Prophetæ (*Cap*. VII).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est : omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur. Malum manuum suarum dicunt bonum : princeps postulat, et judex in reddendo est : et magnus locutus est desiderium animæ suæ, et conturbaverunt
C eam. Qui optimus in eis est, quasi paliurus : et qui rectus, quasi spina de sepe. Dies speculationis tuæ, visitatio tua venit : nunc erit vastitas eorum. Nolite credere ab amico : et nolite confidere in duce : ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. Quia filius contumeliam facit patri, et filia consurget adversus matrem suam, nurus adversus socrum suam : et inimici hominis domestici ejus. Ego autem ad Dominum aspiciam, expectabo Deum salvatorem meum : audiet me Deus meus. Ne lætaris inimica mea super me, quia cecidi : consurgam, cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, et faciat judicium meum : educet me in lucem, videbo justitiam ejus. Et aspiciet ini-
D mica mea, et operietur confusione, quæ dicit ad me : Ubi est Dominus Deus tuus ? Oculi mei videbunt in eam : nunc erit in conculcatione ut lutum platearum. Dies, ut ædificentur maceriæ tuæ : in die illa longe fiet lex. In die illa et usque ad te veniet Assur, et usque ad civitates munitas ; et a civitatibus munitis usque ad flumen, et ad mare de mari, et ad montem de monte. Et terra erit in desolationem propter habitatores suos, et propter fructum cogitationum eorum. Pasce populum tuum in virga tua, gregem hereditatis tuæ. ℟. Amen.

Antiphona 1. Venantes captati sunt quasi avem inimici mei gratis. Morti tradiderunt animam meam

℣. Et tu Domine deridebis eos : pro nihilo habebis omnes gentes.

Oratio Christe Dei Fili, qui sine causa delicti, et morti es traditus et venantium laqueis inretitus ; facito, ut per indebitam mortem tuam mors nobis debita devincatur : ut, qui pro nobis es traditus innocens, per bonum innocentiæ ad te nos facias quandoque pervenire felices. ℟. Amen.

Antiphona 2. Tota die exprobraverunt me inimici mei:et qui me laudabant adversum me jurabant;tu autem Domine miserere mei. ℣.Quia cinerem sicut panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam.

Oratio. Tota die exprobrabant te inimici tui injuste;cum et mundi Dominum non solum non agnoscerent ; sed et viri pacifici adversus et jurarent : Præsta ergo nobis,ut qui passionem tuam recte credimus;in ressurrectione æterna tecum pariter sine fine vivamus. ℟. Amen.

Antiphona 3. Dominus mihi adjutor est : non timebo,quid mihi faciat homo. Dominus mihi adjutor est : et ego videbo inimicos meos. ℣. Tanquam cumulus arenæ impulsus sum ut caderem:et Dominus suscepit me.

℟. Subito vulneravit me invidus diabolus, et ad nihilum redacta sunt ossa mea. Fratres mei testimonium dicunt contra me : *P*. Libera me Domine. ℣. Custodi me Domine de manu peccatoris : et ad hominibus iniquis. *P*. Libera me,Domine.

Preces. Parce, Jesu redemptor, et subveni redemptis delens peccata nostra.*P*. Pretio sanguinis tui. ℣. Corpus nostrum, quod cruci affigi voluisti,te judicante, salva *P*. Pretio, ℣. Non judices in ira, pro quibus judicatus es, alapis es cæsus delens peccata nostra *P*. Pretio. ℣. Quorum peccata tuis in humeris portasti ; hos, ne ruant, custodi *P*. Pretio ℣. Hodie in nobis purgationem fœtoris sentiant, et cras reple delens peccata nostra. *P* Pretio.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol*. 144.

348 *Oratio*.Christe Deus, qui injuriam mortis et crucis pro nobis sustulisti ; da nobis, ut per te victores efficiamur nostri piaculi : ut in eo, quod tu post mortem resurgis in gloriam,nos a morte vitiorum, numquam ulterius casuri resurgamus per gratiam.

Pater noster.

Ad Nonam.

Sapientiæ Salomonis (*Cap*.xvi).

℟. Deo gratias.

Fili, Deus sermone suo omnia sanat. Ipse enim vitæ et mortis habet potestatem,et deducit : ad portas mortis et reducit : homo autem occidit per malitiam animam suam, et cum exibit spiritus, non revertetur nec revocabit animam, quæ recepta est : sed tuam, Domine effugere manu impossibile est. Negantes enim te nosse impii,per fortitudinem brachii tui flagellati sunt ; novis aquis, et grandinibus persecutionem passi,per ignem consummati.Quod enim mirabile in aqua erat, quod omnia extinguit, plus ignis valebat : vindex enim est orbis justorum:

A sed ut ipsi videntes scirent, quoniam Dei judicio patiuntur persecutionem. Et quodam tempore in aqua supra virtutem ignis ardebat, ut iniquæ terram nativitatis exterminaret. Pro quibus angelorum esca nutristi populum tuum, et paratum panem de cœlo præstitisti eis sine labore omne delectamentum in se habentem,et omnis saporis suavitatem.Ut scirent filii tui, quos dilexisti, Domine, quoniam non nativitatis fructus pascunt homines,sed sermo tuus hos, qui in te credunt, conservat.Quod enim ad igne non poterat exterminari, statim ad exiguo radio solis calefactum tabescebat : ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem, et ad orientem lucis et Dominum adorare. ℟. Amen.

Lectio libri Malachim (*III Regum cap*. xviii).

B ℟. Deo gratias.

In diebus illis : Factus est sermo Domini ad Heliam Thesbitem, dicens : Vade, et ostende et Achab, ut dem pluviam super faciem terræ.Ivit ergo Helias ut ostende te Achab : erat autem fames vehemens in Samaria. Vocavitque Achab Abdiam dispensatorem domus suæ : Abdias autem timebat Dominum Deum valde. Nam cum interficeret Jezabel prophetas Domini, tulit ille centum prophetas, et abscondit eos quinquagenos, et quinquagenos in speluncis,et pavit eos pane et aqua. Dixit ergo Achab ad Abdiam : Vade in terram ad universos fontes aquarum, et in cunctas valles,si forte possimus invenire herbam,et salvare equos et mulos, et non penitus jumenta intereant. Diviseruntque sibi regiones, ut circumirent
C eas : Achab ibat per viam unam, et Abdias per viam alteram seorsum. Cumque esset Abdias in via, Helias occurrit ei : qui cum cognovisset eum, cecidit super faciem suam, et ait : Num tu es domine mi, Helias ? Cui ille respondit : Ego. Et dixit : Vade, et dic domino tuo : Adest Helias. Et ille, Quid peccavi, inquit quoniam tradis me servum tuum in manu Achab, ut interficiat me ? Vixit Dominus Deus tuus, quia non est gens aut regnum, in quo non miserit dominus meus, te requirens : et respondentibus cunctis. Non est hic : adjuravit regna singula et gentes, eo quod minime repereris. Et nunc dicis mihi : Vade, et dic domino tno : Adest Helias. Cumque recessero a te, spiritus Domini asportabit te in locum, quem ego ignoro : et ingressus nunciabo
D Achab, et non inveniens te, interficiet me : servus autem tuus timet Dominum ad infantia sua. Numquid non indicatum est tibi domino meo, quid fecerim cum interficeret Jezabel prophetas Domini,quod absconderim de prophetis Domini,centum viros quinquagenos et quinquagenos in spleluncis, et paverim eos pane et aqua ? Et nunc tu dicis : Vade, et dic domino tuo : Adest Helias : ut interficiat me ? Et dixit Helias : Vivit Dominus exercituum, ante cujus vultum sto, quia hodie apparebo ei. Abiit ergo Abdias in occursum Achab, et indicavit ei. Venitque Achab in occursum Heliæ. Et cum vidisset eum, ait : Tu ne es ille, qui conturbas Israel ? Et ille ait : Non ego turbavi Israel, sed tu, et domus patris tui, qui

dereliquistis mandata Domini, et secuti estis Baalim. Verumtamen nunc mitte, et congrega ad me universum Israel in monte Carmeli, et prophetas Baal quadringentos, quinquaginta, prophetasque lucorum quadringentos, qui comedunt de mensa Jezabel. Misit Achab ad omnes filios Israel, et congregavit prophetas in monte Carmeli. Accedens autem Helias ad omnem populum Israel, ait : Usquequo claudicatis in duas partes ? si Dominus est Deus, sequimini eum : si autem Baal, sequimini illum. Et non respondit ei **349** populus verbum. Et ait rursus Helias ad populum : Ergo remansi propheta Domini solus : prophetæ autem Baal quadringenti et quinquaginta, prophetæque lucorum quadringenti viri sunt. Dentur nobis duo boves ; et illi eligant sibi bovem unum, et in frusta cædentes, ponunt super ligna, ignem autem non supponant ; et ego faciam bovem alterum, et imponam super ligua, ignem autem non supponam. Invocate nomina deorum vestrorum, et ergo invocabo nomen Dei mei : et Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Respondens omni populus, ait : Optima propositio, quam locutus est Helias. Dixit ergo Helias prophetis Baal : Eligite vobis bovem unum, et facite primi, quia vos plures estis : et invocate nomina deorum vestrum, ignemque non supponatis. Qui cum tulissent bovem quem dederat eis, fecerunt : et invocabant nomen Baal de mane usque ad meridiem, dicentes : Baal, exaudi nos. Et non erat vox, nec qui responderet : transiliebantque altare, quod fecerant. Cumque esset jam meridies, illudebat illis Helias: dicens : Clamate voce majore : Deus enim est, et forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur. Clamabant, ergo voce magna, et incidebant se juxta ritum suum cultris et lanceolis donec perfunderentur sanguine. Postquam autem transiit meridies, et illis prophetantibus venerat tempus, quo sacrificium offerri solet, nec audiebatur vox, nec aliquis respondebat, nec attendebat orantes : dixit Helias omni populo : Venite ad me. Et accedente ad se populo, curavit altare Domini, quod destructum fuerat : et tulit duodecim lapides juxta numerum tribuum filiorum Jacob, ad quem factus est sermo Domini, dicens : Israel erit nomen tuum. Et ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini : fecitque aquæductum, quasi per duas aratiunculas, in circuitu altaris, et composuit ligna : divisitque per membra bovem, et posuit super ligna, et ait : Implete quatuor hydrias aqua, et fundite super holocaustum, et super ligna. Rursumque dixit : Etiam secundo hoc facite. Qui cum fecissent secundo, ait : Etiam tertio id ipsum facite. Feceruntque tertio, et currebant aquæ circum altare, et fossa aquæductus repleta est. Cumque jam tempus esset ut offerretur holocaustum, accedens Helias propheta, ait : Domine Deus Abraham, et Isaac, et Israel, ostende hodie quia tu es Deus Israel, et ego servus tuus, et juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. Exaudi me Domine, exaudi me : ut di-

A seat populus iste, quia tu es Dominus Deus, et tu convertisti cor eorum iterum. Cecidit autem ignis Domini, et voravit holocaustum, et ligna, et lapides, pulverem quoque et aquam quæ erat in aquæductu lambens. Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam et ait : Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus. Dixitque Helias ad eos : Apprehendite prophetas Baal, et ne unus quidem effugiat ex eis. Quos cum apprehendissent, duxit eos Helias ad torrentem Cison, et interfecit eos ibi. ℟. Amen.

Antiphona 1. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me : et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua. ℣. Dominus retribuet pro me : Domine misericordia tua in æternum : opera manuum tua-

B rum ne despicias.

Oratio. Si ambulaverimus in medio tribulationis nostræ, Domine vivifica nos ; et super iram inimicorum nostrorum emitte manum tuam : et libera nos dextera tua, qui vicisti mundum per Crucis tuæ invictissimum signum : ut per te ab aereis hujus mundi potestatibus insigniter liberati, triumphantes et ovantes petamus intima cœli. ℟. Amen.

Antiphona 2. Pone, Domine, lachrymas meas in conspectu tuo ; convertantur inimici mei retorsum, et cognoscam ego, quia tu es Deus meus. ℣. In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me. Multiplicasti animam meam in virtute : ecce cognovi, quoniam Deus meus es tu.

Oratio. Pone Domine in conspectu tuo contra eos,

C qui nos oderunt, nostrarum obices lachrymarum : ut jam tandem inimici nostri convertantur retrorsum, qui nos insano odio persequuntur : sicque, rogamus, nostri criminis incendia ubertas lachrymarum extinguat ut passionis tuæ celebritas per arctam gradientes viam ad gaudia nos pertrahat infinita. ℟. Amen.

Antiphona 3. A laqueo linguæ iniquæ libera me. Domine, et a labiis operantibus mendacium. Libera me a rugientibus, paratis ad escam, et de manu quærentium animam meam. ℣. Ad Dominum cum tribularer **350** clamavi : et exaudivit me.

Hymnus. O Nazarene. *fol.* 144.

Oratio. Christe Dei Patris individua proles, qui adsumpto homine laqueos iniquæ linguæ perpessus se ;

D tu Ecclesiam tuam ab omnium passionum inlecebris libera ; a nocibilitate labiorum detrahentium inlæsam conserva : quatenus a rugientibus, ministris scilicet diabolicæ potestatis exempta, tibimet cœlesti in curia inhæreat gloriosa.

Pater noster.

Ad Vesperum.

Lauda. Illuminatio mea, et salus mea Dominus.

Antiphona. Invoca me in die tribulationis : et eripiam te, et gloricabis me. *Psalmus* XLIX.

Lauda. Veniat super nos, Domine, misericordia tua ; et salutare tuum, et eloquium tuum. ℣. Et respondebo exprobrantibus mihi verbum : quia speravi in sermonibus tuis.

Hymnus. Vocaris ad vitam. *fol.* 334. *Capitula*. A Deus auctor luminis. *fol.* 343. *Lauda*. Hæc est generatio. *fol.* 345.

FERIA QUARTA

Ad Matutinum.

Antiphona. Salvum me fac Deus meus. Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: dentes peccatorum contrivisti. *Psalmus* III.

Oratio. Confessionem nostram Domine post quietem, dignam tuis conspectibus effice : ut sicut resurrectio nostra in te sumpsit exordium ; ita vita nostra a te habeat præmium, nostraque fragilitas tuo muniatur auxilio : ut hostium millia rabido nos circumdantium fremitu, tuo dispargantur judicio, tuoque conterantur respectu, tuisque jaculis vulnerentur : et plebs a te condita, a te redempta, B ex te suscepta, fidei merito sanctoque famulatu semper ad te concurrat ; tuisque in atriis te crebro laudatura consurgat. ℟. Amen.

Antiphona 1. Posui faciem meam ut petram durissimam, et scio quoniam non confundar. Juxta est enim qui me justificat. ℣. Eripe me de inimicis meis Deus meus : et ab insurgentibus in me libera me.

Oratio. Christe Deus, qui mundum veniens liberaturus in carne, faciem tuam, ut petram posuisti durissimam ; erige nos passionis tuæ exemplo et crucis circumvalla præsidio ; ut et infidelitas per te confusa dispereat, et rursum fidelitas a te coronatura perveniat. ℟. Amen.

Antiphona 2. Congrega, Domine, inimicos meos quasi gregem ad victimam : sanctifica illos in die C occisionis quia dixerunt : Non videbit novissima nostra. ℣. Domine, exaudi orationem meam : et clamor meus ad te perveniat. Non avertas faciem tuam a me.

Oratio. Congrega, Domine, inimicos tuos quasi gregem ad victimam, quo aut resipiscentes ad veniam redeant, aut in malis perdurantes æternitatis judicio contabescant : ut tu solus, qui victima pro nobis munda oblatus es Patri, victores nos efficias criminis nostri. ℟. Amen.

Antiphona 3. Non avertas aurem tuam a singultu meo, et clamoribus, Domine Deus meus : appropinqua in die tribulationis, et dic animæ meæ : Ne timeas. Vide, Domine, iniquitates eorum adversum me : judica judicium meum.

Oratio. Non avertas aurem tuam a singultu nostro, Domine, nec tuum removeas aspectum a corde D contrito ; sed in auxilium Ecclesiæ tuæ appropinqua : ut qui tuis passionibus conformatur, tuis quoque muneribus consoletur. ℟. Amen,

℟. Omnes adversarii mei persecuti sunt me, et non sunt satiati ; ecce stylo scribentur sermones mei, et reponentur in libro, ut sint in testimonium : ego scio quia æternus est. *P*. Qui me dereliquit super terram. Resurget caro mea, quæ ista patitur. ℣. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico. Ecce Deus auxiliator meus. *P*. Qui.

Oratio. Omnipotens Dei Filius Christe, cujus verba stylo ferreo, forti scilicet sententia Patrum, scripta dignoscuntur ; in petra prædurissima, videlicet gentium corda, universa membrorum Ecclesiæ tuæ corda emolliens, nomina eorum in pagina libri vitæ digiti tui sancto stylo conscribe ; quo et naturali turgedine careant, et veræ humilitatis gratia enitescant. ℟. Amen.

In Laudibus.

Antiphona. Deus, propter te a peccatis meis faciem tuam averte : et omnes iniquitates meas dele. Quoniam ego in iniquitatibus conceptus sum : et in peccatis peperit me mater mea. *Psalmus* L.

351 *Oratio*. Agnoscentibus nobis. *fol.* 259.

Antiphona Dominus mecum est quasi bellator fortis : idcirco qui persequuntur me, cadant, et infirmi fiant : confundantur vehementer, quia non intellexerunt obprobrium sempiternum.

Canticum. Seduxisti me, *fol.* 276.

Oratio. Redemptor humani generis Domine Deus bellator fortis, qui torcular sustinens passionis, ipsum quoque torcular in quo calcator es, conculcasse dignosceris ; dum et a morte surgis ; et eos, qui te persecuti sunt corruentes infirmantesque ostendis ; præbe nobis, in tuis passionibus et hilariter amarescere et opulentius conlætari : ut, dum infideles perfidia cruciat, fideles conversio ab iniquitate absolvat. ℟. Amen.

Matutinarium. Matutinis meditabor in te : quia fuisti adjutor meus, Domine. ℣. Deus Deus meus ad te de luce vigilo.

Lauda. In sanctis ejus laudate Dominum.

Lectio libri Malachim (*III*) *Regum cap.* XVIII). ℟. Deo gratias.

In illis diebus ait Helias ad Achab : Ascende, comende et bibe ; quia sonus multæ pluviæ est, Ascendit Achab ut comederet, et biberet : Helias autem ascendit in verticem Carmeli, et pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, et dixit ad puerum suum : Ascende, et prospice contra mare. Qui cum ascendisset, contemplatus ait : Non est quicquam. Et rursum ait illi : Revertere septem vicibus. In septima autem vice, Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari. Qui ait : Ascende, et dic Achab : Junge currum tuum et descende, ne occupet te pluvia. Cumque verteret huc atque illuc, ecce cœli contenebrati sunt, et nubes, et ventus, et facta est pluvia grandis. Ascendens itaque Achab abiit in Jezrahel : et manus Domini facta est super Heliam, accinctisque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Jezrahel. (*Cap.* XIX.) Nunciavit autem Achab, Jezabel omnia quæ fecerat Helias, et quomodo occidisset universos prophetas Baal gladio. Misitque Jezabel nuncium ad Heliam, dicens : Hæc mihi faciant dii, et hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam unius ex illis. Timuit ergo Helias, et surgens abiit, quocumque eum ferebat voluntas : venitque in Bersabee Juda, et dimisit ibi puerum suum, et perrexit in de-

sertum, viam unius diei. Cumque venisset, et sederet subter unam juniperum, petivit animæ suæ, ut moreretur, et ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum, quam patres mei. Projecitque se, et obdormivit in umbra juniperi et ecce angelus Domini tetigit eum, et dixit illi: Surge, comede. Respexit, et ecce ad caput suum subcinericius panis, et vas aquæ: comedit ergo, et bibit, et rursum obdormivit. Reversusque est angelus Domini secundo, et tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede: grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset, comedit, et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Oreb. Cumque venisset illuc, mansit in spelunca: et ecce sermo Domini ad eum, dixitque illi: Quid hic agis Helia? At ille respondit: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filii Israel: altaria tua destruxerunt, et prophetas tuos occiderunt gladio, et derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam, ut auferant eam. Et ait ei: Egredere, et sta in monte coram Domino: et ecce Dominus transiit, et spiritus grandis et fortis subvertens montes, et conterens petras ante Dominum non in spiritu Dominus, et post spiritum commotio: non in commotione Dominus, et post commotionem ignis: non in igne Dominus, et post ignem sibilus auræ tenuis. Quod cum audisset Helias, operuit vultum suum pallio, et egressus stetit in ostio speluncæ, et ecce vox ad eum, dicens: Quid hic agis, Helia? et ille respondit: Zelo zelatus sum pro Domino Deo excercitum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel: altaria tua destruxerunt, et prophetas tuos occiderunt gladio, et derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam, ut auferant eam. Et ait Dominus ad eum: Valde, et revertere in viam tuam per desertum in Damascum: cumque perveneris illuc, unges Azael regem super Syriam, et Jeha filium Namsi unges regem super Israel: Heliseum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula, unges prophetam pro te. Et erit. quicumque fuerit gladium Azael, occidet eum Jehu: et quicumque fugerit gladium Jehu, interficiet eum Heliseus. Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, et omne os, quod non **352** adoravit eum osculans manum. Profectus ergo inde Helias, reperit Heliseum filium Saphat arantem in duodecim jugis boum: et ipse in duodecim jugis boum arantibus unus erat: cumque venisset Helias ad eum, misit pallium suum super eum. Qui statim relictis bobus cucurrit post Heliam, et ait: Osculer, oro te, patrem meum, et matrem meam, et sic sequar te. Dixitque ei: Vade, et revertere: quod enim meum erat, feci tibi. Reversus autem ab eo, tulit par boum, et mactavit illud, et in aratro boum coxit carnes, et dedit populo, et comederunt: consurgensque abiit, et secutus est Heliam, et ministrabat ei. ℟. Amen.

Hymnus. Noctis tempus. *fol.* 257.

A *Capitula.* Justus es Domine; qui pro nobis injus- to judicatus es innocens: et ideo quæsumus, ut qui punitus es sine crimine tuo, absolvas nos a facinore nostro.

Pater noster.

Lauda. Legem pone eis Domine viam justitiæ tuæ: et exquirant eam semper. ℣. Da mihi intellectum, et perscrutabor legem tuum: et custodiam illam in toto corde meo.

Oratio. Inclina cor nostrum, Domine, in testimonia tua; et a pravo vanitatis intuitu averte: ut ab amore terreno nos segreges; et supernæ dilectioni consocies. ℟. Amen.

Ad Tertiam.

Proverbiorum Salomonis (*Cap.* XVII).

B ℟. Deo gratias.

Fili, qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus: et qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus. Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus. Et qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis et uterque ante Deum. Quid prodest divitias stulto habere, cum sapientiam mereri non possit? Omni tempore diligit, qui amicus est: et frater in angustiis comprobatur. Homo stultus plaudet manibus, cum spoponderit pro amico suo. Qui meditatur discordias, diligit rixas; et qui exaltat cor suum, quærit ruinam. Qui perversi cordis est, non inveniet bonum: et qui vertit linguam, incidet in malum. Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas justi. Non est bonum, damnum C inferre justo: nec percutere principem, qui recta judiciat. Occasiones quærit qui vult recedere ab amico: omni tempore erit exprobrabilis. Aqua profunda verba justi: et torrens redundans fons sapientiæ. ℟. Amen.

Lectio Esaiæ Prophetæ (*Cap.* LXIII).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: Quis est iste, qui venit de Edon, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum: calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea: et aspersus est sanguis eorum D super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi. Deis enim ultionis in corde meo, annus retributionis meæ venit. Circumspexi, et non erat auxiliator: quæsivi, et non fuit qui adjuvaret: et salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. Et conculcavi populos in furore meo, et inebriavi eos indignatione mea, et detraxi in terram virtutem eorum. Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, et super multitudinem bonorum domus Israel, quæ largitus est eis secundum indulgentiam suam, et secundum multitudinem misericordiarum suarum. Et dixit: Verumtamen po-

pulus meus est, filii non negantes: et factus est eis (A) salvator. In omni tribulatione eorum non est tribulatus, et angelus faciei ejus salvavit eos: in dilectione sua, et in indulgentia sua ipse redemit eos, et portavit eos, et elevavit eos cunctis diebus sæculi. ℟. Amen.

Antiphona 1. Conclusit inimicus viam meam, et anima mea in dolore turbata est: adjuva me, Deus meus. ℣. Eripe me Domine ab homine malo: a viro iniquo, et lingua dolosa libera me.

Oratio. Christe, Dei virtus, et Dei sapientia, cujus vias dum antiquus hostis persequendo concludere, nititur, a te, qui via es, mirifice conculcatur; ita nos, quæsumus, tua gratia circumvalla; ut nec in via peccatorum antiqui hostis obice concludamur; et iterum te juvante per vias voluntatis tuæ dilatato (B) corde curramus. ℟. Amen.

Antiphona 2. Semper videbo vindictam de inimicis meis: posuerunt gravedinem cervici meæ: vide Domine, et judica, ne derelinquas me. ℣. Judica Domine nocentes me **353** et expugna impugnantes me.

Oratio. Exurge Deus, et misericorditer judica terram, qui es pro nobis judicatus in terra; qui condemnatus absolvis reos; qui moriens vivificas mortuos; qui resurgens confirmas dubios, et confundis iniquos. In tuam namque hereditatem gentes credendo vocentur, quem resurrexisse pro salute fidelium confitentur. ℟. Amen.

Antiphona 3. Cogitaverunt mala adversus animam meam, et peccata sua occultaverunt. Memor esto (C) stetisse me ante faciem tuam, et locutum esse pro eis bona. ℣. Qui cogitaverunt malitias in corde suo: tota die constituebant prælia. *Non dicatur* Gloria.

℟. Ecce factus sum omnibus inimicis meis in proverbium; et longe facti sunt, qui me diligebant. Extendit inimicus meus adversum me pharetram suam, et subvertit calcaneum meum. Repleta est anima mea doloribus. Congregavit inimicus meus furorem suum in me, et infremuit contra me dentibus suis. P. Tu autem, Domine, libera me, et pone me juxta te. ℣. Subito vulneravit me invidus inimicus, et ad nihilum redacta sunt ossa mea. P. Tu autem, Domine. *Non dicatur* Gloria.

Preces. Tu pastor bone, qui pro ovibus animam posuisti, memento nostri, P. Placare, et miserere. (D) ℣. Virtus perennis, sapientia Dei summi, Verbum Patris, memento nostri; P. Placare. ℣. Conditor rerum, vita omnium, dominator Angelorum, memento nostri. P. Placare. ℣. Tu Dei agnus, tu pro nobis es, velut ovis, immolatus, memento nostri; P. Placare. ℣. Innocens captus, cæsus colaphis, latronibus datus, memento nostri; P. Placare. ℣. Qui solus mortem nostri criminis tua morte devicisti, memento nostri; P. Placare.

Hymnus. O Nazarene. *fol.* 144.

Capitula. Adversus tuam, Christe, animam mala cogitantes patienter equidem sustines, ut pro te bonum tuis pastor exemplum gregibus præberes: dum et persequentium jacula toleras, et pro persequentibus Patrem efflagitas; da ergo nobis, passionis tuæ sacramento a nostris passionibus elui, ut, qui blasphemantes te patientissime tolerasti, credentes tibi ab æterna eruas damnatione judicii.

Pater noster.

Ad Sextam.

Lectio libri Hieremiæ Prophetæ (*Cap.* x).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: Ecce ego longe projiciam habitatores terræ in hac vicæ: et tribulabo eos ita ut non inveniantur. Væ mihi super contritione mea, pessima plaga mea. Ego autem dixi: Plane hæc infirmitas mea est, et portabo illam. Tabernaculum meum vastatum est: omnes funiculi mei dirupti sunt, filii mei exierunt a me, et non subsistunt: non est qui extendat ultra tentorium meum, et erigat pelles meas. Quia stulte egerunt pastores, et Dominum non quæsierunt propterea non intellexerunt, et omnis grex eorum dispersus est. Vox auditionis ecce venit, et commotio magna de terra Aquilonis: ut ponat civitates Juda solitudinem, et habitaculum draconum. (*Cap.* XI.) Audite verba pacti hujus, et loquimini ad viros Juda, et ad habitatores Hierusalem, et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Maledictus vir, qui non audierit verba pacti hujus, quod præcepi patribus vestris in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de fornace ferrea, dicens: Audite vocem meam, et facite omnia quæ præcepi vobis, et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum. ℟. Amen.

Antiphona 1. Augeat Dominus plebem suam, et multiplicet eam in multis millibus populorum. ℣. Confiteantur Domino misericordias ejus: et mirabilia ejus filiis hominum.

Oratio. Auge, Domine, populum tuum nimis, cumque vel meritis, vel rebus exalta: ut, qui invidorum dentibus mordemur, feliciores semper, te propitiante, constemus. ℟. Amen.

Antiphona. 2 Lætentur, Domine, super eloquia tua: sicut qui invenit spolia multa. ℣. Et sacrificent sacrificium laudis: et pronuntient opera ejus in exultatione.

Oratio. Lætentur, Domine, super eloquia tua, quæ super mel et favum sunt dulcia: qualiter nobis temporalem dilectionem non inferant; sed ad supernam semper delectationem ovando perducant. ℟. Amen.

Antiphona 3. Testimonium tuum, Domine, fidele, parvulis præstet sapientiam. ℣. Justitiæ Domine rectæ, lætificantes corda.

Oratio. Testimoniorum tuorum, Domine, efficiamur heredes; quæ nobis facta sunt credibilia: **354** sint nostræ meditatione assidua, ut sunt fidei veritate sincera: atque ita nostro consummentur opere, sicut proferuntur ex ore: regant consolatione mœrentes; ac promptiores ad te faciant auditores. ℟. Amen.

℟. Gressus eorum dirige, Deus, in semitis tuis: P. Ut non moveantur vestigia eorum. ℣. Declaratio

sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis. P. Ut. A

Preces. Domine, exaudi, et salva, et libera me. P. Domine, ℣. Ad te ascendat oratio mea, Deus, et libera me. P. Domine, ℣. Ne avertas faciem tuam a me, sed libera me, P. Domine. ℣. Cogitaverunt adversum me : ne deseras me, sed libera me, P. Domine. ℣. Tu enim Deus auxiliator meus, tu adjuva me, P. Domine. ℣. Eripiat me manus excelsa tua, et protegat me, P. Domine. ℣. Adsiste mihi in adjutorium semper, et libera, P. Domine. ℣. Nunc ecce oppressit me dolor meus : jam libera me, P. Domine. ℣. Spiritus meus attenuatus est in me : vivifica me, P. Domine. ℣. Artus mei in nihilum redacti sunt, jam refice me, P. Domine. ℣. Hostes mei furorem suum impleverunt : tu erue me. P. Domine. ℣. Infremuerunt contra me dentibus suis ; tu libera me, P. Domine. ℣. Aperuerunt contra me ora sua ; tu custodi me, P. Domine. ℣. Adsistat tibi oratio mea, Deus, et exaudi me, P. Domine. ℣. Clamor meus ad te perveniat, et exaudi me, P. Domine. ℣. Virtus tua afflictum eripiat, et protegat me.

Hymnus. O Nazarene, lux. *fol.* 144.

Capitula. Gressus nostros Domine in semitis tuis confirma, ut in via tua gradientes, misericordiæ tuæ nobis auxilientur, et in tentationibus tueantur : ut cum apparuerit justitia tua, appareamus in conspectu tuo sine confusione, et satiemur gloria tua sine confusione. Pater noster.

Ad Vesperum.

Lauda. Vespere, et mane, et meridie te laudamus, Domine.

Antiphona. Eripe me Domine ab homine malo : et a viro iniquo libera me. *Psalmus* CXXXIX.

Lauda. Deus laudem meam ne tacueris: quia ore impii circumdederunt me : et expugnaverunt me gratis.

Hymnus.

Jam legis umbra clauditur,
Novumque Phasse prodiit,
Cum vera lux in vesperum
Mundi suborta promicat.
Hinc Christe rex post biduum
Cœnæ litas convivium,
Quo pascha pridem mysticum
In pascha nostrum vertitur.
Audi fidelium preces,
Qui traditorem passus es;
Hac nocte nos inlumina,
Carnem lava, cor præpara.
Ardor tuæ dulcedinis
Interna nostra concremet;
Fides paratos innovet,
Opusque ad regnum vocet.
Ut, suavitate gratiæ
Hinc advocati, in crastinum
Inebriemur poculis
Tui sacrati sanguinis.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Capitula. Propinqua passionis tuæ solemnia, Christe Deus, plebs devota suscipiens, præparati tibi in hostiam vivam desiderat ; proinde quæsumus, ut qui in crastinum ad tuum accessuri sumus convivium, præsta, ut in susceptione hujus venerandæ noctis et culparum tenebris careamus et amoris tui igne inflammemur.

Pater noster.

Benedictio. Passio nos conservet jure perenni; ℟. Amen. Crimine nos hodie lavet, et cras munere
B ditet : ℟. Amen. Quo, pulsis vitiis, Pascha cum illo celebretis. ℟. Amen.

Lauda. Legem pone eis Domine. *fol.* 352.

FERIA QUINTA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Deus percussisti omnes adversantes mihi sine causa : dentes peccatorem contrivisti. *Psalmus* III.

Oratio. Domine, gloria nostra, caput nostrum, ne vitiorum gurgite mergamur exalta ; et ne nos multiplex curvet tribulatio, subleva : te vero nobis auxiliante, nec multitudo nocebit tribulantium, et superbia in nos frangetur insurgentium ; tuis ergo benedictionem infunde in populis, qui auctor es et defensor nostræ salutis. ℟. Amen.

C *Antiphona* 1. Tu Domine demonstrasti mihi, et ego cognovi. Quasi agnus mansueta, **355** portatus sum ad victimam : et nunc cognovi quia super me cogitaverunt consilia. ℣. Et tu, Domine, deridebis eos, et pro nihilo habebis omnes gentes. *Non dicatur* Gloria.

Oratio. Quasi agnus mansuetus traditus pro nobis, Domine : qui utique sine peccato et delicto portatus es ad victimam : præsta ergo nobis, ut innocentia agni adipiscamur, ut in æternum tecum sine fine vivamus. ℟. Amen.

Antiphona 2. Facta est hereditas mea mihi tamquam leo in silva : dedit contra me vocem suam. ℣. Quoniam quem tu perfecisti, ipsi destruxerunt: justus autem quid fecit? *Non dicatur* Gloria.

D *Oratio.* Christe Dei Fili, cujus facta es hereditas tua tibi, quasi leo in silva, crudeli contra te ritu ut crucifigaris exclamans : ita nos infusione Sancti Spiritus reple, ut charitatis igne ferventes innocuæ vocis clamorem ad auditus tuæ omnipotentiæ dirigamus ; et animas nostras pro fratribus ponere totis nisibus insistamus. ℟. Amen.

Antiphona 3. Non sedi in consilio eorum, ludentibus ipsis ; sed timebam a facie eorum. Solus sedebam, quoniam amaritudine repletus sum. ℣. Odivi congregationes malignorum : et cum impiis non sedebo. *Non dicatur* Gloria.

Oratio. Unigenite Dei Filius, qui in carne moriturus apparens, in concilio ludentium non sedisti, sed

solus sedens amaritudinem pro nobis repletus es; concede nobis, ut de passionibus tuis nullo modo erubescentes, gloriæ tuæ mereamur sine fine esse participes. ℟. Amen.

℟. Qui mecum, ait, manum miserit in paropside, ille me traditurus est hodie. *P.* Væ homini, per quem filius hominis tradetur ': bonum erat illi, si natus non fuisset homo ille. ℣. Locutus est Dominus Jesus Christus discipulis suis, dicens : Surgite, eamus : ecce appropinquabit, qui me tradet. *P.* Væ homini. *Non dicatur* Gloria.

Oratio. Christe Dei Filius, qui transiturus ex hoc mundo ad Patrem, speciali signo tuum prædixisti traditorem : quo non solum non lateret in cæteris, sed ut potius discerneretur a cæteris : te quæsumus, te rogamus, ut non præcidamur ab Ecclesiæ membro, qui redempti sumus tuo sanguine pretioso : neque quisquam in Ecclesia tua constitutus torporem incurrat ; sed gloriosis patientiæ tuæ exemplis provocemur ad gloriam : qui proditoris tui in nullo imitantes studia, bonorum discipulorum et doctrinam capiamus et præmia. ℟. Amen.

Antiphona. Cor contritum et humiliatum ne spernas, Deus ; sed benigne fac, deprecor, et miserere mei Deus, miserere. *Psalmus* L.

Oratio. Cordis nostri secreta. *fol.* 210.

Ad Canticum Antiphona. Domine probator juste, qui probas corda, et renes, videam, quæso, ultionem de inimicis meis : tibi enim revelavi causam meam.

Canticum. Seduxisti me Domine. *fol.* 276.

Oratio. Deus, probator juste, qui revelatam tibi causam Filii tui, passionis utique suæ injuriam in infidelibus puniturus agnoscis ; videamus, quæsumus, ultionem de inimicis ejus, ita ut aut resipiscentes ab infidelitate ipsi se pœnitendo ulciscantur, aut perdurantes in perfidia per ejus puniantur justitiam, cujus nunc contemnunt misericordiam manifestam. ℟. Amen.

Matutinarium. Ego autem cantabo virtutem tuam, Domine ; et exaltabo mane misericordiam tuam. Quia factus es susceptor meus, Domine. ℣. Eripe me de inimicis meis, Deus meus : et ab insurgentibus in me libera me.

Lauda. Te laudant montes et omnes colles : te laudant principes et omnes judices terræ : omnes Angeli te collaudant : Laudate.

Lectio libri Malachim (*IV Regum cap.* VI).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Congregavit Benadab rex Syriæ universum exercitum suum, et ascendit, et obsidebat Samariam. Factaque est fames magna in Samaria : et tamdiu obsessa est, donec venumdaretur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars cavi stercoris columbarum quinque argenteis. Cumque rex Israel transiret per murum, mulier quædam exclamavit ad eum, dicens : Salva me, Domine mi rex. Qui ait : Non te salvat Dominus : unde te possum salvare ? de area, vel de torculari ? Dixitque ad eam

A rex : Quid tibi vis ? Quæ respondit : Mulier ista dixit mihi : Da filium tuum, ut comedamus eum hodie, et filium meum comedemus cras. **356** Coximus ergo filium meum, comedimus : dixique ei altera die : Da filium tuum, ut comedamus eum. Quæ abscondit filium suum. Quod cum audisset rex, scidit vestimenta sua, et transibat per murum. Viditque omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus. Et ait rex : Hæc mihi faciat Deus, et hæc addat, si steterit caput Helisei filii Saphat super ipsum hodie. Heliseus autem sedebat in domo sua, et senes sedebant cum eo. Præmisit itaque virum : et antequam veniret nuncius ille, dixit ad senes : Numquid scitis, quod miserit filius homicidæ hic, ut præcidatur caput meum ? videte ergo, cum venerit nuncius,
B claudite ostium, et non sinatis eum introire : ecce enim sonitus pedum domini ejus post eum est. Adhuc illo loquente eis, apparuit nuncius, qui veniebat ad eum. Et ait : Ecce tantum malum a Domino est : quid amplius expectabo a Domino ? (*Cap.* VII) Dixit autem Heliseus : Audite verbum Domini : hæc dicit Dominus : In tempore hoc cras modius similæ uno statere erit, et duo modii hordei statere uno, in porta Samariæ. Respondens unus de ducibus, super cujus manum rex incumbebat, homini Dei, ait : Si Dominus etiam fecerit cataractas in cœlo, numquid poterit esse, quod loqueris ? Qui ait : Videbis oculis tuis, et inde non comedes. Quatuor ergo viri erant leprosi juxta introitum portæ : qui dixerunt ad invicem : Quid hic esse volumus, donec moriamur ? sive ingredi voluerimus civitatem, fame moriemur : sive manserimus
C hic, nobis moriendum est : venite ergo, et transfugiamus ad castra Syriæ : si pepercerint nobis, vivemus : si autem occidere voluerint, nihilominus moriemur. Surrexerunt ergo vesperi, ut venirent ad castra Syriæ. Cumque venissent ad principium castrorum Syriæ, nullum ibidem repererunt. Siquidem Dominus sonitum audiri fecerat curruum et equorum, et exercitus plurimi : dixeruntque ad invicem : ecce mercede conduxit adversum nos rex Israel reges Hethæorum, et Ægyptiorum, et venerunt super nos. Surrexerunt ergo, et fugerunt in tenebris, et dereliquerunt tentoria sua, et equos et asinos et mulos in castris, fugeruntque, animas tantum suas salvare cupientes. Igitur cum venissent leprosi illi ad principium castrorum, ingressi sunt unum tabernaculum,
D et comederunt et biberunt tuleruntque inde argentum, et aurum, et vestes, et abierunt, et absconderunt : et rursum reversi sunt ad aliud tabernaculum, et inde similiter auferentes absconderunt. Dixeruntque ad invicem : Non recte facimus : hæc enim dies boni nuncii est. Si tacuerimus, et noluerimus nunciare usque mane, sceleris arguemur : venite, eamus, et nunciemus in aula regis. Cumque venissent ad portam civitatis, narraverunt eis, dicentes : Ivimus ad castra Syriæ, et nullum ibidem reperimus hominem, nisi equos, et asinos alligatos, et fixa tentoria. Ierunt ergo portarii, et nunciaverunt in palatio regis intrinsecus. Qui surrexit nocte, et ait ad servos

suos : Dico vobis quid fecerint nobis Syri : sciunt quia fame laboramus, et idcirco egressi sunt de castris, et latitant in agris, dicentes : Cum egressi fuerint de civitate, capiemus eos vivos, et tunc civitatem ingredi poterimus. Respondit autem unus servorum ejus : Tollamus quinque equos, qui remanserunt in urbe (quia ipsi tantum sunt in universa multitudine Israel, alii enim consumpsi sunt) et mittentes, explorare poterimus. Adduxerunt ergo duos equos, misitque rex in castra Syrorum, dicens : Ite, et videte. Qui abierunt post eos usque ad Jordanem : ecce autem omnis via plena erat vestibus et vasis, quæ projecerant Syri cum turbarentur : reversique nuncii indicaverunt regi. Et egressus populus, diripuit castra Syriæ : factusque est modius similæ statere uno, et duo modii hordei statere uno, juxta verbum Domini. Porro rex ducem illum, in cujus manu incubuerat, constituit ad portam : quem conculcavit turba in introitu portæ, et mortuus est, juxta quod locutus fuerat vir Dei. ℟. Amen.

Hymnus. Noctis tempus. *fol.* 257.

Capitula. Christe Dei Filius, quem Deus Pater pro nobis omnibus tradidit, cum veram te pro nobis hostiam ipse suscepit; suscipe desiderium populi tui : quos redemisti salva : quos liberasti, vivifica : non sinas in perpetuum luctum ire, quos, ne perpetualiter perirent, venisti redimere; clavis timoris tui confige cor nostrum qui pro nobis omnibus et crucem passus es, et sepulchrum : ut per te et hic nobis sit remissio criminum, et in futuro perpetuum gaudium, quem pro omnibus credimus crucifixum.

Pater noster.

Lauda. Da eis intellectum, Domine, ut discant
357 mandata tua. ℣. Deduc me in legem mandatorum : quoniam ipsam volui.

Oratio. Æquitatem testimoniorum tuorum, Domine, da nobis avidiori sensu capere : ut, quod mortificat in nos stultitia, vivificet a te sapientia destinata. ℟. Amen.

Ad Tertiam.

Proverbiorum Salomonis (*Cap.* I).

℟. Deo gratias.

Fili mi, audi disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ : ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo. Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint : Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra : deglutiamus eum sicut infernus viventem, et integrum quasi descendentem in lacum. Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis. Sortem mitte nobiscum, marsupium sit unum omnium nostrum. Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem. Frustra autem jacitur rete ante oculos pennatorum. Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, et moliuntur fraudes contra animas suas (*Cap.* II). Fili mi, si intraverit sapientia cor tuum, et scientia animæ tuæ placuerit :

A consilium custodiet te, et prudentia servabit te, ut eruaris a via mala, et ab homine, qui perversa loquitur : qui relinquunt iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas : qui lætantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis : quorum viæ perversæ sunt, et infames gressus eorum (*Cap.* VI). Serva, fili mi, mandata mea, et vives : et legem meam quasi pupillam oculi tui. ℟. Amen.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* L).

℟. Deo gratias.

Quis est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam ? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos ? ecce enim in iniquitatibus vestris venditi estis, et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. Quia veni, et non erat vir : vocavi, et non erat qui audiret : num-
B quid abbreviata et parvula facta est manus mea, ut non possem redimere ? aut non est in me virtus ad liberandum ? Ecce in increpatione mea desertum faciam mare, ponam flumina in siccum : computrescent pisces sine aqua, et morientur in siti. Induam cœlos tenebris, et saccum ponam operimentum eorum. Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lapsus est verbo : erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum, Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico : retrorsum non abii. Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus : faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me. Dominus Deus auxiliator meus, et ideo non sum confusus : ideo posui faciem meam
C ut petram durissimam, et scio quoniam non confundar. Juxta est qui justificat me, quis contradicet mihi ? stemus simul, quis est adversarius meus ? accedat ad me. Ecce Dominus meus auxiliator meus : quis est qui condemnet me ? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos. Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui ? (*Cap.* XLI.) Hæc dixit Dominus : Ecce confundentur et erubescent omnes, qui pugnant adversum te : erunt quasi non sint : et peribunt viri, qui contradicunt tibi. Quæres eos, et non invenies, viros rebelles tuos : et erunt quasi non sint : et veluti consumptio homines bellantes adversum te. Quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensque tibi : Ne timeas, ego adjuvi te, dicit Domi-
D nus omnipotens. ℟. Amen.

Antiphona 3. Dixerunt apud se cogitantes iniqua : Homo iste beatificat novissima justorum et gloriatur patrem se habere Deum. Videamus si sermones ejus veri sunt, et tentemus, quæ ventura sunt ei. Quod si verus est filius Dei, suscipiet illum, et liberabit eum de manu contrariorum. ℣. Et ingrediebantur, ut viderent, vana locutum est cor eorum, congregaverunt iniquitatem sibi. Et egrediebantur foras, et loquebantur. *Non dicatur* Gloria.

Oratio. Christe, Dei Filius, qui adversum te cogitantes iniqua, cruentaque malignorum consilia in te patiens tolerasti; da nobis, exemplo tuo habere cor patiens, et adversos æquali tolerantia superare : ut

qui te habere Deum Patrem cognoscimus, cognitionis A hujus fide salvemur : et, qui passionis tuæ dies recolimus, nostrarum passionum sordibus expiemur. ℟. Amen.

Antiphona 2. Locutus est Dominus Jesus **358** Christus discipulis suis, dicens : Surgite, eamus : ecce appropinquabit, qui me tradet. ℟. Etenim homo pacis meæ, in quo speravi : qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

Oratio. Christe Dei Filius, qui specialiter discipulis tuis præcipiens, antequam traditus esses, imperasti, ut surgerent ; da nobis, quæsumus, ut patiendi malos habeamus constantiam, et patientiæ teneamus exempla : quo a te discentes, quam mitis sis et humilis corde ; et a passionibus tuis communicemus exemplo, et beatitudinis æternæ potiamur B subsidio. ℟. Amen.

Antiphona 3. Ecce venit hora, ut dispargamini, et me solum relinquatis ; sed non sum solus, quia Pater mecum est : confidite, ego vici mundum. ℣. Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, supportassem utique. Et si is, qui oderat me, adversum me magna locutus fuisset : absconderem me utique ab eo.

℟. Qui edebat panes meos mecum, elevavit contra me calcaneum. Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me. ℣. Ecce tradidit me, quem diligebam, et crudeli plaga percussit me : jam, Deus, pone vulneri meo salutem. P. Et ressuscita. *Non dicatur*. Gloria.

Preces. Clamamus ad te, Deus, exaudi nos. P. Et a flagello iræ tuæ libera. ℣. Qui traditus es ad mor- C tem, Redemptor Sancte vivifica gregem quem tuo redemisti cruore. P. Et a flagello. ℣. Qui flagellaris ab impiis et iniquis : qui aceto potaris, nos a futuris libera malis, P. Et a flagello. ℣. Qui portas spineam in capite tuo coronam, ut nos membra tua a spinis criminum purges, P. Et a flagello. ℣. Vox tua Patrem pro nobis nunc interpellet, quæ clamavit in Cruce, ut ignorantibus subveniret, P. Et flagello. ℣. Sanguinis tui pretio salva nos, Christe, et tibi conjunge per crucis beatæ favorem, P. Et a flagello. ℣. Pœna tua reatum nostrum absolvat, et mors tua in devictam mortem extinguat. P. Et a flagello.

Hymnus. O Nazarene. *fol*. 144.

Oratio. Christe, qui de patibulo ad Patrem, ut quid te dereliquerit, acclamasti : qui cruce tua hominem D peccato perditum redemisti, illumque peccati auctorem æternis arsurum ignibus tradidisti : postulamus sanctam clementiam tuam, ut nos, qui in te credimus, numquam derelinquas : nec confidentiam nostram tua Deitate repellas : sed propitius clamorem nostrum suscipe, et tibimet placito famulatu servire concede.

Pater noster.

IN COENA DOMINI.

Ad Nonam.

Antiphona 1. Cogitaverunt adversum me. Ne derelinquas, Domine, P. Ne forte exaltentur. ℣. Eripe me Domine ab homine malo : a viro iniquo libera me. Qui cogitaverunt injustitias in corde : tota die constituebant bella. P. Ne derelinquas, Domine, ne forte exaltentur. ℣. Acuerunt linguas suas, sicut serpentes : venenum aspidum sub labiis eorum. P. Ne derelinquas, Domine.

Capitula. Diligamus, et sequamur, fratres carissimi, justitiam sempiternam, manducare cupientes Dominicam cœnam : veniente enim patrefamillas, in exteriores tenebras reprobatus conviva projicitur, et sine nuptiali veste repertus damnatur. Nemo pravis cogitationibus sordidatus adveniat : nemo sacramenta cœlestia simulator accipiat. Imitemur potius patientiam Salvatoris, a quo sic videamus toleratam esse fraudulentiam traditoris, ut maligna cogitantem, rerum omnium præscius Dominus Jesus Christus secum cœnare permitteret, ne sanctificato pane fraudaret. Imitemur ejus humilitatem, qui discipulorum pedes humilitater lavit : imitemur bonitatem ejus, qui neganti Petro fructuosas lacrymas donavit ; caveamus inquietos fratres corporaliter declinare, et charitatem humilitatemque omnibus delectemur simpliciter exhibere. Sacrificium pœnitentiæ jejunantes orantesque solvamus, ut securi semper ad cœleste convivium festinemus. ℟. Amen.

Antiphona 2. Ingressus Dominus Jesus in domum discubuit. Et ecce mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, stans retro secus pedes ejus, osculabatur eos, et lacrymis suis rigans capilis suis extergebat eos, P. Et ungebat unguento. ℣. Quod cum vidissent, qui cum eo erant, dicebant intra se : Hic si propheta esset, sciret mulierem, quæ tangit eum ; quia peccatrix est. Sciens Dominus cogitationes eorum, dixit ad eos : Quid molesti estis mulieri ? quia bonum opus operata est in me. Propter quod dico vobis : Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit **359** multum. P. Et ungebat unguento.

Oratio. Accessuri, dilectissimi fratres, ad Dominicam cœnam : hodie faciem Domini Jesu ac redemptoris nostri præveniamus in confessione cum omni fiducia : petentes ab illo cum lacrymis, ut expoliatos nos ab omnibus criminibus nostris, faciat accedere ad calicem suæ sacratissimæ passionis. ℟. Amen.

Antiphona 3. Dominus Jesus misit discipulos suos. et dixit ad eos : Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus. P. Quia desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. ℣. Cœnantibus autem illis accepit Jesus panem, et benedixit deditque discipulis suis, et dixit : Accipite, et comedite. P. Quia desiderio. ℣. Accepit et calicem, postquam cœnavit, deditque discipulis suis dicens : Accipite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Non bibam amodo, donec illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei. P. Quia desideravi.

Oratio. Cogitantes, et delicta nostra cernentes non cruentas tibi, Domine, victimas immolamus, sed simplicibus votis tibi sempiterni Sacerdotis corpus offerimus. Memorare itaque, Domine, quid pro nobis pertulerit, qui peccata nostra portavit. Indue er-

go nos justitiæ stola, ut in cœna tua sine veste nuptiali nullus accumbat : gaudiis cœlestibus novi testamenti convivium floreat : procul absit dolus, quo deceptus est malus ille discipulus : sit in omnibus fides vera, spes certa, et charitas pura : ut spiritualibus sacramentis non damnetur conscientia ; sed per pacis charitatisque tuæ dulcedinem ab omnibus emundati vitiis ad te proclamemus e terris :

Pater noster.

Ad Vesperas post expoliatum altare.

Antiphona. Quomodo ad latronem cum gladiis et fustibus venistis comprehendere me : vobiscum fui docens, et non tenuistis me. Unus ex vobis traditurus est me. Responderunt discipuli dicentes : Nunquid ego sum, Domine ? Qui mecum, ait, manum mittit in paropside, ille me traditurus est hodie. *Psalmus.* CVIII.

Oratio. Quas tibi, Domine Jesu Christe, pro cruce lacrymas, quæ pro sanguinis effusione suspiria vel lamenta respondimus ? quæ pia vota reddamus ? Ecce nunc appares pro nobis pœnis cruciandus indebitis : en caperis ; expuendus, expueris : flagellandus, flagellaris : crucifigendus, crucifigeris : deridendus, derideris : aceto propinandus, propinaris : consummandus, consummaris. Mirabiliter surrecturus parce nobis, Christe Domine, parce rogamus per admirabilem sanctæ passionis ac resurrectionis tuæ virtutem. Et, sicut paradisi civem reddidisti latronem, ita per crucis tuæ victoriam omnem a malo liberes mundum, atque universam redimas hominum creaturam : ut nos, quos conscientiarum obscuritas prostravit in luctum, resurrectionis tuæ claritas attollat in gladium. ℟. Amen.

Alia Oratio. Expia, quæsumus, Domine, nostrorum cunctas facinorum culpias : ut deposito veteris hominis indumento per magnificentissimæ tuæ passionis exemplum, divina resurrectionis tuæ innovati lætitia cœlestibus nos sentiamus operibus inlustrari. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Ad pedes lavandos.

Antiphona. Bone Magister, lava me ab injustitia mea : et a peccato meo munda me. Si enim ego lavi pedes vestros, Magister et Dominus ; et vos debetis aliorum lavare pedes. Exemplum enim relinquo, ut quemadmodum ego facio, et vos similiter faciatis. ℣. Beati immaculati in via : qui ambulant in lege Domini.

Oratio. Unigenite Dei Patris Filius, qui pro mundi salute nostræ humilitatis assumere dignatus es carnem, qui misericorditer hominem, quem formaveras deceptum a persuasione diaboli per humilitatis tuæ gratiam ad paradisi iter fecisti revocare gressus ; qui discipulorum tuorum pedes non dedignasti lavare, ut nos imitando exemplum salutare, tecum faceres conregnare : petimus clementiam tuam, omnipotens Deus, ut nostrorum deleas facinora peccatorum, quatenus abluti a delictis mereamur Sanctis effici participes in regno superno. ℟. Amen.

Alia Oratio. Domine Jesu Christe Filius Dei, qui in tempore nunciatus et ante omnia tempora ex Patre genitus ; quique etiam post multa sæcula nasci dignatus es de Virgine matre ; quique formam servi accipiens in similitudinem hominis **360** numquam abfuisti de sinu ingeniti Patris ; quique non es dedignatus pedes tuorum lavare discipulorum ; qui es etiam Dominus Angelorum : quæsumus omnipotentiam tuam, clementissime Deus, ut cujus nitimur imitari exemplum, ejus mereamur fieri participes regni : quatenus abluti ab omnibus nostrorum vitiis peccatorum, serviamus nomini sancto tuo. Lava mores nostros unda verbi tui, et a contagione sordium gratia purifica salutari : et qui Unigeniti tui humilitatem annuo recolimus opere, dum aqua fraternos pedes abluimus, humilitatem sedulo prosequamur : et quod visibiliter nos impendimus pedibus, tu invisibiliter nostris impertias animabus. ℟. Amen.

SEXTA FERIA IN PARASCEVE.

Ad Matitunum.

Antiphona. Ego iniquitatem meam agnosco : et peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi : Miserere mei, Deus. *Ps.* L.

Preces. Deprecemur Dominum, ut remissionem peccatorum et pacem nobis propitius donare dignetur. Dicamus omnes : P. Domine, exaudi, et miserere. ℣. Ex toto corde et ex tota mente supplices te precamur, P. Domine, exaudi. ℣. Non secundum pecata nostra retribuas nobis ; P, Domine. ℣. Sed secundum misericordiam indulge nobis : P. Domine, ℣. Dicamus omnes : P. Domine, exaudi. *Capitulum repetat. Et diaconus dicit* Erigite vos. *Et Sacerdos dicit.*

Oratio. Agnoscentes iniquitates nostras et scelera nostra, Christe Deus nostræ salutis, qui passionibus tuis nostrorum omnium passiones extinguis ; tribue nobis famulis tuis Domine Jesu Christe indulgentiam criminum ; et remissionem peccatorum ; et vitam æternam a te Domine consequi mereamur, ℟. Amen.

Antiphona. Longe fecisti notos meos a me : posuerunt me abominationem sibi. Traditus sum, et non egrediebar, ℣. Domine Deus salutis meæ, die clamavi, et nocte coram te.

Preces. Deprecemur Dominum, *ut supra.*

Preces. Dicamus omnes : P. Domine, exaudi, et miserere. ℣. Deus, ne peccata nostra consueta pietatis tuæ misericordiam vincant. P. Domine. ℣. Deus, qui majori benignitate misereris : quam nos facilitate peccamus. P. Domine, ℣. Intende, quæsumus, confitentes, et consolare mœrentes. P. Domine, Exaudi. Dicamus omnes : *Capitulum repetat. Et Diaconus dicit* Erigite vos. *Et Sacerdos dicit*

Oratio. Christe Dei Filius Patris, qui notis tuis longe astantibus in passione discipulis, visionem ingeris crucis ; ne elongari te, quæsumus, patiaris a nobis ; sed notas nobis effice vias tuæ dulcedinis :

quique traditus non egrederis, scilicet dum occultus A interioribus tuis, Deum te hominibus monstrari non pateris, vera cognitione nos satia tuæ Divinitatis : ut in ea te post transitum potiamur substantia : Qui cum Deo Patre, et Spiritu Sancto unus permanes in Trininate et in gloria sempiterna.

Antiphona. Sedebit singularis, et tacebit: qnoniam sustulit jugum grave super se. Dedit percutienti se maxillam, satiabitur opprobriis. Ponet in pulvere os suum, tamquam spes patienti. ℣. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum : factus sum, sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Preces. Deprecemur Dominum, *ut suprà*.

Preces. Dicamus omnes : *P*. Domine, exaudi, et miserere. ℣. Creverunt iniquitates nostræ coram te, et peccata nostra responderunt nobis. *P*. Domine. B ℣. Defecit præ amaritudine vita nostra : consumptum est in dolore cor nostrum. *P*. Domine. ℣. Cooperuisti nube temetipsum, ut non adiret te oratio nostra. *P*. Domine. Dicamus omnes. *Capitulum repetat*, etc.

Oratio. Jesu, Deus noster, qui maxillam præbuisti percussoribus tuis, saturatus pro nobis ipse opprobriis ; concede nobis miseris servis tuis, ut passionis tuæ exemplo instructi, jugum suave tuum portemus semper idonei : quo a te discentes quam mitis sis et humilis corde ; et passionis tuæ communicemus exemplo, et beatitudinis æternæ potiamur subsidio. ℟. Amen.

Antiphona. Traditus sum usque in mane. Oculi mei defecerunt, dum aspicio in altitudinem cœli ad C Dominum, qui misertus est mei. ℣. Numquid mortuis facies mirabilia : aut medici exsuscitabunt, et confitebuntur tibi ?

Preces. Deprecemur Dominum.

Preces. Dicamus omnes : *P*. Domine, exaudi, et miserere. ℣. Jam gemitus suscipe pœnitentium, et converte gratiæ tuæ vultum. *P*. Domine. ℣. Adesto miseris deprecatus : adesto semper oratus, *P*. Domine. ℣. Ne pertinacia delinquentium **361** miserationem tuæ pietatis avertat. *P*. Domine. Dicamus omnes : *Capitulum repetat*, *etc*.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui pro nobis traditus es ad mortem, et cruci appensus, ac poculo fellis cum aceto potatus ; gemitus servorum tuorum suscipe, et miseriis eorum auxilium tuum præbe, et D sanctum tuum nomen super nos vocetur semper. ℟. Amen.

Antiphona. Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est : iram Domini tolerabo, noli gaudere, inimica mors, quia cecidi ; resurgam. ℣. Eripe me de inimicis meis Deus meus : et ab insurgentibus in me libera me.

Preces. Deprecemur Dominum, *ut suprà*.

Preces. Dicamus omnes : *P*. Domine, exaudi, et miserere. ℣. Subveniat nobis gratia Christi tui, qui pro nobis passionem suscepit. *P*. Domine. ℣. Scindat chirographum delictorum, qui liberavit morte propria Mundum. *P*. Domine, ℣. Salvificet peccatores cujus redempti sumus cruore. *P*. Domine. Dicamus. *Capitulum opertat, etc*.

Oratio. Jesu Christe Filius Dei vivi, qui cecidisti in manus inimici, et animam tuam dilectam pro nobis servis tuis ad mortem tradidisti ; postea cum gloria Dei Patris monumento surrexisti, et mundum redemisti : rogamus sanctam clementiam tuam, ut veniat super nos gratia tua, et in diem resurrectionis tuæ sine macula stare concede. ℟. Amen.

Antiphona. Versus sum in eorum canticum : factus sum in eis proverbium : abominantur me, et longe fugiunt a me. ℣. Inclina Domine aurem tuam, et exaudi me : quia egens et pauper sum ego.

Preces. Deprecemur Dominum, *ut suprà*.

Preces. Dicamus omnes : *P*. Domine, exaudi, et miserere. ℣. Concede Ecclesiæ tuæ pacem et temporum tranquillitatem. *P*. Domine, ℣. Hujus urbis subsidium præbe, et nobis propitiare. *P*. Domine, ℣. Aufer jugum captivitatis, labem pestis et egestatis. *P*. Domine. Dicamus omnes. *Capitulum repetat*.

Oratio. Christe Deus, qui Mumdum veniens liberaturus, in canticum es infidelium versus, dum te non agnoscerent Deum, et ideo quasi hominem lacesendum conviciis appetunt ; erige nos passionis tuæ exemplo, et crucis circumvalla presidio ; ut et infidelitas per te confusu dispereat, et rursum fidelitas a te coronanda perveniat. ℟. Amen.

Antiphona. Persecuti sunt hominem pauperem et mendicum, et compunctum corde morti tradiderunt. ℣. Deus, laudem meam ne tacueris : quoniam os peccatoris et os dolosi super me apertum est.

Preces. Deprecemur Dominum, *ut suprà*.

Preces. Dicamus omnes : *P*. Domine, exaudi, et miserere. ℣. Ægris tribue medicinam, egentibus dona substantiam. *P*. Domine, ℣. Eripe cunctos oppressos, et compeditos absolve. *P*. Domine. ℣. Peregrinantibus prosperare, patriæ redde captivos. *P*. Domine, ℣. Dona veniam delictorum, et dele culpas scelerum. *P*. Domine, exaudi. Dicamus omnes : *Capitulum repetat*, *etc*.

Oratio. Multiplex nos, Domine, turba circumdat iniquitatis : et ideo, nisi tu Redemptor adjuveris, paulominus anima nostra in lacum proruat mortis. Libera ergo nos et de operibus, quæ inferorum mittant pœnis, et de pœnalibus tartarorum suppliciis : Qui, devictis confractisque infernalibus portis, ereptam prædam deportasti in cœlestibus regnis ; ægrotis medicinæ opus infunde ; errantibus viam salutis ostende ; peregrinis et captivis patriam redde ; et peccatis nostris veniam dona. ℟. Amen.

Sono. Quis ascendit crucem pro impiis ? Aut quis in altum cepit captivitatem ? *P*. Innocens manibus et mundo corde. II. Domini est terra et plenitudo ejus : orbis terrarum, et universi qui habitant in eo. Ipse super maria fundavit eum : et super flumina præparavit illum. *P*. Innocens. III. Quis ascendet in montem Domini ? aut quis stabit in loco sancto ejus ? Qui non accepit in vano animam suam, nec juravit

in dolo proximo suo. Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo. *P.* IV. Hæc est generatio quærentium Dominum, requirentium faciem Dei Jacob. Attolite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales : et introibit rex gloriæ : Dominus fortis et potens : Dominus potens in prælio. *P.* Innocens. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Innocens. *Quo expleto repetunt.* Quis ascendet in montem Domini ? A

Lauda. Expecta me, dicit Dominus, in diem resurrectionis meæ in futuro, quia judicium meum, **362** ut congregem gentes, et colligam regna. *Psalmus* CXXXVIII.

Capitula. Domine Jesu Christe, qui traditus es hodie, quasi agnus mansuetus ad victimam, converte captivitatem nostram : qui hodie dorsum tuum B ad flagella ponens, maxillas vero ad palmas constituens, hodie, Jesu bone, faciem tuam pro nobis a confusione sputorum non avertens ; hodie, Jesu Redemptor, pro nobis inlusus es , ab infidelium alapis colaphizatus, et spinis ab eis coronatus ; hodie, Pastor bone, pro ovibus animam tuam posuisti in cruce ; cum latronibus affixus es, et manus sacratæ affixe cum clavis in cruce ; hodie, positus es in sepulchro sub custodibus, et Sancti sepulchra laxarunt : hodie, Jesu bone, finem pone nostris delictis, ut in die resurrectionis tuæ cum gaudio sumamus corpus tuum sanctum, et sacro sanguine reficiamur. Inde petimus et rogamus sanctam clementiam tuam, Christe, qui tanta et talia pro nobis susceptus, et passus es in corpore sancto tuo ; redime nos servos C tuos a tenebris inferorum et ab insidiis inimicorum, ut diem resurrectionis tuæ repleti Spiritu Sancto, et mundati ab omni delicto, beatitudinis æternæ potiamur subsidio.

Pater noster.

Ad Tertiam.

Proverbiorum Salomonis (*Cap.* III).

℟. Deo gratias.

Fili, Si dormieris, salvus eris : quiesces, et suavis eris somnus tuus : ne paveas repentino terrore, et inruentes tibi potentias impiorum. Dominus erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum, ne capiaris a malo. ℟. Amen.

Antiphona. Faciem meam conspuere non verentur : illico surrexerunt, et oppresserunt me : insi- D diati sunt, nec fuit, qui ferret auxilium. ℣. Improperium expectavit cor meum, et miseriam. Et sustinui qui simul mecum contristaretur, et qui consolaretur ; et non fuit.

Oratio. Christe, Dei Filius, cujus facies pro nobis sputis patuit infidelium ; da nobis, ut quod in te infidelitas habuit abjectum, nos ad nostræ habeamus fidei tutamentum : et in quo illa offensa est, ut te Dominum crucifigeret gloriæ, nos tibi stabiliamur, te nostrum semper et liberatorem expectantes, et judicem. ℟. Amen.

Antiphona 2. Dorsum meum posui ad flagella ; maxillas vero ad palmas ; faciem meam non averti a confusione sputorum, et factus est Dominus protector meus. ℣. Custodi me de manu peccatoris ; et ab hominibus iniquis libera me, Domine. Qui cogitaverunt supplantare gressus meos.

Oratio. Admirabile satis est, Domine, quod pro noxiis innocens, piusque pro impiis animam posuisti, dorsum utique ad flagella ponens, maxillas vero ad palmas constituens, faciem quoque tuam a confusione sputorum non retrahens : Qui ergo tanta et talia in suscepto pro nobis passus es corpore, fac nos perenniter in tuæ Deitatis visione lætari. ℟. Amen.

Antiphona 3. Persecuti sunt me inimici mei, et misericordiam in me non fecerunt : lancea percusserunt super renes meos ; ego autem ad Dominum clamavi. ℣. Effunde super inimicos meos iram tuam : et indignatio iræ tuæ apprehendat eos.

Oratio. Jesu Domine, qui dolorem Ecclesiæ tuæ, quo ad nihilum radacta sunt ossa ejus, pius gubernator intelligis, dum alios extra eam infidelitatis vorago præcipitat, alios intra eam tentationem fœditas necat ; concede nobis, ut quia tu solus pro nobis et tentatus et passus es, tu nos et a tentationibus et a passionibus nostris solus, ipse, eripias : quo testimonium nostrum intra tuam Ecclesiam ita sit utile, ut mereamur tibi sine fine placere. ℟. Amen.

℟. Sicut onus grave gravatæ sunt super me : computruerunt plagæ meæ. *P.* Quia ad flagella paratus sum ; et dolor meus in conspectu meo semper. ℣. Exaruit cor meum, et renes mei resoluti sunt : et ego ad nihilum reductus sum. *P.* Quia. Flectemus genua.

Preces. Deprecemur Dominum, ut nos a flagello iræ suæ propitius liberare dignetur.

Preces. Domine, miserere mei, et libera me. *P.* Domine, exaudi, et miserere. ℣. Domine, vim patior : responde pro me, et libera me. *P.* Domine, ℣. Filii matris meæ pugnaverunt contra me ; tu libera me. *P.* Domine, exaudi. ℣. Circuierunt me undique, nec est, qui eruat : tu libera me. *P.* Domine, **363** exaudi, et miserere. ℣. Sicut agnus mansuetus ductus sum ad victimam ; jam libera me. *P.* Domine, ℣. Dorsum meum dedi percutientibus, et gennas meas vellentibus : tu libera me. *P.* Domine, ℣. Faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus : tu libera me. P. Domine, ℣. Satiatus sum amaritudine : inebriatus sum felle : tu protege me, et libera me. P. Domine, ℣. Traditus sum ad mortem : deputatus sum cum sceleratis : tu suscita me, et libera me. P. Domine, ℣. Judica causam animæ meæ, defensor vitæ meæ, et libera me. P. Domine. ℣. Dicamus omnes. *Diaconus dicit* Erigite vos. *Et Episcopus dicit.*

Oratio. Ingeniti Patris Unigenite Christe, qui pro nobis ab impiis hodie occideris innocens; tui sanguinis reminiscere pretium, et totius populi dele peccatum ; quique pro nobis perferre dignatus es sputa, probra, vincula, colaphos, alapas, et flagella,

crucem, clavos, amaritudinem, mortem, lanceam, A ac novissime sepulturam; nobis miseris, pro quibus hæc passus es, cœlestis regni tribue beatitudinem infinitam : ut qui passionem venerando prosternimur, resurrectionis tuæ gaudiis ad cœlestia sublevemur.

Pater noster. Et ne nos.

AD SALUTATIONEM LIGNI DOMINI.

Hymnus.

Pange lingua gloriosi
Prælium certaminis,
Et super Crucis trophæum
Dic triumphum nobilem :
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit.

De parentis protoplasti B
Fraude facta condolens,
Quando pomi noxialis
Morte morsu corruit :
Ipse lignum tunc notavit,
Damna ligni ut solveret.

Hoc opus nostræ salutis
Ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris
Ars ut artem falleret :
Et medelam ferret inde,
Hostis unde læserat.

Quando venit ergo sacri
Plenitudo temporis,
Missus est ab arce Patris
Natus, orbis conditor ;
Atque ventre Virginali C
Caro factus prodiit.

Vagit infans inter arcta
Conditus præsepia :
Membra pannis involuta
Virgo Mater alligat :
Et manus, pedesque, crura
Stricta cingit fascia.

Lustra sex qui jam peracta
Tempus implens corporis,
Se volente, natus ad hoc
Passioni deditus,
Agnus in Crucis levatur
Immolandus stipite.

Hic acetum, fel, arundo,
Sputa, clavi, lancea : D
Mite corpus perforatur :
Sanguis unda profluit :
Terra, pontus, astra, mundus
Quo lavantur flumine !

Crux fidelis, inter omnes
Arbor una nobilis :
Nulla silva talem profert
Fronde, flore, germine :
Dulce lignum, dulces clavos,
Dulce pondus sustinet.

Flecte ramos arbor alta,
Tensa laxa viscera ;
Et rigor lentescat ille,
Quem dedit nativitas :
Ut superni membra Regis
Miti tendas stipite.

Sola digna tu fuisti
Ferre pretium sæculi,
Atque portum præparare
Nauta mundo naufrago,
Quam sacer cruor perunxit
Fuso Agni sanguine.

Laus tibi per omne tempus
Trinitas indifferens :
Laus, honor, virtusque summa,
Singularis gloria ;
Quæ te Deum sæculorum
Personet in sæcula.

Amen.

Oratio. O sancta Crux, in qua salus nostra pependit : per te introeamus ad Patrem : per te veniam mereamur : per te apud Christum habeamus indulgentiam et veniam. ℟. Amen.

Antiphona de Ligno Domini. Signum habentes ad commemorationem mandati legis tuæ, **364** exiguo ligno credimus animas nostras, ut transeuntes mare liberemur per te Dominum Salvatorem. ℣. Dominus regnavit in ligno. Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur.

Antiphona 2. Iter facimus ligno portanti : vos invocate Patrem, ut transeuntes mare per lignum liberemur. ℣. Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram.

Antiphona 3. Benedictum est lignum, per quod fit justitia. In hoc autem ostendisti, Domine, inimicis nostris, quia tu es, qui liberes ab omni malo. ℣. Lætentur cœli, et exultet terra, moveatur mare et plenitudo ejus.

Ad Nonam pro indulgentia.

Sono. Popule meus, quid feci tibi ? in quo contristavi te ? responde mihi. P. Quia eduxi te de terra Ægypti, parasti crucem mihi. H. Audite, quæ Dominus loquitur : Surge, et contende judicium adversus montes, et audiant colles vocem tuam. P. Quia eduxi ? III. Audite montes judicium Domini, et fortia fundamenta terræ ; quia judicium Domini cum populo suo ; et cum Israel altercabitur, dicens : P. Quia eduxi te. IV. Popule meus, quid feci tibi ? aut in quo te contristavi ? aut in quo tibi molestus fui ? responde mihi : quia eduxi te de terra Ægypti ? et de domo servitutis liberavi te ? et misi ante faciem tuam Moysem, Aaron, et Mariam ? P. Quia eduxi te. V. Si affliget homo Deum ; quia vos confixistis me, et dixistis : In quo confiximus te ? invaluerunt super me verba vestra ; et confixistis me, gens tota. P. Quia eduxi te. VI. Quid dignum offeram Domino ? Curvabo genua Deo excelso : numquid offeram ei holocaustomata, aut vitulum anniculum ? numquid placari poterit Dominus in millibus arietum ? aut in multis millibus hircorum pinguium ? P. Parasti crucem. VII. Numquid dabo primogenitum meum pro

scelere meo fructus ventris mei, pro peccato animæ meæ? P. Parasti crucem. VIII. Indicabo tibi homo, quid sit bonum: aut quid Dominus quærat a te: utique facere judicium, et diligere misericordiam; et solicitum ambulare cum Deo tuo. P. Parasti crucem.

Prologum. In finem pro susceptione matutina Psalmus ipsi David. Vigesimus primus. Longe a salute mea verba delictorum meorum. III. Deus meus, clamabo per diem, nec exaudies: et nocte, et non ad insipientiam mihi.

Silentium facite. I. Ego autem sum vermis, et non homo: opprobrium hominum, et abjectio plebis. II. Omnes qui videbant me, subsannabant me: locuti sunt labiis, et moverunt caput. III. Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Silentium facite. I. Quoniam tu es, qui eduxisti me, de ventre: spes mea ab uberibus matris meæ. II. In te jactatus sum ex utero: de ventre matris meæ Deus meus es tu: ne discedas a me: III. Quoniam tribulatio est proxima: et non est qui adjuvet.

Silentium facite. I. Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me. II. Aperuerunt in me os suum, sicut leo rapiens et rugiens. III. Sicut aqua effusus sum: et dispersa sunt omnia ossa mea.

Silentium facite. I. Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei. II. Exaruit sicut testa virtus mea; et lingua mea adhæsit faucibus meis: et in pulverem mortis deduxisti me. III. Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me.

Silentium facite. I. Foderunt manus meas et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. II. Ipsi vero consideraverunt, et conspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea; et super vestem meam miserunt sortem. III. Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum a me: ad defensionem meam, Deus meus, respice.

Silentium facite. I. Eripe a framea animam meam: et de manu canis unicam meam. II. Libera me, Domine, de ore leonis: et a cornibus unicornium humilitatem meam. III. Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te, Domine.

Silentium facite. Preces. Pœnitentes orate, flectite genua Deo. Deprecemur Dominum Deum nostrum, ut indulgentiam criminum, et remissionem peccatorum nobis donare dignetur. Erigite vos: orate, flectite genua Deo. Deprecemur Dominum Deum nostrum, ut lapsis manum porrigat; et præsidium, quod ab eo inquiritur, clementer impertiat. Erigite vos: orate, flectite genua Deo. Deprecemur Dominum Deum nostrum, ut reminiscentes mala quæ gessimus, et deinceps vitemus insidias inimici; ut quos diabolus persuasione sua ab altario Dei subtraxerat, patrona revocet effusio lacrymarum. Erigite vos; completa oratione nostra. Omnes pari voce indulgentiam a Domino postulemus.

A Prosternimur ad preces. *Trecentis vicibus indulgentiam. o.o.o.o.o.o. o.o. o.o. Hoc trecentis vicibus.*

℟. Tu Pastor bone, animam tuam pro ovibus posuisti. Tu pastor bone. *Repetatur tribus vicibus.*

Preces. Prosternimus preces ante faciem tuam: exaudi; placare: indulge Domine, et miserere nobis.

Post hæc dicit Diaconus hanc precem: Deprecemur Dominum, ut remissionem peccatorum et pacem nobis propitius donare dignetur.

Deinde dicit Archidiaconus has preces: Te deprecamur, Domine. P. Indulgentiam. ℣. Procedat ab Altissimo P. Indulgentia. ℣. Succurrat nobis miseris P. Indulgentia. ℣. Delicta purget omnibus P. Indulgentia. ℣. Præstetur pœnitentibus P. Indulgentia. ℣. Er-
B rantes fide corrigat P. Indulgentia. ℣. Lapsos peccatis erigat P. Indulgentia. ℣. Te deprecamur, Domine, P. Indulgentiam. *Post hæc dicit Diaconus etc.*

Oratio. Unigenite Filius Dei Patris, cujus caro pretiosa a Judæis damnatur, ab ingratis inluditur, et crucifigenda latronum corporibus comparatur, ex cujus latere sanguis, et aqua profluxit; et sanguinem non miror ex carne, aquam vero, ex eo quod intelligo, non mirabor! Illa est enim utique aqua, quæ nos quondam per Adam mortuos vivificavit regeneratos, procedens ex mortuo. Clementiam ergo tuam quæsumus, ut sicuti pro amore generis humani non dedignatus es assumere mortem nostram, ita etiam, resurgens a mortuis, obtinere nos facias de triumphato hoste victoriam. ℟. Amen.

C Per misericordiam tuam, Deus noster, qui vivis cum Deo Patre, et regnas cum Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Qua expleta, exclamat Diaconus Indulgentiam ducentis vicibus c.c. Indulgentias. o. o. o. o. o. o. o. o. o. o. Hoc ducentis vicibus.

℟. Tu, Pastor bone, animam tuam pro ovibus posuisti. Tu Pastor bone, *Repetatur duabus vicibus.*

Preces. Precavimus tibi Deus, recedentes a te: nobis confusio est, tibi clementia, et propitiatio.

Preces. Deprecemur Dominum, ut remissionem peccatorum, et pacem nobis propitius donare dignetur.

Preces. Te precamur, Domine, P. Indulgentiam. ℣. Nos Patri reconciliet. P. Indulgentia. ℣. Christi confirmet gratia. P. Indulgentia. ℣. Conformet Sancto Spiritui. P. Indulgentia. ℣. Pestem, et famem abluat
D P. Indulgentia. ℣. Medelam ægris conferat. P. Indulgentia. ℣. Captivos reddat patriæ. P. Indulgentia. ℣. Vices aerum temperet. P. Indulgentia. ℣. Te deprecamur, Domine. P. Indulgentiam.

Oratio. Unigenite Filius Dei Patris, qui tantam redditurus gratiam, in terris dignatus es nasci, ut nos elevares ad cœlos: qui ideo in ligno Crucis manus proprias extendisti, ut nos ad lignum vitæ propitius revocares; de quo Adam gustare non meruit, postea quam crimen prævaricationis incurrit. Crux ergo tua, Deus, vitæ arbor est: in æternum vivificet quemcumque ex ea gustaverit. Tuam ergo clementiam petimus, ut auferantur ab oculis tuis mala

nostra præterita ; et bona futura nascantur : hujus mundi lux infida negligatur ; et perennitas tuæ a nobis æternitatis requiratur. ℟. Amen.

Per misericordiam, etc.

Post hæc decantatur hic psalmus Miserere mei Deus, etc. *cum Antiphona sua ab Episcopo imposita. Antiphona.* Parce Deus quia. *Psalmus* L.

Post, dicto psalmo, una cum Gloria Patri, *dicit Diaconus tertio, indulgentiam, non plusquam centum vicibus. Et dixit Episcopus hoc responsum*: Tu Pastor bone. *Et dixit Diaconus voce : per singulos autem versiculos psalmi* Miserere mei Deus secundum, etc. Qui das post peccata indulgentiam.

Antiphona. Parce Deus, quia sprevimus præcepta tua, Qui das post peccata indulgentiam. *Psalmus* L. Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem misericordiæ, etc. *Post quemlibet versum repetatur,* Qui das post peccata indulgentiam.

Post, dicto psalmo, una cum Gloria Patri, *dicit Diaconus tertio Indulgentiam, non plus quam centum vicibus o. o. o. o. o. o. o. o. o. o. Hoc centum vicibus. Responsorium.* Tu Pastor bone.

Deinde Diaconus, voce : Miserere nobis Deus, quia omnia potes. Tu enim dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. **366** *Deinde Diaconus dicit hanc precem.* Deprecemur Dominum, ut remissionem peccatorum, et pacem nobis donare dignetur.

Preces. Te precamur, Domine, *P.* Indulgentiam. ℣. Restituat Paradiso *P.* Indulgentia. ℣. Claustra Cœlorum aperiat *P.* Indulgentia. ℣. Removeat supplicium. *P.* Indulgentia. ℣. Extinguat gehennæ incendium *P.* Indulgentia. ℣. Defunctis donet requiem *P.* Indulgentia. ℣. Locum quietis conferat P. Indulgentia. ℣. Sanctis consortes faciat. P. Indulgentia. ℣. Te precamur, Domine, ℣. Indulgentiam.

Oratio. Unigenite Filius Dei Patris, de quo ante tam innumeros annos Propheta cantavit hunc versum : In medio duorum animalium cognosceris ; cognitus plane es non solum inter duos latrones pendens in ligno, vel duorum Testamentorum in medio ; verum etiam fuga solis, occasu diei, concussione terrarum : Tu Christe descendisti ad inferos, et Sancta sepulchra laxarunt. Pietatem ergo tuam quæsumus ; ut intelligere possimus, quantum nobis resurgens præstabis in regno, qui nos moriens resuscitasti cum gloria de inferno.

Pater noster, qui es in cœlis. ℟. Amen. Sanctificetur, etc.

Dicat Presbyter. Eruti a malo. stabiliti semper in bono, tibi adhærere mereamur Deo et Domino nostro Jesu Christo. Da veniam peccatis nostris, et requiem famulis tuis omnibus fidelibus defunctis. Frange, et percute omnes insidias inimici nostri : defende nos ab omnibus operibus malis, et confirma in cunctis bonis. Accipe jejunium, vel votum nostrum ; et exaudi orationem nostram in his diebus, et in totis temporibus. Tribue nobis pacem, et securitatem,

A pietatem, et sinceram claritatem, ac gratiam, stigmate passionis tuæ Deus noster, Filius Dei ; qui vivis cum Deo Patre, et regnas cum Spiritu Sancto in Trinitate unus Deus, permanens in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Dominus sit.

SABBATO SANCTO.

Ad Vesperas.

Lauda. Dicant qui redempti sunt a Domino : In æternum, P. Quos redemit de manu inimici : In æternum, et in sæculum sæculi. ℣. Populus qui sedebat in tenebris et in umbra mortis, vinctos in mendicitate, et ferro.

P. Quos redemit. ℣. Quia contrivit portas areas, et vectes ferreos confregit. *P.* Quos.

B *Oratio.* Dominus noster Jesus Christus Filius tuus, qui solus verbo virtutis cuncta moderans, et omnia Crucis stigmata portans, vectes ferreos comminuit ; portarumque aerearum claustra perfregit ; in tartari profunda descendit ; sedentibus in umbra mortis, ignotæ lucis claritate resplenduit ; et sol justitiæ de tumulo, corpore suscitato, procedens, radiis suis tenebras nostras mirabiliter inlustret. ℟. Amen.

Per misericordiam, etc.

Lauda. Alleluia. Ego sum primus, et ego novissimus : et fui mortuus, P. Et ecce sum vivens : in sæcula sæculorum, Alleluia. ℣. Dignus es, Domine Deus noster accipere librum, et solvere signa ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua. P. Et ecce. ℣.
C Gloria, etc. P. Et ecce.

Lauda. Alleluia. Angelus Domini descendit de cœlo, P. Et accedens, revolvit lapidem ab ostio monumenti. Alleluia, alleluia. ℣. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. P. Et accedens. ℣. Gloria, et honor. P. Et accedens.

Dominus sit semper. ℣. Et cum.

Lauda. Erat aspectus ejus sicut fulgur, et vestimenta ejus candida quasi nix ; et dixit mulieribus : Nolite timere : ℣. Confitemini Domino, quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus. P. Et accedens. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et accedens.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Hic est panis verus Dei, qui de cœlo descendit, et vitam tribuit Mundo : qui manducaverit
D ex eo, permanet in æternum. Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. P. Qui credit in me, non esuriet, neque sitiet umquam, Alleluia, alleluia. ℣. Ecce disponam vobis, sicut disposuit mihi Pater, regnum ; ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo. P. Qui credit. ℣. Gloria, et honor. P. Qui credit.

Capitula. Excellentissimam in hac nocte tuæ, Christe, Resurrectionis celebrantes solemnitatem, in qua ipse novus dies, novo de tumulo surgens, veternosam antiquæ noctis calliginem, cœlestem convertisti in claritatem, te, quibus possumus, lacrymosis rugitibus imploramus ; **367** ut, qui nos redemisti

pretio tui sanguinis, instituta a te præcepta acceptes nostræ orationis. Sit indulgentia criminum ; concedatur etiam cœlestis gloriæ summa virtutum. Memento, Domine, quia terra sumus ; et accipe contritionem nostri spiritus ; ut, qui carnis infirmitate ad terram prosternimur, ad cœlos castigatione spirituali jejuniis sublevemur. Et quia ex nostro est quod cadamus, ex tuo sit, ut surgamus, Te jubente, dicimus :

Pater noster. Et ne nos. Liberati a malo. *Quære fol.* 2.

Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Benedictio. Christus Dominus, qui ascendit patibulum Crucis, sua vos redemptione et passione conservet a malis. ℟. Amen. Detque vobis suæ dulcedinis sapientia renovari, qui se amaro permisit fellis poculo propinari. ℟. Amen. Ut, cujus laudes Ecclesia

A cuncta celebravit ovando, ejus conservari mereatur magno Crucis vexillo. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri, etc.

Lauda. Alleluia. Locutus est Angelus Domini mulieribus, *dicens : *P*. Scio, quia crucifixum quæritis : surrexit, sicut dixit. Venite, et videte ubi positus erat Dominus. ℣. Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit. *P*. Scio, quia crucifixum quæritis. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio. P. Scio, quia.

Oratio. Expletis, Domine, in hac sancta solemnitate nostræ servitutis officiis, gratias tibi, laudesque referimus, dono tuæ miserationis adjuti ; precantes te, Deus, ut a peccatis nos abluas, et in tuis semper laudibus exultare concedas. ℟. Amen.

B Per misericordiam tuam, etc.

In nomine Domini.

IN LÆTATIONE DIEI PASCHÆ RESURRECTIONIS.

369 *Ad Matutinum.*

Antiphona. Ego dormivi : et resurrexi, quoniam Dominus suscitavit me. P*salmus* III.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui pro nobis soporem mortis ideo suscepisti, ne nos amplius obdormiremus in mortem ; dona, ut qui te moriente renascimur, te etiam vivificante a peccatorum lecto surgamus : nec ultra jam obruamur pœna peccati, qui nos redemptos congaudemus pretio sacri sanguinis tui. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 1. Surrexit Dominus a monumento, P. Et portas inferorum confregit. ℣. Tollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales : et introibit rex gloriæ. P. Et portas ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et portas.

Oratio. Christe, vera redemptio mundi, qui, revoluto per Angelum lapide ab ostio monumenti, mira resurrectionis potentia triumphasti, cum sexus mulierum infirmior, qui te ardenti desiderio perquisivit, prior cæteris te resurgentem, Angelo nuntiante, audire promeruit ; da nobis, ut fragilitatis nostræ torpore secluso, indesinenti servitutis tuæ potiamur solatio ; ut te ardentius diligentes, oris nostri ostium nulla in confitendo tibi immoti lapidis duritia obstruente, æterno mereamur consolari de munere. ℟. Amen. Per.

Antiphona 2. Vade, Maria, nuntia fratribus meis, P. Quia resurrexi, sicut illis dixi : eant in Galilæam, ibi me videbunt. ℣ Deus deorum Dominus locutus est : et vocavit terram, a solis ortu usque ad occasum : ex Sion species decoris ejus. P. Quia. ℣. Gloria. P. Quia.

Oratio. Christe, Dei Filius, quem vox angelica a mortuis resurrexisse prædixit, et euntibus discipulis, qui te in Galilæam visuri essent, innotuit ; da nobis plenum gaudium de tua semper resurrectione habere : ut qui in Galilæa, in transmigratione scilicet incorruptionis, manifestum te in carne voluisti ostendere discipulorum aspectibus, digneris etiam in nobis apparere virtutibus manifestus : ut a corruptione in incorruptionem transmigrationem facientes, æternæ illius et veræ transmigrationis possidere gaudia mereamur sine fine felices ℟. Amen.

Per misericordiam.

C *Antiphona* 3. Tulerunt Dominum meum, et, ubi posuerunt eum, nescio. P. Noli flere, Maria ; resurrexit Dominus cum gloria, et regnabit a fine usque in finem fortiter. ℣. Etenim Dominus dabit benedictionem ; et terra nostra dabit fructum suum. P. Noli flere. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Noli flere, Maria,

Oratio. Sublatum te, Domine, e sepulchro fructuosa illius Mariæ inquisitio fletuum effusione conqueritur, quæ utique igne tui desiderii cremabatur ; Quæsumus ergo, ut desiderium amoris tui similiter in nobis accendas : ut et in perquirendo valentiores, et in inveniendo te mereamur sine fine esse felices. ℟. Amen.

Per.

℟. Stabat Maria ad monumentum foris plorans.
D Dum ergo fleret, prospexit ubi positum erat corpus Jesu. Vidit duos Angelos in albis sedentes. P. Et conversa retrorsum vidit Jesum stantem ; et venit annuntians discipulis : Quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi. ℣. Dixit Jesus Mariæ : Mulier, quid ploras ? quem quæris ? P. Et conversa.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Iste Deus meus, et honorificabo eum : Deus patris mei, et exaltabo eum.

Canticum Exaudi (*Cap*. XV).

Cantemus Domino : gloriose enim honorificatus est, * equum et ascensorem projecit in mare.

Adjutor et protector mihi fuit Dominus * in salutem :

Hic Deus meus, et honorificabo eum : * Deus patris mei, et exaltabo eum.

Dominus conterens bella, * Dominus nomen est ei.

Currus Pharaonis et exercitum ejus * projecit in mare :

370 Electos ascensores sternit : * stratores dimersit in rubro mari.

Pelagusque operuit eos, * dimersi sunt in profundum tamquam lapis.

Dextera tua, Domine, glorificata est in virtute : dextera manus tuæ confregit inimicos. * Et præ multitudine majestatis tuæ contrivisti adversarios :

Misisti iram tuam, et comedit eos tanquam stipulam. * Et per spiritum iracundiæ tuæ divisa est aqua :

Gelaverunt tamquam murus aquæ. * gelaverunt fluctus in medio mari.

Dixit inimicus : Persequens comprehendam, partibor spolia, replebo animam meam :

Interficiam gladio meo, * et dominabitur manus mea.

Misisti spiritum tuum, et cooperuit eos mare : * dimersi sunt in profundum tamquam plumbum in aqua validissima.

Quis similis tibi in diis Domine ? quis similis tibi, honorificus in sanctis, mirabilis in majestatibus, faciens magnalia ? * Extendisti dexteram tuam, et devoravit eos terra.

Gubernasti justitia tua populum tuum hunc quem liberasti : * consolatus es virtute tua, in refectione sancta tua.

Audierunt gentes, et iratæ sunt : * dolores apprehenderunt inhabitantes Philisthiim.

Tunc festinaverunt duces Edom, et principes Moabitarum, * apprehendit eos timor : et fluxerunt omnes inhabitantes Chanaan.

Decidat super eos timor et tremor, * a magnitudine brachii tui.

Fiant tamquam lapis, donec transeat populus tuus, Domine, * usque dum pertranseat populus tuus iste, quem liberasti.

Induc, et planta eum in montem hereditatis tuæ, * in præparata habitatione tua, quam præparasti tibi, Domine ; sanctuarium tuum, quod præparaverunt manus tuæ.

Domine, qui regnas in æternum, et in sæculum sæculi et adhuc. * Quia intravit equitatus Pharaonis cum quadrigis et ascensoribus in mare :

Et induxit super eos Dominus aquas maris : * filii autem Israel ambulaverunt per siccum per medium mare. *Reiteretur Antiphona* Iste Deus.

Ad Benedictus. Antiphona. Tibi soli Deo et gloria, et virtus, et potestas in sæcula sæculorum. Amen.

Canticum. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum. *Require fol.* 6.

Sono. Ego dormivi, et quievi : et resurrexi, quoniam Dominus suscitavit me, P. Gloria mea. Alleluia. ℣. Non timebo millia populi circumdantis me : exurA ge Domine, salva me Deus meus, P. Gloria mea. Alleluia.

Lauda. Alleluia : Laudate Dominum de cœlis : Alleluia alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Principium Apocalypsis Joannis Apostoli (*Cap.* I). ℟. Deo gratias.

Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet fieri cito : et significavit, mittens per Angelum suum servo suo Joanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei, et testimonium Jesu Christi, quæcumque vidit. Beatus, qui legit, et qui audit verba prophetiæ, et servat ea, quæ in ea scripta sunt : tempus enim prope est. Joannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia. Gratia vobis et pax ab eo, qui est, et qui erat, et qui venB turus est ; et a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt ; et a Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ : qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum, et sacerdotes Deo Patri suo : ipsi gloria in sæcula. Ecce venit cum nubibus, et vidit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ. Ego sum Alpha, et Omega, principium, et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est, omnipotens. ℟. Amen.

Hymnus.

Hic est dies verus Dei
Sancto serenus lumine.
Quo diluit sanguis sacer
Probrosa mundi crimina :
C Fidem refundens perditis,
Cœcosque visu illuminans,
Quo nos gravi solvit metu,
Latronis absolutio.
Qui præmio mutans crucem,
Jesu brevi adquisivit fidem :
Justoque brevior gradu
Pervenit in regnum Dei.
Hoc opus stupent Angeli,
Pænam videntes corporis ;
Christoque adhærentem reum
Vitam beatam capere.
Mysterium mirabile !
Ut abluat mundi luem,
Peccata tollat omnium
D Carnis vitia mundans caro,
371 Quid hoc potest sublimius,
Ut culpam quærat gratia ?
Metumque solvat charitas,
Reddatque mors vitam novam ?
Hamum sibi mors devoret,
Suisque se nodis liget ?
Moriatur Vita hominum,
Resurgat Vita omnium ?
Dum mors per omnes transeat,
Omnes resurgant mortui ?
Comsumpta mors ictu suo,
Perisse se solam gemat ?

Quæsumus, auctor omnium,
In hoc Paschali gaudio
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.
Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis;
Cum Patre, Sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum: cum omni supplicatione rogemus; ut nos gloria resurrectionis suæ propitius justificare dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus.

Kyrie, eleison: ℣. Christe, eleison: Kyrie, eleison.

Capitula. Christe Dei Filius, qui venerabilis diei hujus excursum, et prius a te conditæ lucis, et post veræ resurrectionis tuæ mysteriis consecrasti, dum singulari trophæo triumphator inferni olim in hoc die devicto diabolo triumphasti; da nobis, ut de sepulchro vitiorum exeamus ad te lumen verum, qui es resurrectionis nostræ principium: ut, quia in te mors ultra nullo modo dominabitur, per veram Resurrectionis tuæ potentiam, quam verissime profitemur, peccata nostra amodo nobis nullatenus dominentur; ut qui matutinum sacrificium pro nobis ipse oblatus es, in hoc Resurrectionis tuæ tempore matutino ab omni nos jubeas purificari piaculo.

Pater noster. Liberati a malo *fol.* 2.

Dominus. ℟. Et cum.

Lauda. Surrexit Christus a mortuis. Alleluia P. Per gloriam Patris. Alleluia, alleluia. ℣. Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit. P. Per gloriam. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Per gloriam.

Benedictio. Christus Dominus, qui ascendit, etc. *fol.* 367.

In nomine Domini nostri Jesu Christi, etc.

Ad Vesperum.

Lauda. Laudaverunt te, Domine, omnes Angeli tui, et hymnum dixerunt, dum perficeres fabricam cæli. Tuus est dies, et tua est nox: *P.* Tu fecisti solem et lunam. ℣. Tu confirmasti in virtute tua mare: Tu contribulasti capita draconum super aquas. *P.* Tu fecisti.

Oratio. Laudant te, Domine, omnes Angeli tui; dum a te se creatos agnoscunt: et cunctam creaturam cœlestem atque terrenam te opificem subsistere ac disponi non ambigunt. Dona ergo mentibus nostris in omnibus operibus tuis tibi gloriam dare; et te solem justitiæ perpetuo nobis fulgore clarescere lumen: quatenus nocturnas tenebras tua semper valeamus inluminatione vitare. ℟. Amen.

Per misericordiam, etc.

Sono. Ubi est mors victoria tua? ubi est mors aculeus tuus? Resurrexi: dicit Dominus: Alleluia. ℣. Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. Alleluia.

Dominus sit. ℟. Et cum.

A *Antiphona.* Absorta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? P. Ubi est mors aculeus tuus? ℣. Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. Ponam in salutari tuo: fiducialiter agam in eo. P. Ubi est? ℣. Gloria, et honor. P. Ubi est?

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Redemisti nos, Domine, sanguine tuo ex omni tribu, et lingua: P. Et fecisti nos regnum Deo nostro. Alleluia. ℣. Domine Deus virtutum converte nos: et ostende faciem tuam, et salvi erimus. P. Et fecisti nos. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et fecisti.

Hymnus. Hic est dies verus. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi. *Hic suprà.*

Capitula. Deus, cujus unum hunc ex omnibus du-
B ximus diem, in quo creatis rebus omnibus voluisti esse et præsentis lucis indicem, et æterni luminis testem, ut in eo resurgeret inluminatio temporum, atque resurgeret inluminatio animarum: quique Dominicæ et operationis primus, et resurrectionis idoneus revolutus in circulo, et reductus in calculo, Paschalis solemnitatis inciperet mysterium, et concluderet sacramentum; respice **372** in hoc tempore acceptabili, et in hac die salutis super servos tuos, Domine, quos redemisti de captivitate nequitiæ spirituali trophæo Dominicæ passionis: quos Agni tui sanguine tinctos, ne vastator læderet, liberasti; Esto nobis prævius in solitudine vitæ hujus, quo et in die calorem tentationis nostræ quasi nubes protegens obumbres, et in nocte a tenebris peccato-
C rum nos quasi columna ignis inlumines: ut, dum ades ad salutem, perducas ad requiem.

Pater noster. Liberati a malo, etc. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui diem istum resurrectionis suæ consecravit mysterio, resurgendi vobis præbeat efficaciam a delicto; ℟. Amen. Et, qui olim hodierna die a mortuis resurrexit, mortificationis omnimodæ vobis conferens donum, resurgere vos faciat cœlestium dono virtutum: ℟. Amen. Ut in eo semper vitam habeatis, in cujus mortem consepultos vos esse gaudetis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Tulerunt Dominum meum, et nescio, ubi posuerunt eum. P. Noli flere, Maria: resurrexit Dominus. Alleluia, alleluia. ℣. Etenim Dominus dabit benedictionem: et terra dabit fructum suum.
D P. Noli flere, Maria. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Noli flere, Maria.

Oratio. Christe, qui olim gloriosæ noctis hujus diluculum resurrectionis tuæ mysterio consecrasti, dum primus ipse numquam moriturus, et veræ primitiæ dormientium surrexisti: da nobis, ut in te resurgamus a vitiis, et vires reparemus perditæ sanitatis; ut in te vivificemur ad statum veræ salutis, qui pro nobis es mortificatus usque ad supplicium Crucis. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Dominus sit semper. ℟. Et cum,

In nomine Domini.

SECUNDA FERIA RESURRECTIONIS.

Ad Matitunum.

Antiphona, Psalmus, et Oratio, ut in die. Quære fol. 366.

Antiphona. Surrexit enim, sicut dixit Dominus; P. Et ecce præcedet vos in Galilæam : ibi eum videbitis. ℣. Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit. P. Et ecce præcedent. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Et ecce.

Oratio. Jesu, Dei Filius, quem vox Angelica a mortuis resurrexisse prædixit, et euntibus discipulis, quod te in Galilæam visuri essent innotuit : da nobis plenum gaudium de tua semper resurrectione habere : ut qui in Galilæam, in transmigratione scilicet incorruptionis, manifestum te in carne voluisti ostendere discipulorum aspectibus; digneris etiam in nobis apparere virtutibus manifestus : ut a corruptione in incorruptionem transeuntes, æternæ illius et veræ transmigrationis possidere gaudia mereamur sine fine felices. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Resurrexit Dominus Jesus Christus a mortuis P. Primitiæ dormientium : ut in eo omnes vivificentur. ℣. Dicite in nationibus, Dominus regnabit a ligno. Etenim firmavit orbem terræ qui non commovebitur : judicabit populos in æquitate. P. Primitiæ. ℣. Gloria, et honor. P. Primitiæ.

Oratio. Christe, qui olim. *Ut supra.*

Antiphona 3. Christus surgens a mortuis jam non moritur : mors illi ultra non dominabitur. ℣. Memor fuit misericordiæ suæ Jacob, et veritatis suæ domui Israel. Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. P. Jam non. ℣. Gloria, et honor. P. Jam non.

Oratio. Incomparabilis Christe Domine Deus noster gaudiorum serenator, illustra conventus omnis Ecclesiæ, quæ te ab inferis excipit resurgentem; Qui ergo tam potenter et mortis aculeum vincis, et ultra non moreris, nos, quos potenter redemisti, in æternam mortem ire nullo modo patiaris. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

℟. Magnus es, Domine, et præclarus, P. Et laudabilis in virtute, et invisibilis : tibi serviet omnis creatura tua. ℣. Fortissime, magne, et potens, Dominus exercituum nomen est tibi. Magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu. P. Et laudabilis in virtute. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et laudabilis in virtute.

Oratio. Te Domine, ab inferis resurgentem in gloria, laudem tibi canit omnis a te condita creatura : nos quoque pusilli cum magnis admixti laudantes, te rogamus ac petimus : ut per te hic resurrectionis primæ habentes principia, cum Sanctis omnibus resurgamus ad gloriam sempiternam. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

373 *In Laudibus.*

Ad Canticum. Antiphona. Cantemus Domino : gloriose enim honorificatus est, equum et ascensorem projecit in mare.

A *Canticum.* Cantemus Domino : gloriose. *Require fol.* 369.

Oratio. Cantabimus tibi Domine, et cum omni laude cantabimus : quia equum et ascensorem projecisti in mare ita diabolum cum exercitibus suis suffoces eadem virtute. Quis similis tibi in diis Domine? quis similis tibi? gloriosus in sanctis, mirabilis in majestatibus, faciens prodigia, cunctis gentibus, populis prædicanda. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Ad Benedictus. Antiphona. In templo sancto gloriæ tuæ benedictus es Domine.

Canticum. Benedictus es Domine Deus, etc. *Require fol.* 6. *Sono.* Ego dormivi. *Quære fol.* 370.

Lauda. Alleluia. Laudate Dominum de cœlis. Alleluia, alleluia, alleluia. *Psalmus.* CXLVIII.

Lectio libri Apocalypsis Joannis Apostoli (*Cap.* II). ℟. Deo gratias.

Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe : Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum : Scio opera tua, et laborem, et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos : et tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, et non sunt : et invenisti eos mendaces : et patientiam habes, et sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti. Sed habeo adversum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris : et age pœnitentiam, et prima opera fac : sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœni-
C tentiam egeris. Sed hoc habes, quia odis facta Nicolaitarum, quæ et ego odi. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis : Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei. ℟. Amen.

Hymnus. Hic est dies *fol.* 370.

Capitula. Adest Domine secundi illius diei luminosa species, in qua matutina lux, Christus videlicet noster, in firmamento legis a se conditæ se indicit agnoscendum. Præsta ego nobis, ut, qui luce resurrectionis coruscavit in mundo, abundantia pietatis redundet in sæculo : qualiter ita firmamento legis suæ corda nostra præmuniat, ut inlæsos nos ad æternam pertrahat vitam.

Pater noster. A malo nos libera, *Quære fol.* 10.
D Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Surrexit Christus a mortuis Alleluia. P. Per gloriam Patris. Alleluia, alleluia. ℣. Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit. P. Per gloriam. ℣. Gloria, et honor. P. Per gloriam.

Benedictio. Christus Dominus, qui diem istum, *Quære fol.* 372.

Ad Vesperum.

Lauda. Laudaverunt te. *Oratio.* Laudant te Domine. *fol.* 371.

Sono. Dominus Jesus Christus surrexit a mortuis tertia die; P. Et vivit ex virtute Dei. Alleluia. ℣. Salvator noster resurgens a mortuis, curvavit mor-

tem: et inluminavit nos vitæ æternitate. P. Et A vivit.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Ego sum primus, et ego novissimus; P. Et fui mortuus, et ecce sum vivens in sæcula sæculorum. ℣. Laudate nomen Domini: laudate servi Domini. P. Et fui mortuus. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et fui.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Dominus Jesus Christus, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ: P. Ipse dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris sanguine suo. Alleluia. ℣. Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. P. Ipse dilexit. ℣. Gloria, et honor. P. Ipse.

Hymnus. Hic est dies verus. *Supplicatio.* Oremus. *fol.* 271.

Capitula. Christe Deus noster, qui secundo die firmamentum formans, quasi solidamentum scripturarum in Ecclesia præparas, quo cœlestes populos Angelorum ab infirmitate inferiorum hominum, quasi aquas ab aquis, discerne voluisti: quique duo testamenta constituens, figuram veteris sacrificii per testamentum novum immolatione tui corporis complevisti; da nobis, ut intellectu prudentiæ angelicis potestatibus, quasi aquis superioribus sociemur, et semper ad superna tendamus: qualiter ita solidamentum utriusque legis in corde nostro præpolleat, ut resurrectionis tuæ potentia ad gaudia nos pertrahat infinita.

374 Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Benedictio. Christus Dei Filius, qui in corpore nostræ mortalitatis sustulit opprobrium Crucis, ab omni vos cruciatu nocibili eripiat passionis; ℟. Amen. Et qui in vera corporis nostri carne surrexit ab inferis, in omnimoda veritate sanctificationis exuscitet corda vestra ab omni lapsu facinoris: ℟. Amen. Ut fides, qua illum et mortuum fuisse, et ressurrexisse agnoscitis, æternæ vobis præparet receptacula mansionis. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius.

Lauda. Surrexit Christus a mortuis. Alleluia. P. Per gloriam Patris, Alleluia, alleluia. ℣. Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit. P. Per gloriam. ℣. Gloria, et honor. P. Per gloriam. D

Oratio. Mortuum te peccato fuisse non tuo, sed nostro, Jesu Domine, confitemur; et ideo, quia semel pro impiis mortuus, Deo vivis, fac nos, ut sic semel moriamur vitiis, qualiter coronaturi resurgentes lætemur semper de muneribus sempiternis. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

FERIA TERTIA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Ego dormivi: et resurrexi. *Psalmus.* III.

Oratio. Domine Jesu Christe. *Require folio* 369.

Antiphona 1. Quod Jesus mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. P. Nunc autem existimate, vos mortuos esse peccato, viventes autem Deo. ℣. Omnes gentes plaudite manibus: jubilate Deo in voce exultationis. P. Nunc autem existimate. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Nunc autem existimate.

Oratio. Mortuum te peccato. *Hic supra.*

Antiphona 2. Mortuus est Christus propter peccata nostra, P. Et resurrexit propter justificationem nostram. ℣. Canite in initio mensis tuba, in die insignis solemnitatis nostræ, P. Et resurrexit propter. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et resurrexit.

Oratio. Christe, Dei Filius, qui mortuus es propter
B peccata nostra, et resurrexisti propter justificationem nostram; da nobis, et mortem habere vitiorum, et resurrectionem obtinere virtutum: ut ita mortis et resurrectionis tuæ in nobis vigeat sacramentum, qualiter ad te sine confusione post nostrum transitum accedere mereamur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

Antiphona 3. Si credimus quod Jesus mortuus est, et resurrexit: P. ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo. ℣. Cantate Domino canticum novum: quia mirahilia fecit. P. Ita et Deus. ℣. Gloria, et honor. P. Ita et Deus.

Oratio. Credimus te, Domine, indebita pro nobis morte damnatum et virtute propria suscitatum; et ideo profluenti lachrymarum exundatione deposci-
C mus, ut qui te resurrexisse pro justificatione nostra nunc credimus, placabilem, ac mitem in judicio sentiamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Tu es, Deus, qui facis mirabilia solus: P. Et tu regnas in æternum Domine. ℣. Notam fecisti in populis virtutem tuam: liberasti in brachio tuo populum tuum. P. Et tu. ℣. Gloria, et honor. P. Et tu.

Oratio. Omnipotens ac mirabilis Domine, tu es qui facis mirabilia solus; et tu regnas in æternum: ne obliviscaris nostri, nec humanis dejiciamur in laudibus; sed in te, in quo summa est gloriatio, tui memores delectemur. ℟. Amen.

Per misericordiam, etc.

In Laudibus.

Ad Canticum Antiphona. Adjutor et protector factus est mihi Dominus in salutem.

Canticum, Cantemus Domino: gloriose. *Quære fol.* 369.

Oratio. Adjutor et protector noster Domine, tuam, quæsumus, ad salvandos nos appone potentiam: tu es enim Deus noster, qui honorificaris ex debito; et exaltaris ex merito: quique dum conteris bella, nomen quod tibi solum est, in virtutibus pandis, vel in mirabilibus innotescis; projice currus Pharaonis et exercitum ejus in mari: ut qui terga sequuntur nostra, ipso impetu, quo nos persequuntur, mergan-

tur: nos quoque ne cum eis immergas in profundum A aut pelagum patefactum. ℟. Amen.

Per.

375 *Ad Benedictus. Antiphona.* In templo sancto gloriæ tuæ benedictus es Domine.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6.

Sono. Ego dormivi, et requievi : et resurrexi, quoniam Dominus suscitavit me.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis. Alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Apocalypsis Joannis Apostoli (*Cap.* II).

℟. Deo gratias.

Ego Joannes servus Jesu Christi audivi vocem de cœlo dicentem mihi : Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit primus, et novissimus ; qui fuit B mortuus, et vivit : Scio tribulationem tuam, et paupertatem, sed dives es : et blasphemaris ab his, qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, et mentiuntur, sed sunt synagoga satanæ. Nihil horum timeas quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini : ut habeatis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis : Qui venerit, non lædetur a morte secunda. ℟. Amen.

Hymnus. Hic est dies. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *fol.* 371.

Capitula. Lucidum diei tertii speculum agnoscentes, in quo per conditum firmamentum legis divisæ sunt aquæ ab aquis, fideles utique ab infidelibus se- C gregati ; te Dominum rogamus et petimus, ut vera fide nos instruas, et ab infidelitate disjungas : ut qui tertia die te suscitatum ab inferis credimus, lucis æternæ præsidio muniamur.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Surrexit Christus a mortuis. Alleluia. *P.* Per gloriam Patris. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit. *P.* Per gloriam. ℣. Gloria, et honor. *P.* Per gloriam.

Benedictio. Christe Dei Filius, qui in corpore nostræ mortalitatis. *fol.* 374.

In nomine Domini nostri.

In eodem die ad Vesperum.

Lauda. Laudaverunt te Domine. *Oratio.* Laudant te Domine. *fol.* 371. D

Sono. Venite, et videte : Angelus quomodo revolvit lapidem ; *P.* Milites custodientes Sanctum ; Alleluia, alleluia. ℣. Mulieres lachrymantes, salvatorem quærentes. Mariæ Angelus dixit : Non est hic : surrexit enim Dominus. *P.* Milites.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Consepulti enim sumus cum Christo per baptisma in montem : ut quemadmodum resurrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, *P.* Ita et nos novitate vitæ ambulemus. ℣. Ipse fecit nos, et non ipsi nos. Nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus. P. Ita et nos.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Redemit nos Dominus, P. Et liberavit nos. Alleluia, alleluia. ℣. Laudate pueri Dominum : laudate nomen Domini. P. Et liberavit. ℣. Gloria, et honor. P. Et liberavit.

Hymnus. Hic est dies verus. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *fol.* 371.

Capitula. Omnipotens Deus Pater, qui die tertio ab infidelium cordibus, quasi ab inferioribus salsis aquis aridam, id est populum fontem fidei sitientem, segregare dignatus es ; da nobis, ut ab infidelium laqueis segregati, resurrectionem Filii tui prædicamus indubii : ut qui tertio ab inferis suscitatus est die, trina nos virtutum copulatione resuscitet : quo fide, spe et charitate robusti, de æterno resurrectionis mereamur munere consolari.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Deus, Dei Filius, qui resurrectioni suæ gloriam toto dilatavit in mundo, credulitatis hujus vos justificet sacramento : ℟. Amen. Et qui resurgens ultra non moritur, ab infinitæ vos mortis eripiat dominatu. ℟. Amen. Quo in eo nobis sit perpetuum gaudium, in quo nobis præcessit veræ resurrectionis exemplum. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius, etc. Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Mane nobiscum Domine, P. Quoniam jam declinat dies in vesperum. Alleluia, alleluia. ℣. Accedite ad Deum, et illuminamini : et vultus vestri non erubescent. P. Quoniam jam. ℣. Gloria. et honor. P. Quoniam jam.

Oratio. Concede nobis, Domine, ut mortis opera non agamus, qui resurrectionis tuæ triumphos plena fide colimus : ut insultantes morti perpetuæ per bonam vitam, novæ hereditatis capiamus præsidia. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini nostri.

376 FERIA QUARTA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Ego dormivi. *Psalmus* III. *Oratio.* Domine Jesu Christe. *fol.* 369.

Antiphona. 1. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam illos : P. Ero mors, tua o mors, ero morsus tuus inferne. ℣. Propter miserias inopum, et gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. Ponam in salutari meo : fiducialiter agam in eo. P. Ero mors. ℣. Gloria, et honor. P. Ero mors.

Oratio. Concede nobis Domine. *Hic supra.*

Antiphona 2. Absorta est mors prævalens : et maledictum populi abstulit Dominus ab omni ore, et delevit lachymas ab omni facie. P. Hic est Deus noster : exultemus, et epulemur in salutare ipsius. ℣. Præoccupemus faciem ejus in confessione : et in psalmis jubilemus ei. P. Hic est. ℣. Gloria, et honor. P. Hic est.

Oratio. Deus, Dei Filius, cujus mors mortem obsorbuit, et maledictum abstulit mundi ; fac nos ita semper in tua resurrectionis victoria conlætari, ut

dum prædicamus gloriam Crucis, indesinenter potiamur præmio veritatis. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Ubi est mors victoria tua? P. Ubi est mors aculeus tuus? Resurrexi: dicit Dominus. ℣. Propter miserias inopum, et gemitum pauperum; nunc exurgam, dicit Dominus. Ponam in salutari meo: fiducialiter agam in eo. P. Ubi est. ℣: Gloria, et honor. P. Ubi est.

Oratio. Christe Deus, a quo mors in victoriam absorta est. qui mortis victoriam simul et aculeum dextruens, magnum mundo redemptionis præsidium contulisti; da nobis, ut vitiorum morti virtutum profectibus insultantes, ad æterna gaudia mereamur perduci quandoque beatiores. ℣. Amen.

Per misericordiam.

℟. Magna, et mirabilia opera tua. Domine: justæ, et veræ sunt viæ tuæ. *P.* Rex omnium gentium. ℣. Quis non timet Domine, et magnificat nomen tuum? quoniam solus justus es. *P.* Rex omnium. ℣. Gloria, et honor. *P.* Rex omnium.

Oratio. Magna, et mirabilia opera tua Domine, quia vera, et justa sunt judicia tua. Subde nos vestigiis tuis, ut fides Ecclesiæ tuæ pedes tuos ambiat; mereaturque in his gratiam complectendis, in quibus evangelica mulier veniam meruit osculandi. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Iste Deus meus, et honorificabo eum: Deus Patris mei, et exaltabo eum.

Canticum. Cantemus Domino: gloriose. *fol.* 369.

Oratio. Repelle a nobis Domine mortiferam perniciem impii Pharaonis: ut comminuto jugo servitutis Ægyptiæ; serviamus tibi in gaudio libertatis æternæ. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Benedictus. Antiphona. In templo sancto gloriæ tuæ benedictus es Domine.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6, *Sono.* Ego dormivi. *fol.* 370.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis. Alleluia, alleluia. P*salmus* CXLVIII.

Apocalypsis Joannis Apostoli (*Cap.* II).

℟. Deo gratias.

Angelo Pergami Ecclesiæ scribe: hæc dicit qui habet rhomphæam ex utraque parte acutam: Scio ubi habitas, ubi sedes est satanæ: et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam. Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, ubi satanas habitat. Sed habeo adversus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere, et fornicari: ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similiter pœnitentiam age, siquominus, veniam tibi cito, et pugnabo cum illis in gladio oris mei. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti dabo edere manna absconditum, et dabo ei calculum candidum: et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. ℟. Amen.

Hymnus. Hic est dies. *Supplicatio.* Oremus. *fol.* 371.

Capitula. Luminosa diei quarti lux matutina refulget, in qua tu, Deus Omnipotens, magna luminaria in firmamento cœli constituens, quadrifluo Evangeliorum omnem mundum visitans irrigasti cum eum pretioso suo sanguine redemisti; da ergo nobis, ita lucere in firmamento Ecclesiæ, ut æternam mereamur **377** pervenire ad requiem: ut qui Primogenitus ex mortuis crederis, indultor quoque criminum in judicio sentiaris.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Surrexit Christus a mortuis, Alleluia. P. Per gloriam Patris. Alleluia, alleluia. ℣. Cantate Domino canticum novum: quia, mirabilia fecit. P. Per gloriam. ℣. Gloria, et honor. P. Per gloriam.

Benedictio. Deus Dei Filius. *fol.* 375.

In nomine Domini.

Eodem die ad Vesperum.

Lauda. Laudaverunt te Domine. *fol.* 371.

Sono. Quis Deus magnus, sicut Deus noster? *P.* Tu es Deus, qui facis mirabilia solus. Alleluia, alleluia. ℣. Honorificus in Sanctis, mirabilis in majestatibus, faciens prodigia. P: Tu es Deus.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Tradidit in mortem animam suam, et cum iniquis deputatus est. P. Et ipse peccata multorum tulit: et iniquitates nostras in se portavit. ℣. Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit. P. Et ipse. ℣. Gloria, et honor. P. Et ipse.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Ecce recordatus est Dominus populi sui, Alleluia, et misertus est hereditati suæ. Alleluia. P. Et observabuntur dies isti summo studio, et gaudio magno. Alleluia, alleluia. ℣. O Domine salvos nos fac: o Domine bene prosperare. P. Et observabuntur. ℣. Gloria, et honor. P. Et observabuntur.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Omnes benedicite Dominum: et omnes conlaudate majestatem ejus. P. Agite diem lætitiæ. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Vox lætitiæ et salutis in tabernaculis justorum. *P.* Agite diem. ℣. Gloria, et honor. *P.* Agite diem.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Vidi aquam egredientem de templo a latere dextro, Alleluia. P. Et omnes, ad quod pervenit aqua ista, salvi facti sunt, et dicent: Alleluia, alleuia. ℣. Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltavit me. *P.* Et omnes. ℣. Gloria, et honor. *P.* Et omnes.

Hymnus. Hic est dies. *Supplicatio.* Oremus. *fol.* 371.

Capitula. Ecce, Domine, vesperum quarti diei hujus officiosis luminaribus frequentamus, in quo luminaria

in firmamento cœli constituens, quasi in solidamento legis infigens, quatuor videlicet Evangelistarum una te voce canentium corda inlustrare dignatus es : quo te in quatuor mundi partes et mortem pro nobis gustasse, et a mortuis resurrexisse, unitis vocibus nuntiarent : Te ergo petimus, teque rogamus, ut in hujus vitæ obscuritate, ita resurrectionis tuæ in nobis præfulgeat gratia, ut resurrecturi mereamur pertingere coronam. A

Pater noster. Liberati a malo *fol.* 2.

Benedictio. Verus Dei Agnus, qui pro nobis est immolatus in cruce, ab omni nos concluvionis macula purget ; ℟. Amen. Et qui occisus ex infirmitate surrexit potenter, potentialiter devincat omnes libitus carnis vestræ ; ℟. Amen. Quique, devicta morte, mortis devicit auctorem, devictis criminibus vestris, in se vos faciat vivere sine fine. ℟. Amen. B

Per misericordiam.

Lauda. Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, P. Ut sequamur vestigia ejus : Alleluia, alleluia. ℣. Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit Dominus. P. Ut sequamur. ℣. Gloria, et honor. P. Ut sequamur.

Oratio. Christe, Dei Filius, quo moriente, optata mundo vita, salusque donata est ; dona nobis, in hoc resurrectionis tuæ festo copiose lætari : ut qui tecum nos fuisse mortuos credimus, simul etiam tecum sine fine vivamus ; et qui mortem ulterius in te dominari non credimus, a dominatu mortis perpetuæ liberemur. ℟. Amen. Per misericordiam. C

In nomine Domine.

FERIA QUINTA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Ego dormivi. *Psalmus* III. *Oratio*. Domine Jesu Christe. *fol.* 369.

Antiphona 1. Si mortui sumus cum Christo : credimus quia simul etiam vivemus cum illo : P. Scientes, quod Christus surgens a mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. ℣. Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus : et sapientiæ ejus non est numerus. P. Scientes. ℣. Gloria, et honor. P. Scientes.

Oratio. Christe, Dei Filius. *Quære retro in Vesperis præcedentibus*.

Antiphona 2. Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : P. Mortui enim estis, **378** et vita vestra abscondita est cum Christo. ℣. Psallite Deo nostro in cithara, in cithara et voce psalmi. P. Mortui. ℣. Gloria, et honor. P. Mortui. D

Oratio. Tecum nos, Christe, jam per fidem consurrexisse exundanti hilaritate lætamur ; et ideo fac nos semper ea, quæ sursum sunt, quærere : ut a flagitiorum nostrorum nequitiis resurgentes, illuc, ubi tu in dextera Patris sedes, mereamur aliquando pervenire felices. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona 3. Christus resurgens a mortuis jam non moritur. P. Mors illi ultra non dominabitur. ℣. Audite hæc omnes gentes : auribus percipite, qui habitatis orbem. P. Mors. ℣. Gloria, et honor. P. Mors.

Oratio. Christe, qui resurgens a mortuis, jam non moreris ; concede, ut nulla in nobis ulterius mors prævaleat criminis : ut qui resurrectionis tuæ mysterium fide promptissima veneramur, a nocibili mortis dominio liberemur. ℟. Amen.

Per misericordiam,

℟. Tu es Deus qui facis mirabilia solus ; P. Et notam fecisti in populis virtutem tuam. ℣. Liberasti in brachio tuo populum tuum, filios Israel, et Joseph. P. Et notam. ℣. Gloria, et honor. P. Et notam.

Oratio. Tu es Deus, qui facis mirabilia solus : occurre animabus nostris optimus consolator : et indulgentiali favore existe Redemptor : et qui nos acquisisti passione voluntaria, erue nos de laqueo venantis invicta potentia. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. *Antiphona*. Cantemus Domino : gloriose enim honorificatus est, equum, et as censorem projecit in mare.

Canticum. Cantemus Domino. *fol.* 369.

Antiphona. In templo sancto gloriæ tuæ benedictus es Domine.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6. *Sono*. Ego dormivi. *fol.* 370

Lauda. Alleluia. Laudate Dominum de cœlis : Alleluia, alleluia, alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Apocalypsis Joannis Apostoli (*Cap.* II).

℟. Deo gratias.

Angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos, ut flamma ignis, et pedes ejus similes aurichalco : Novi opera tua, et charitatem, et fidem, et ministerium, et patientiam tuam, et opera tua novissima plura prioribus. Sed habeo adversum te : quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit prophetam, docere, et seducere servos meos, fornicari, et manducare de idolothytis. Et dedit illi tempus ut pœnitentiam ageret : et non vult pœnitere a fornicatione sua. Ecce mitto eam in lectum : et qui mœchatur cum ea, in tribulatione maxima, nisi pœnitentiam egerit ab operibus suis : et filios ejus interficiam in mortem et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes et corda : et dabo unicuique secundum opera sua. Vobis autem dico, et cæteris, qui Thyatiræ estis : Quicumque non habent doctrinam hanc, et non cognoverunt altitudinem satanæ, quemadmodum dicunt, non mittam super vos aliud pondus : tamen, quod habetis, tenete donec veniam. Et qui vicerit, et qui custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes, et reget eas in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringentur, sicut et ego accepi a Patre meo :

et dabo illi stellam matutinam. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. ℟. Amen. A

Hymnus. Hic est dies. *Supplicatio.* Oremus *fol.* 371.

Capitula. Lucidi exortus diei quinti primordium contuentes, in quo vivarum reptilia animarum, et volatilia tu, Deus noster, formare dignatus es, te poscimus, teque rogamus, ut quos vivificans renovasti Baptismatis unda, nos resuscitando a vitiis, pertrahas ad superna; et qui te valde diluculo a mortuis resurrexisse gaudemus, nos semper ad cœlestia evolasse resurrectionis tuæ munere gratulemur.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Surrexit Christus a mortuis Alleluia. P. Per gloriam Patris. Alleluia, alleluia. ℣. Cantate B Domino canticum novum: quia mirabilia fecit. *P.* Per gloriam. ℣. Gloria, et honor. P. Per gloriam.

Benedictio. Verus Dei Agnus. *fol.* 377.

In nomini Domini.

Ad Vesperum.

Lauda. Laudaverunt te Domine. *Et Oratio.* Laudant te Domine. *fol.* 371.

Sono. Omnes gentes plaudite manibus: jubilate Deo. **379** P. In voce exultationis. Alleluia. ℣. Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite. Quoniam rex omnis terræ Deus: psallite. P. In voce.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. De manu mortis liberabo: de morte C redimam illos. P. Ero mors tua o mors; ero morsus tuus, inferne. ℣. Propter miserias inopum, et gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. Ponam in salutari meo: fiducialiter agam in eo. P. Ero mors tua. ℣. Gloria, et honor. P. Ero mors.

Dominus sit. ℟. Amen.

Lauda. In mente habete diem istum, in quo exitis de Ægypto. P. Mensis novorum est iste: celebrate Pascha Domino. Alleluia. ℣. Sumite psalmum, et date tympanum: psalterium jocundum cum cithara. P. Mensis novorum. ℣. Gloria et honor. P. Mensis novorum.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Vidi turbam Angelorum multorum in cœlo dicentium voce magna: Dignus est qui occisus est D Agnus accipere fortitudinem, et gloriam, et honorem. Et omnes audivi dicentes? Sedenti in throno, et Agno P. Benedictio, et honor, et gloria, et potestas. Alleluia, alleluia. ℣. Magnus Dominus, et laudabilis nimis: et magnitudinis ejus non est finis. P. Benedictio. ℣. Gloria, et honor. P. Benedictio.

Hymnus. Hic est dies. *Supplicatio.* Oremus. *fol* 371.

Capitula. Deus, qui in operatione quinti diei reptilia animarum vivarum, homines scilicet renovatos per sacramentum Baptismatis, condidisti: et volatilia cœli, animas videlicet Sanctorum ad superna volantes manifesta virtutum luce, formasti: præbe animabus nostris invictum de tua resurrectione solatium: ut per te renovati resurgamus ad gloriam, per quem regenerati sumus ad vitam.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Gratia, qua vos per fidem Christo consepultos esse gaudetis, mortificet vos ab omni contagione iniquitatis; ℟. Amen. Et qui resurrectionis illius gaudia toto dilatavit in mundo, sanctificationem omnimodam exhibeat cordi vestro: ℟. Amen. Ut qui illum suscitavit a mortuis, vos quoque resuscitet ad gloriam æternæ remunerationis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam. P. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Alleluia, alleluia. ℣. Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit. P. Per Dominum. ℣. Gloria, et honor. P. Per.

Oratio. Fac nos, Deus Pater, ita tibi fructificare, ut ejus tantum simus, quem ex mortuis suscitasti Christe scilicet Filii tui: quo, suscitando nos tandem de vitiis ad virtutem, pervenire nos facias ad æternam hereditatem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

FERIA SEXTA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Ego dormivi. *Psalmus* iii. *Et Oratio.* Domine Jesu Christe. *fol.* 369.

Antiphona 1. Consepulti enim sumus cum Christo per baptisma in mortem: ut quemadmodum resurrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, P. Ita et nos in novitate vitæ ambulemus. ℣. Ipse fecit nos, et non ipsi nos. Nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus. P. Ita. ℣. Gloria, et honor. P. Ita.

Oratio. Christe, cui consepulti sumus in mortem, ut resurgeremus tibi per fidem resurrectionis tuæ; lava nos a peccatis nostris in sanguine tuo: ut quos dudum mundasti aqua baptismatis, indesinenter purifices indulgentia pietatis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Fructificemus Deo, ut simus ejus, P. Qui ex mortuis resurrexit. ℣. Dominus regnavit, decorem induit: induit Dominus fortitudinem, et præcinxit se. Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur. L. Qui. ℣. Gloria, et honor. P. Qui.

Oratio. Fac nos. *Quære retro in Vesperis præcedentibus.*

Antiphona 3. Christus Jesus secundum tempus pro impiis mortuus est, justus pro injustis: Ideo commendat charitatem suam in nobis. P. Ut justificati in sanguine ejus, salvi ab ira simus per ipsum. ℣. Eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum terræ, purgatum septuplum. P. Ut justificati. ℣. Gloria, et honor. P. Ut.

Oratio. Christe Deus noster, et Domine, qui confirmasti nos mysterio Crucis, et signasti mysterio, potentia tuæ resurrectionis **380** dans pignus spiritus in cordibus nostris: fac nos ita, quæsumus re

demptionis nostræ dignitatem inculpabiliter custodire ; ut disrupto carnalis concupiscentiæ libitu, ita primitias spiritus habentes, sequamur : ut gloriosa resurrectionis tuæ potentia, quæ nostro primum præcessit in capite ; in membris quoque et nunc per efficentiam bonorum operum, et post per exsuscitationem glorificati corporis impleatur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Quis Deus magnus sicut Deus noster? P. Tu es Deus, qui facis mirabilia magna solus. ℣. Domine in mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis. Deduxisti sicut oves populum tuum. *P.* Tu es Deus.

Oratio. Credimus te, Domine, indebita pro nobis morte damnatum, et virtute propria suscitatum ; et ideo profluenti te lachrymarum exundatione deposcimus, ut qui te resurrexisse pro justificatione nostra nunc credimus, placabilem te ac mitem in judicio sentiamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Adjutor et protector factus est mihi Dominus in salutem.

Canticum. Cantemus Domino. *fol.* 369.

Oratio. Lætatur ecce Domine, Hierusalem fidelis in victoriam Crucis et potentiam Salvatoris : fac ergo, ut et diligentes eam, in ejus pacem consistant ; et recedentes ab ea, ad ejus amplexum quandoque perveniant : ut ablato luctu, de resurrectionis æternæ gaudiis recreati, in ejus pace mereamur sine fine constitui. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Benedictus. Antiphona. In templo sancto gloriæ tuæ benedictus es Domine.

Canticum. Benedictus es. *fol.* 6. *Sono.* Ego dormivi. *fol.* 370.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis : Alleluia. Laudate Dominum in excelsis. Alleluia, alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Apocalypsis Joannis Apostoli (*Cap.* III).

℟. Deo gratias.

Angelo Ecclesiæ Sardis scribe : Hæc dicit qui habet septem Spiritus Dei, et septem stellas: Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, et mortuus es. Esto vigilans, et confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe qualiter acceperis, et audieris, et serva, et pœnitentiam age. Si ergo non vigilaveris, veniam tamquam fur, et nescis qua hora veniam ad te. Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua : et ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de Libro vitæ, et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. ℟. Amen.

Hymnus. Hic est dies. *Et supplicatio.* Oremus. *fol.* 371.

Capitula. Adest fulgidum diei sexti curriculum, sextæ ætatis continens sacramentum ; In illo formatus homo ex nihilo, in isto reparatus ex aliquo : in quo tu, Dei Filius, dum pro nobis indebitam suscepisti mortem, mortis devicisti auctorem ; da ergo nobis, ut quos de manu tanti hostis tuo sanguine redemisti, non patiaris æternis doloribus cruciari : ut qui triumpho resurrectionis tuæ, ea quæ sursum sunt nos quærere præcipis, modificatione pietatis corda nostra mortifices a delictis.

Pater noster liberati a malo. *fol.* 2.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Dominus Jesus Christus, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ : P. Ipse dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris sanguine suo. Alleluia. ℣. Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. P. Ipse. ℣. Gloria, et honor. P. Ipse.

Benedictio. Gratia, qua vos. *fol.* 379.

In nomine Domini nostri.

Ad Vesperum.

Lauda. Laudaverunt te Domine. *Et Oratio.* Laudant te Domine. *fol.* 371.

Sono. Jubilate Domino omnis terra. P. Cantate Deo : exsultate, et psallite. Alleluia, alleluia. ℟. Psallite Deo nostro in cithara et voce psalmi : in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ. Jubilate in conspectu regis Domini. L. Cantate Deo.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Dominus Deus patrum nostrorum suscitavit Filium suum Jesum, quem vos interemistis, ℣. Clamantes ante faciem Pilati : Crucifige, crucifige. ℟. Notum fecit Dominus salutare suum : ante conspectum gentium revelavit justitiam suam. P. Clamantes. **381** ℣. Gloria, et honor. P. Clamantes.

Dfiminus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Dicite in gentibus : Dominus regnavit a ligno. P. Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur : Alleluia, Alleluia, Alleluia. ℣. Lætentur cœli, et exultet terra, moveatur mare, et plenitudo ejus. P. Etenim.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Jocundare cœlum, et exsulta terra, Alleluia. Prorumpant montes jocunditatem, Alleluia. P. Quia misertus est Dominus plebis suæ, Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Flumina Juda profluant aquas : distillabant montes dulcedinem, et colles manabant lacte : quia fons de domo Domini prodiit : Alleluia, alleluia. P. Quia. ℟. Gloria, et honor. P. Quia.

Hymnus. Hic est dies. *Et supplicatio.* Oremus. *fol.* 371.

Capitula. Deus, Dei Filius, qui hominem, quem sexto die formasti ex nihilo, sexta ætate sæculi redemisti sanguine tuo : et qui tunc bene conditus male cecidit ; nunc in melius reformatus surrexit : da nobis, ut ita veraciter redemptionis nostræ mysterium perpendamus, qualiter in morte et resurrectione tua perenniter gloriemur : ut qui tempore salutis, mundo occurrens, mortem nostram moriendo devicisti, ab æterna nos liberes damnatione judicii.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Deus, Dei Filius, qui patibulo pro impiis affixus est Crucis, suæ vos salvificet gloria passionis. ℟. Amen. Et qui mortem moriendo devicit, ipse a vobis omnes cruciatus avertat inferni : ℟. Amen. Ut in eo resurgatis ad gloriam, cujus nunc resurrectionis suscipitis gaudia. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam. P. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Alleluia, alleluia, alleluia. ℟. Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit. *P.* Dominum. ℣. Gloria, et honor. *P.* Per Dominum.

Oratio. Gratias agimus tibi, Deus Pater, qui eripuisti nos potestate tenebrarum, transferens in regnum Fili tui ; da ergo, quæsumus nobis, ut quos per mortem revocavit ad vitam, per pietatem resuscitet ad gaudia sempiterna. ℟. Amen.

Per misericordiam. In nomine Domini.

SABBATO.

Ad Matutinum.

Antiphona. Ego dormivi. *Psalmus* CCCLXIX. *Et Oratio* : Domine Jesu Christi. *fol.* 369.

Antiphona 1. Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam. *P.* Per Dominum nostrum Jesum Christum. ℣. Dicite in nationibus : Dominus regnavit a ligno. Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur : judicabit populos in æquitate. *P.* Per. ℣. Gloria. *P.* Per Dominum.

Oratio. Quas tibi, Domine, gratias referre poterimus pro eo, quia nobis victoriam per effusionem Filii tui sanguinis præstitisti ? et ideo, quia defectum nostrum inspicis, supplementum tuæ porrige pietatis : ut quicquid mens in conceptione laudis tuæ suggerit enarrandum, fideli relatione os proferat ad æternitatis emolumentum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Gratia Dei data est nobis per inluminationem Salvatoris nostri Jesu Christi, *P.* Qui destruxit mortem, et inluminavit vitam. ℣. Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus : et sapientiæ ejus non est numerus. *P.* Qui. ℣. Gloria. et honor. *P.* Qui.

Oratio. Gratias agimus. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Antiphona 3. Gratias agimus tibi, Domine Deus noster, qui es, et qui eras, et qui venturus es Omnipotens. ℣. Quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua. P. Qui es. ℣. Gloria, et honor. *P.* Qui es.

Oratio. Domine Deus noster, qui es et qui eras et qui venturus es, gratias tibi creatura a te condita referet, quia factum est regnum hujus mundi Domini nostri Jesu Christi ; quæsumus ergo, ut quos regnum ejus esse voluisti, æterno eos consoleris in munere. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Quam magnificata sunt. *P.* Opera tua Domine !

A ℣. Omnia in sapientia fecisti : repleta est terra. *P.* Opera.

Oratio. Magnificata sunt opera tua Domine, et humanæ intelligentiæ remotissima : quorum nos visibilis pulchritudo pulcherrimum omnium provocat ad conlaudandum Creatorem : Tu nos vero discretionis imple spiritu : ut dum tua miramur opera, te tuis **382** in operibus laudet, magnificet intelligentia nostra. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Iste Deus meus.

Canticum. Cantemus Domino. *fol.* 369.

Ad Benedictus. Antiphona. In templo sancto glo-
B riæ tuæ benedictus es Domine.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6. *Sono.* Ego dormivi. *fol.* 370.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis : Alleluia, alleluia. Laudate eum in excelsis. Alleluia. alleluia. *Psal.* CXLVIII.

Apocalypsis Joannis Apostoli (*Cap.* III).

℟. Deo gratias.

Angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit Testis fidelis, et verus, qui est principium creaturæ Dei. Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus : utinam frigidus esses, aut calidus : sed quia tepidus es, nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo : quia dicis : Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo : et nescis quia tu es
C miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, ut salvus fias, et vestibus albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuæ, et collyrio inunge oculos tuos ut videas, Ego quos amo, arguo, et castigo. Æmulare ergo, pœnitentiam age. Ecce sto ad ostium, et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit januam, introibo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo : sicut et ego vici, et sedeo cum patre meo in throno ejus. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. ℟. Amen.

Hymnus. Hic est dies, *Et supplicatio* : Oremus. *fol.* 371.

Kyrie, eleison. ℟. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

D *Capitula.* Christe, Dei Filius, qui exortum diei septimi in tua requie consecrasti, cum otium sabbati in sepulchro positus complevisti ; da requiem cordi nostro beneplacitam tibi, ut ab operibus nostris ita in te veraciter quiescamus, ne in otio sabbati peccatorum nostrorum oneribus adgravemur ; ut qui te e sepulchri quiete resurrexisse fideliter credimus, e cœlis item ad judicium venientem mitissimum sentiamus Piissime.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam. P. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Alleluia, alleluia. ℣. Cantate Domino canticum novum : quia

mirabilia fecit. *P.* Per Dominum, ℟. Gloria, et ho- A nor. *P.* Per Dominum.

Benedictio. Christus Dei Filius, qui in corpore nostræ mortalitatis sustulit obprobrium Crucis, ab omni vos cruciatu nocibili eripiat passionis. ℟. Amen.

Per misericordiam, etc.

Dominus sit. ℟. Et cum.

In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

SABBATO IN OCTAVAM PASCHÆ.

Ad Vesperum.

Lauda. Laudaverunt te Domine. Et *Oratio.* Laudant te Domine. *fol.* 371.

Sono. Alleluia. Postquam resurrexit Dominus Jesus Christus a mortuis, stans in medio dicipulorum B locutus est dicens : *P.* Pax vobis : Ego sum, qui resurrexi a mortuis. Alleluia. ℣. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas, et dixit eis: Quoniam sic scriptum est : Nonne oportuit Christum pati, et resurgere a mortuis ? Alleluia. *P.* Pax.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Crhistus est in dextera Dei sedens. P. Mortui enim estis : et vita vestra abscondita est cum Christo. ℟. Domine salvos nos fac, o Domine bene prosperare : benedictus qui venit in nomine Domini. Benedicimus vobis de domo Domini: Deus Domini, et illuxit nobis. P. Mortui. ℣. Gloria, et honor P. Mortui.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, C hic factus est in caput anguli. *P.* A Domino factum est istud : et est mirabile in oculis nostris. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Psallite Deo nostro, psallite : psallite Regi nostro, psallite. *P.* A Domino. ℣. Gloria. *P.* A Domino.

Hymnus.

Te centies mille legionum Angeli.
Concentu plaudunt, et canora jubilant,
Christe Jesu Alpha et Omega omnipotens,
Sepultus olim, et vivens in sæcula,
Testis fidelis, et verum principium.
Qui mundi hujus dejecisti principem,
383 Redimens Orbem tuo almo Sanguine
Sanctus et verus Genitus Ingeniti,
Reserans clausum, et apertum obstruens,
Faciens nos Deo Regni Sacerdotium.
Tu verus Agnus solus sine macula,
Qui dextram Patris conlocatus solio,
Solus egressus ab arce Dominica,
Si milis Jaspidi, et Sardino lapidi.
Iris per gyrum, smaragdus circuis.
Tu Dei pignus hominisque Filius.
Septies librum signatum signaculis
Solvere signa dignus repertus es :
Agnus occisus septem pollens cornibus,
Septeno fulgens et lumine flammeo.
E throno prodeunt fulgura, et tonitrua,
Septem ardentes ante thronum lampades.
Septem ubique missi Dei Spiritus,
Septem stellæ micant Agni dextera,
Septem cui adstant candelabra aurea'
Sedentes circum quater seni Primates,
Amicti cunti niveis cycladibus,
Et laureati diademis aureis.
Aureas vehunt phialas aromatum,
Aureis psallunt modulis, et citharis.
Stant ante Thronum nitet mare vitreum,
Bis bini fortes, idem animalis :
Homo per genus, leo voce perstrepit
Juvencus ore promit Sacerdotium,
Petens ad astra more volans aquilæ.
Quatuor formis senis alis singulis,
Ante et retro cuncta plena oculis,
Vigiles semper dormiendi nescu,
Vicissim Sanctus ter clamantes jugiter,
Illi, qui erat, est, et qui venturus est.
Gloria Patri, laus, sapientia,
Agno sedenti supra Thonum in cœlis ;
Cum Patre renuat, et cum Sancto Spiritu,
Connexa simul tribus una Deitas,
Per infinita sæculorum sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus. *fol.* 371.

Capitula. Christe Dei Filius nostrarum requies animarum, qui otium sabbati requiescens in tumulo complevisti : ut in quo olim requieveras ab omni opere faciendo, in eo et etiam requiesceres in sepulchro, hunc nobis veraciter sanctificans diem, cujus vesperum in prima nobis sabbati, quæ et octava dies est, lucescit : ut, qui dixeras de tenebris lumen splendescere, manifeste a mortuis resurgens appareres in carne ; dirige cursum vitæ nostræ in viam sanctificationis omnimodæ, qualiter ita in his septem diebus quibus mundus iste peragitur, et in quibus quotidie nobis Agnus occiditur, et Pascha quotidie celebratur, salubriori vitæ curriculo conversemur : ut absque fermento malitiæ verum Pascha mereamur quotidie celebrare : et ita ab omnibus operibus nostris in hoc die sanctificatione tibi placita quiescamus, ut octavi illius æterni diei resurrectionis gloria consolemur, quia te præcipiente oramus :

Pater noster. Liberati a malo. *Require folio* 2.

D *Benedictio.* Christus, Dei Filius, qui in hoc die moriens requievit in tumulo, det optatam requiem cordi vestro ; ℟. Amen. Tribuatque vobis cessare ab omni opere criminis, qui in sepulchro positus sustulit obprobrium Crucis : ℟. Amen. Ut optabile vobis resurrectionis ejus gaudium, et hic devotos efficiat, et in futuro de munere æternitatis sustollat. ℟. Amen.

Per misericordiam

Lauda. Apparuit Jesus januis clausis discipulis suis ; quod esset Dominus, unus non credidit ex eis Thomas. *P.* Mitte manun tuam in fixuras clavorum meorum, et esto jam fidelis. Dominus meus, et Deus meus. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Sit nomen Do-

mini benedictum, amodo, et usque in æternum. A *P.* Mitte. ℣. Gloria, et honor. P. Mitte. *Oratio.* Omnipotens Deus. *Quære hic infra.*

Per misericordiam.

In nomine Domini.

DOMINICA IN OCTAVAS PASCHÆ.

Ad Matutinum.

Antiphona. Ego dormivi. *Psalmus* III. *Oratio.* Domine Jesu Chiste. *fol.* 369.

Antiphona 1. Livore ejus sanati sumus, Omnes nos sicut oves errabamus : et Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrorum : traditus est, P. Quia ipse voluit, et non aperuit os suum. ℣. Omnes gentes plaudite manibus : jubilate Deo in voce exultationis. P. Quia. ℣. Gloria, et honor. *P.* Quia.

Oratio. Omnipotens Deus Pater, qui nos Domini nostri Jesu Christi Filii tui pertioso sanguine redemisti, non patiaris in te credentes æterni supplicii barathro demergi : ut per eum confessione nostrorum criminum ad te mereamur admitti, in quo iniquitates omnium nostrum posuisti : ut ejus, cujus, livore sanati sumus, indesinenti præsidio protegamur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Juste judicans peccata nostra **384** portavit corpore suo super lignum : P. Ut a malis separati, cum justitia vivamus. ℣. Jubilate Domino omnis terra : servite Domino in lætitia. P. Ut a malis. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Ut a malis.

Oratio. Juste quidem, Domine, judicans peccata nostra in corpore tuo super lignum portasti, cum diabolum non potestate, sed justitia devicisti : ut qui per debitam mortem nostram servituti ejus subjugati eramus, per indebitam mortem tuam ad libertatis gratiam redeamus ; fac nos ergo, ut in te semper liberi esse possimus, qualiter tecum et hic, et in æternum sine fine vivamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Vulneratus est propter iniquitates nostras, et adtritus est propter scelera nostra : P. Disciplina pacis nostræ in eo, livore ejus sanati sumus. ℣. Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram. P. Disciplina. ℣. Gloria, et honor. P. Disciplina.

Oratio. Christe, Dei Filius, qui voluntarie pro nobis carnem subjiciens morti, disciplina factus es nostræ pacis ; fac nos tuis subjectos existere disciplinis : ut qui livore sanati sumus, voluntatis tuæ semper judicio obsequamur. ℟. Amen

Per misericordiam.

℟. Vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere signa ejus ; et cum eo exercitus Angelorum clamantium, et dicentium : P. Laus, et honor, et potestas Deo nostro. ℣. Vidi in cœlo turbam magnam, quam dinumerare nullus poterat : et clamabant voce magna, dicentes : P. Laus et honor.

Oratio. Leo de tribu Juda, radix David aperi in nos tuæ scientiæ lumen : ut qui paschalia festa nunc veneranter excolimus, in regno tuo cum electis tuis, et cum exercitibus Angelorum decantemus glorioso nomini tuo. — Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Cantemus Domino : gloriose enim honorificatus est.

Canticum. Cantemus Domino. *fol.* 369.

Ad Benedictus. Antiphona. Tibi soli Deo honor, et gloria.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6. *Sono.* Ego dormivi. *fol.* 370.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis : Alleluia, alleluia. Laudate eum in excelsis. Alleluia. *Psalmus* B CXLVIII.

Apocalypsis Joannis Apostoli (*Cap.* V).

℟. Deo gratias.

Ego Joannes fui in spritu, et vidi in dextera sedentis supra thronum, librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem. Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magna : Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus ? Et nemo poterat, in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum, neque respicere illum. Ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre eum. Et unus de senioribus dicit mihi : Ne fleveris : ecce vicit leo de tribu Juda, radix David aperire librum, et septem signacula ejus. Et vidi : et ecce in medio throni et qua- C tuor animalium, et in medio seniorum, agnum stantem quasi occisum, babentem cornua septem, et oculos septem : qui sunt septem spiritus Dei missi per orbem terrarum. Et venit, et accepit librum de dextera sedentis in throno. Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, et viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas, et pateras aureas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum : et cantabant canticum novum, dicentes : Dignus es accipere librum, et aperire signacula ejus : quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione : et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes : et regnabunt super terram. Et vidi, et audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, D et seniorum : et erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna : Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. Et omnem creaturam, quæ in cœlo est, et super terram, et quæ sub terra, et quæ sunt in mari, et quæ in eo : omnes audivi dicentes : Sedenti in **385** throno, et Agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas Deo nostro in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Hymnus. Hic est dies. *Supplicatio.* Oremus. *fol.* 371.

Capitula. Decurso, Christe Domine, Paschalis solemnitatis officio, et tuæ resurrectionis gaudio con-

summato, quo verum lumen mundo de tenebris A effulsisti, quo cœcis mentibus coruscasti : adoramus, ecce et prosternimur ante te Deum, qui veteris fermenti malitiam azymis sinceritatis et veritatis excludens, omnem corruptionem adulterinæ commixtionis intra puritatem ac simplicitatem fidei non relinquis, sed azymorum diem nobis ipsis absque humani seminis fermento azymos dedicasti : petimus, ut publica fidei vota arbiter devotionis aspicias : ut completum passionis ac resurrectionis tuæ cultum pius propitiator intendas ; et quoniam per te gratia et veritas facta est, veritate tua instruas ad intellectum, quos gratia perduxit ad cultum.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Apparuit januis clausis. *Benedictio* Christus Dei Filius. *fol.* 383. B

In nomine Domini.

Exeunte Vespera.

Lauda. Laudaverunt, te, *fol.* 371.

Oratio. Te in excelsis, Domine, laudent omnes Angeli ac virtutes : tibi de terra det laudem omne, quod a te auctore sumit originem : et qui superno rum conlaudaris officiis, terrestrium semper delecteris obsequiis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Sono. Alleluia. Postquam resurrexistis. *fol.* 382.

Antiphona. Hæc est dies, quam fecit Dominus : P. Exsultemus, et epulemur in ea. ℣. O Domine salvos nos fac, o Domine bene prosperare. P. Exsultemus. ℣. Gloria, et honor. P. Exsultemus.

Dominus sit. ℟. Et cum. C

Lauda. Celebrabitis diem istum legitimum Domino ; Alleluia. P. Et filii vestri usque in æternum. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Exsultate Deo adjutori nostro : jubilate Deo Jacob. P. Et filii. ℣. Gloria, et honor. P. Et filii.

Hymnus.

Psallat altitudo cœli,
Psallant omnes Angeli,
Quicquid est virtutis usquam
Psallat in laudem Dei :
Nulla linguarum silescat
Vox ; sed omnis consonet.
Da puer plectrum, choreis
Ut canam fidelibus
Dulce carmen, et melodum, D
Gesta Christi insignia,
Hunc camœna nostra solum
Pangat, hunc laudet lyra.
Christus est, quem rex sacerdos
Adfuturum protinus
Infulatus concinebat
Voce, chorda, et tympano,
Spiritum cœlo fluentem
Per medullas hauriens.
Facta nos, et jam probata
Pangimus miracula.
Testis est orbis ; nec ipsa
Terra quod vidit, negat ;
Cominus Deum docendis
Proditum mortalibus.
Corde natus ex Parentis
Ante mundi exordium,
Alpha, et Ω cognominatus ;
Ipse fons, et clausula
Omnium, quæ sunt, fuerunt
Quæque post futura sunt.
Ipse jussit, et creata :
Dixit ipse, et facta sunt :
Terra, cœlum, fossa ponti,
Trina rerum machina,
Quæque in his vigent sub alto
Solis, et lunæ globo ;
Corporis formam caduci,
Membra morti obnoxia
Induit, ne gens periret
Primo plusti ex germine,
Merserat quem lex profundo
Noxialis tartaro.
O beatus ortus ille,
Virgo cum Puerpera
Edidit nostram salutem,
Fœta Sancto Spiritu ;
Et puer Redemptor orbis
Os sacratum protulit.
Gloria et honor Deo
Usquequaque altissimo,
Una Patri, Filioque,
Inclyto Paraclito ;
Cui laus, et potestas
Per æterna sæcula.
Amen.

Supplicatio Oremus *fol.* 371.

Capitula, et Benedictio, quæ dicenda sunt **386** *per omnes Dominicos usque ad Ascensionem Domini.*

In exeunte Vespera.

Capitula. Deus, cujus unum. *Benedictio.* Christus Dominus, qui diem. *fol.* 372. *Lauda.* Apparuit januis clausis. *fol.* 383.

Oratio. Leo de tribu Juda. *fol.* 384.

IN TERTIO DOMINICO POST PASCHA.

Ad Vesperum.

Lauda. Laudaverunt te Domine. *Oratio.* Laudant te Domine, *fol.* 371.

Sono. Dominus Jesus Christus surrexit a mortuis tertia die, *P.* Et vivit ex virtute Dei. Alleluia. ℣. Salvator noster resurgens a mortuis turbavit mortem, et inluminavit nos vitæ æternitate. *P.* Et vivit.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Deus qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam dilexit nos ; *P.* Et cum essemus mortui peccato, convivificavit nos Christus, cujus gratia salvati sumus. ℣. Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino ? aut quis similis erit Domino inter filios Dei ? *P.* Et cum. ℣. Gloria, et honor. *P.* Et cum.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Plateæ tuæ Hierusalem sternentur auro A mundo : Alleluia. *P.* Et cantabitur in te canticum lætitiæ, Alleluia ; Et per omnes vicos tuos ab universis dicetur : Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Lauda Hierusalem Dominum : conlauda Deum tuum Sion. P. Et cantabitur. ℣. Gloria, et honor. P. Et cantabitur.

Hymnus. Te centies mille. *fol.* 382. *Supplicatio.* Oremus. *fol.* 371.

Capitula. Christe Dei Filius.

Benedictio. Christe Dei Filius. *fol.* 383.

Lauda. Sapientia Dei super lapides pretiosos est, Alleluia ; habitatio ejus in vasa aurea, Alleluia ; P. Prudentia sua de thesauro invisibili procedit, Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Extendens cœlos sicut pellem : qui tegit in aquis superiora ejus. P. Prudentia. ℣. Gloria, et honor. P. Prudentia.

Oratio. Rex magne et terribilis Domine, tibi in omnibus Gentibus vera jubilet fides ; et præsta, ut non solum voce, sed et mente tibi psallamus, qui es Rex noster : ut tecum sine fine vivamus. ℣. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

Ad Matutinum.

Antiphona. Ego dormivi. P*salmus* III.

Oratio. Domine Jesu Christe. *fol.* 369.

Oratio. 1. Cantate Domino canticum novum : bene psallite ei in jubilatione. P. Quia rectus est sermo Domini, et omnia opera ejus in fide. ℣. Confitemini Domino in cithara : in psalterio decem chordarum psallite ei. P. Quia. ℣. Gloria, et honor. P. Quia. C

Oratio. Cantemus tibi Domine canticum novum : quia rectus est sermo tuus, et opera tua fidelia : ut qui cœlorum regna in prophetæ jubilatione, et Evangelicæ tubæ clangore conscendere facis ; illuc nos attrahas, quo ipse præcedis. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Elegit nos hereditatem sibi rex omnis terræ Deus. P. Psallite Deo nostro, psallite : psallite Regi nostro, psallite. ℣. Omnes gentes plaudite manibus : jubilate Deo in voce exsultationis. P. Psallite. ℣. Gloria, et honor. P. Psallite.

Oratio. Rex magne, et terribilis. *Quære retro in Vesperis præcedentibus.*

Antiphona 3. Jubilate Deo omnis terra : P. Cantate, et exsultate, et psallite. ℣. Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit. P. Cantate. D ℣. Gloria, et honor. P. Cantate.

Oratio. Jubilet te, Domine, omnis terra ; psalmum cantet, exsultet, psallat nomini tuo ; cujus nomen est admirabile, et præclarum : Concede ergo Ecclesiæ tuæ precibus, ut quos in fide vocas, in tentatione non deseras : et qui tibi jubilum personant laudis in sæculum, præmium mereantur æternæ beatitudinis in futurum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Regnavit Dominus omnis terræ : et inhabitabitur universa terra. P. Ut paradisus circumcinges omnem terram. ℣. Dominus regnavit, exsultet terra : lætentur insultæ multe. P. Ut paradisus.

387 *Oratio.* Mirabilia sunt testimonia tua, Domine Deus ; quibus Unigenitus Filius tuus regnat universæ terræ : præsta ergo nobis, ut qui revelata facie gloriam ejus speculamur, a dextris ejus in judicio conlocemur. ℟. Amen.

Per.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Adjutor et protector mihi fuit Dominus in salutem : hic Deus meus, et honorabo eum : Deus Patris mei, et exaltabo eum.

Canticum. Cantemus Domino. *fol.* 369.

Ad Benedictus. Antiphona. Tibi soli Deo honor, et gloria, virtus, et potestas in sæcula sæculorum.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6.

Sono. Ego dormivi. *fol.* 370.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis : Alleluia, alleluia. Laudate eum in excelsis, Alleluia, alleluia. P*salmus* CXLVIII.

Apocalypsis Joannis Apostoli (Cap. III).

℟. Deo gratias.

Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit Sanctus, et Verus, qui habet clavem David : qui aperit, et nemo claudit : et claudit, et nemo aperuit : Scio opera tua, et dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere : quia modicam habes virtutem, et servasti verbum meum, et non negasti nomen meum. Ecce dabo de synagoga satanæ, qui dicunt se judæos esse, et non sunt, sed mentiuntur : Ecce faciam illos, ut veniant, et adorent ante pedes tuos : et scient quia ego dilexi te : quoniam servasti verbum patientiæ meæ et ego te servabo ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra. Venio cito : tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius : et scribam super illum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Hierusalem, quæ descendit de cœlo a Deo meo, et nomen meum novum. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. ℟. Amen.

Hymnus. Hic est dies. *Supplicatio.* Oremus. *Capitula.* Christe Dei Filius, qui venerabilis *fol.* 371. *Lauda.* Sapientia Dei super lapidem. *folio* 385. *Benedictio.* Christus Dominus, qui ascendit patibulum. *fol.* 386.

In nomine Domini.

Exeunte Vespera.

Lauda. Laudaverunt te Domine. *Oratio.* Laudant te Domine. *fol.* 371. *Sono.* Dominus Jesus Christus. *fol.* 373.

Antiphona. Fecit cœlos Dominus in virtute sua. P. Etenim correxit orbem terræ, quæ non commovebitur. ℣. Lætentur cœli, et exsultet terra, moveatur mare et plenitudo ejus. *P.* Etenim. v. Gloria, et honor. P. Etenim.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Sanctum Hierusalem novam vidi descen-

dentem de cœlo. P. Et audivi vocem dicentium : A Alleluia, alleluia. ℣. Lauda Hierusalem Dominum: conlauda Deum tuum Sion. P. Et exaudivi. Gloria, et honor. P. Et audivi.

Hymnus. Psallat altitudo cœli. *fol.* 385. *Supplicatio.* Oremus. *Capitula.* Deus, cujus unum hunc. *Benedictio.* Christus Dominus, qui diem istum Resurrectionis. *fol.* 371. *Lauda.* Sapientia Dei. *Oratio.* Rex magne. *fol.* 386.

IN QUARTO DOMINICO PASCHÆ.

Ad Vesperum.

Lauda. Laudaverunt. *Oratio.* Laudant te. *fol.* 317.

Sono. Venite, et videte : Angelus quomodo revolvit lapidem ; P. Milites custodientes Sanctum, Alleluia, alleluia : ℣. Mulieres lachrymantes, Salvatorem quærentes, Mariæ Angelus dixit : Non est hic : sur- B rexit enim Dominus. P. Milites.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Regnavit Domine Deus noster Omnipotens, gaudeamus, et exultemus. P. Quia venerunt vota agni, quæ sunt justificationes sanctorum. ℣. Omnes gentes plaudite manibus : jubilate Deo in voce exsultationis. P. Quia. ℣. Gloria, et honor. P. Quia.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Cantate Deo alleluia : Deo nostro P. Canticum novum, cantate : Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Laudate pueri Dominum : laudate nomen Domini. P. Canticum. **388** ℣. Gloria, et honor. P. Canticum.

Hymnus. Te centies mille. *Supplicatio.* Oremus. C *fol.* 371. *Capitula.* Christe Dei Filius, nostrarum. *Benedictio.* Christe, Dei Filius, qui in hoc die. *fol.* 383.

Lauda. Gaudebat populus Israel Alleluia, et universa multitudo Jacob colebant Dominum legitime ; P. Et David cum cantoribus cithara repercutiabat in domo Domini : et laudem Domino dicebat : Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Non permisit hominem nocere eis : sed corripuit pro eis reges. P. Et David, ℣. Gloria, et honor Patri P. Et David.

Oratio. Admirabilis Domine, tuum nomen laudabile est in universis finibus terræ : Præsta ergo nobis vanam mundi celsitudinem declinare : ut ex ore nostro tua perficiatur laudatio, et veræ fidei nutrimentis crescat in nos scientiæ plenitudo. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini. D

Ad Matutinum.

Antiphona. Ego dormivi. *Psalmus.* 3. *Oratio.* Domine Jesu Christe. *fol.* 369.

Antiphona 1. Domine Deus noster, quam admirabile est nomen tuum. P. In universa terra ! ℣. Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos. P. In universa terra. ℣. Gloria, et P. In universa terra.

Oratio. Admirabilis Domine, tuum. In Vesperis præcedentibus.

Antiphona 2. Cantate Domino canticum novum : cantate Domino omnis terra. P. Cantate Domino, et benedicite nomen ejus : ℣. Bene nuntiate de die in diem salutare Domini. P. Cantate, ℣. Gloria, et honor. P. Cantate.

Oratio. Cantet tibi, Domine, omnis terra canticum novum ; quia redemisti per sanguinem Filii tui Domini nostri Jesus Christi omnem mundum : ut qui in mortem ejus consepulti sumus, infinita cum eo lætitia exsultemus, ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Quam magnificata sunt opera tua Domine ! P. Omnia in sapientia fecisti : repleta est terra creatura tua. ℣. Hoc mare magnum, et spatiosum : illic reptilia, quorum non est numerus. Animalia pusilla, et magna. P. Omnia in sapientia. ℣. Gloria, et honor. P. Omnia.

Oratio. Quam magnificata sunt opera tua Domine : omnia in sapientia fecisti : reple tamen nos directionis spiritu : ut dum tua miramur opera, te tuis in operibus laudet intelligentia nostra. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Ego sum Deus, et non mutor. Convertimini ad me populus meus : testor enim vos, quoniam non est alius Deus præter me. Ego feci terram, et hominem super eam : ego firmavi cœlos ; P. Et omnes stellas lucere mandavi. ℣. Ego primogenitus exivi ante omnem creaturam : Ego feci in cœlis ut oriretur lumen. *P.* Et omnes.

Oratio. Domine Jesu Christe, verus Deus verusque homo ; qui non mutaris, sed es sanctus in omnibus operibus tuis ; incredulitatem a nobis dubiæ mentis averte : et cor nostrum gratiæ tuæ muneribus reple ; ut tu, Deus verus credaris et cognoscaris ; qui Salvator omnium, miraculis et virtutibus approbaris, ℟. Amen.

Per.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Dominus conterens bella, Dominus nomen est ei. Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare.

Canticum. Cantemus. Domino.

Ad Benedictus. Antiphona. Tibi soli Deo. *Sono.* Ego dormivi. *fol.* 370.

Apocalypsis Joannis Apostoli (*Cap.* XIV).

℟. Deo gratias.

Ego Joannes fui in spiritu, et vidi : et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum illo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis. Et audivi vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, **389** et tamquam vocem tonitrui magni : et vocem, quam audivi, sicut citharædorum citharizantium in citharis suis. Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia, et seniores : et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti erant de terra. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati : Virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque abierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, et Agno, et in ore ipsorum non est in-

ventum mendacium : sine macula enim sunt. Et vidi alterum Angelum volantem per medium cœlum habentem Evengelicum æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, et super omnem gentem, et tribum, et populum, linguam ; dicens magnâ voce : Timete Dominum, et date illi honorem, quia venit hora judicii ejus : et adorate eum, qui fecit cœlum, et terram, mare, et fontes aquarum. ℟. Amen.

Hymnus. Hic est dies *Supplicatio.* Oremus. *Capitula.* Christe Dei Filius, qui venerabilis diei hujus. *fol.* 371, *Lauda.* Gaudebat populus Israel. *Require folio* 388. *Benedictio.* Christus Dominus, qui diem istum. *fol.* 372.

In nomine Domini, etc.

Exeunte Vespera.

Lauda. Laudaverunt. *Oratio.* Laudant te Domine. *fol.* 371. *Sono.* Venite, et videte. *Require fol.* 375.

Antiphona. Tu es rex regum, cui Deus cœli regnum forte, P. Et potens, et honoratum dedit. ℣. Domine Deus virtutum converte nos : et ostende faciem tuam : et salvi erimus. P. Et potens. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Et potens.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Cantate Domino canticum novum Alleluia : quia mirabilia fecit Dominus. Liberavit nos dextera ejus, et brachium sanctum ejus. Alleluia. ℣. Notum fecit Dominus salutare suum : ante conspectum gentium revelavit justitiam suam. P. Liberavit nos. ℣, Gloria, et honor. P. Liberavit nos.

Hymnus. Psallat altitudo cœli. *Require folio* 385. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *fol.* 385. *Preces, ut supra. Capitula.* Deus, cujus hunc ex omnibus duximus diem. *Benedictio.* Christus Dominus, qui diem istum resurrectionis. *Quære fol.* 372.

Lauda. Omne donum optimum de cœlo veniet. Alleluia, P. Descendens a patre luminum. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Psallite Deo nostro in cithara, in cithara et voce psalmi. P. Descendens. ℣. Gloria, et honor. P. Descendens.

Oratio. Admirabilis Domine, tuum nomen. *folio* 378.

IN QUINTO DOMINICO PASCHÆ.

Ad Vesperum.

Lauda. Laudaverunt te Domine. *Oratio.* Laudant te Domine. *fol.* 371.

Sono. Quis Deus magnus sicut Deus noster ? P. Tu es Deus qui facis mirabilia solus. Alleluia, alleluia, alleluia. — Honorificus in Sanctis, mirabilis in majestatibus, faciens prodigia. ℟. Tu es.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Alleluia, Rigans Deus montes de superioribus : de fructu operum tuorum satiabitur terra. P. Producens fœnum pecoribus, et herbam servituti hominum. ℣. Quam magnificata sunt opera tua Domine ! Omnia in sapientia fecisti : repleta est terra creatura tua. P. Producens. ℣. Gloria. P. Producens.

Dominus sit. ℟. Et cum.

A *Lauda.* Vidi, et audivi voces Angelorum multorum in circuitu throni, stantes in conspectu Agni. Quatuor animalium, et seniorum voces, P. Cum fragore magno resonabant, Alleluia. ℟. Magnus Dominus, noster, et magna virtus ejus : et sapientiæ ejus non est numerus. P. Cum fragore. ℣. Gloria. P. Cum fragore.

Hymnus. Te centies mille. *fol.* 382. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *Capitula.* Christe, Dei Filius, nostrarum requies. *Benedictio.* Christus Dei Filius, qui in hoc die. *fol.* 383.

Lauda. Sapientia a Domino Deo est Alleluia, P. Et cum illo fuit semper, et est ante ævum. Alleluia, alleluia. ℣. Notum fecit Dominus salutare suum : ante conspectum gentium revelavit justitiam suam.

B *P.* Et cum illo. **390** ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Et cum.

Oratio. Christe, Dei Filius, qui occisus Agnus resurgis in gloria, et habens potestatem humanam, inluminare dignatus es terram, quo passionis et resurrectionis tuæ pluviis inrigata, te solum sequeretur ad vitam, quæ se olim mortis eliserat in ruinam : nostris, quæsumus, precibus favens, da nobis et resurgendi copiam in operibus bonis, et moriendi efficaciam in operibus pravitatis. Per misericordiam tuam.

In nomine Domini.

Ad Matutinum.

Antiphona. Ego dormivi. *Psalmus.* III. *Oratio.* Domine Jesu Christe. *Quære fol.* 369.

C *Antiphona* 1. Vidi Agnum quasi occisum in medio seniorum : et cantabant canticum novum, dicentes : P. Dignus es accipere librum, et solvere signacula ejus, quia redemisti mundum. ℟. Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria, et honore coronasti eum. P. Dignus es. ℣. Gloria, et honor. P. Dignus es.

Oratio. Christe Dei Filius, qui occisus. *Require in Vesperis istius Dominici.*

Antiphona 2. Fecit Dominus luminaria magna solus : Solem in potestate diei ; *P.* Lunam autem, et stellas in potestate noctis. ℣. Laudate nomen Domini : laudate servi Domini. P. Lunam autem. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Lunam.

Oratio. Domine, qui fecisti luminaria magna solus ; in sapientia lunam et stellas in potestatem noctis ; educ nos du jugo nequitiæ spiritualis in manu forti et brachio extenso : ac disseca quæcumque cursu in nostro opponuntur obstacula : quia tu es Dominus dominantium, custosque nostrarum manens animarum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Magna opera Domini : exquisita P. In omnes voluntates ejus. ℣. Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, et miserator Dominus : P. In omnes. ℣. Gloria, etc. *P.* In omnes.

Oratio. Magna opera tua, Domine, exquisita in omnes voluntates tuas : Da nobis famulis tuis, ut dum operum tuorum magnitudinem admiramur, ma-

gnificentiam Conditoris debita confessione laudemus; tuaque mandata fidelia timorata sapientia exquiramus; atque perfectum intelligentiæ decus, timoris obedientia faciamus. ℟. Amen. A

Per misericordiam.

℟. Ego sum Dominus Deus vester, et non est præter me Salvator alius: Audierunt insulæ, et timuerunt extrema terræ. P. Audi Israel puer meus, Jacob electe meus, semen Abrahæ amici mei. ℣. Ego sum primus, et ego novissimus. Manus quoque mea fundavit terram, et dextera mea mensa est cœlos. P. Audi Israel.

Oratio. Tu es Domine Deus, et non est alius præter te: nec tamen ipse concluderis, quem extrema terræ agnoverunt, dum a te fidei vocatione pertracta sunt: da ergo nobis, ut ita in te radicemur, ut cultu B
justitiæ, et operum dignitate æternam mereamur pervenire ad requiem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Gubernasti justitia tua Domine, populum tuum hunc, quem liberasti.

Canticum. Cantemus Domine: gloriose. *Quœre fol.* 369.

Oratio. Glorificetur dextera tua Domine; quæ inimicos animæ nostræ vitæque confringat; et per multitudinem majestatis tuæ adhuc conterat: et ter nos constructores cogitationum malarum sermonumque et operum dimergat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

C
Ad Benedictus. Antiphona. Tibi soli Deo honor. *Canticum*. Benedictus Dominus Deus patrum. *fol.* 6. Sono: Ego dormivi, et requievi. *Require fol.* 370.

391 *Lauda.* Laudate Dominum de cœlis. Alleluia, alleluia: laudate eum in excelsis. Alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Apocalypsis Joannis Apostoli (*Cap.* XIX).

℟. Deo gratias.

Ego Joannes fui in spiritu, et vidi cœlum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, vocatur Fidelis, et Verax, et in justitia judicat, et pugnat. Oculi autem ejus sicut flamma ignis, et in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum quod nemo novit nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersa sanguine: et vocatur nomen ejus, D
VERBUM DEI. Et exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo mundo. Et de ore ipsius procedit gladius acutus: ut ipso percutiat Gentes. Et reget eas in virga ferrea: et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. Et habet in vestimento, et in femore suo scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium, ℟. Amen.

Hymnus. Hic est dies verus Dei. *Capitula.* Christe Dei Filius. qui venerabilis diei hujus excursum. *Require fol.* 371. *Lauda.* Sapientia a Domino Deo est. *Require folio* 389. *Benedictio.* Christus Dominus, qui diem Resurrectionis. *fol.* 372.

Exeunte Vespera.

Lauda. Laudaverunt te Domine. *Oratio.* Laudant te Domine. *Require fol.* 371. *Sono.* Quis Deus magnus. *fol.* 389.

Antiphona. Sit Gloria Domini in sæculum sæculi: P. Lætabitur Dominus in operibus suis: ℣. Qui respicit terram, et facit eam tremere: qui tangit montes, et fumigabunt. P. Lætabitur. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Lætabitur.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Ascendite ad Hierusalem filiæ Sion. P. Et laudate Deum vestrum. Alleluia, alleluia. ℣. A solis ortu usque ad occasum, laudate nomen Domini. P. Et laudate. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et laudate.

Hymnus. Psallat altitudo cœli. *Quære fol.* 385. *Supplicatio.* Oremus. *Capitula.* Deus cujus unum hunc diem. *Benedictio.* Christus Dominus, qui. *Quœre fol.* 372. *Lauda.* Sapientia a Domino Deo est. *Oratio* Christe Dei Filius. *Quære fol.* 390.

IN SEXTO DOMINICO PASCHÆ.

Ad Vesperum.

Lauda Laudaverunt te Domine. *Oratio.* Laudant te Domine. *fol.* 371.

Sono. Omnes gentes plaudite manibus: jubilate Deo. P. In voce exsultationis Alleluia. ℣. Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite. Quoniam rex omnis terræ Deus: psallite. P. In voce.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Audivi vocem magnam in cœlo, dicentem: Agnus, qui occisus est. P. Dignus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et benedictionem in sæcula sæculorum. ℣. Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit. P. Dignus. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Dignus.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Exaudivit pauperes Dominus: et compeditos suos non deseruit. P. Laudent illum cœli et terra. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Videant pauperes et lætentur; quærite Dominum, et vivet anima vestra. P. Laudent. ℣. Gloria. P. Laudent.

Hymnus. Te centies mille legionum. *Supplicatio.* Oremus. *Capitula.* Christe, Dei Filius. *Benedictio.* Christus Dei Filius, qui in hoc. *Quære fol.* 382.

Lauda. Alleluia. Psallite Domino in cithara, Alleluia, in cithara et voce psalmi. Alleluia, alleluia. P. Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus. ℣. In cithara. ℣. Gloria. P. In cithara.

Oratio. Domine admirabilis et immense, humiles nos propitius tam effice quam intende: ut quia nomen tuum admirabile est in omni terra, veritatis in nos solidius cumules disciplinam. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Ad Matutinum.

Antiphona. Ego dormivi. *Psalmus* III. *Oratio.* Domine Jesu Christe. *Quœre fol.* 369.

Antiphona 1. Testimonia tua Domine credibilia facta sunt nimis. P. In longitudine dierum. **392**
℣. Mirabiles elationes maris, mirabilis in excelsis

Dominus. P. In longitudine. ℣. Gloria, etc. P. In longitudine. A

Oratio. Testimonia tua, Domine, quæ nobis facta sunt credibilia, sint nostræ meditationi assidua, ut sunt fidei veritate syncera: atque ita nostro consumentur opere, sicut proferuntur ex ore: regant consolatione mœrentes, ac promptiores efficiant. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Volucres cœli, et pisces, qui perambulant semitas maris. P. Admirabile est enim nomen tuum, Domine, in universa terra. ℣. Et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus. P. Admirabile. ℣. Gloria, et honor. P. Admirabile.

Oratio. Domine admirabilis. *Require retro in fine Vesperi istius Dominici.* B

Antiphona 3. Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite. P. Quoniam Rex omnis terræ Deus, psallite prudenter. ℣. Omnes Gentes plaudite manibus: jubilate Deo in voce exsultationis. P. Quoniam Rex. ℣. Gloria, et honor. P. Quoniam Rex.

Oratio. Da nobis Domine non solum voce, sed et mente tibi psallere sapienter: ut juxta magnitudinis tuæ nomen, tuam a nostris vocibus magnificcs laudem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Mementote Patres nostros, quemadmodum salvati sunt in mari Rubro, dum persequerentur illos inimici eorum, et nos exclamemus in cœlos; C et miserebitur nostri Dominus, secundum testamentum patrum nostrorum. P. Ut sciant omnes Gentes, quia est, qui redimat, et liberet Israel. ℣. Dextera tua, Domine, glorificata est in virtute: dextera manus tuæ confregit inimicos. Et præ multitudine majestatis tuæ contrivisti adversarios. P. Ut sciant.

Oratio. Memorare Domine, quemadmodum liberasti patres nostros, dum persequerentur illos inimici; exaltasti dexteram tuam in adversarios eorum: tu enim es Deus noster, qui et honorificaris ex debito, et exaltaris ex merito: Da ergo nobis, ut nos, qui per hujus sæculi pelagum ambulamus, nullis undarum mundialium tunsionibus frangamur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Gelaverunt tamquam murus fluctus maris: stetit unda fluens in medio mari. D

Canticum. Cantemus Domino: gloriose.

Ad Benedictus. Antiphona. Tibi soli Deo. *Sono.* Ego dormivi, et quievi. *Require fol.* 370.

Apocalypsis Joannis Apostoli (*Cap.* XXII).

℟. Deo gratias.

Ego Joannes fui in spiritu, et ostendit mihi Dominus flumen aquæ vitæ, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni. In medio plateæ ejus, et ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni, ad sanitatem Gentium. Et omne maledictum non erit amplius: sed sedes Dei et Agni in illa erunt, et servi ejus servient illi. Et videbunt faciem ejus: et nomen ejus in frontibus eorum. Et nox ultra non erit: et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine Solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt in sæculum sæculi. ℟. Amen.

Hymnus. Hic est dies verus Dei. *Capitula.* Christe, Dei Filius, qui venerabilis, *Require fol.* 371. *Lauda.* Alleluia, Psallite Domino in cithara. *fol.* 391. *Benedictio.* Christus Dei Filius. *fol.* 383.

Exeunte Vespera.

Lauda. Laudaverunt te Domine. *Oratio.* Laudant te Domine. *Quære* 317. *Sono.* Omnes gentes plaudite. *fol.* 391. *Antiphona.* Vidi Agnum quasi occisum in medio seniorum: habeat enim in veste. P. Et in capite scriptum: Rex regum, et Dominus dominorum. ℣. Magnus Dominus et laudabilis nimis: et magnitudinis ejus non est finis. P. Et in capite. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et in capite.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Laudem dicunt Deo nostro omnes. P. Qui timetis eum pusilli, et magni. Alleluia, alleluia. ℟. Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini. P. Qui timetis eum. **393** ℣. Gloria, et honor Patri P. Qui timetis eum.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Alia Lauda. Alleluia, Cum lætitia ingrediemur in sancta Domini: et cum exsultatione. P. Regrediemur decantantes: Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Omnis terra adoret te Deus, et psallat tibi: et psalmum dicat nomini tuo. P. Regrediemur. ℣. Gloria, et honor. P. Regrediemur.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Alia Lauda. Fons hortorum: potens aquarum viventium, P. Quæ fluunt impetu a Libano. Alleluia, alleluia. ℣. Rigans montes de superioribus: de fructu operum tuorum satiabitur terra. P. Quæ fluunt. ℣. Gloria. P. Quæ.

Hymnus Psallat altitudo. *Supplicatio. Capitula, et Benedictio, ut in fol.* 3. 6. *Lauda.* Alleluia, Psallite Domino in cithara.

Oratio. Domine admirabilis. *fol.* 391.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Ad Vesperum.

395 *Lauda.* Laudaverunt te Domine. *Oratio.* Laudent te Domine. *fol.* 371.

Sono. Domini est terra, et plenitudo ejus: orbis terrarum. P. Et universi qui habitant in eo. Alleluia. ℣. Tollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales: et introibit rex gloriæ. P. Et universi.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Pater Gloriæ suscitavit Jesum Chri-

stum a mortuis, et conlocavit eum ad dexteram A suam supra cœlos, super omnem Principatum et Potestatem, et Virtutem, et Dominationem, *P.* Et super omne nomen, quod nominatur. ℣. Ascendit Deus in jubilatione : Dominus in voce tubæ. P. Et super. ℣. Gloria. P. Et.

Oratio. Omnipotens Deus Pater gloriæ, qui Dominum nostrum Jesum Christum suscitasti a mortuis, conlocans illum ad dexteram tuam super omnem Principatum, et Potestatem ; suscita in nos studia omnimodæ sanctitatis : ut illi soli religatæ sint primitiæ spiritus nostri, qui a mortuis resurgens, mortis principem propria virtute devicit. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Ascensor cœli, auxiliator noster, P. Magnificentiam ejus discurrunt nubes : habitatio B ejus sursum. ℣. Currus Dei decem millium multiplex, millia lætantium : Dominus in illis in Sina in sancto. P. Magnificentiam. ℣. Gloria, et honor. P. Magnificentiam.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Audivi vocem turbarum multarum dicentium : Alleluia : honor, et gloria Deo nostro : P. Quia justa, et vera sunt judicia ejus. Et iterum dixerunt : Alleluia. P. Et adoraverunt sedentem super thronum, dicentes : Amen, et Alleluia. ℣. Excelsus super omnes gentes Dominus, supra cœlos gloria ejus. P. Quia justa. ℣. Gloria. P. Et adoraverunt.

Hymnus.

Æterne Rex Altissime,
Redemptor et Fidelium ;
Quo mors soluta deperit,
Datur Triumphus gratiæ ;
Quem lex subacta Tartari,
Marcens Averno dispulit ;
Carens mucrone pessimo,
Throno remisit Patrio :
Scandens Tribunal dexteræ
Patris : potestas omnium
Conlata Jesu est cœlitus,
Quæ non erat humanitus.
Ut trina rerum machina :
Cœlestium, Terrestrium,
Et infernorum condita
Flectant genu jam subdita.
Nec sit salus ullo modo
Tuo foris vocabulo ;
A quo creata cuncta sunt.
Et recreata sancta sunt.
Hæc tanta Christi gratia
Nexum tulit peccaminum ;
Sumpsitque corpus proprium,
Totumque possidet Polum.
Tremunt videntes Angeli,
Versa vice mortalium,
Culpat caro, et purgat caro,
Regnat Deus Dei caro.
Quæ præminet virtutibus
Summis procul cœlestibus :
Deus caro, atque spiritus,
Plenus Deus, verusque Homo.
Dicunt ex astris Angeli,
Demum reverti hujusmodi,
Quem nos redire credimus,
Regnare prorsus novimus.
Tu Christe nostrum gaudium,
Manens Olympo præditum,
Mundi regis qui fabricam,
Mundana vincens gaudia,
Hinc te precantes quæsumus,
Ignosce culpis omnibus ;
Et corda sursum subleva
Ad te superna gratia.
Ut cum rubente cœperis
Clarere nube Judicis,
Pœnas repellas debitas,
Reddas coronas perditas.
Da nobis illuc sedula
Devotione tendere,
Quo te sedere cum Patre,
In arce regni, credimus.
Gloria tibi Domine,
Qui scandis supra sidera,
Cum Patre, Sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula.
Amen.

396 *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus ; ut nos gloria Ascensionis suæ C propitius justificare dignetur. ℟. Præsta Æterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison. ℟. Christe eleison. Kyrie eleison.

Capitula. Ascensionis tuæ, Domine, festa suscipientibus adesto propitius, et fave placatus; quique carnis nostræ fragilitatem tecum glorificandam in cœlestibus devexisti, culparum veterum tolle putredinem, et vitæ nobis pristinæ reddito dignitatem : ut illic te credendo ascendere mereamur, quo te veraciter conscendisse nunc credimus.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui assumptum hominem Paternam ascendendo derduxit ad sedem, perducat vos ad æternæ gloriæ libertatem : ℟. Amen. Quique si exaltatus esset a terra, promisit omnia D trahere ad seipsum, nullum ex vobis patiatur a suo esse corpore separatum ; ℟. Amen. Sed sibi vos sine fine coronandos statuat, qui solus in vestro corpore ascendendo cœlorum penetravit secreta. ℟. Amen.

Per.

Lauda. Ascendam ad Patrem meum, et ad Patrem vestrum, Alleluia. *P.* Ad Deum meum, et ad Deum vestrum. Alleluia. alleluia. ℣. Excelsus super omnes gentes Dominus, et super cœlos gloria ejus. *P.* Ad Deum. ℣. Gloria, et honor. *P.* Ad Deum.

Oratio. Rex regum Immense, cui Deus cœli regnum forte, et potens, et honoratum dedit; dum omnia potestati tuæ subjecit : cui millia millium Angelorum ministrant da requiem populo tuo ab omnibus one-

ribus, quibus onerati consistimus; ut qui ascendisti A gloriosus in cœlum, mitis existas, cum manifestata fuerit gloria tua. ℟. Amen.

Per misericordiam, etc.

In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Ad Matutinum.

Antiphona. Ego dormivi: et resurrexi. *Psalmus* III. *Oratio.* Domine Jesu Christe, qui pro nobis soporem, etc. *Require fol.* 369.

Antiphona 1. Positi sunt throni, et antiquus dierum sedebat: vestitum ejus sublime et thronus ejus flamma ignis. P. Millia millium serviebant ei, et decies centena millia assistebant ei. ℣. Omnes Gentes plaudite manibus: jubilate Deo in voce exsultatio- B nis. P. Millia millium. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Millia millium.

Oratio. Rex regum Immense, etc. *Require in Vesperis istius festi.*

Antiphona 2. Ad similitudinem hominis vidi virum sedentem in throno, magnam claritatem habentem; P. Et omnes militiæ cœlestis exercitus Angelorum clamantes, dicebant in unum: Ecce, cujus imperium, et regnum, et gloria sine fine permanent in æternum. ℣. Visi sunt gressus tui Deus, ingressus Dei mei; regis qui est in sancto. P. Et omnes militiæ. ℣ Gloria, et honor. P. Et omnes militiæ.

Oratio. Unigenite Dei Filius, qui devicta morte de terrenis ad cœlestia transitum faciens, quasi Filius hominis apparens, in throno magnam clarita- C tem habens, quem omnis militia cœlestis exercitus Angelorum laudat: præbe nobis, ut nullis flagitiorum vinculis in corde hujus sæculi inligemur, qui te ad Patrem ascendisse gloriosa fidei devotione concinimus; ut illic indesinenter cordis nostri dirigatur obtutus, quo tu ascendisti post vulnera gloriosus. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

Antiphona 3. Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? P. Hic Jesus, qui receptus est a vobis, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. ℣. A templo tuo, quod est in Hierusalem, tibi offerent reges munera. P. Hic Jesus. ℣. Gloria, et honor. P. Hic Jesus.

Oratio. Salvator noster, et Domine, qui ascen- D dens in cœlos, intuentium clarificatus apparere dignatus es oculis: dum ita ut ascenderas venturum ad judicium polliceris; fac nos hodiernæ Ascensionis tuæ festum pura cordium devotione suscipere: ut ita in te semper ad melius vita nostra ascendendo proficiat, qualiter ad judicium venientem inconfusibili contuitu te semper visionis aspiciat. ℟. Amen.

Per.

℟. Curvati sunt cœli, dum calcaret capita nubium Creator astrorum, et dum ascenderet cœlos Dominator omnium: tremore concussus est numerus Angelorum clamantium **397** et dicentium: P. Quantus est iste, cui Throni, et Dominationes occurrunt? ℣. Vidi in cœlo turbam Angelorum multorum, quam dinumerare nullus poterat: et clamabant voce magna, dicentes: P. Quantus.

Oratio. Domine Jesu Christe, Creator astrorum, qui inclinasti capita nubium, dum te humiliasti in conversatione mortalium: ut in eo corpore, quo pro nobis probra sustinuisti impiorum, in ipso ascenderes super omnes cœlos cælorum, et laudes sumeres Angelorum; exaudi nos propitius, et hoc nobis concede placatus, ut, absoluti criminibus, illuc te nunc prævium sequamur corde, quo tu ascendisti glorificatus in homine: ut te etiam tunc contemplari possimus conditorem et Dominum æternum in majestate, quem nunc verum Deum præstolamur et judicem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Dominus ascendit in cœlos, et tonat: ipse judicat extrema terræ. Potens est, et dat virtutibus regibus nostris, et exaltavit cornu populi sui.

Canticum. Confirmatum est cor meum in Domino. *fol.* 55. *Reiteretur Antiphona.* Dominus ascendit in cœlos, et tonat, etc.

Oratio. Christe Dei Filius, qui ascendens in cœlum triumphator tonas; da nobis, ut te semper in veritate videntes, visionis tuæ gratia fruamur: et qui, devicta morte, paternam ascendendo repetis sedem; tu da virtutem regibus nostris; et exalta tuæ Gloriæ majestatem. ℣. Amen.

Per misericordiam.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedicimus te, Domine, qui sedes super Cherubim, Rex Israel.

Canticum. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum. *Require fol.* 6.

Sono. Alleluia. Regna terræ cantate Deo, Alleluia, alleluia, psallite Domino: psallite Deo nostro Alleluia, qui ascendit super cœlos cœlorum, ad Orientem. Ecce dabit vocem suam vocem virtutis suæ. Alleluia.

Lauda. Laudate Dominus de cœlis: Alleluia. ℣. Laudate eum in excelsis: Alleluia, alleluia. Laudate eum omnes Angeli ejus Alleluia, alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Danielis Prophetæ (*Cap.* VII).

℣. Deo gratias.

In illis diebus: Ego Daniel aspiciebam donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit: vestimenta ejus quasi nix candida, et capilli capitis ejus quasi lana munda: thronus ejus flamma ignis: rotæ ejus ignis accensus. Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur a facie ejus: millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei: judicium sedit, et libri aperti sunt. Iterum aspiciebam in visione noctis; et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit: et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum: et omnis populus tribus, ac linguæ ipsi serviunt: potestas ejus, pote-

stas æterna, quæ non auferetur : et regnum ejus, A quod non corrumpetur. ℟. Amen.

Hymnus. Æterne Rex Altissime, Redemptor et fidelium. *Supplicatio*. Oremus redemptorem mundi, etc. *Quære fol*. 396.

Capitula. Domine Rex gloriæ, qui patefactis et adimpletis Prophetarum oraculis, tamquam elevatis æternalibus portis Paternam repetis sedem : quia dum tua Deitas eo quo nunquam discessit, regreditur, humano generi cœlorum aditus aperitur : dona, ut illic extendatur nostra intentio, quo præcessit vera nostra redemptio : nec inhæreamus captiva delectatione terrenis, cum jam nostri corporis caput tecum regnet in cœlis.

Pater noster. Liberati a malo, etc. *fol*. 2.

Lauda. Ascendam ad Patrem meum. *Benedictio*. B Christus Dominus, qui assumptum hominem. *Require fol*. 396.

Exeunte Vespera in Ascensione Domini.

Lauda. Die mandavit Dominus misericordiam suam : *P*. Et nocte declaravit. ℣. Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo meo : Susceptor meus es, P. et nocte declaravit.

Oratio. Deus, qui tuam in die mandas misericordiam, et nocte declaras : quæsumus, ut in die nos protegas ad salutem et in nocte defendas ad requiem. ℟. Amen.

Per misericordiam, tuam, etc.

Sono. Domini est terra. *fol*. 395.

Antiphona. Ascendit Deus in jubilatione, P. Dominus in voce tubæ. ℣. Omnes Gentes plaudite mani- C bus : jubilate Deo in voce **398** exsultationis. P. Dominus in voce.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Ascendit Dominus in cœlos, et tonuit. Alleluia. P. Ipse judicat extrema terræ. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Excelsus super omnes Gentes Dominus, supra cœlos gloria ejus. P. Ipse judicat. ℣. Gloria. et honor. *P*. Ipse judicat.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Psallite Deo Alleluia. P. Qui ascendit super cœlos cœlorum, ad Orientem. Alleluia, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Exaltate Deo adjutori nostro : jubilate Deo Jacob. P. Qui ascendit. ℣. Gloria, et honor. P. Qui ascendit.

Hymnus. Æterne Rex altissime. *fol*. 395.

Supplicatio. Oremus. *Quære fol*. 336. D

Capitula. Christe, Dei virtus, et Dei sapientia, qui propter nos, et nostram salutem descendens e cœlis, humani generis carne vestri dignatus es, ut dignissima societate nos tua Deitate vestires, et quod mortale descendendo susceperas, immortalitati ascendendo donares ; tribue nobis interventu solemnitatis hodiernæ, qua te cœlos ascendente et sequi cupimus et gaudemus, ut benignissimæ dispensationis hujus munera cognoscentes, reddamus pietati tuæ, quod solum possumus, vota laudum : expectantes secundi adventus tui æternorum solatia gaudiorum, quo jubente dicimus :

Pater noster. Liberati a malo *fol*. 2.

Benedictio. Jesus Christus Dominus pacem, quam ad cœlos remeans, discipulis suis tradidit, integram in vobis, inlibatamque conservet ; ℣. Amen. Angelos quoque sanctos, quos cœlos ascensurus suo elegit obsequio, vobis deputet in præsidio : ℟. Amen. Ut ipso auctore illuc erigamini fide, quo vos adsumendos speratis in requiem. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius, etc.

Lauda. Ascendam ad Patrem meum.

Oratio. Rex regum, cui Deus cœli. *Require retro in primis Vesperis.*

IN DOMINICO POST ASCENSIONEM DOMINI.

Ad Vesperum.

Lauda. Laudaverunt te Domine, *cum sua Oratione. Quære fol*. 371.

Sono. Alleluia, Regna terræ, cantate Deo, Alleluia, alleluia. ℣. Psallite Domino : psallite Deo nostro, Alleluia, qui ascendit super cœlos cœlorum, ad Orientem. Ecce dabit vocem suam vocem virtutis suæ. Alleluia.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Qui ascendit super cœlos cœlorum, P. Ad Orientem : Dominus nomen est ei. ℣. Regna terræ, cantate Deo, psallite Domino : psallite Deo. P. Ad Orientem. ℣. Gloria, et honor. P. Ad Orientem.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Salvator faciens signa, et mirabilia in cœlo et in terra ; P. Ipse liberavit nos, qui ascendit in cœlos Alleluia. ℣. Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus : et sapientiæ ejus non est numerus. P. Ipse. ℣. Gloria, et honor. P. Ipse.

Hymnus.

Sacrata Christi tempora.
Propheticis oraculis,
Virtute firmans pectora,
Fidei explevit veritas :
Venisse mundi Dominum
In templo sancti corporis,
Ut hominem, quem fecerat,
Salvaret ipse perditum.
Dum patitur passibilis,
Assumptus homo moritur.
Resurgit impassibilis
Deus creator omnium :
Qui suscitatus corpore
Diebus dudum prædictis,
Quater denario numero
Opes salutis edidit :
Quibus quadratis omnibus,
Ascendens in altum duxit
Captivitatem captivam.
Dona dedit hominibus.
Coram suis discipulis
Hi adventurum moniti,
Ut repedantem cernerent,
Dum adfuissent tempora.
Quæ sola Patri cognita,

Incognita nec Filio,
Discentibus solicitis :
Licere nosse minime.
Sistere tamen soliti
Jubentur summi Nuntii,
Donec virtutem Spiritus
Ex alto missam caperent,
Quam nos ovantes gloria
Salutis nostræ præstitam,
Sanctorum consors laudibus
Hymnus resultat omnibus.
399 Da nobis illuc sedula
Devotione tendere,
Quo te sedere cum Patre
In arce regni credimus.
Gloria tibi Domine,
Qui scandis supra sidera,
Cum Patre, Sancto Spiritu.
In sempiterna sæsula.
Amen.

Supplicatio. Oremus. *Quære fol.* 396.

Capitula. Domine Jesu Christe, qui ascendisti super cœlos cœlorum ad Orientem, Occasum devincens; quos in te suscepisti redimendos, in te perfice ad excelsa tollendos : ut ubi Caput præcessisti glorificatum, illuc totum corpus adtrahas honorandum : nec in Occiduum mundi relinquas, quos ad Orientem perpetuum versus triumphator exaltas.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus, Dei Filius, qui triumphali jubilo ascendit ad Patrem, cœlesti vos cordium ascensione glorificet; ℞. Amen. Et qui in forma vestri corporis est exaltatus a terra, Divinitatis beneficiis vos pertrahat ad superna : ℞. Amen. Ut illuc vestrorum omnium remunerandam pertrahat ad fidem, quo ipse glorificatus ascendit in homine. ℞. Amen.

Per.

Lauda. Dominus in cœlo paravit sedem suam Alleluia : et regnum ejus omnibus dominabitur Alleluia. P. Benedicite Dominum omnes Angeli ejus. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Laudate eum omnes gentes : laudate eum omnes populi. P. Benedicite. ℣. Gloria. P. Benedicite.

Oratio. Domine, qui in altis habitas, et humilia respicis in cœlo, et in terra, tibi nos dignanter incurva : et qui beatitudinem Angelorum in omnibus polliceris, obedientia nos Angelica informare digneris. ℞. Amen.

Per.

In nomine.

IN DOMINICO POST ASCENSIONEM DOMINI.

Ad Matutinum.

Antiphona. Ego dormivi. *Psalmus* III. *Oratio.* Domine Jesu Christe. *Quære folio* 369.

Antiphona 1. Parata sedes tua, Deus ex tunc : P. Et a sæculo tu es. ℣. Elevaverunt flumina Domine : elevaverunt flumina voces suas. P. Et a sæculo tu es. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Et a sæculo.

A *Oratio.* Domine, qui fortitudine indueris, et virtute præcingeris; paratos nos fac ante sedem majestatis tuæ; ut ex tunc et a sæculo tuum nomen magnificemus : ac propitiare in terris digneris, qui es mirabilis in excelsis. ℞. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster, etc.

Antiphona 2. Quis sicut Dominus Deus noster. P. Qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra? ℣. Excelsus super omnes gentes Dominus, supra cœlos Gloria ejus. P. Qui in altis. ℣. Gloria, et honor. Qui.

Oratio. Domine qui in altis habitas. *Quære retro in Vesperis præcedentibus.*

Antiphona 3. Excelsus Dominus, et humilia respicit : P. Et alta de longe agnoscit. ℣. Laudate pueri B Dominum : laudate nomen Domini. P. Et alta. ℣. Gloria. P. Et alta.

Oratio. Excelse Domine, qui humilia respicis, humilitatem nobis tribue, per quam placeris; nec in nobis superbia maneat, quam de longinquo cognoscis, et vicino disperdis : ut te miserante, et elatio dejiciens a mente discedat, et contritio glorificans in corde permaneat. ℞. Amen.

Per misericordiam.

℞. In tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ jubilate in conspectu regis Domino : commoveatur mare, et plenitudo ejus; orbis terrarum, et omnes qui habitant in eo. Flumina P. Plaudent manibus in idipsum. ℣. Montes, et colles cantabunt coram Deo laudem : et omnia ligna regionis. P. Plaudent C manibus.

Oratio. Jubilat te, Domine, omnis terra, et universi, qui habitant in ea : tibi flumina plaudent manibus; invicem tibi doctorum ora non solum sermonis obsequuntur officio; sed etiam studia bonorum operum deserviunt famulatu : Concede itaque Deus noster, ut utraque in nobis te auctore prævaleant laude, jugis et indefessa meditatio, et sanctæ conversationis sincera religio intemerata. ℞. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Dextera tua Domine glorificata est in virtute : dextera manus tuæ, Domine, **400** confregit inimicos. Et præ multitudine majestatis tuæ contrivisti adversarios.

Canticum. Cantemus Domino. *fol.* 369.

D *Ad Benedictus. Antiphona.* Supra thronum regni tui, in firmamento cœli benedictus es Domine.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6. *Sono.* Alleluia, Regna terræ. *fol.* 397.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis Alleluia, alleluia : laudate eum in excelsis. *Psalmus* CXLVIII.

Apocalypsis Joannis Aposloli (*Cap.* VII).

℞. Deo gratias.

Ego Joannes fui in spiritu : et vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis : stantes ante thronum, in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum : et clamabant voce

magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedes super thronum, et Agno. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, et seniorum, et quatuor animalium: et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adorabant Deum, dicentes, Amen. Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, et honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro, in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Hymnus. Sacrata Christi tempora. *fol.* 398. *Supplicatio.* Oremus. *fol.* 396.

Capitula. Domine, qui ascendisti in altum, captivam ducens captivitatem; nos a captivitate Diaboli, victoriæ tuæ erue triumphis: ut dona tua dum hominibus tribuis, ipsos homines donorum tuorum reddas ex toto participes.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Dominus in cœlo. *fol.* 399.

Benedictio. Christus Dei Filius, qui triumphali. *fol.* 399.

In nomine Domini.

Exeunte Vespera.

Lauda. Laudaverunt, *cum sua oratione, folio* 371. *Sono.* Alleluia Regna terræ. *fol.* 397.

Antiphona. Excelsus Dominus in cœlis P. Gloria ejus. ℣. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo, et in terra? P. Gloria. ℣. Gloria, et. P. Gloria.

Dominus. ℟. Et.

Lauda. Ascendit Deus in jubilatione, Alleluia: Dominus in voce tubæ. Alleluia. P. Psallite Deo nostro Alleluia: psallite. Alleluia. ℣. Omnes Gentes plaudite manibus: jubilate Deo in voce exsultationis. P. Psallite. ℣. Gloria, et. P. Psallite.

Dominus. ℟. Et cum.

Lauda 2. Ego vidi virum splendidum sedentem in throno claritatis suæ, Alleluia. P. Et in circuitu seniorum, exclamabant voces per organum dicentium: Alleluia, alleluia. ℣. Quia ego cognovi, quod magnus est Dominus: et Deus noster præ omnibus diis. P. Et in. ℣. Gloria et. P. Et in.

Hymnus. Sacrata Christi tempora. *Quære folio* 398. *Supplicatio.* Oremus, ut supra.

Capitula. Domine Jesu Christe, qui sublimius exaltasti thronum tuum in Hierusalem civitatem tuam, quæ est utique Ecclesia, dum eam gloriose conquiris, et ab ea triumphaliter ad Patrem ascendis: dum in assumpto homine Assumptionis tuæ gloriam manifestas: sint ergo in nobis, et vota tibi placita, et opera ipsa accepta; ut ex hoc tecum possideamus regnum in Gloria sempiterna.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus sit auxiliator vestri, qui assumptus in Cœlis, sedet nunc ad dexteram patris: ℟. Amen. Corpus quoque vestrum nullis torporibus patiatur passionibus mancipari, qui illum glorificatum in Cœlis assumpsit, ℟. Amen. Ut qui ascendentis vidistis gloriam, judicantis non puniamini sententia. ℟. Amen.

Per.

Lauda. Dominus in cœlo paravit. *Oratio.* Domine qui in altis habitas. *fol.* 399.

In nomine Domini nostri Jesu Christi: Incipit Officium jejuniorum; *observatur* 4. *feria, et* 5. *feria, et* 6. *feria, et sabbato ante sanctum Pentecosten, ad exorandum Dominum nostrum Jesum Christum pro peccatis nostris, ac pacem impetrandam vel pro sacris lectionibus audiendis*; *et, ut veniat Spiritus Paraclitus, et munda nostra reperiat habitacula, Ecclesiam Domini frequentemus.*

SEQUITUR QUARTA FERIA.

Ad Matutinum. Antiphona. Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum. *Psalmus* III.

Oratio. Quamvis Domine. *fol.* 68.

Antiphona 1. Delicta qui solus intelligis, a peccatis nostris munda nos Domine. *Psalmus* XVIII.

401 *Oratio.* Ab occultis nostris. *fol.* 68.

Antiphona 2. Domine salvum fac regem: et exaudi nos in die, qua invocaverimus te. *Psalmus* XIX.

Oratio. Tribulationes cordis nostri. *fol.* 68.

Antiphona 3. Fiat Domine misericordia tua super nos: sicut speravimus in te. *Psalmus* XXXII.

Oratio. Fiat misericordia tua Domine super nos, ut qui singillatim corda hominum fingis: speciatim ea sanctifices: et quia oculi tui super eos sunt, qui te metuunt; timoris tui da nobis plenitudinem: ut et agnitionis tuæ nobis conferas largitatem. ℟. Amen.

Per.

℟. Deus misereatur nobis, et pareat peccatis nostris: P. Et avertat iram suam a nobis. ℣. Illuminet vultum suum super nos, et misereatur nobis. P. Et avertat.

In Laudibus.

Antiphona. Averte faciem tuam a peccatis nostris: et omnes iniquitates nostras dele. *Psalmus* L.

Oratio. Averte faciem tuam. *fol.* 68.

Ad Canticum. Antiphona. Ne extermines.

Canticum. Domine Domine Rex Deorum. *folio* 103.

Oratio. Universæ carnis spiritus fortissime ac misericors Deus, propitiare, quæsumus, universitati Ecclesiæ tuæ; et dimitte peccata omnium: aufer, quæsumus, a nobis iniquitates, et scelera nostra; tuæque nos benedictionis et pacis infusione locupleta. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Matutinarum. Sit splendor Domini Dei nostri super nos, P. Et opera manuum nostrarum dirige super nos: ℣. Respice in servos tuos, in opera tua: et dirige filios eorum. *P.* Et opera. ℣. Gloria, et. P. Et opera.

Lauda. In Sanctis ejus laudate Dominum, alleluia, alleluia: in firmamento virtutis ejus. *Psalmus* CL.

Lectio libri Proverbiorum Salomonis (*Cap.* III).

℟. Deo gratias.

Fili, habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne inniteris prudentiæ tuæ. In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos. Ne sis sa-

piens apud temetipsum: time Dominum, et recede a malo: sanitas quippe erit in umbilico tuo, et inrigatio ossium tuorum. Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum: et implebuntur areæ tuæ saturitate, et vino torcularia tua redundabunt. Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias: nec deficias, cum ab eo corripieris: quem enim diligit Dominus, corripit: et quasi pater in filio complacet sibi. ℟. Amen.

Hymnus. Benignitatis. *Supplicatio.* Oremus. *fol.* 69.

Capitula. Descendat, Domine, ad nos Spiritus Sanctus, per quem et mundata pectora nostra ipse possideas, et institutam a te orationem suscipiat: ut ita non per nos, sed per illum nostra accipias postulata, sicut per illum nostra deleas facinora; cum eo, qui tecum, et cum Patre regnat æqualis, interpellante pro nobis, per eum ad te proclamamus e terris.

Pater noster, qui es in cœlis. A malo nos libera. *fol.* 10.

Lauda. Dominus in cœlo paravit sedem suam Alleluia: et regnum ejus omnibus dominabitur, Alleluia. P. Benedicite Dominum omnes Angeli ejus, Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Laudate Dominum omnes Gentes: et conlaudate eum omnes populi. P. Benedicite Dominum. ℣. Gloria, et honor. P. Benedicite Dominum.

Benedictio. Expectantes se Spiritus efficiat immaculatos a sordibus: ℟. Amen. Repleat munere, quos se inspicit sustinere. ℟. Amen. Ut cum venerit impleamur sanctitate ejus, cujus adventum amabiliter expectamus; ℟. Amen. Ipso præstante, et auxiliante, qui cum Patre, et filio, unus Deus vivit, et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

In nomine Domini nostri Jesu Christi, etc.

Ad Tertiam, et Sextam, et Nonam dicantur ut sequuntur.

Ad Tertiam.

Prophetia, Fili, custodi sermones meos. *Quære fol.* 96.

Lectio libri Exodi (*Cap.* XVI).

℟. Deo gratias,

In illis diebus: Venit omnis multitudo filiorum Israel in deserto Sin, quod est inter Elim, et Sinai: quinto decimo die mensis secundi, postquam egressi sunt de terra Ægypti. Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen, et contra Aaron. Dixerunt ergo filii Israel: Utinam **402** mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus ad ollas carnium, et comedebamus panes in saturitate: quid eduxisti nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame? Dixit autem Dominus ad Moysen: Ecce, ego vobis pluam panes de cœlo: egrediatur populus, et colligat, quæ sufficiant per singulos dies: ut tentem eum utrum si ambulet in viis meis, an non. Die autem sexto parent quod inferant: et sit duplum quod colligere solebant per singulos dies. Dixeruntque Moyses et Aaron ad omnes filios Israel: Vespere scietis quod Dominus

A eduxit vos de terra Ægypti: et mane videbitis gloriam ejus: audivi autem murmur vestrum contra Dominum: nos vero quid sumus, quia mussitastis contra nos? Et ait Moyses: Dabit vobis Dominus vespere carnes edere, et mane panes in saturitate: eo quod audierit murmurationes quibus murmurati estis contra eum, nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Deum. Dixitque Moyses ad Aaron: Dic universæ congregationi filiorum Israel: Accedite coram Domino: audivi enim murmur vestrum. Cumque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Israel, respexerunt ad solitudinem: et ecce gloria Domini apparuit in nube. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Audivi murmurationes filiorum Israel, loquere ad eos: Vespere
B comedetis carnes, et mane saturabimini panibus: scietis quod sim Dominus Deus vester. Factum est ergo vespere, et ascendit coturnix, operuitque castra: mane quoque ros jacuit per circuitum castrorum. Cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudinem minutum et quasi pilo tonsam in similitudinem pruinæ super terram. Quod cum vidissent filii Israel, dixerunt ad invicem: Manhu? quod significat: Quid est hoc? ignorabant enim quid esset. Quibus ait Moyses: Iste est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum. Hic est sermo, quem præcepit Dominus: Appellavitque domus Israel nomen ejus Man: quod erat quasi semen Coriandri album, gustusque ejus quasi similæ cum melle. Dixit autem Moyses: Iste est sermo,
C quem præcepit Dominus: Imple gomor ex eo, et custodiatur in futuras retro generationes: ut noverint panem, quo alui vos in solitudine, quando educti estis de terra Ægypti. Dixitque Moyses ad Aaron: Sume vas unum, et mitte ibi Man, quantum potest capere gomor? et repone coram Domino ad servandum in generationes vestras, sicut præcepit Dominus Moysi. Posuitque illud Aaron in tabernaculo reservandum. Filii autem Israel comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem. ℟. Amen.

Lectio libri Aggæi Prophetæ (*Cap.* I, II).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: Ponite corda vestra super vias vestras: ascendite in montem, portate lignum, ædificate domum: et acceptabilis mihi erit, et glori-
D ficabor, dicit Dominus. Et suscitavit Dominus spiritum Zorobabel filii Salathiel, ducis Juda, et spiritum Jesu filii Josedech sacerdotis magni, et spiritum reliquorum de omni populo: et ingressi sunt, et faciebant opus in domum Domini exercituum Dei sui. Factum est verbum in manu Aggæi prophetæ, dicens: Spiritus meus erit in medio vestri, nolite timere. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc modicum est, et ego commovebo cœlum, et terram, mare, et aridam. Et movebo omnes gentes: ET VENIET DESIDERATUS cunctis gentibus: et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum, Magna erit gloria domus istius novissimæ plus-

quam primæ, dicit Dominus exercituum : et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus excercituum. ℟. Amen.

Lectio libri Actuum Apostolorum (*Cap*. x).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Vir quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius. Centurio Cohortis, quæ dicitur Italica, religiosus, et timens Deum cum omni domo sua faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper : is vidit in visu manifeste quasi hora diei nona, Angelum Dei introeuntem ad se, et dicentem sibi, Corneli. Ille intuens, timore correptus, dixit : Quis es, Domine ? Dixit autem illi : Orationes tuæ, et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et nunc mitte viros in Joppem, et accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus. Hic hospitatur apud Simonem quemdam coriarium, cujus est domus juxta mare : hic dicet tibi quid te oporteat facere. Et cum discessisset Angelus, qui loquebatur illi, vocavit duos domesticos suos, et militem metuentem Dominum, ex his qui illi parebant. Quibus cum narasset omnia, misit illos in Joppem. Postero autem die iter illis facientibus et appropinquantibus civitati, **403** ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam diei sextam. Et cum essuriret, voluit gustare. Parantibus autem eis, cecidit super eum mentis excessus : et vidit cœlum apertum, et descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, et serpentia terræ, et volatilia cæli, et facta est vox ad eum - surge Petre, occide, et manduca. Ait autem Petrus : Absit Domine, quia nunquam manducavi omne commune, et immundum. Et vox iterum ad eum: Quæ Deus purificavit, tu ne commune dixeris. Hoc autem factum est per ter ; et statim receptum est vas in cœlum. Et dum intra se hæsitaret Petrus quidnam esset visio, quam vidisset : ecce viri, qui missi erant a Cornelio, inquirantes domum Simonis, adstiterunt ad januam. Et cum vocarent, interrogabant, si Simon, qui cognominatur Petrus, illic haberet hospitium. Petro autem cogitante de visione, dixit Spiritus ei : Ecce viri tres quærunt te. Surge itaque, et descende, et vade cum eis nihil dubitans : quia ego misi illos. Descendens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce ego sum, quem quæritis : quæ causa est, propter quam venisti ? Qui dixerunt : Cornelius Centurio, vir justus, et timens Deum, et testimonium habens bonum ab universa gente Judæorum, responsum accepit ab Angelo sancto, accersire te in domum suam, et audire verba abs te. Introducens igitur eos, recepit hospitio. Sequenti autem die surgens, profectus est cum eis: et quidam ex fratribus ab Jobpen comitati sunt cum eo. Altera autem die introivit Cæsaream. Cornelius vera expectavit illos, convocatis cognatis suis, et necessariis amicis. Et factum est cum introisset Petrus, obvius venit ei Cornelius, et procidens ad pedes ejus adoravit. Petrus, vero elevavit eum, dicens : Surge, et ego ipse homo sum. Et loquens cum illo intravit, et invenit multos, qui con-

A venerant : et dixit ad illos : Vos scitis quomodo abominatum sit viro Judæo conjungi, aut accedere ad alienigenam : sed mihi ostendit Dominus, neminem communem aut immundum dicere hominem. Propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo, quam ob causam accersistis me ? Et Cornelius ait : A nudiusquarta die usque in hanc horum, orans eram in domo mea, et ecce vir stetit ante me in veste candida, et ait : Corneli, exaudita est oratio tua. et eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Domini. Mitte ergo in Joppen, et accersi Simonem, qui cognominatur Petrus : hic hospitatur in domo Simonis coriarii juxta mare. Et confestim igitur misi ad te : et tu benefecisti venienendo. Nunc ergo in conspectu tuo omnes adsumus,

B audire omnia quæcumque tibi præcepta sunt a Domino. ℟. Amen.

Antiphona. 1. Salvos nos faciat dextera tua, et exaudi nos. *Psalmus* LIX.

Oratio. Salvum fac populum tuum Domine dextera tua : et qui dedisti timentibus te Crucis significationem, da plenissimam fidei dignitatem: ut quos peccantes repuleras, convertantes suscipias : et tu da in tribulatione auxilium necessarium, qui pro peccatoribus factus es pretium: et ipse tribulantem inimicum ad nihilum redigas ; ipse redemptos in civitatem circumstantiæ introducas. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Confitemini Domino in cithara : in psalterio decem chordarum psallite ei. *Psalmus*

C XXXII.

Oratio. Domine, qui justorum gaudium, tuum facis esse præceptum ; quorum laudatio tibi et obsequitur diligendo, et diligit conlaudando; qui tibi per Legis citharam novum canticum cantant ; et per psalterium piis vocibus sacro fragore persultant : eorum nos Domine vestigiis inhærere concede ; et laudem tui cum eisdem tribue conclamare : Et quia rectus est sermo tuus, tuaque fidelia opera ; præsta, ut te corde fideli credamus , et misericordiam tuam impensius consequi mereamur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Anima nostra patiens est Domino :

D quoniam adjutor, et protector noster est. *Psalmus* XXXII.

Divisio. Ecce oculi Domini super timentes eum. ℟. Deprecamur Dominum, dicentes : Peccavimus tibi Deus ; P. Patientiam habe in nobis, et propitiare in malis, quæ quotidie adcrescunt super nos. ℣. Defecimus in ira tua : et in furore tuo conturbati sumus. P. Patientiam.

Preces. Clamamus ad te Deus : exaudi nos ; P. Et a flagello iræ tuæ libera. ℣. Protector noster sancte, et piissime Pater, flagitium reprime, et præsidium tuum concede. P. Et a flagello. ℣. Miserere clemens, et indulge placatus, **404** quos tuo redemisti sanguine sacro. P. Et a flagello. ℣. Subveni,

et audi aure placida cito; et gemitum adtende crea- A
turæ totius tuæ. P. Et a flagello.

Oratio. Tibi Domino, patiens est anima nostra; a quo et virtutem tolerantiæ, et præmium concupiscit accipere: tua ergo super nos misericordia, sicut speramus, fiat: tuaque nos gratia consueta præveniat.

Pater noster. A malo nos libera, etc. *Quære fol.* 10

Benedictio. Quære in Tertiam, quæ dicitur per totum annum.

Ad Sextam.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* XXXII).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: Mulieres opulentæ surgite, et audite vocem meam; filiæ confidenter percipite auribus eloquium meum. Post dies et annos, et vos B
conturbamini confidenter: consummata est enim vindemia, collectio ultra non veniet. Obstupescite, opulentæ, conturbabimini confidenter: exuite vos, et confundimini, accingite lumbos vestros. Super ubera plangite, super regione desiderabili, super vinea fertili. Super humum populi mei spinæ et vepres ascendent: quanto magis super omnes domos gaudii civitatis exultantis? Domus enim dimissa est, multitudo urbis derelicta est, tenebræ et palpatio super speluncam in æternum. Gaudium onagrorum pascua gregum, donec effundatur super nos spiritus de excelso: et erit desertum in cermel, et cermel in saltum reputabitur. Et habitavit in solitudine judicium, et justitia in cermel sedebit. Et erit justitiæ pax, et custos justitiæ silentium, et securi- C
tas usque in sempiternum. ℟. Amen.

Antiphona 1. Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nobis. *Psal* CXXII.

Oratio. Ad re, Domine, oculos nostros. *fol.* 73.

Antiphona 2. Benefac, Domine, bonis. *Psal.* CXXIV.

Oratio. Benefac Domine. *fol.* 73.

Antiphona. 3. Speret Israel in Domino, ex hoc nunc et usque in sæculum. *Psal.* CXXX.

℟. Miserere; quia Deus es. *P.* Misericors miserere; quia peccavimus tibi. ℣. Ad te levamus oculos nostros, qui habitas in cœlis. *P.* Misericors.

Preces. Dicamus omnes preces nostras: Domine placatus attende; *P.* Et in misericordia furorem renove. ℣. Benignus ea, quæ rogaris, concede, et postulationem nostram. *P.* Et in misericordia. ℣. Deus noster, aperi oculos tuos, et vide mala, quæ D
nos comprimunt. P. Et in misericordia. ℣. Indulgentiam peccatorum nostrorum concede, et lachrymas pœnitentium. P. Et in.

Capitula. Exalta cornu nostrum. *fol.* 73.

Ad Nonam.

Prophetia. Fili, habe, fiduciam in Domino. *fol.* 95.

Lectio libri Numeri (*Cap.* XVII, XVIII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere ad filios Israel, et accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, a cunctis principibus tribuum, virgas duodecim, et uniuscujusque nomen superscribes virgæ suæ: nomen autem Aaron erit in tribu Levi, et una virga cunctas eorum familias continebit: ponesque eas in tabernaculo fœderis coram testimonio, ubi loquor ad te: quem ex his elegero, germinabit virga ejus: et cohibebo a me querimonias filiorum Israel, quibus contra vos murmurant. Locutusque est Moyses ad filios Israel: et dederunt ei omnes principes virgas per singulas tribus: fuerunt virgæ duodecim absque virga Aaron. Quas cum posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonii: sequenti die egressus invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi; et turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amigdalas deformatæ sunt. Protulit ergo Moyses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israel: videruntque, et receperunt singuli virgas suas. Dixit Dominus ad Moysen: Revertatur virga Aaron in tabernaculum testimonii, ut servetur in signum rebellium filiorum, et quiescant querelæ eorum adversum me, ne moriantur. Fecitque Moyses sicut præceperat Dominus. Dixerunt autem filii Israel ad Moysen: Ecce consumpti sumus, omnes perivimus: quicumque accederit ad tabernaculum Domini, morietur: num usque internecionem cuncti delendi sumus? Dixitque Dominus ad Aaron: Tu, et filii tui, et domus patris tui tecum, portabitis iniquitatem sanctuarii; et tu et filii tui, simul sustinebitis peccata sacerdotii vestri: sed et fratres tuos de tribu Levi, et sceptrum patris tui sume tecum, præstoque sint, et ministrent tibi: **405** tu autem et filii tui ministrabitis in tabernaculo testimonii. ℟. Amen.

Prophetia. Audite principes Jacob. *fol.* 245.

Lectio libri Actuum Apostolorum (*Cap.* X).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Aperiens Petrus os suum, dixit: In veritate comperi, quoniam non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, quæ timet eum, et operatur justitiam, acceptus illi. Verbum enim suum misit filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum (hic est enim omnium Dominus). Vos autem scitis quod factum est verbum per universam Judæam: incipiens enim a Galilæa, post baptismum, quod prædicavit Joannes Jesum Nazareth: quomodo unxit eum Dominus Spiritu Sancto, et virtute, hic pertransivit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus omnium horum, quæ fecit in regione Judæorum, et Hierusalem, quem et occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit ei manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo: nobis qui manducavimus, et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis, per dies quadraginta. Et præcepit nobis prædicare populo, et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen

ejus omnes, qui credunt in eum. Adhuc loquente A Petro verba hæc cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum, Et obstupuerunt qui erant et circumcisione fideles.qui venerant cum Peteo : quia et in Nationes gratia Spiritus Sancti effusa est. Audiebant illos loquentes linguis,et magnificantes Dominum. Tunc respondit Petrus : Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizarentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos? Et jussit eos in nomine Jesu Christi baptizari. Nunc rogaverunt eum,ut maneret apud eos aliquot diebus. Audierunt autem Apostoli, et fratres qui erant in Judæa : quoniam et Gentes receperunt verbum Dei,et honorificabant Deum.

℟. Amen.

Antiphona 2. Sperantes autem in Dominum mi- B sericordia circumdabit. *Psalmus.* XXXIII.

Oratio. Deus quem cordium occulta non latent, tibi secreta non conscientiæ non celantur ; remitte, quæsumus,iniquitates nostras,et dele omnia peccata nostra : ut animas nostras, et admissa remittendo, conquiras ; et tegendo delicta, possideas : et quia tu es exsultatio nostra, redime nos miserando ; et a flagellis peccatorum redimendo libera. ℟. Amen. Per.

Antiphona 2. Magnificate Dominum mecum : et exaltemus nomen ejus in unum. *Psalm.* XXXIII.

Oratio. In omni tempore te Dominum benedicat anima nostra : et laudem tuam oris confessio personet : magnificet te omnis conventus Ecclesiæ : et in unitate fidei collecta te Redemptor nostrum in- C quirendo non desistat ; sed potentiam tuam multiplici famulatu sustollat : ut talibus frequentando obsequiis, et a præsentibus angustiis liberetur, et futuræ beatitudinis gloriæ conjungatur. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Redimet Dominus animas servorum suorum : et non derelinquet omnes qui sperant in eum. *Psalm.* XXXIII.

Preces. Acclives te oramus Christe, parce nobis, P. Et miserere. ℣. Placare supplicantibus,Salvator Unigenite ; nostrisque favens precibus,propitius inlabere. P. Et miserere. ℣. Delicta nostra pandimus : scelera cognoscimus : extensis Cœlo manibus veniam exposcimus. P. Et. ℣. Remissionem omnium tribue facinorum : concede indulgentiam, quam omnes a D te postulant. P. Et. ℣. Infirmos omnes visita : captivos redde patriæ : oppressos cunctos alleva benigna tua dextera. P. Et miserere.

Oratio. Inquirentes te,Domine, dignanter exaudi ; atque ut in te laudetur anima nostra propitius indultor imperti : et quia juxta es his qui tribulatio sunt corde, aurem tuam ad contritionem nostri spiritus pande : et ad pacem tuam, quæ exuperat omnem sensum, corpora nostra et corda converte.

Pater noster. A malo nos libera. *fol.* 10.

Benedictio. Quære in Nonam quæ dicitur per totum annum.

Ad Vesperum.

Lauda. Vespere, mane, et meridie te laudamus, Domine.

Antiphona. Salva plebem tuam Domine, et benedic hereditatem tuam Domine. *Psalmus* XXVII,

Lauda. Dirigantur viæ nostræ Domine, P. Ad custodiendas justificationes tuas. ℣. Beati **406** immaculati in via : qui ambulant in lege Domini. P. Ad custodiendas. ℣. Gloria, et honor. P. Ad custodiendas.

Hymnus. Benignitatis. *Supplicatio* Oremus. *fol.* 69.

Capitula. Christe Dei virtus,et Dei sapientia,quem omnis creatura præconans laudem annuntiat ; et omnis Ecclesia venisse te jam prædicat, atque ad judicium venturum Evangelium prænuntiat : Domine miserere, et parce populi tui delicta ; et tribue nobis in hac,quam aggredimur,parcimonia,abstinentiam ; in nobis actibus tui timoris perseverantiam ; atque in nos cor novum,et spiritum rectum innova : et sicut olim discipulis e cœlis inspirasti Spiritum veritatis ; nobis quoque præsta post hos abstinentiæ dies similiter consequi ; ut mereamur remunerationem tui timoris, quia, te instituente, dicimus.

Pater noster. A malo nos libera. *fol.* 10.

Benedictio. Dominus Jesus Christus qui post resurrectionis suæ diem quaterdenis diebus cum discipulis commoratus est suis, inchoationis vestræ jejunium clemens suscipiat, et cuncta facinora laxando dimittat ; ℟. Amen. Et qui ad discipulos intrare non distulit januis clausis, ipse vos ingredi faciat in regnum suæ beatitudinis : ℟. Amen. Et qui videntibus cunctis ad Cœlos remeans, sedem repetit Deitatis, inlustrari vos jubeat per Spiritum veritatis. ℟. Amen.

Per.

Lauda. Dominus in Cœlo. *fol.* 401.

Oratio. Exaudi nos Deus salutaris noster ; qui es omnium terræ spes : et in virtute tua præpara montes, quos inlustres potentia, virtutumque copia sublimes insignium : tuum est enim, nos celsiora ditare per merita ; per quæ vitæ beatæ scandimus ardua : ut Ecclesia tua in omnibus terræ finibus dilatata, dum fidei petit sublimitatem, spei promereamur quietem et ad charitatis perveniat apicem. ℟. Amen.

Per.

In nomine Domini.

FERIA QUINTA.

Ad Matutinum.

Antiphona. Tu autem susceptor meus es, gloria, mea, et exaltans caput meum. *Psalmus* III.

Oratio. Quamvis Domine. *fol.* 68.

Antiphona 1. Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ. *Psalmus* LXIV.

Oratio. Exaudi nos Deus salutaris noster. *Quære retro in superioribus Vesperis.*

Antiphona 2. Omnis terra adoret te, et psallat tibi. *Psalmus* LXV.

Oratio. Omnis terra adoret te Domine, et tibi psallat vitæ participio incorruptæ : ut sicut sunt

omnia tuo formata opificio, ita cuncta, tuo pariter A subdantur imperio. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Benedicat nos Dominus Deus noster, benedicat nos Deus: et metuant eum omnes fines terræ. *Psalmus* LXVI.

Oratio. Confiteantur tibi omnes populi, Deus, tua qui redempti sunt præmia: et quorum erant ob infidelitatem implenda supplicia; gaudeant tua gratuita salvari se gratia. ℟. Amen.

Per.

℟. Domine ne intendas in delicta populi tui, sed in eos intende P. Qui serviunt tibi in veritate. ℣. Neque volueris perdere, qui pecudum mores habuerunt: sed respicias super eos P. Qui.

In Laudibus.

Antiphona. Averte faciem tuam a peccatis meis; et omnes iniquitates meas dele. *Psalmus* L.

Oratio. Averte faciem, *fol.* 68.

Ad Canticum. Antiphona. Deus patris nostri Isaac: Domine qui dixisti mihi: Revertere in terram tuam et in locum patris tui, et benefaciam tibi.

Canticum. Deus patris nostri Abraham. *folio.* 101.

Oratio. Domus tuæ dignitas ac sublimitas, tua nobis gratia revelante, patescat; quatenus eam vere, ut cœli portam elevatam sursum, humili intuitu contemplantes, cum omni reverentia veneremur; ac votorum nostrorum in ea tibi ex donis tuis munera offeramus. ℟. Amen.

Per.

Matutinarium. Exortum est in tenebris lumen C rectis corde: P. Misericors, et miserator, et justus Dominus. ℣. Clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: et de necessitatibus liberavit eos Dominus. P. Misericors. ℣. Gloria, et honor. P. Misericors.

407 *Lauda.* In sanctis ejus laudate Dominum Alleluia, alleluia. ℣. In firmamento virtutis ejus laudate Dominum *Psalm.* CL.

Lectio libri Proverbiorum Salomonis (*Cap.* III).

℟. Deo gratias.

Beatus homo, qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia: melior est adquisitio ejus negotiatione argenti, et auri primi fructus ejus: pretiosior est cunctis opibus: et omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextera ejus, et a sinistris illius divitiæ, et gloria. Viæ ejus viæ pulchræ, et semitæ illius pacificæ. Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam: et qui tenuerit D eam, beatus. Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit cœlos prudentia. Sapientia illius eruperunt abyssi, et nubes rore concrescunt. Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis: custodi legem meam, atque consilium meum: et erit vita animæ tuæ, et gratia faucibus tuis: tunc ambulabis fiducialiter in via tua, et pes tuus non impinget: si dormieris, non timebis: quiesces, et suavis erit somnus tuus. Ne paveas repentino terrore, et inruentes tibi potentias impiorum. Dominus enim erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum ne capiaris a malo. ℟. Amen.

Hymnus. Benignitatis *fol.* 69. *Capitula.* Descendat Domine. *Lauda.* Dominus in Cœlo. 399.

Ad Tertiam.

Lectio libri Ecclesiastici (*Cap.* VI).

℟. Deo gratias.

Fili a juventute excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam. Quasi is qui arat, et seminat, accede ad illam, et sustinebitis fructus ejus: in opere enim ipsius exiguum laborabis, et cito edere de generatione illius. ℟. Amen.

Lectio libri Numeri (*Cap.* XV).

℟. Deo gratias.

In illis diebus Core filius Gessar, filii Caath, filii Levi, et Dathan atque Abiron filii Eliab, Hon quoque filius Pheleth de filiis Ruben, surrexerunt con- B tra Moysen, alii quoque filiorum Israel ducenti quinquaginta proceres synagogæ, et qui tempore concilii per nomina vocabantur. Cumque stetissent adversus Moysen et Aaron, dixerunt: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus: Cur elevamini super populum Domini? Quod cum audisset Moyses, cecidit pronus in faciem suam: locutusque est ad Core, et ad omnem multitudinem: Mane, inquit, notum faciet Dominus qui ad se pertinent, et sanctos applicabit sibi: et quos elegerit, appropinquabunt ei. Hoc igitur facite: Tollet unusquisque thuribula sua, tu Core, et omne concilium tuum: et hausto cras igne, ponite desuper tymiama coram Domino: et quemcumque elegerit, ipse erit sanctus: multum erigimini filii Levi. Dixitque rursum ad Core: Audite filii Levi: Num parum vobis est, quod separavit vos Dominus Deus Israel ab omni populo, et junxit sibi, ut serviretis ei in cultu tabernaculi, et staretis coram frequentia populi, et ministraretis ei? idcirco ad se fecit accedere te et omnes filios tuos filios Levi, ut vobis etiam sacerdotium vendicetis, et omnis globus tuus stet coram Domino? quid est enim Aaron, ut murmuretis contra eum? Misit ergo Moyses ut vocaret Dathan et Abiron filios Eliab. Qui responderunt: Non ibimus: numquid parum est tibi quod eduxisti nos de terra quæ lacte et melle manabat, ut occideres in deserto, nisi et dominatus fueris nostri? Revera induxisti nos in terram, quæ fluit rivis lactis et mellis, et dedisti nobis possessiones agrorum et vinearum: an oculos nostros vis auferre? non ibimus. Iratusque Moyses valde, ait ad Dominum: Ne respicias ad sacrificia eorum: tu scis quod ne asellum quidem unquam acceperim ab eis, nec affiixerim quempiam eorum Dixitque ad Core: Tu, et omnis congregatio tua state seorsum coram Domino, et Aaron die crastino separatim. Tollite singuli thuribula vestra, et ponite super ea incensum, offerentes Domino ducenta quinquaginta thuribula: Aaron quoque teneat thuribulum suum. Quod cum fecissent, stantibus Moyse et Aaron, et coacervassent adversus eos omnem multitudinem ad ostium tabernaculi, apparuit cunctis gloria Domini. Locutusque Dominus ad Moysen et Aaron, ait; Separabimini de medio congregationis hujus, ut

eos repente disperdam. Qui ceciderunt proni in terra A in faciem suam, atque dixerunt : Fortissime Deus spirituum universæ carnis, num uno peccante, contra omnes tua ira desæviet? Et ait Dominus ac Moysen : Præcipe uiverso populo ut separetur a tabernaculo Core, et Dathan et Abiron. Surrexitque Moyses, et abiit ad Dathan et Abiron : et sequentibus **408** eum senioribus Israel, dixit ad turbam : Recedite a tabernaculo impiorum, et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum. Cumque recessissent, a tentoriis eorum per circuitum, Dathan et Abiron egressi stabant in introitu papiliorum suorum, cum uxoribus et liberis omnique frequentia. Et ait Moyses : In hoc scietis, quod Dominus misit me ut facerem universa quæ cernitis et non ex proprio ea corde meo protulerimus : Si B consueta hominum morte interierint, et visitaverit eos plaga, qua et cæteri visitari solent, non misit me Dominus : sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos et omnia quæ ad eos pertinent, descenderentque viventes in infernum, scietis quod blasphemaverunt Dominum. Confestim igitur ut cessavit loqui Moyses disrupta est terra sub pedibus eorum : et aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis, et universa substantia, descenderuntque vivi in infernum operti humo, et perierunt de medio multitudinis. At vero omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit a clamore pereuntium, dicens : Ne forte et nos terra deglutiat. Sed et ignis egressus a Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incen- C sum. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Præcipe Eleazaro filio Aaron sacerdoti ut tollat thuribula quæ jacent in incendio, et ignem huc illucque dispergat : quoniam sanctificata sunt in mortibus peccatorum : producatque ea in laminas, et affigat altari, eo quod oblatum sit in eis incensum Domino, et sanctificata sunt, ut cernant ea pro signo et monumento filii Israel. Tulit ergo Eleazar sacerdos thuribula ærea, in quibus obtulerant hi quos incendium devoravit, et produxit ea in laminas, affigens altari : ut haberent postea filii Israel, quibus commeminerint, ne quis accedat alienigena et qui non est de semine Aaron, ne patiatur sicut et passus est Core et omnis congregatio ejus, loquente Domino ad Moysem. Murmuravit autem omnis multitudo D filiorum Israel sequenti die contra Moysen et Aaron, dicens : Vos interfecistis populum Domini. Cumque oriretur seditio, et tumultus increscaret, Moyses et Aaron fugierunt ad tabernaculum fœderis. Quod, postquam ingressi sunt, operuit nubes, et apparuit gloria Domini. Dixitque Dominus ad Moysen : Recedite de medio hujus multitudinis, etiam nunc delebo eos. Cumque jacerent in terra, dixit Moyses ad Aaron : Tolle thuribulum, et hausto igne de altari, offeres incensum desuper, pergens cito ad populum ut roges pro eis : jam enim egressa est ira a Domino, et plaga desævit. Quod cum fecisset Aaron, et cucurrisset ad medium multitudinis, quam jam vastabat incendium, obtulit thymiama : et stans inter mortuos ac viventes pro populo deprecatus est, et cessavit ira Domini ab Israel. ℟. Amen.

Lectio libri Ezechielis Prophetæ (*Cap.* XXXIX).

℟. Deo gratias,

Hæc dicit Dominus : Ponam gloriam meam in gentibus : et videbunt omnes gentes judicium meum, quod fecerim ; et manum meam, quam extenderim super eos. Et sciet domus Israel, quia ego sum Dominus Deus eorum, a die illa et deinceps. Et scient gentes quoniam in iniquitate sua capta sit domus Israel, eo quod dereliquerint me, et absconderim faciem meam ab eis : et absconderim eos in manus hostium, et ceciderint in gladio universi. Juxta immunditiam eorum et scelus feci eis, et absconderim faciem meam ab illis. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Nunc reducam captivitatem Jacob, et miserebor omnis Israel : et adsumam zelum pro nomine sancto meo. Et portabunt confusionem suam, et omnem prævaricationem, qua prævaricati sunt in me, cum habitaverint in terram suam confidenter neminem formidantes : et reduxero eos de populis, et congregavero eos de terris inimicorum suorum, et sanctificatus fuero in eis, in oculis gentium plurimarum. Et scient quia ego Dominus Deus eorum, eo quod transtulerim eos in nationes, et congregaverim eos in terram suam, et non dereliquerim quemquam ex eis ibi. Et non abscondam ultra faciem meam ab eis, eo quod effunderim Spiritum meum super omnem domum Israel, ait Dominus Deus. ℟. Amen.

Lectio libri Actuum Apostolorum (*Cap.* XV).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Surrexerunt quidam de hæresibus Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes : Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi. Conveneruntque Apostoli, et seniores videre verbum hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos : Viri fratres, **409** vos scitis quoniam ab antiquis diebus in nobis elegit Deus per os meum audire Gentes verbum Evangelii, et credere. Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut et nobis, et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Dominum, imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? sed per gratiam Domini Jesu credimus salvari, quemadmodum et illi. Tacuit autem omnis multitudo : et audiebant Barnabam, et Paulum narrantes quanta fecisset Deus signa, et prodigia in Gentibus per eos : Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus, dicens : Viri fratres, audite me. Simon narravit quemadmodum Deus visitavit sumere ex Gentibus populum nomini suo. Et huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est : Post hæc revertar, et reædificabo tabernaculum David, quod cecidit : et diruta ejus reædificabo, et erigam illud : ut requirant cæ-

teri homines Deum, et omnes gentes super quas A
invocatum est nomen meum. ℟. Amen.

Antiphona 1. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion : non commovebitur in æternum. *Psalmus* CXXIV.

Oratio. Concede nobis, Domine, sic in te firmiter confidere; ne possit nos turbo inimici commovere: in montem Sion fidem nostram statue; et in circuitu populi jugiter adesse dignare; ne redemptorum numerositas concupiscat ad iniquitatem manus extendere : ac sic mundi delectamenta respuant; ut obligationes noxias tua in virtute disrumpant; tuamque bonitatem sacra donatione suscipiant. ℟. Amen. Per.

Antiphona 2. Dominus virtutem populo suo dabit: et benedicet plebem suam in pace. Psalmus B
XXVIII.

Oratio. Deus cujus filii, id est, Angeli, gloriam offerunt; cui omnes Sancti honorem laudemque depromunt: te adoramus subjecti; te humiles deprecamur : Suscipe Domine fidelia vota mentis ; et compesce superbiam carnis : accepta preces servorum tuorum ; eisque consortium tribue Angelorum: ut cujus vox intonuit in virtute, et refulsit in magnificentia; de cordis interioribus ignorantiæ tenebras removeas : et scientiæ lumen, per quod te contemplare mereamur, propitius accendas. ℟. Amen. Per.

Antiphona 3. Simul in unum dives et pauper. *Psalmus* XIVLII.

℟. Miserere, et parce nobis Domine, qui pietatem plus diligis, quam judicium requiris : et ideo C
dissimulas a peccatis ; P. Ut habeas quibus miserearis. ℣. Confusio et obprobrium facti sumus omnibus, qui colebant te. Ne, quæsumus, tradas nos in perpetuum, neque auferas a nobis misericordiam tuam. P. Ut habeas.

Preces. Dicamus omnes preces nostras : Domine placatus adtende ; P. Et in misericordia furorem remove. ℣. Benignus ea, quæ rogaris concede, et postulationem nostram ; P. Et in. ℣. Deus noster, aperi oculos tuos, et vide mala, quæ nos comprimunt : P. Et in. ℣. Indulgentiam peccatorum nostrorum concede, et lachrymas pœnitentium ; P. Et in.

Oratio. Audiant simul te, Domine, omnes gentes; et dives ac pauper aurem tibi cordis accommodent: D
ibique omnium ad fidem præparetur auditio, quo salvandis promittitur gratiæ plenitudo.

Pater noster. A malo nos libera. *fol.* 10.

Benedictio. Quære in Tertia, quæ dicitur per totum annum.

Ad Sextam.

Lectio libri Ezechielis Prophetæ (*Cap.* XXXIV.)

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Salvabo gregem meum, et non erit ultra in rapinam, et judicabo inter pecus, et pecus. Et faciam cum eis pactum pacis, et cessare faciam bestias pessimas de terra : et qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus. Et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem : et deducam imbrem in tempore suo : pluviæ benedictionis erunt. Et dabit lignum agri fructum suum, et terra dabit germen suum, et erunt in terra sua absque pavore : et scient quia ego Dominus, cum contrivero catenas jugi eorum, et eruero eos de manu imperantium sibi. Et non erunt ultra in rapinam gentibus, neque bestiæ terræ devorabunt eos : sed habitabunt confidenter absque ullo terrore. Et suscitabo eis germen nominatum : et non erunt ultra imminuti fame in terra, neque portabunt ultra obprobrium gentium. Et scient quia ego Dominus Deus eorum ero cum eis, et ipsi populus meus domus Israel : ait Dominus Deus. Vos autem greges mei, pascuæ meæ **410** homines estis : et ego Dominus Deus vester. ℟. Amen.

Antiphona 1. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus. Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Psalmus* CXXIII.

Oratio. Esto in nobis. *fol.* 78.

Antiphona 2. Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in austro. *Psalmus* CXXV.

Oratio. Convertere Domine captivitatem. *fol.* 78.

Antiphona 3. Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. *Psalm.* CXXVII.

℟. Miserere nobis Domine : P. Miserere nobis. ℣. Ad te levamus oculos nostros, qui habitas in cœlis; P. Miserere.

Preces. Dicamus omnes : Parce Domine, et miserere : P. Quia pius es. ℣. Ad te levamus oculos nostros, qui habitas in cœlis ; P. Quia pius es. ℣. Salvum fac Domine, populum tuum, et benedic hereditatem tuam ; P. Quia. ℣. Avertatur furor tuus a civitate ista, et a populo tuo ; P. Quia. ℣. Averte faciem tuam a peccatis nostris : et omnes iniquitates nostras dele ; P. Quia.

Oratio. Deus, qui timentes. *fol.* 79.

Benedictio dicatur de Sexta, quæ dicitur per totum annum.

Ad Nonam.

Prophetia. Fili, habe fiduciam. *fol.* 95.

Lectio libri Deuteronomii (*Cap.* X).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere ad omnem cœtum filiorum Israel, et dices ad eos : Audi Israel : quid Dominus Deus petit a te, nisi ut timeas Dominum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, et in tota anima tua; custodiasque mandata Domini, et cærimonias ejus, quas ego hodie præcipio, ut bene sit tibi? En Domini Dei tui cœlum est, et cœlum cœli, terraque, et omnia quæ in eis sunt : et tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, et amavit eos, et elegit semen eorum post eos, id est, vos de cunctis gentibus, sicut hodie comprobatur. Circumcidite igitur præputia cordis vestri, ut cervicem vestram ne induretis amplius : quia Dominus Deus vester, ipse est Deus deorum, et Dominus dominantium, Deus magnus et potens,

et terribilis, qui personam non accipit, nec munera. A Facit judicium pupillo et viduæ, amat peregrinum, et dat ei victum atque vestitum : et vos vero amate peregrinos, quia et ipsi fuistis advenæ in terra Ægypti. Dominum Deum tuum timebis, et ipsi soli servies : ipsi adhærebis, jurabisque in nomine illius. Ipse est laus tua, et Deus tuus, qui fecit tibi magnalia et terribilia, quæ viderunt oculi tui. In septuaginta animabus descenderunt patres vestri in terra Ægypti : et ecce nunc multiplicavit te Dominus Deus tuus sicut astra cœli. (*Cap.* XI.) Ama itaque Dominum Deum tuum, et observa præcepta ejus et cærimonias, judicia atque mandata, omni tempore. ℟. Amen.

Lectio libri Ezechielis Prophetæ (*Cap.* XI).

℟. Deo gratias.

Factum est verbum Domini ad me, dicens : B Fili hominis, fratres tui, viri propinqui tui, et omnis domus Israel, universi, quibus dixerunt habitatores Hierusalem : Longe recedite a Domino, nobis data est terra in possessionem. Propterea hæc dicit Dominus Deus, quia longe feci eos in gentibus, et quia dispersi eos in terris : ero eis in sanctificationem modicam in terris, ad quas venerunt. Propterea loquere : Hæc dicit Dominus Deus : Congregabo vos de populis, et adunabo vos de terris, in quibus dispersi estis, daboque vobis humum Israel. Et ingredietur illuc, et auferam omnes offensiones, cunctasque abominationes de illo. Et dabo eis cor novum et spiritum rectum tribuam in visceribus eorum : et auferam cor lapideum de carne eorum, et C dabo eis cor carneum : ut in præceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant, faciantque ea : et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum. ℟. Amen.

Lectio libri Actuum Apostolorum (*Cap.* VIII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Cum audissent Apostoli, qui erant in Hierosolymis, quia recepit Samaria verbum Dei, miserunt ad illos Petrum et Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum : Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum. Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, di- D cens : Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum : **411** Pecunia tua tecum sit in perditionem : quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto : cor enim tuum non est rectum coram Domino. Pœnitentiam, inquit, age ab hac nequitia tua : et roga Dominum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse. Respondens autem Simon dixit : Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum, quæ dixistis. Et illi quidem testificati et locuti verbum Dei, rediebant ad Hierusalem, et multis regionibus Samaritanorum evangelizabant Dominum Jesum Christum. ℟. Amen.

Antiphona 1. Suscipiant montes pacem populo tuo, et colles justitiam tuam. *Psalmus* LXXI.

Oratio. Suscipiant montes pacem populo tuo : qui primordiali radio inlustrati sunt fidei : ut de sublimitate Sanctorum descendat justitia collium ; et pusilli cum magnis culmen perfectorum subeant meritorum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Nobis adhærere Deo bonum est : ponere in Domino spem nostram. *Psalmus* LXXII.

Oratio. Nobis adhærere tibi Deo bonum est : sed tu desiderium boni sic in nobis adcumula ; ut spes, quæ nos tibi adsociat, nulla fidei titubatione vacillet, sed charitatis stabilitate perduret. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Quam bonus Deus Israel eis, qui recto sunt corde ! *Psalmus* LXXII.

Preces. Ad te pie exclamamus Deus : superant nos pessima flagella ; Miserere. *P.* Finis noster adest : succurre Christe. ℣. Bone pastor moriens, protege oves tuas : a malo defende ; Miserere. *P.* Finis. ℣. Iram tuam a nobis repelle : plebem tuam a malo defende ; Miserere. *P.* Finis. ℣. Luctum nostrum in gaudium verte : plebem tuam a malo defende ; Miserere. *P.* Finis. ℣. Miserere plebi tuæ Christe : consolare nos pro quo sumus tristes ; Miserere. *P.* Finis.

Oratio. Domine Deus Israel, te rogamus, te petimus ; ut bonitatem tuam, quam rectis corde profusius tribuis, peccatoribus nobis ob conversationem non deneges : ut ipsa qua regis humiles, per ipsam sibi subditos efficias contumaces : et ea ipsa bonitas, per quam indesinenter justos coronas, sit jugiter interventrix pro nobis, ut peccatoribus parcas : ut de bonitate, in qua Sancti exultant lætantes ; de eadem se tibi restitui gaudeant oberrantes quosque sæcularis inlecebra per diversarum contagia rerum a te facit recedere ; eosdem syncera confessio tibi faciat adhærere ; atque in laudem tui imponsione supplici, mentis unanimitate clamitantes, vota persolvere.

Pater noster. A malo nos libera, *fol.* 10.

Benedictio dicatur, ut in Nona, quæ dicitur per totum annum.

Ad Vesperum.

Lauda. Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo ?

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Disrumpe vincula peccatorum : sacrificemus tibi hostiam laudis. *Psalmus* CXV.

Lauda. Tu mandasti P. Mandata tua custodiri nimis Deus meus. ℣. Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas. *P.* Mandata. ℣. Gloria, et honor. *P.* Mandata.

Hymnus. Benignitatis fons. *fol.* 69. *Supplicatio.*

Oremus. *Capitula.* Christe Dei virtus. *Benedictio.* Dominus Jesus. *Lauda.* Dominus in cœlo paravit. *fol.* 400. *Oratio.* Christe Jesu. *Quære infra in Matutinis sequentibus.*

FERIA SEXTA.

Ad Matutinum.

Antiphona, et Psalmus 3, *ut in quinta Feria fol.* 406. *Oratio.* Quamvis Domine. *fol.* 68.

Antiphona 1. Fiat Domine misericordia tua super nos : sicut speravimus in te. P*salmus* XXXII. *Oratio.* Fiat misericordia tua Domine. *folio* 401.

Antiphona 2. Omnes gentes plaudite manibus : jubilate Deo in voce exsultationis. P*salmus* XLVI.

Oratio. Christe Jesu, terribilis Deus noster et rex noster, cujus in nativitate cum pastoribus Angeli gloriam detulerunt, cui, devicto mortis auctore, omnes gentes manibus cordibusque plauserunt; quem trophæa victricia reportantem ad æthæra, Apostolorum est fides prosecuta : fac nos redemptionis nostræ, et Ascensionis tuæ mysteria fidei jubilatione **412** cantare; et cum principibus populi, Deo Abraham fideli famulatu placere. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Ponite corda vestra in virtute Domini : ut enarretis in progenie altera. P*salmus* XLVII.

Oratio. Magnifice Domine dilata exsultationes universæ terræ : ut diffusa in omnibus fides, mundum repleat; et juxta magnitudinis tuæ nomen, tuam nostris vocibus magnifices laudem. Amen.

℟. Per misericordiam.

℟. Benefaciat nobis Deus, et liberet nos ab omnibus malis; P. Et donet pacem in diebus nostris : ℣. Inluminet vultum suum super nos et misereatur nobis. P. Et donet.

In Laudibus.

Antiphona. Averte faciem. *Psalmus* L. *Oratio.* Averte faciem tuam. *fol.* 68.

Ad Canticum. Antiphona. Deus Omnipotens benedicat nobis, et crescere nos faciat in turmas populorum.

Canticum. Ecce odor. *Oratio.* Tuam Deus Omnipotens. *fol.* 161.

Matutinarium. In tuo Deus lumine. P. Videbimus lumen. ℣. Ostende misericordiam tuam scientibus te : et justitiam tuam his, qui recto sunt corde. P. Videbimus lumen.

Lauda. In sanctis ejus laudate Dominum : Alleluia, alleluia. P. In firmamento virtutis ejus laudate Dominum. P*salmus* CL.

Lectio libri proverbiorum (*Cap.* IV).

℟. Deo gratias.

Fili, Principium sapientiæ, posside sapientiam, et in omni possessione tua acquire sapientiam : arripe illam, et exaltabit te : glorificaberis ab illa, cum fueris amplexatus : dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et corona Domini inclyta proteget te. Audi fili mi, et suscipe verba mea, ut multiplicentur anni vitæ tuæ. Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te

A per semitas æquitatis : quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum. Tene disciplinam, ne dimittas eam : custodi illam, quia ipsa vita tua. Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. Fuge ab ea, ne transeas per illam : declina, et desere eam : non enim dormiunt nisi male fecerint : nec capietur somnus ab eis nisi supplantaverint. Comedunt panem impietatis, et vinum iniquitatis bibunt. Justorum autem semita, lux splendens, procedit et crescit usque in perfectum diem. ℟. Amen.

Hymnus. Benignitatis fons. *fol.* 69. *Capitula.* Descendat Domine ad nos. *Lauda.* Dominus in cœlo paravit sedem suam. *Et Benedictio fol.* 400.

B *Ad Tertiam.*

P*rophetia.* Fili, Custodi sermones. *fol.* 96.

Lectio libri Numeri Cap. XXVII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Locutus est Dominus ad Moysen dicens : Ascende ad montem istum Abarim, et contemplare inde terram, quam daturus sum filiis Israel : cumque videris eam, ibis ad populum tu, sicut ivit et frater tuus Aaron : quia offendisti me in deserto Sin in contradictione multitudinis, nec sanctificare voluistis coram eis super aquis. Hæ sunt aquæ contradictionis in Cades in deserto Sin. Cui respondit Moyses : Provideat Dominus spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc : et possit exire et intrare ante eos, et educere
C illos vel introducere : ne sit populus Domini absque pastore. Dixitque Dominus ad eum : Tolle Josue filium Nun, virum in quo est spiritus, et pone manum tuam super eum. Qui stabit coram Eleazaro sacerdote et omni multitudine : et dabis ei præcepta cunctis videntibus, et partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel. Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum. Ad verbum ejus ingredietur et egredietur ipse, et omnes filii Israel cum eo, et cætera multitudo. Fecit Moyses ut præceperat Dominus. Cum attulisset Josue, statuit eum coram Eleazaro sacerdote, et omni frequentia populi. Et impositis capiti ejus manibus, cuncta replicavit quæ mandaverat Dominus. ℟. Amen.

D *Lectio libri Ezechielis* P*rophetæ* (*Cap.* IX).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Iniquitas domus Israel et Juda, magna est nimis valde, et repleta terra est sanguinibus, et civitas repleta est aversione : dixerunt enim : Dereliquit Dominus terram, et Dominus non videt. Igitur et meus non parcet oculus, neque miserebor : viam eorum super caput eorum reddam. Et ecce vir, qui indutus erat lineis, qui habebat atramentarium in dorso suo, respondit verbo, dicens : Feci sicut præcepisti **413** mihi (*Cap* X). Et vidi, et ecce in firmamento, quod erat super caput Cherubim, quasi lapis sapphirus, et quasi species similitudinis solii apparuit super eum. Et dixit ad

virum, qui indutus erat lineis, et ait : Sume ignem A de medio rotarum, quæ sunt inter Cherubim : et ingressus vidi, et ecce quatuor rotæ juxta Cherubim : rota una juxta Cherubim in unum, et rota alia juxta Cherubim in unum : species autem rotarum quasi visio lapidis chrysolithi. Stantibus illis, stabant : et cum elevatis elevabantur : spiritus enim vitæ erat in eis. Et egressa est gloria Domini a limine templi : et stetit super Cherubim. Et elevavit me spiritus, et introduxit me ad portas Domini ad Orientem, qui respicit a solis ortu : Et ascendit gloria Domini de medio civitatis, stetitque super montem, qui est ad Orientem urbis, et gloria Dei Israel erat super eum. ℟. Amen.

Lectio libri Actuum Apostolorum (*Cap.* XIII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Erant in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ, et doctores, in quibus Barnabas, et Simon, qui vocatur Niger, et Lucius Cyrenensis, et Manahen, qui erat Herodis tetrarchæ collactaneus, et Saulus. Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit Spiritus : Separate mihi Barnabam, et Paulum in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes et orantes, imposuerunt illis manus, dimiseruntque illos. Et ipsi quidem missi a Spiritu sancto abierunt Seleuciam ; et inde navigabant Cyprum. Et cum venissent Salaminam, prædicabant verbum Domini in synagogis Judæorum. Habebant autem et Joannem in ministerio. Et cum perambulassent universam insulam usque Paphum, invenerunt virum quemdam magnum pseudo-prophetam, Judæum, cui nomen erat Barjesu, qui erat cum consule Sergio Paulo viro prudente. Hic, accersitis Barnaba et Paulo, desiderabat audire verbum Dei. Resistebat autem ille Elymas magus (sic interpretatur nomen ejus) quærens avertere Proconsulem a fide. Saulus autem, qui et Paulus, repletus Spiritu sancto, intuens eum, dixit : O plene omni dolo, et fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, et non desinis subvertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, et eris cæcus : non videbis solem usque ad tempus. Et confestim cecidit super eum caligo, et tenebræ, et circuiens quærebat qui ei manum daret. Tunc Proconsul cum vidisset factum, credidit admirans super doctrinam Domini. ℟. Amen.

Antiphona 1. Adjuva nos Deus salutaris noster : et propter honorem nominis tui Domine libera nos : et propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum. *Psalmus* LXXVIII.

Oratio. Propitius esto peccatis nostris Domine ; et propter honorem nominis tui perfecta nos recrea libertate : ne, dum nostro peccatorum elogio adterimur, in obprobrium gentium redigamur : Ergo ut nos veritate non punias pœnæ ; causam nobis scelerum ablue : atque in conspectu tuo gemitus compeditorum introeat : de occulto tuo in manifesto nostro gratia indulta procedat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Memento congregationis tuæ, Domine, quam creasti ab initio. *Psalm.* LXXIII.

Oratio. Memento Domine congregationis. *folio* 75.

Antiphona 3. Confitebimur tibi Deus : confitebimur tibi, et invocabimus nomen tuum Domine. *Psalmus* LXXIV.

℟. Filii Sion convertimini ab omnibus iniquitatibus vestris, et jam non erit in vobis sterilitas et angustia. Facite vobis cor novum, et spiritum rectum : *P.* Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus, donec revertatur, et vivat. ℣. Convertimini, et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. *P.* Quia nolo.

Preces. Christe Redemptor pius animarum, exaudi gemitus flentium ; *P.* Et miserere. ℣. Ne derelinquas B plebem supplicantem ; exaudi precem et respice : quæ postulamus adtribue ; *P.* et miserere. ℣. Parce, rogamus : parce tandem fessis ; memor es nostri : lætifica ; diffusam vitam jam revoca ; *P.* Et miserere. ℣. Salvator noster, intuere terram : cœlestem largire pluviam : et victum nobis parturiat gratia tua ; *P.* Et miserere. ℣. Indulge nostrum facinus horrendum, quo te offenso defecimus : dimitte nobis hoc debitum : *P.* Et miserere.

Capitula. Confitebimur tibi Deus, confitebimur tibi peccata atque facinora nostra ; quæ tibi potius sunt cognita, quam probantur admissa : Invocamus itaque nomen tuum, ut in te patefactis tribuas veniam ; qui non statim in abditis vis exercere vindictam : ut qui confessione placaris humilium, remissionem C omnium tribuas delictorum.

Pater noster. **414** A malo nos libera. *fol.* 10.

Benedictio dicatur, ut in Tertia, quæ dicitur per totum annum.

Ad Sextam.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* XXIX).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Obstupescite, et admiramini, fluctuate, et vacillate : et inebriamini, et non a vino : movemini, et non ebrietate. Quoniam miscuit vobis Dominus soporem, et claudet oculos vestros : prophetæ et principes vestri, qui vident visiones, peribunt. Et erit vobis visio omnibus sicut verba libri signati, quem cum dederit scienti litteras, dicitque ei : Lege istud : respondebit : Non possum, signatus est D enim. Et dabitur liber nescienti litteras : diceturque ei : Lege, et respondebit : Nescio litteras. Et dixit Dominus : Eo quod appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis honorificat me, cor autem ejus longe est a me, et timuerunt me mandato hominis et doctrinis : Ideo ecce ego addam admirationem, faciam populo huic miraculo grandi et stupendo : peribit enim sapientia a sapientibus ejus, et intellectus prudentiæ ejus abscondetur. Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium : quorum sunt in tenebris opera, et dicunt : Quis videt nos ? Nonne adhuc modicum, et in brevi convertetur Libanus in cermel, et cermel in saltum reputabitur ? Et audient in die illa surdi verba libri, et de tenebris et caligine

oculi cæcorum videbunt. Et addent mites in Domino lætitiam, et pauperes homines in sancto Israel exultabunt. ℟. Amen.

Antiphona 1. Benefac Domine bonis, et rectis corde. *Psalmus* CXXIV.

Oratio. Benefac Domine bonis. *fol.* 73.

Antiphona. 2. Benedictio Domini super vos: benedicimus vos in nomine Domini. *Psalm.* CXXVIII.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui pro nostræ salutis remedio, impiorum sustinuisti commercia; auxilii tui ope nos protege adversus impugnantium mala: ac, ne dorsum nostrum delicti comprimat sarcina; impone humeris nostris, præceptis evangelicis onera suavia: per quæ peccati fabricam destruas; et compaginibus sacris nos virtutum meritis construas. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. 3. Speret Israel in Domino, ex hoc nunc et usque in sæculum. *Psalmus* CXXX.

℟. Multa sunt peccata nostra Domine: patientiam habe in nobis; *P*. Et miserere servis tuis. ℣. Non secundum peccata nostra facias nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis; *P*. Et miserere.

P*reces*. Dicamus omnes: Domine miserere nobis: P. Esto propitius. ℣. Pie precantes supplices exaudi Christe: P. Esto. ℣. Nostra relaxa crimina: dele peccata: P. Esto. ℣. In omnes gentes, Domine, pacem concede: P. Esto. ℣. Remissionem omnium concede: P. Esto: ℣. O Deus potentissime, clemens succurre: P. Esto.

Oratio. Exalta cornu nostrum. *fol.* 73. *Benedictio dicatur, ut in Sexta, quæ dicitur per totum annum.*

Ad Nonam.

Prophetia. Fili, Habe fiduciam. *fol.* 95.

Lectio libri Levitici (*Cap* XXIII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Loquere filiis Israel. et dices ad eos: Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, et messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ, ad sacerdotem: qui levabit fasciculum coram Domino, ut acceptabilis sit pro vobis, altera die sabbati. Atque in eodem die quo manipulus consecratur, cædatur agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domino. Et libamenta offerantur cum eo, duodecim offæ similæ conspersæ oleo in incensum Domino, odoremque suavissimum: liba quoque vini, quarta pars hin. Panem, et polentam, et pultes non comedetis ex segete, usque ad diem qua offeretis ex ea Domino Deo vestro. Præceptum est enim sempiternum in generationibus, cunctisque habitationibus vestris. Numerabitis ab altera die sabbati, in qua obtulistis manipulos primitiarum, septem hebdomadas plenas, usque ad alterum diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies: et sic offeretis sacrificium novum Domino ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de dua bus decimis similæ fermentatæ: quos coquetis, et offeretis primitias in odorem suavitatis. ℟. Amen.

Lectio libri Ezechielis Prophetæ (*Cap.* XXXV).

℟. Deo gratias.

Factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis pone faciem tuam adversus montem Seir, et prophetabis de eo, dicens illi: Hæc dicit Dominus: Ecce ego ad te mons Seir, et extendam manum meam super te, ad dabo te desolatum atque desertum. Urbes tuas demoliar, et tu desertus eris: **415** et scies quia ego Dominus. Eo quod fueris inimicus sempiternus, et concluseris filios Israel in manus gladii in tempore afflictionis eorum, in tempore iniquitatis extremæ. Propterea vivo ego, dicit Dominus Deus: quoniam sanguini tradam te, et sanguis te persequetur: et cum sanguinem oderis, sanguis persequetur te. Et dabo montem Seir desolatum et desertum: et auferam de eo euntem, et redeuntem. Et implebo montes eorum occisorum suorum: in collibus suis, et in vallibus tuis, atque torrentibus interfecti gladio cadent. In solitudines sempiternas tradam te, et civitates tuæ non habitabuntur: et scietis quia ego sum Dominus Deus. ℟. Amen.

Lectio libri Actuum Apostolorum (*Cap.* XV).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Placuit Apostolis, et senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros, et mittere Antiochiam cum Paulo, et Barnaba, et Silam, viros primos in fratribus, scribentes per manus eorum. APOSTOLI et seniores fratres his, qui sunt Antiochiæ, et Siriæ, et Ciliciæ, fratribus ex Gentibus, salutem. Quoniam quidem audivimus quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus: placuit nobis collectis in unum, eligere viros, et mittere ad vos, cum charissimis nostris Barnaba et Paulo, hominibus, qui tradiderunt animas suas Deo. Misimus ergo Judam, et Silam, qui et ipsi vobis verba referent eadem. Visum enim est Spiritui sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, et sanguine, suffocato, et fornicatione; a quibus custodientes vos, bene agitis. Valete. Illi igitur dimissi, venerunt Antiochiam: et congregata multitudine tradiderunt epistolam. Quam cum legissent, gravisi sunt super consolatione. Judas autem et Silas, et ipsi cum essent Prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres, et confirmaverunt. Facto autem ibi tempore, dimissi sunt cum pace a fratribus, ad eos qui miserant illos. Visum est autem Silæ manere ibi: solus autem Judas abiit. Paulus autem, et Barnabas demorabantur Antiochiæ, docentes, et evangelizantes cum aliis verbum Dei. ℟ Amen.

Antiphona 1. Quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia solus. *Psalmus* LXXVI.

Oratio. Precamur Domine, ne tua nos repellas propitiatione; sed obtinendæ misericordiæ adhuc tempus appone: ut dextera, quæ fuit vindex in ultione facinorum; ipsa sit nobis contritis in remedium sempiternum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphonam 2. Quia tu Domine suavis, et mitis es: et multum misericors invocantibus te. *Psalm.* LXXXV.

Oratio. Miserere Domine, ad te tota die clamentibus; teque in tribulatione invocantibus existe propitius: ut in quibus majestatem tuam adorando laudamus, digne suscipias: et pro quibus te timemus pius ignoscas: Timoris igitur tui obedientia corda nostra lætifica; et consolationis dulcedine dubietatem nostræ mentis conforta: Sed quia tu suavis ac mitis es, suavitatem ex tua indulgentia hauriamus: et in retribuendo pium te mitemque sentiamus. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Præoccupemus faciem Dei in confessione: et in psalmis jubilemus ei. *Ps.* XCIV.

Preces. Averte, Domine, iram furoris tui; *P.* Et miserator parce populo tuo. ℣. Omnium précibus pium auditum præbe; teque rogamus, Sancte, cito concede; *P.* Et miserator. ℣. Tu Christe, flébiles gemitus intuere: vincula mortis solve et vitam largire; P. Et miserator. ℣. Jam vide lachrymas: intellige lugentes: tandem delicta nostra clemens indulge; P. Et miserator. ℣. Nostris auditibus signum salutis pone Angelum: non permittas ultra nocere; P. Et miserator.

Oratio. Præoccupemus faciem tuam, Domine, in confessione, et in psalmis tibi debita modulatione jubilantes, adoramus ac procidimus ante te, ploratu interno et gemitu deprecantes; ut quia tu fecisti nos, et tu es Deus noster; ut quia tu fecisti nos, Dominus protegas, et oves pascuæ tuæ pastor solicitus adtendas: tribuasque his gratiam, pro quibus animam posuisti.

Pater noster. A malo nos libera. *fol.* 10.

Benedictio dicatur, ut in Nona, quæ dicitur per totum annum.

Ad Vesperum.

Lauda. Sol agnovit occasum suum. Posuisti tenebras, est facta et nox.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Reple Deus gaudio os nostrum: et lingua nostra exultatione. *Psalmus.* CXXV.

Lauda. In toto corde meo exquisivi te: P. **416**
Ne repellas me à mandatis tuis. ℣. In corde abscondi eloquia tua: ut non peccem tibi. P. Ne repéllas. ℣. Gloria, et honor. P. Ne repellas.

Hymnus. Benignitatis fons. *folio* 69. *Capitula, et Benedictio, et Lauda. fol.* 406.

Oratio. Liberet nos, Domine, dextera tua; imperioque tuo flecte arrogantium corda: ut Gentes veritatis adventu declarescant, et ostensam salutem cordis humilitate suscipiant. ℟. Amen.

Per misericordiam.

SABBATO.

Ad Matutinum.

Antiphona. Tu es Domine. *Psalmus* III. *Oratio.* Quamvis, Domine, plurima. *fol.* 68.

Antiphona 1. Non repellet Dominus plebem suam;
A et hereditatem suam non derelinquet. *Psalmus* XCIII.

Oratio. Non repellas, Domine plebem, quam mercatus es; nec derelinquas hereditatem, pro qua in Cruce appensus es: sed quousque justitia, nunc occulta, manifesto clareat in judicio, pietate porrecta nos rege: et secundum multitudinem dolorum nostrorum tua nos lætifica exortatione: ut qui dolorem nunc fingis in præcepto, futuro requiem nobis concedas in sæculo. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Bene nuntiate de die in diem salutare ejus. *Psalmus.* XCV.

Oratio. Cantet tibi novum. *fol.* 80.

Antiphona 3. Liberet nos Domine dextera tua, et brachium sanctum tuum. *Psalm.* XCVII.

B *Oratio.* Liberet nos Domine. *Quœre hic supra.*

℟. Habeant, Domine, finem peccata nostra: deleatur iniquitas, et induamur justitia sancta tua; P. Ut lætetur iterum Hierusalem. ℣. Tu exurgens misereberis Sion: quia venit tempus miserendi. P. Ut lætetur.

In Laudibus.

Antiphona. Averte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele. *Psalmus* L.

Oratio. Averte faciem. *fol.* 68.

Ad Canticum Antiphona. Ne extermines.

Canticum. Domine, Domine, Rex *fol.* 105.

Matutinarium. Antiphona. Deus misereatur nobis et benedicat nos: P. Illuminet Dominus vultum super nos. ℣. Ut cognoscamus in terram viam
C tuam, in omnibus gentibus salutare tuum. P. Illuminet.

Lauda. Montes, et omnes colles: ligna fructifera et omnes cedri. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Proverbiorum Salomonis (*Cap.* XVI).

℟. Deo gratias.

Fili: Universa propter semetipsum operatus est Dominus; impium quidem ad diem malum. Abominatio Domini omnis arrogans etiam si manus ad manum fuerit, non erit innocens. Misericordia et veritate redimitur iniquitas: et in timore Domini declinatur a malo. Cum placuerit Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem. Melius est parvum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate. Cor hominis disposuit viam suam:
D sed Domini est dirigere gressus ejus. Divinatio in labiis regis, in judicio non errabit os ejus. Pondus et statera judicia Domini sunt: et opera ejus omnes lapides sancti. Abominabiles regi qui agunt impie: quoniam justitia firmatur solium. Voluntas regum labia justa: qui recta lequitur dirigetur. ℟. Amen.

Hymnus. Benignitatis fons. *fol.* 69. *Capitula.* Descendat, Domine, ad nos. *Lauda.* Dominus in cœlo. paravit. *Benedictio.* Expectantes se. *fol.* 401.

Ad Tertiam

Prophetia. Fili, custodi sermones, *fol.* 96.

Lectio libri Deuteronomii (*Cap.* XXXIII),

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Locutus est Dominus ad Moysen

dicens : Loquere ad omnem cœtum filiorum Israel et dices ad eos : Ego Dominus Deus tuus. Si audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque custodias omnia mandata ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, faciatque te Dominus Deus tuus excelsiorum cunctis gentibus, quæ versantur in terra. Venientque super te universæ benedictiones istæ, et apprehendent te : si tamen præcepta ejus audieris. Benedictus tu in civitate, et benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ, fructusque jumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, et caulæ ovium tuarum. Benedictæ areæ tuæ, et benedictæ reliquiæ tuæ. Benedictus eris egrediens et regrediens. Dabit Dominus inimicos tuos qui surgunt adversum te, corruentes in conspectu tuo : per unam viam venient ad te, per septem fugient a facie tua. Et mittet Dominus benedictionem super cellaria tua, et super omnia opera manuum tuarum : benedicetque tibi in terram quam acceperis. Suscitabit te **417** Dominus sibi in populum sanctum : si custodieris mandata Domini Dei tui, et ambulaveris in viis ejus. Videbuntque omnes terrarum populi quod nomen Domini invocatum sit super te, et timebunt te. Abundare te faciat Dominus omnibus bonis, fructibus terræ tuæ, quam juravit Dominus patribus tuis ut daret eam tibi. Aperiat Dominus thesaurum suum, cœlum, et pluviam tribuat terræ suæ in tempore suo : benedicetque cunctis operibus manuum tuarum. Et fœnerabis gentibus multis, et ipse a nullo fœnus accipies. Constituet te Dominus in caput et non in caudam : et eris supra, et non subter : si audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio, ut bene sit tibi, et possideas terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. ℟. Amen.

Prophetia. Convertimini et agite. *fol* 133.

Lectio Actuum Apostolorum (*Cap*. xx).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Proposuerat Paulus transnavigare Ephesum, nequa illi mora fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecosten faceret Hierosolymis. A Mileto autem mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ. Qui cum venissent ad eum, et simul essent, dixit eis : Vos scitis a prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum degerim per omne tempus, quo fuerim, serviens Deo cum humilitate, et lachrymis, et tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum : quomodo nihil subtraxerim vobis utilium, quominus adnuntiarem vobis, et docerem vos publice, et per domos, testificans Judæis atque Gentibus in Deum pœnitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum. Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Hierusalem ; quæ in ea ventura sunt mihi ignorans : nisi quod Spiritus sanctus per omnes civitates protestetur mihi, dicens : quoniam vincula, et tribulationes manent in Hierosolymis. Sed nihil horum vereor : nec facio animam meam pretiosiorem quam

A me, dummodo consummem cursum meum, et ministerium, quod accepi a Domino Jesu testificari Evangelium gratia Dei. Et nunc ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei. Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi, quominus adnuntiarem omne consilium Dei vobis. Adtendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam adquisivit sanguine suo. ℟. Amen.

Antiphona 1. Præparate vos hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite contristari Spiritum Sanctum. P. Audite hæc, omnes gentes : auribus percipite, qui habitatis

B orbem. *Psal*. XLVIII.

Oratio. Audiant simul te. *fol*. 409.

Antiphona 2. Spiritus Domini Spiritus vitæ est, et benedicta gloria Domini de loco suo. ℣. Verbo Domini cœli firmati sunt : et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. *Psalmus*. XXXII.

Oratio. Domine, qui justorum. *fol*. 403.

Antiphona 3. Mittam in vobis Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille arguet mundum de peccato, et de judicio, et de justitia. *Ps*. XLIX.

℟. Fortissime Deus, Spiritus universæ carnis, numquid omnes in ira tua disperdes ? clemens es, et multæ miserationis. P. Domine, dimitte peccata populi tui. ℣. Dominator Domine, Deus misericors et clemens. P. Domine.

C *Preces*. Dicamus omnes : Misericors Domine.

P. Miserere. ℣. Qui es unus potentia, ejusdemque tuo Genitore substantiæ, P. Miserere. ℣. Qui princeps sacerdotum es, regum rector, populorum Dominus. P. Miserere. ℣. Qui captivis reddis patriam, infirmis opem consolationem mœrentibus. P. Miserere. ℣. Indulgentiam postulamus, concede : pœnitentibus salutem tribue. Miserere.

Supplicatio. Oremus Dei Patris Omnipotentis misericordiam, supplices imploremus ; ut nos gratia Christi sui Domini nostri, et virtus spiritus tui Sancti propitius inlustrare dignetur.

Capitula. Domine Jesu Christe, quem venisse credimus in carnis abjectione humilem, Mundum pereuntem redimere : quemque iterum præstolamur in

D potentia Deitatis venturum, sæculum delinquens terribiliter judicare ; immensam pietatem tuam trementes famuli tui quæsumus, ut, dum veneris, non de peccato nos arguas, sed ineffabili bonitate succurras ; et hic potius humilitatis nostræ confessionem accipias, ut et illic facinora universa indulgeas, et in dexteræ tuæ partem coronandos statuas.

Pater noster. A malo nos libera. *fol*. 10.

Benedictio dicatur, ut in Tertia, quæ dicitur per totum annum. Ad Sextam et Nonam dicatur, ut in sexta Feria, præterita, fol. 411.

IN SANCTUM PENTECOSTEN.

419 *Ad Vesperum.* A

Lauda. Quoniam apud te est fons vitæ: et in lumine tuo videbimus lumen. Ostende misericordiam tuam. P. Scientibus te. ℣. Domine in cœlo misericordia tua: et veritas tua. Multiplicasti misericordias tuas P. Scientibus te.

Dominus sit semper. ℟. Et cum spiritu.

Oratio. Deus, apud quem est fons vitæ; et in cujus lumine aspicimus lumen; enutri, quæsumus, in nos tuæ scientiæ splendorem: quo valeamus ad tui fontis accedere ubertatem: Locos quoque diversarum doctrinarum, contentos fluentis tuis, nobis collige propinandos: ut sitientibus nobis vitalem impertias potum; et caligantibus animabus superne lumen restituas. ℟. Amen.

Per misericordiam. B

Sono. Si diligitis me: mandata mea servate. Et ego rogabo Patrem meum, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum P. Usque in æternum, Alleluia. ℣. Dum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis, ille testimonium perhibebit de me: et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. P. Usque. ℣. Pater, venit hora, ut clarifices Filium tuum, et Filius tuus clarificet te: quia quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et ipsi sint mecum: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi. P. Usque.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Paraclitus Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, quæcumque C dixero vobis. P. Pacem meam do vobis, pacem meam commendo vobis. ℣. Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini. P. Pacem ℣. Gloria, et honor. P. Pacem.

Oratio. Consolare, Jesu, per donum Sancti Spiritus destitutas bonis studiis fidelium mentes; ut affluentium donorum Spiritus ille Paraclitus, quem Patrem in tuo nomine missurum esse testatus es, nos eripiat; qui tecum, et cum Patre indivisa potestatis substantia regnat: ut omnia nos, illo docente, et pacem tuam sequamur idonei, et affectum tuum nunquam relinquamus instructi. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Dum venerit Paraclitus, ille testimonium perhibebit de me: et vos testimonium per- D hibebitis, P. Quia ab initio mecum estis. ℣. Deus deorum Dominus locutus est: et vocavit terram. A solis ortu usque ad occasum: ex Sion species decoris ejus. P. Quia. ℣. Gloria, et honor. P. Quia.

Dominus sit. ℟. Et.

Lauda. Spiritus est Deus: et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate. P. Adorare oportet. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus: et sapientiæ ejus non est numerus. P. Adorare. ℣. Gloria, et honor. P. Adorare

Hymnus.

Sacrate veni Spiritus,
Ore Patris Paraclite:
Pollicitus, qui jam dudum,
Joele vate, editus:

Temporibus novissimis
Implenda, inquit, viscera:
Deo cunctorum placida
Vaticinare insignia.

Quem Deus noster hac die
Perfusum effudit Discipulis;
Ascendens, ut promiserat,
Morte derelicta, ad sedem:

Quos videns cæca, et invida
Judæ plebs, sic fatetur:
Plenosque musto clamitant,
Dum non credunt magnalia.

Quos Petrus constans arguit;
Non, ut putatis, vino sunt
Repleti, sed Spiritu,
De quo Propheta loquitur.

Post hæc recepto plurimi
Verbo, rimantes cordibus,
Auctaque plenitudine,
Christi junguntur agmini.

Mystérium absconditum,
Quondam quod erat Israeli,
Nunc revelatum canitur,
Ostensum in Apostolis.

Hic dies quinquagesimus,
Qui jubilæus traditur:
Solemne nobis gaudium,
Remissionis proprium.

Hymnum dicamus et Patri
Hymnum dicamus Filio,
420 Simul cum Sancto Spiritu,
Intenta voce, et pectore.

Amen.

Supplicatio. Dei Patris omnipotentis misericordiam supplices imploremus; ut nos gratia Christi sui, Domini nostri, et virtute Spiritus Sancti propitius justificare dignetur. ℟. Præsta Æterne, Omnipotens Deus.

Kyrie eleison. ℟. Christe eleison. Kyrie eleison.

Capitula. Fiat super nos, Domine, misericordia tua, et fulgor Spiritus tui interiora nostra inradiet: ut ipse accendat frigidos, et inlustret obscuros, qui tecum semper permanet præclarus, et gloriosus.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 10.

Benedictio. Spiritus Paraclitus, qui olim in Discipulos manifesto ignis est declaratus in munere, ignis sui calore a cunctis vos peccatis emaculet; ℟. Amen. Et qui mœstificatis eorum cordibus clemens Consolator occurrit, magna vos sui instruat gratia sacramenti; ℟. Amen. Quique tunc Apostolos docuit ve-

ritatem, vos et nunc enutriat fide, et post æternam perducat ad requiem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Effundam de Spiritu meo super omnem carnem Alleluia: P. Et prophetabunt filii vestri. Alleluia, alleluia. ℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur: et renovabis faciem terræ. P. Et prophetabunt. ℣. Gloria, et honor. P. Et.

Oratio. O Spiritus Sancte, qui a Patre Filioque procedis, doce nos facere veritatem: ut, qui de Patre Filioque accepisti processionem, invisibili nos his, a quibus tam ineffabiliter procedis, adsocies charitate. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

Ad Matutinum.

Hymnus. Æterne rerum Conditor. *Quære f.* 3.

Oratio. Æternum te, Domine, rerumque omnium Conditorem, cunctorum vox canit fidelium: qui et certos temporum limites figis, et metas, quibus nox secernatur et dies, æterna lege constituis: abyssus etenim sapientiæ tuæ, ut mortalium adlevaret fastidium, aliud labori concessit, aliud quieti servavit. Præsta ergo, Omnipotens Deus, ut mens ægra sopere turbata, dum gallo canente admonetur, alacriter currens ad spem redeat lucis, et primitias divini laboris in tuis semper impendat officiis. ℟. Amen. Per misericordiam.

Super psalmum, Antiphona. Ego dormivi, et resurrexi: quoniam Dominus suscitavit me. *Psalmus* III.

Antiphona. Redde mihi lætitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me Domine. *Psalmus* L.

Antiphona. Misit de cœlo, et liberavit me: dedit in obprobrium conculcantes me. *Psalmus.* LVI.

Oratio. Spiritus Sancte, qui ex Patre Filioque procedis, locupleta nos dono tuo benedictionis: quatenus spiritu principali confirmati, cœlesti emissione mereamur quotidie liberari. Sit ergo super nos bedictio tua: eaque nos semper confirma per ineffabilem potentiam Trinitatis; ut inhabitet in nobis Spiritus Sanctus, innovet Spiritus rectus, confirmet Spiritus principalis, atque unius testimonii sit virtutis: ut confirmatos nos per Patrem, et innovatos per Filium, custoditos nos esse gaudeamus per Spiritum Sanctum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 1. Dominus locutus est discipulis suis: Accipite Spiritum Sanctum. P. In nomine meo dæmonia ejicite: et super infirmos imponite manus vestras, et bene habebunt. ℣. Deus deorum Dominus locutus est: et vocavit terram. A solis ortu usque ad occasum: ex sion species decoris ejus. P. In. ℣. Gloria. P. In.

Oratio. Deus, qui in virtute Spiritus Sancti, et dæmonia ejici, et infirmos posse samari in tuo nomine docuisti: da nobis ita repleri hujus Sancti Spiritus dono, ut ab omnimodo dæmoniorum mereamur eripi tentamento: quatenus per eum a nostris infirmitati-

A bus relevati, bene per illum possimus habere, cum pro nostris operibus bonum perenne perceperimus in munere. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Omnium rerum Creator et Dominus docuit sapientiam. P. Sanctus Spiritus, unicus, simplex, multimodus, subtilis, incoinquinatus, suavis, et charus. ℣. Magnus Dominus noster; et magna virtus ejus: et sapientiæ ejus non est numerus P. Sanctus Spiritus. **421** ℣. Gloria, et honor. P. Sanctus Spiritus.

Oratio. Omnium rerum Creator et Dominus docuit sapientiam, in qua est Sanctus Spiritus, unicus simplex, multimodus, subtilis: ut unus Pater, unus Filius, unus Spiritus Sanctus, non pluritate Deitatis

B ostensi, sed unitate virtutis innexi: et unione personæ careant, et unitate naturæ permaneant: nec sit ille aliquid diversum, ubi in singulis resonat unum: Hac igitur te, Sancta Trinitas, fidei cognitione credentes, poscimus et rogamus, ut manifestatione Spiritus tui ita cor nostrum inradies, ut et carnis opera declinemus, et perfectionum sanctitatis omnimodæ consectemus. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Locutus est Dominus Discipulis suis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittentur eis: et quorum renueritis, detenta erunt. P. Pacem meam do vobis, pacem meam commendo vobis. ℣. Qui emittit eloquium suum terræ; velociter currit sermo ejus. P. Pacem. ℣. Gloria.

C P. Pacem.

Oratio. Christe, Dei Filius, qui Spiritum Sanctum dimitti intra Ecclesiam peccata tibi confitentibus promisisti, cum ligandi et solvendi potestatem tuis, Magister bone, contulisti Discipulis; da nobis, hujus dono copiosius affluere, quo igne ejus, et condensa in nobis exurantur facinora, et pacis tuæ donentur commoda manifesta. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Ecce veniet Spiritus veritatis, qui docebit vos omnem veritatem: Non enim loquetur a semetipso; sed quæcumque audiet, loquetur, P. Et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. ℣. Spiritus veritatis, quem mittet Pater de cœlo, ille vos docebit omnem viam justitiæ. P. Et quæ ventura. ℣. Gloria, et P. Et quæ.

D *Oratio.* O Spiritus Sancte. *fol.* 420.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Propter timorem tuum Domine, in utero accepimus, et parturivimus Spiritum salutis, quem fecisti super terram.

Canticum. De nocte vigilat spiritus meus. *folio* 64.

Oratio. Pone, Domine, Spiritum tuum in nos; ut parturiamus spiritum salutis, quem fecisti super terram; ut, ipso nobiscum in æternum manente, nullis pœnis cruciemur in futuro examine. ℟. Amen.

Per.

Ad Benedictus. Antiphona. Tibi soli Deo honor, et gloria, virtus, et potestas in sæcula sæculorum.

Canticum. Benedictus es Domine Deus patrum. A *fol.* 6.

Sono. Effundam, dicit Dominus, de Spiritu meo, *P*. Super omnem carnem : Alleluia. ℣. Prophetabunt filii vestri, et filiæ. Et omnis qui invocaverit Dominum, salvabitur. *P*. Super omnem.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Alleluia. Laudate Dominum de cœlis Alleluia : laudate eum in excelsis. Alleluia, alleluia. ℣. Laudate eum omnes Angeli ejus ; laudate eum omnes virtutes ejus. Alleluia, alleluia, alleluia. P*salmus* CXLVIII.

Lectio libri Jœlis Prophetæ (*Cap.* II).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Noli timere terra, exulta et B lætare : quoniam magnificavit Dominus ut faceret. Nolite timere animalia regionis : quia germinaverunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, et ficus et vinea dederunt virtutem suam. Et filiæ Sion exultare, et lætamini in Domino Deo vestro : quia dedit vobis doctorem justitiæ, et descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum, in principio. Et implebuntur areæ vestræ fumento, et redundabunt torcularia vino et oleo. Et comedetis vescentes, et saturabimini : et laudabitis nomen Dei nostri, qui fecit vobiscum mirabilia : et non confundetur populus meus in æternum. Et scietis quia ego in medio Israelis solus. Noli timere ; sed exulta et lætare, cum magnificavit Dominus, ut faceret : et ego Dominus Deus vester, et non est alius : et C non confundetur populus meus in æternum. Et erit post hæc : Effundam Spiritum meum super terram : et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ : senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt. Sed et super servos meos et ancillas meas in diebus illis effundam Spiritum meum. Et dabo prodigia in cœlo sursum, et signa in terra deorsum, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi. Sol vertetur in tenebras, et luna in sanguinem : antequam veniat dies Domini magnus et terribilis. Et omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit. ℟. Amen.

422 *Hymnus.*

Beata nobis gaudia
Anni reduxit orbita,
Cum Spiritus Paraclytus
Effulsit in Discipulos.

Ignis, vibrante lumine,
Linguæ figuram detulit ;
Verbis ut essent proflui,
Et charitate fervidi.

Linguis loquuntur omnium :
Turbæ pavent Gentilium :
Musto madere deputant,
Quos Spiritus repleverat.

Patrata sunt hæc mystice,
Paschæ peracto tempore ;
Sacro dierum numero,
Quo lege fit remissio.

Te nunc Deus piissime,
Vultu precamur cernui,
Inlapsa nobis cælitus
Largire dona Spiritus.

Dudum sacrata pectora
Tua replesti gratia ;
Dimitte nunc peccamina,
Et da quieta tempora

Anni peractis mensibus,
Tanta recurrunt gaudia ;
Votisque dudum credulis
Optatus advenit dies ;

In quo Spiritus Domini
Terram replevit gaudiis :
Cœlestis adventus sui
Mundo decurrunt lumina.

Quod est probatum testibus ;
Apostolorum vocibus ;
Cum sint diversis oribus
Vanis locuti gentibus.

Tanto redempti munere,
Patris, et Nati Spiritui
Juges agamus gratias,
Deo perenni in sæcula.

Gloria tibi Trinitas
Æqualis una Deitas,
Et ante cuncta sæcula,
Et nunc, et in perpetuum.

Amen.

Supplicatio. Oremus Dei Patris. *Quære folio* 417.

Capitula. Domine Jesu Christe, infunde Spiritum Sanctum promissum Patris in nos, qui vivificet, et doceat nos plenitudinem veritatis in mysterio beatæ et individuæ Trinitatis : ut in ejus dono sit perfectio nostræ salutis, in quo omnis consistit summa virtutis.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Effundam de Spiritu meo. *Benedictio.* Spiritus Paraclytus. *fol.* 420.

In nomine Domini.

Exeunte Vespera in diem Sanctum Pentecostem.

Lauda. Quoniam apud te est fons vitæ. *Sono.* Si diligitis me, mandata mea. *fol.* 419.

Antiphona. Spiritus veritatis, quem mittet Pater de cœlo, *P*. Ille vos docebit omnem viam justitiæ. ℣. Verbo Domini cœli firmati sunt : spiritu oris ejus D omnis virtus eorum. *P*. Ille. ℣. Gloria. *P*. Ille.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda 1. Dum complerentur dies Pentecostes erant omnes Apostoli simul in unum : *P*. Et factus est de cœlo sonus, tamquam Spiritus validi advenientis. Alleluia. ℣. Sit gloria Domini in sæculum sæculi : lætabitur Dominus in operibus suis. P. Et factus. ℣. Gloria. *P*. Et factus.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. 2. Alleluia. Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui variis linguis, sicut Spiritus dabat pronuntiare eis. Alleluia. ℣. Beata gens, cujus Dominus, Deus ejus ; populus, quem elegit

Dominus in hereditatem sibi. *P.* Et cœperunt. ℣. A Gloria. *P.* Et.

Dominus. ℟. Et cum.

Lauda 3. Spiritum tuum dedisti eis, Domine, qui doceret eos : et Manna non privasti ab ore eorum. *P.* Et aquam dedisti eis in siti. Alleluia. ℣. Domine virtutum converte nos : et ostende faciem tuam, et salvi erimus. *P.* Et aquam. ℣. Gloria. *P.* Et aquam.

Hymnus. Beata nobis gaudia. *ut supra.*

Capitula. Spiritus Sanctus, Domine, deducat nos in viam rectam : ut in nobis malitia non superet; et in cunctis Divinitate redundet.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Spiritus Dei bonus deducat vos in viam rectam et a lapsu peccaminum itinera vestra disjungat; ℟. Amen. Sitque dux itineris vestri, qui B olim in Discipulos apparuit manifestus : ℟. Amen. Ut eodem repleti, et mare hujus sæculi transeatis inlæsi, et æterno mereamini de munere consolari. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Effundam de Spiritu meo. *Oratio.* O Spiritus Sancte. *fol.* 402.

423 IN PRIMO DOMINICO POST SANCTUM PENTECOSTEM.

IN DIE SANCTISSIMÆ TRINITATIS

Ad Vesperum.

Lauda. Apud te est, Domine, *P.* Fons vitæ : et in lumine videbimus lumen. ℣. Filii hominum, in protectione alarum tuarum sperabunt : Et inebriabuntur ab ubertate domus tuæ : et torrente voluptatis C tuæ potum dabis eis Domine. *P.* Fons vitæ.

Oratio. Domine, apud quem est fons vitæ, et in cujus lumine aspicimus lumen; enutri in nos tuæ scientiæ splendorem : ut sitientibus nobis vitalem impertias potum, et caligantibus animabus superno lumine restituas intellectum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Sono. Qui extendit cœlos sicut pellem : qui tegit aquis superiora ejus. *P.* Qui facit Angelos suos, spiritus; et ministros suos, ignem urentem. Alleluia. ℣. Qui fundavit terram super stabilitatem ejus : non inclinabitur in sæculum sæculi. *P.* Qui facit.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Alleluia, Filii Sion, exultate et lætamini in Deo vestro : *P.* Quia dedit vobis doctorem D justitiæ, et effudit de Spiritu suo super omnem carnem. ℣. Exsultate Deo adjutori nostro : jubilate Deo Jacob. *P.* Quia dedit. ℣. Gloria. *P.* Quia. Dominus sit. ℟. Et Cum.

Lauda. Alleluia. Mundavit nos Dominus ab omnibus malis : et dedit nobis cor novum, et spiritum rectum : *P.* Et auferat cor lapideum de carne nostra; ut in viis ejus ambulemus. Alleluia. ℣. Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus : et sapientiæ ejus non est numerus. *P.* Et auferet. ℟. Gloria, et. *P.* Et auferet.

Hymnus. O lux Beata Trinitas, *fol.* 113.

Supplicatio. Oremus immensam, et ineffabilem Trinitatem Patris, et Filii, et Spiritus sancti : ut vitam nostram in bonis operibus dirigat, et post hujus sæculi transitum, æternam requiem cum justis concedat. ℟. Præsta Æterne Omnipotens Deus.

Kyrie eleison. ℟. Christe eleison, Kyrie eleison.

Capitula. Deus Spiritus Sancte, a quo creata sunt omnia, et restaurata sunt universa : qui in principio, id est, in Filio tuo Domino nostro Jesu Christo, cœlum terramque fecisti : da nobis, ut Spiritus ille tuus, qui est bonus in omnibus, in cordibus nostris infundatur : qui ergo mirabiliter dona gratiarum partiris in singulis, singulariter te manifestum ostende in remittendis iniquitatibus nostris.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Spiritus Sanctus, qui repenti sonitu de cœlo igneis super Discipulos apparuit linguis, plenitudinem in vobis operetur suæ sanctificationis; ℟. Amen. Et quo docente. Discipuli sunt prælocuti magnalia, eodem vos inspirante, confiteamini peccata vestra, ad consequendam misericordiam suam : ℟. Amen. Ut per quem illi eloqui omnium linguis edocti sunt, per eum sit vobis remissio omnium peccatorum. ℟. Amen.

Per.

Lauda. Verbo Domini cœli firmati sunt Alleluia : *P.* Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Alleluia. Timeat Dominum omnis terra. Alleluia. ℟. Quia ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt. *P.* Spiritu. ℣. Gloria. *P.* Spiritu.

Oratio. Deus Pater Omnipotens, qui in principio id est, in Filio tuo Jesu Christo Domino nostro, cœlum, terramque fecisti; da nobis, ut Spiritus ille tuus, qui super aquas, id est, super cor nostrum tenebrosum ac fluidum fertur, fructus tibi in nobis beneplacitos operetur : ut in corpore nostro copiosa virtutum exundatione sanctificans, indesinenti nos igne amoris tui accendat. ℟. Amen.

Per.

Ad Matutinum.

Hymnus. Æterne rerum. *Oratio.* Æternum te auctorem. *fol.* 3.

Antiphona. Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? Tu autem Domine susceptor meus es. *Psalmus* III.

Antiphona. Lava me ab injustitia mea : et a peccato meo munda me Domine. *Psalmus* L.

Antiphona. In te confidit anima mea : libera me Domine. *Psalmus* LVI.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui credentes in te. *fol.* 3.

Antiphona 1. Verbo Domini cœli firmati sunt : *P.* Et spiritu oris ejus, omnis ornatus eorum. ℣. Diligit misericordiam, et judicium : misericordia Domini plena est terra. **424** *P.* Et spiritu. ℟. Gloria, et *P.* Et spiritu.

Oratio. Tuo Domine Verbo cœli sunt facti, et Spiritu ornati; quia apud beatam Trinitatem nihil dis-

cretum in opere, nihil reperitur sequestratum in A munere; quando ea, quæ Pater facit et Filius, ea etiam indivise operatur et Spiritus Sanctus: Cœlestis ergo fabrica Patris Verbo conseritur, et ornatus Spiritus oris perficitur: tribue proinde nobis, ut opera tua cognoscamus in fide; dum te Dominum Trinitatis essentialem credimus, et æqualem. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Spiritus meus erit in medio vestri; P. Quia ego commovebo cœlum, et terram: et implebo domum istam gloria, dicit Dominus. ℣. Omnes gentes plaudite manibus: jubilate Deo in voce exsultationis. P. Quia. ℣. Cloria. P. Quia.

Oratio. Domine Deus, suscita in nobis Spiritum tuum Sanctum, quo tua fœcundetur Ecclesia: ut B Spiritus dona idem spiritus in medio positus doceat, replens domum tuam inenarrabili gloria: qualiter in loco isto et ubertas pacis redundet, et abundantia gratiarum exuberet. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Spiritus Domini replevit orbem terrarum. P. Et hoc, quod continet omnia, scientiam habet sensus. Creavit enim, ut essent omnia. ℣. Excelsus super omnes gentes Dominus, et supra cœlos gloria ejus. P. Et hoc. ℣. Gloria, et honor. P. Et hoc.

Oratio. Pone, Domine, Spiritum tuum in medio nostri, qui mundis nos aquis pœnitentiæ lavans, præparet nos tibi semper in hostiam vivam: quo nec libido templum cordis nostri contaminet, nec C flamma ignis æterni terram nostri corporibus pænaliter in quocumque contristet. ℣. Amen.

Per misericordiam.

℟. Facta est super me manus Domini: et vidi, et ecce Spiritus fulgens veniebat ab Oriente, et nubes magnæ erant in eo; P. Et ignis in medio ejus. ℣. Quocumque ibat Spiritus, pariter elevabantur et rotæ, sequentes eum: Spiritus enim vitæ erat in rotis. P. Et ignis. ℣. Gloria, et honor. P. Et ignis.

Oratio. Deus Pater Omnipotens. *Require retro in Vesperis præcedentibus.*

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. De nocte vigilat Spiritus meus.

Canticum. De nocte vigilat. *fol.* 64.

Oratio. De nocte vigilantem. *fol.* 124.

Ad Benedictus. Antiphona. Tibi soli Deo honor, et gloria, et virtus, et potestas in sæcula sæculorum.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6. *Sono.* Qui extendit cœlos sicut pellem. *fol.* 423.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis Alleluia: laudate eum in excelsis Alleluia, alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Sapientiæ Salomonis (*Cap.* I).

℟. Deo gratias.

Diligite justitiam, qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum: quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum: perversæ enim cogitationes separant a Deo: probata autem virtus corripit insipientes: quoniam in malevolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet fictum, et avertit se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, et corripietur superveniente iniquitate. Benignus est enim Spiritus sapientiæ, et non liberabit maledictum a labiis: quoniam renis illius testis est Deus, et cordis ejus scrutator est verus, et linguæ ejus adjutor. Quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum. ℟. Amen.

Hymnus. Splendor Paternæ gloriæ. *fol.* 67. *Supplicatio.* Oremus immensam. *Capitula.* Deus Spiritus Sancte. *Lauda.* Verbo Domini cœli. *Benedictio.* Spiritus Sanctus, qui repenti sonitu. *Require fol.* 425.

In nomine Domini nostri Jesu Christi.

Exeunte Vespera.

Lauda. Apud te est Domine. *et Oratio.* Domine apud quem. *Quære fol.* 423. *Sono.* Qui extendit cœlos sicut pellem *ut supra.*

Antiphona. Verbo Domini cœli firmati sunt: spiritu oris ejus omnis virtus eorum. ℣. Benedic anima mea Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda 1. Alleluia. Spiritus tuus bonus Deus **425**
deducat nos in viam rectam. Alleluia. ℣. Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: terribilis super omnes Deos. P. Deducat nos. ℣. Gloria, et honor. P. Deducat nos.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda 2. Benedic anima mea Dominum. Alleluia. Qui posuit nubem ascensum suum. Alleluia. P. Qui facit Angelos suos, Alleluia spiritus: et ministros suos, ignem urentem. Alleluia. ℣. Qui fundavit terram super stabilitatem suam: et non inclinabitur in sæculum sæculi. P. Qui facit. ℣. Gloria, et honor. P. Qui facit Angelos.

Hymnus. Altissimi Verbum Patris. *Quære folio* 94.

Supplicatio. Oremus immensam, et ineffabilem. etc. *Require fol.* 423.

D *Capitula.* Inclinemus Deo, fratres charissimi, corda cum lachrymis: et confitentes peccata nostra clementissimo Conditori, jugi obsecratione clamemus e terris:

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Benedicat vobis Omnipotens Dominus, qui nos dignatus est plasmare de nihilo. ℟. Amen. Ipse sanet languores nostros, qui noster est solus Dominus, et Redemptor: ℟. Amen. Atque ipsi semper sit cura de vobis, in quo omnis est plenitudo nostræ salutis. ℟. Amen.

Per misericordiam, etc.

Lauda. Verbo Domini cœli.

Oratio. Deus Pater Omnipotens,qui etc. *Require* A *fol.* 423.

IN SECUNDO DOMINICO POST SANCTUM PENTECOSTEN.

Ad Vesperum.

Lauda. In noctibus extollite manus vestras in sancta. P. Et benedicite Dominum. ℣. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. P. Et benedicite Dominum.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Sono. Deus in te speravi: Domine,non. *Require fol.* 112.

Antiphona. Dominus dat sapientiam ; P. Et ex ore ejus scientia, et prudentia procedet. ℣.Magnus Dominus et laudabilis nimis : et magnitudinis ejus non est finis. P. Et ex ore. ℣. Gloria, et honor. P. B Et ex ore.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Diligite justitiam, qui judicatis terram.Sentite de Domino in bonitate,P. Et in simplicitate cordis quærite illum.℣.Audite hæc omnes gentes : auribus percipite,qui habitatis orbem.P. Et in. ℣. Gloria, et honor. P. Et in.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Meum est consilium,et æquitas, mea est prudentia,et mea est fortitudo.P. Per me principes,et reges imperant,et potentes decernunt justitiam. ℣. Audi populus meus, et testificabor tibi : Israel, si me audieris. P. Per me.℣. Gloria.P.Per me.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Hæreditate adquisivi testimonia tua in C æternum : Alleluia. P. Quia exsultatio cordis mei es tu. Alleluia, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Inclina cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem. P. Quia exultatio. ℣. Gloria, et honor. P. Quia.

Hymnus. O lux beata Trinitas. *Quære fol.* 113.

Supplicatio. Oremus Redemptorem. *fol.* 66.

*Capitula.*Transacto diei curriculo, noctisque appropinquante spatio,tibi,Domine,luminis incensum offerimus vespertinum,suppliciter postulantes magnificentiam tuam : et quod in nobis offuscatur caligine peccatorum, tui luminis incensione clarifica ; et pectus nostrum, quod inimicus offuscat, tu Domine,solita pietate inlustra. Et si oculis corporeis in nocte dormimus, præsta Omnipotens Deus ; ut in te D mentis aciem dirigamus,terminoque noctis impleto, reparata luce ad orationem surgentes, in laudem gloriæ tuæ momenta futuri diei expectemus.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

*Benedictio.*Benedicat vos Dominus Jesus Christus, Dei Filius, rex æternus, et misereatur vobis. ℟. Amen. Mittat vobis Dominus Angelum suum Sanctum Michaelem principem, qui custodiat corda,et corpora vestra. ℟. Amen. Maneat pax Domini nostri Jesu Christi vobiscum,ut in lumine pacis ambuletis, et in numero Sanctorum computati sitis. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius.

Lauda. Bonum mihi est alleluia. P. Lex oris tui. Alleluia,alleluia, alleluia. ℣. Bonitatem fecisti cum servo tuo Domine,secundum verbum tuum.P. Lex. ℣. Gloria, et honor. P. Lex.

Oratio. Domine ante te omne desiderium nostrum; et gemitus noster non est absconditus a te : 426
præsta ergo,quæ desideramus ; et parce, quæ gessimus : simulque et fructum nostris tribue desideriis ; et veniam cencede peccatis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Matutinum.

Hymnus. Æterne rerum Conditor. *fol.* 3.

Oratio. Omnipotens, æterne, misericors Deus, qui temporum das tempora ; qui singulis temporibus das gratiam, qua administrentur : te veniente, prolixitas tenebrarum exæstuat: gallo nos consolaris canente: ut,dum præco diei sonat, diurni operis meditatio reviviscat.Respice ergo nos jugiter, et instiga,ne profundæ noctis errore persuasi, diei obliviscamur perennis ; sed labentes in tenebris erige, et videndo nos corrige : ut cum Petro resipiscamus errata, et patribus lachrymis crimina defleamus commissa. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Vocem meam precor,de monte sancto tuo exaudi me. *Psalmus* III.

Antiphona. Tibi soli peccavi, Domine ; malum coram te fecit anima mea. *Psalmus* L.

*Antiphona.*Deus, sub umbra alarum tuarum protege nos. *Psalmus* LVI.

Oratio. Discute a nobis,Unigenite ingeniti Patris, somnum corporis ; et clemens placatus nostris parce piaculis : ut in te redemptorem copia piis frequentetur vigiliis ; tuisque digna habeatur obtutibus sacris : et quod nunc inserere nititur nobis ignobilis carnis fragilitas,Divinitatis tuæ dono surgat in gloria. Tu ergo Domine cunctis in te confidentibus lumen largum impende ; et ad supernam patriam, alarum tuarum obumbratione nos attrahe.℟.Amen.

Per misericordiam tuam Deus, etc.

Antiphona 1. In te, Domine, omne desiderium nostrum : P. Et gemitus noster non est absconditus a te.Cor enim nostrum conturbatum est in nobis:℣. Propterea non timebimus dum conturbabitur terra, et transferentur montes in cor maris.P.Et gemitus. ℣. Gloria, et honor, P. Et gemitus.

*Oratio.*Domine ante te omne desiderium.*Require in Vesperis præcedentibus.*

Antiphona 2. Humiliata est in pulvere anima nostra : adhæsit in terra venter noster. P. Exsurge, quare obdormis Domine ? exurge, et ne repellas nos in finem. ℣. Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiœ nostræ, et tribulationis nostræ ? P. Exsurge. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Exsurge, quare obdormis.

*Oratio.*Exsurge, Domine, adjuva nos contra omnem malitiam persequentium ; et libera nos propter nomen tuum a contrarietate spirituum immundo-

rum : ut, qui nos in loco humiliasti afflictionis, exaltes iterum in remuneratione virtutis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Audi populus meus, et loquar: Israel, et testificator tibi : quoniam Deus Deus tuus ego sum. In tribulatione invocasti me, *P*. Et liberavi te, et exaudivi te in abscondito tempestatis. ℣. Deus deorum Dominus locutus est : et vocavit terram, a solis ortu usque ad ocasum : ex Sion species decoris ejus. *P*. Et liberavi te. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et liberavi.

Oratio. Domine, qui manifestus crederis in judicio cum majestate venturus; misericordia tua a peccatis eripias; ne nos justitia simul cum peccatoribus pertrahat. ℟. Amen.

Per.

℟. Nos inique egimus, et ad iracundiam te provocavimus, Domine : propterea tu inexorabilis es. Scrutemur corda nostra, et quæramus, et revertamur P. Ad te Domine. ℣. Numquid in æternum oblivisceris nostri? derelinques nos in longitudinem dierum ? Converte nos, et convertamur. P. Ad te Domine. ℣. Gloria, et honor Patri. *Reiteretur* ℟. Nos inique.

Aliud Responsorium. Ne abstuleris Domine misericordiam tuam a nobis. P. Quia ecce facti sumus despecti, et inimici, humiles super terram propter peccata nostra. ℣. Memento Domine quid factum sit nobis: aspice, et vide opprobrium nostrum. *P*. Quia ecce. ℣. Gloria, et honor. ℟. Ne abstuleris.

Aliud Responsorinm, Propitiare Domine populo tuo, quia peccavit tibi: P. Et omnes iniquitates eorum ne memineris, sed fac cum eis misericordiam, et exaudi illos, pro quibus invocaveram te, Domine, ℣. Convertere Domine aliquantulum, et delectare super servos tuos. P. Et omnes. ℣. Gloria, et honor. ℟. Propitiare.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Domine Deus noster, posside nos: **427** Domine, præter te, alium non novimus, nomen tuum invocamus.

Canticum. De nocte vigilat. *fol*. 64.

Oratio. De nocte vigilantem. *Quære fol*. 124.

Ad Benedictus Antiphona. Est Deus in cœlo, cui nos servimus, et potens est liberare nos de malis nostris, et de manu mortis eripere nos.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol*. 6. *Oratio* Domine Deus Patrum. *Sono*. Verba mea. *Quære fol*. 93.

Lectio libri Ecclesiastici (*Cap*. VII).

℟. Deo gratias.

Fili, Non te pigeat visitare infirmum : ex his enim in dilectione firmaveris. In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. (*Cap*. VIII). Non litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius. Non contendas cum homine locuplete, ne forte incites tibi litem: multos perdidit aurem atque argentum, et usque cor regum extendit et convertit. Non litiges cum homine linguato,

A ne male de progenie tua loquatur. Ne despicias hominem avertentem se a peccato, neque improperes ei: memento quoniam omnes sumus in correptione: Ne spernas hominem in sua senectute : etenim hæc nobis senescunt. Noli de mortuo gaudere : sciens quoniam omnes moriemur, et in gaudium volumus venire. Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium ; in verbis enim illorum conversare : ab ipsis enim disces doctrinam intellectus, et servare mandata sine querela. ℟. Amen.

Hymnus. Splendor. *fol*. 67. *Supplicatio*. Oremus Redemptorem, *in supra*.

Capitula. Te deprecamur, Domine sancte Pater, æterne Deus, auctor luminis sempiterni, qui fecisti, ut oriretur lumen indeficiens, et temporalem lucem
B occiduo fine clausisti; ut per successionem nox excluderet diem, et dies revelata noctem sua claritate fugaret: te itaque opificem omnium deprecamur Dominum, ut terrena operatio simul suo auctore deficiat.

Pater noster. Liberati a malo. *fol*. 2.

Lauda. Cantate Domino. *Oratio*. Tibi Domine. *fol*. 94.

Exeunte Vespera, omnia dicantur, ut in exeunte Vespera de primo Dominico post Octavam Epiphaniæ, Quære fol. 94. *Excepto*.

Capitula. Adsiduis orationibus culparum nostrarum veniam deprecantes, infinitam Dei Patris Omnipotentis misericordiam vespertinam præposcamus: et ut nos fidei amore flammatos, charitatis unitate connexos, Jesus Christus Dominus noster per omnia
C custodire dignetur.

Pater noster. Liberati a malo. *fol*. 2.

Benedictio. Deprecamur. Omnipotens Pater, ut hos servos tuos propitia majestate custodias ; ℟. Amen. Accingantur virtutibus pacis, et frequententur muneribus pretiosis ; ℟. Amen. Permaneant in certamine pertinaces, et existant in prælio dimicando victores. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Oratio. Domine ante, etc. *fol*. 425.

IN TERTIO DOMINICO POST SANCTUM PENTECOSTEN.

Ad Vesperam.

Lauda. Apud te est Domine fons, vitæ, etc. *Oratio*. Domine, apud quem est fons, etc. *Require fol*. 120. *Sono*. Tenebræ non. *Require fol*. 120.

D *Antiphona*. Thronus tuus Deus inæstimabilis, et gloria incomprehensibilis : cui adstant omnes exercitus Angelorum cum tremore : P. Cujus aspectus arefacit abyssum, et indignatio facit tabescere montes. ℣. Domine Deus virtutum quis similis tibi ? potens es Domine, et veritas tua in circuitu tuo. P. Cujus. ℣. Gloria. P. Cujus.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Laudabo Dominum in cubili meo: P. Die ac nocte tenebo eum: et non dimittam illum. ℣. Exaltabo te Domine Deus meus, et rex meus : et benedicam nomen tuum in æternum, et in sæculum sæculi. P. Die ac nocte. ℣. Gloria. P. Die.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Domine Deus Patris nostri Abraham, et Deus Isaac, qui dixisti, ut benefaceres nobis, P. Erue nos de manu iniquitatis nostræ. ℣. Converte nos Deus noster: et averte iram tuam a nobis. P. Erue nos. ℣. Gloria, P. Erue nos.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Justus es Domine: Alleluia. ℣. Et rectum judicium tuum. Alleluia. ℣. In æternum Domine permanet verbum tuum in cœlo. **428** Alléluia, alleluia. P. Et rectum. ℣. Gloria, etc. P. Et rectum,

Hymnus. Inventor rutilis. *fol.* 91. *Supplicatio* Oremus. *fol.* 66.

Capitula. Immolantes tibi, Domine Deus noster, in die sanctæ solemnitatis vespertinam hostiam laudis oramus; ut inclines misericordiæ tuæ aurem ad vota populi supplicantis: Fiat in conspectu tuo oratio supplicum, suavitatis incensum; elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum. Proficiat hæc Domine, famulis tuis ad firmam protectionem: ut omni hora, omnique tempore nos per munus misericordiæ tuæ et in diurnis actibus protegas; et in nocturno sopore custodias.

Pater noster. Liberati a malo, etc. *Require fol.* 2.

Benedictio. Benedictionum suarum super vos piissimus Dominus imbrem benignus infundat. ℟. Amen. Angelica vos custodia protegat; antiquum hostem a cordibus vestris expellat: ℟. Amen. Ut cingulo castitatis adstrictos, nulla vos ludificationis suæ arte callidus deterreat inimicus. ℟. Amen.

Per.

Lauda. Principium verborum tuorum veritas. Alleluia. P. In æternum permanent omnia judicia justitiæ tuæ. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, et lumen semitis meis. P. In æternum. ℣. Gloria. P. In.

Oratio. Deus suavis ac mitis, multumque invocantibus te misericors, orationem nostram auribus percipe: ac de multitudine misericordiæ tuæ nostra errata remove: et ne humi proni reptemus, ad te videndum nos ereptos statue. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Ad Matutinum.

Hymnus. Æterne rerum Conditor. *Quœre folio* 3.

Oratio. Deus, qui provida majestate creaturæ totius gubernationem impendis, et diurnis curis quietem nocturnam opponis: tu veniens prolixitatem tenebrarum exæstua, et gallo, nos consolare, canente: ut dum præco diei sonat, diurni operis meditatio reviviscat. Respice nos jugiter clementi intuitu, et instiga, ne profundæ noctis errore persuassi, diei obliviscamur perennis; sed labentes in tenebris erige, et videndo nos corrige: ut cum Petro resipiscamus errata, et paribus lachrymis defleamus commissa. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Deus salus omnium tu es: veniat super populum tuum et benedictio tua. *Psalmus* III.

A *Antiphona.* Deus veritatem diligis: incerta et occulta sapientiæ manifestasti mihi. *Psalmus.* L.

Antiphona. Clamabo ad Deum altissimum: Deum conditorem omnium qui benefecit mihi. *Psalmus* LVI.

Oratio. Multi dicunt animæ nostræ, in te Domine non esse salutem: quos tua Deus fortitudine contere; tuaque virtute hostium millia ad nihilum redige: atque nos ab injustitiæ sordibus lava; et a peccatorum nostrorum facinore munda: ut paratum sit cor nostrum tuæ resurrectionis canere psalmum; et inlæsum persolvere votum ad officium matutinum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 1. Audi Domine deprecationem populi; P. Et cunctorum preces orantium in isto loco Deus
B de cœlo exaudi. ℣. Quia in Domine suavis ac, mitis es; et multum misericors invocantibus te. P. Et cunctorum. ℣. Gloria. P. Et cunctorum.

Oratio. Deus suavis ac mitis. *Require in Vesperis prœcedentibus.*

Antiphona 2. Tu nobis es, Domine, refugium a pressura, quæ circumdedit nos. P. Multa sunt enim flagella peccatorum nostrorum. ℣. Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno. P. Multa sunt. ℣. Gloria, etc. P. Multa sunt.

Oratio. Da nobis Domine peccatorum remissionem, qui purgatis præstas beatitudinem: esto refugium a pressura damnationis, qui indultor es libertatis: et quia multa flagella peccatorum in nobis plaga inruente sentimus, in te confidendo circumdari nos
C tua misericordia sentiamus. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Miserere nobis Domine, miserere: P. Quia multum repleti sumus contemptu. ℣. Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. P. Quia. ℣. Gloria, et honor. P. Quia multum.

Oratio. Miserere nobis, Domine; expectationi nostræ quæsitum auxilium tribue: **429** ut qui supernorum repleti sumus contemptu, defensionis tuæ muniamur auxilio. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Esto nobis Domine protector, et medicus: tu peccatorum nostrorum vulnerum solita pietate tribuis medicinam: tu errantibus es via. P. Et te, Deus pie, quærentibus das coronam. ℣. Te pupilli patrem; te
D egeni, atque peccatores mereamur habere pastorem, P. Et te Deus. ℣. Gloria. ℟. Esto nobis.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Domine Deus noster, pacem tuam da nobis: omnia enim dedisti nobis,

Canticum. De nocte vigilat. *fol.* 64. *Oratio.* De nocte vigilantem. *fol.* 124.

Ad Benedictus. Antiphona. Servi Dei Dominum benedicite, qui vos eruit ab inferis; et de manu mortis liberavit nos.

Canticum. Benedictus es Domine Deus. *fol.* 6.

Oratio. Domine Deus qui super. *Sono.* Emitte lucem tuam, *cum Lauda, et Psalmo Quœre fol.* 111. et 112.

Lectio libri Ecclesiastici Salomonis (*Cap.* IX). ℟. Deo gratias.

Fili, Ne derelinquas amicum antiquum : novus autem non erit similis illi. Vinum novum, amicus novus : veterescet, et cum suavitate bibes illud. Non zeles gloriam et opes peccatoris : non enim scis quæ ventura sit illius subversio. Non placeat tibi injuria injustorum, sciens quoniam usque ad inferos non placebit impius. Longe esto ab homine potestatem habente occidendi, et non suspicaberis timorem mortis : et si accesseris ad illum, noli aliquid committere, ne forte auferat vitam tuam. Communionem mortis scito : quoniam in medio laqueorum ambulas et super dolentium arma ambulabis. Secundum virtutem tuam cave te a proximo tuo, et cum sapientibus et prudentibus tracta. Viri justi sint tibi convivæ B et in timore Domini sit gloria tua. ℟. Amen.

Hymnus Splendor, *fol.* 67. *Supplicatio. fol.* 66.

Capitula. Deus Omnipotens, qui cuncta moderaris, et tuis oculis præterita, præsentiaque et futura tamquam recentia recognocis : da veniam malis nostris : tribue præteritis actibus remissionem ; præsentibus pacem, et de futuris plenam concede credulitatem : ut amputatis a nobis maculis delictorum, protegi mereamur in hac die Sanctorum excubiis Angelorum.

Pater noster, etc. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Cantate Domino canticum novum, *Oratio.* Tibi Domine. *fol.* 94.

In exeunte Vespera, omnia dicantur, ut in exeunte C *Vespera de primo Dominico post Octavam Epiphaniæ Domini fol.* 94. *Exceptis Capitula et Benedictio, quæ sequuntur:*

Domine Deus, vita mortalium, lux fidelium, virtus operantium, requies defunctorum ; da nobis, Domine, tranquillam, et ad omni inquietudine liberam noctem : ut post placidi soporis inducias, cum gratia muneris tui, veniente luce, Spiritus Sancti industria dotati, tibi gratiæ munera referre mereamur inlæsi.

Pater noster.

Benedictio. Benedic Domine hanc plebem tuam, Christi tui sanguine comparatam. ℟. Amen. Nec quicquam habeant cœcitatis, qui jam greges recensiti sunt Christi : ℟. Amen. Conserva in eis, Domine tutam vitam nuptialem, ut Patriarcharum, omniumque D Sanctorum mereantur esse convivæ. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Nota, quod quamvis in Missale habemus quatuordecim Dominicas, te hic non habemus nisi decem recitandas ; si aliquod festum defuerit, et voluerint recitare officium Dominicale, dicantur de Dominicis præteritis : scilicet, post Sanctum Pentecosten.

IN DOMINICA ANTE JEJUNIUM KALENDARUM NOVEMBRIUM.

Ad Vesperum.

Lauda. In noctibus extollite manus vestras in sancta : P. Et benedicite Dominum. ℣. Qui statis A in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. P. Et benedicite.

Oratio. In noctibus manus nostras ad te extollimus Domine, ut nos in Ecclesia tua fixos statuas, ac dum mundialibus imprimimur sarcinis, nostra dari te actione concedas. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Sono. Intrate portas. *Require fol.* 128.

Antiphona. Alleluia Domine Deus patris nostri Abraham, et Deus Isaac, qui dixisti, **430** ut benefaceres nobis ; P. Erue nos de manu iniquitatis nostræ. ℣. Converte nos Deus salutaris noster : et averte iram tuam a nobis. P. Erue nos. ℣. Gloria, et honor. P. Erue nos.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Ne memor fueris Deus. P. Iniquitates nostras antiquas. Alleluia. ℣. Cito nos præveniat misericordia tua : quia pauperes facti sumus nimis, P. Iniquitates nostras. ℣. Gloria, et honor. P. Iniquitates nostras.

Hymnus. Inventor rutilis, etc. *fol.* 91. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *Require. fol.* 66 *Capitula.* Defensio nostra Domine, *Benedictio.* Benedicat vobis Omnipotens Dominus. *Require fol.* 121.

Lauda. Irascimini, et nolite peccare : Alleluia. Dicite in cordibus vestris, Alleluia: P. Et in cubilibus vestris compungimini. Alleluia, alleluia. ℣. Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino. P. Dicite. ℣. Gloria, et honor. P. Et in cubilibus.

Oratio. Tibi Domino soli subjacet anima nostra, quem omnis Creatorem suum agnoscit natura: a te virtutem patientiæ, ne scandalo moveamur, accipimus ; qui omne, quod sumus, debere nos novimus : Fac ergo nos spe numquam iniquitatis fulciri ; nec fallacibus divitiis cor nostrum apponere: ut in te solo adsuescamus requiescere; et ad promerendum petita, coram te corda nostra compuncta effice. ℟. Amen.

Per.

Ad Matutinum.

Hymnus. Æterne rerum. *fol.* 3.

Oratio. Deus, quem totius, *fol.* 118.

Antiphona. Salus tua Domine super populum tuum. *Psalmus.* III.

Antiphona. Dele iniquitates meas. Psalmus L.

Antiphona. Clamabo ad Deum Altissimum : qui benefecit mihi. *Psalmus* LVI.

Oratio. Domine Deus, cui ad. *fol.* 119.

Antiphona. Filii hominum dives, et pauper P. Inclinemus Deo corda nostra : et ne timeamus in die mala. ℣. Audite hæc omnes gentes: auribus percipite omnes qui habitatis orbem. P. Inclinemus. ℣. Gloria. P. Inclinemus.

Oratio. Audiant simul te Domine suæ salutis auctorem et dives ac pauper ; mandatis tuis aurem accommodent, simul audiant simulque concurrant : ne schismatum et hæresum errore sejunctis, aliis sint præcepta vitalia odor vitæ in vitam, et aliis odor mortis in mortem : idcirco Domine et adversos collige, et cunjunctos non sinas dirimi ab unitate

Ecclesiæ; ibique omnium ad percipiendam fidem A præparetur auditio, quo salvandis promittitur gratiæ plenitudo, ℟. Amen.

Per misericordiam, etc.

Antiphona 2. Sperate in Deum omne concilium populorum, P. Effundite coram illo corda vestra : quia ipse auctor vester est. ℣. Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere: divitiæ si fluent, nolite cor apponere. P. Effundite. ℣. Gloria, et honor. P. Effundite.

Oratio. Tibi Domino soli subjacet, etc. *Require in Vesperis præcedentibus.*

Antiphona 3. Converte nos Deus salutaris noster.

Oratio. Converte nos Deus. *Quære fol.* 116.

℟. In te confidunt omnes animæ dicentes : Cito Deus miserebitur nobis, quia Dominus locutus est, dicens: Gaudebo super unum pœnitentem. P. Quam super nonaginta novem justis, non indigentibus pœnitentia. ℣. Gaudium erit in cœlo coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. P. Quam. ℣. Gloria. ℟. In te confidunt.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Tu Domine propter nos,

Canticum. Domine qui habitas in æternum. *fol.* 128.

Ad Benedictus. Antiphona. Filii hominum. *Ut supra. Oratio.* Domine Deus patrum. *fol.* 93.

Sono. Deus misereatur nobis, P. Et benedicat nos : Alleluia. ℣. Illuminet Dominus vultum suum super nos, P. Et benedicat nos.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis Alleluia: laudate eum in excelsis. Alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Ecclesiastici Salomonis (*Cap.* II).

℟. Deo gratias.

Metuentes Dominum sustinete misericordiam ejus: et non deflectatis ab illo ne cadatis. Qui timetis Dominum, credite illi: Et non evacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum, sperate in illum : et in oblectatione veniet vobis misericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum, et illuminabit **431** corda vestra. Respicite filii nationes hominum : et scitote quis speravit in Domino, et confusus est : permansi in mandatis ejus, et derelictus est? et quis invocavi eum, et despexit illum? Quoniam pius et misericors Deus, et dimittit in tempore tribulationis peccata omnibus exquirentibus se in veritate. Væ duplici corde, et labiis sceleratis, et manibus malefacientibus; et peccatori terram ingredienti duabus viis. Væ dissolutis corde, qui non credent Deo : ideo non proteguntur ab eo. Væ his, qui perdiderunt sustinentiam, et qui dereliquerunt vias rectas, et diverterunt in vias pravas. Et quid facietis, cum aspicere cœperit Dominus ? Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo ejus : et qui diligunt illum conservabunt viam illius. Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt illi: et qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius. Qui timent Dominum, parabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas. ℟. Amen.

Hymnus. Splendor paternæ. *fol.* 67. *Supplicatio.* Oremus. *fol.* 66.

Capitula. Jam fulget oriens, jam properat dies ; jam fugatis tenebris aurora rubescit, in luce jam claret luce purissima cœlum : et sol refulgens radios suos infert mundo: cuncta festinant: optant te Dominum habere propitium, quem suam auctorem semper agnoscunt, pariter et defensorem.

Pater noster.

Lauda. Irascimini, et nolite. *Require in superioribus Vesperis.*

Oratio. Tibi Domine in Ecclesia Sanctorum. *fol.* 117.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI :

Incipit officium jejuniorum Kalendarum Novem- B *brium, quod observatur tribus diebus ante festum Sancti Cypriani, prout sequitur.*

Super psalmos.

Antiphona. Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum. *Psalmus* III.

Oratio. Quamvis Domine. *Quære fol.* 68.

Antiphona 1. Delicta quis intelligit. *Psalmus* XVIII.

Oratio. Ab occultis nostris.

Antiphona 2. Exaudi nos in die. *Psalmus* XIX.

Oratio. Tribulationes cordis nostri. *fol.* 68.

Antiphona 3. Cantabimus, et psallimus virtutes tuas. *Psalmus* XX.

Oratio. Virtus immensa Domine, tibi subdatur anima et caro nostra; tibique sincerissime deserviat vita nostra : desiderium animæ, quo ad te perveniat, C supple, et labiorum deprecationem, milleformis ille ne subripiat, suscipe: occultum hostem devince virtute tua : nosque præveni in benedictione ; et per viam vitæ perduc ad gaudia sempiterna. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Deus misereatur nobis, et parcat peccatis nostris, P. Et avertat iram suam a nobis. ℣. Inluminet vultum suum super nos, et misereatur nobis. P. Et avertat. ℣. Gloria, et honor. P. Et avertat.

In Laudibus.

Antiphona. Iniquitates ego agnosco: et peccatum meum contra me semper. *Psalmus* L.

Oratio. Agnoscentibus nobis iniquitates nostras, et propria tibi Domine pandentes piacula, ejulantes lachrymis, pectore verberato supplices oramus: ut D avertas a nostris sceleribus faciem tuam; et deleas, quæ gessimus, cuncta peccata : Crea itaque Deus in corde nostro, quod ames; et propitiatione solita dimitte, quod odis : ac si te crebro ad irascendum nostra iniqua exasperant vitia; tua te nobis placabilem reddat indulgentia copiosa. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Canticum. Antiphona. Ne extermines plebem, *Et Canticum.* Domine Domine Rex deorum *fol.* 103.

Matutinarium. Sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos : ℣. Respice in servos tuos, et in opera tua : et dirige filios eorum. P. Et opera manuum nostrarum. ℣. Gloria, et honor. P. Et opera.

Lauda. In sanctis ejus laudate : Alleluia, alleluia. In firmamento virtutis ejus laudate Dominum. *Psalmus* CL. A

Lectio libri Ecclesiastici Salomonis (*Cap.* IV).

℟. Deo gratias.

Fili conserva tempus, et devita a malo. Pro anima tua non confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam. **432** Ne accipias faciem adversum faciem tuam, nec adversus animam tuam mendacium. Non reverearis proximum tuum in casum suum : nec retineas verbum in tempore salutis. Ne abscondas sapientiam tuam in decore ejus. In lingua ejus cognoscitur sapientia : et sensus, et scientia, et doctrina in verbis veritatis, et firmamentum in operibus justitiæ. Non contradicas veritati ullo modo, et de mendacio ineruditionis tuæ confundere. B Non confundaris confiteri peccata tua, et ne subjicias te omni homini pro peccato. Noli resistere contra faciem potentis, et ne coneris contra ictum fluvii. Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certare pro justitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos. ℟. Amen.

Hymnus. Benignitatis fons Deus.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi. *fol.* 69.

Capitula. Quid poterit, o piissima Trinitas Deus noster, condigne tibi infirmitas humanæ fragilitatis retribuere ; quæ tantis facinorum ponderibus prægravatur quotidie ? Scelera nostra confessione proprii oris patefacimus : adversum nos iniquitates nostras et pronuntiamus ; et vulnerum nostrorum infirmitates ostendimus, et a te vero medico malagma C nostris ulceribus adhiberi expostulamus. Unde quia tu es Agnus Dei qui tollis peccatum mundi ; ob hoc prostrati, quæsumus tuæ potentiam Deitatis ; ut quotiens a nobis offenderis, totiens ignoscere digneris ; quia te præcipiente, et si indigni, clamamus e terris :

Pater noster.

A malo nos libera. *fol.* 10.

Lauda. Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam Alleluia : *P.* Quia lex tua meditatio mea est. Alleluia, alleluia. ℣. Fiat misericordia tua ut consoletur me, secundum eloquium tuum servo tuo. *P.* Quia lex, ℣. Gloria et honor. *P.* Quia lex.

Benedictio. Christus Dei Filius, qui cum Patre, et D Spiritu Sancto, Deitatis obtinet unitatem : ipse hoc indictum abstinentiæ jejunium triduanum, pro statu Ecclesiæ, et totius populi salvatione clementer acceptet ; ℟. Amen. Quique solus pro nostra salvatione patibulum pertulit crucis, ipse cor vestrum emaculet : ℟. Amen. Ut defæcati ab universa conluvione delicti, præmio ab eo potiamini indeptæ promissionis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Tertiam.

Prophetia. Fili, Habe fiduciam. *fol.* 95.

Lectio libri Levitici (*Cap.* XXIII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Locutus est Dominus ad Moysen, dicens ; decima die mensis hujus septimi, dies expiationum erit celeberrimus, et vocabitur sanctus : affligetisque animas vestras in eo, et offeretis holocaustum Domino. Omne opus servile non faciatis in tempore diei hujus : quia dies propitiationis est, ut propitietur vobis Dominus Deus vester. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit in die hoc, peribit de populis suis : et quæ operis quippiam fecerit, delebo eam de populo suo. Nihil ergo operis faciatis in eo : legitimum sempiternum erit vobis in cunctis generationibus, et habitationibus vestris. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel : A quinto decimo die mensis hujus septimi, erunt feriæ tabernaculorum septem diebus Domino. Dies primus vocabitur celeberrimus atque sanctissimus : omne opus servile non faciatis : sed septem diebus offeretis holocaustum Domino : dies quoque octavus erit vobis celeberrimus, et offeretis holocaustum Domino : est enim cœtus atque collectæ : omne opus servile non faciatis in eo. Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis celeberrimas ac sanctissimas, offeretisque in eis oblationes Domino, holocausta et libamenta juxta ritum uniuscujusque diei. A quinto decimo ergo die mensis septimi, quando congregaveritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias Domini septem diebus : sumetisque, vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, et ramos ligni densarum frondium, et salices de torrente, et lætabimini coram Domino Deo vestro ; celebrabitisque solemnitatem ejus septem diebus per annum : legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Mense septimo festa celebrabitis in umbraculis septem diebus. ℟. Amen.

Lectio libri Ezechielis Prophetæ (*Cap.* XXXIII).

℟. Deo gratias.

Factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis dic ad domum Israel : Sic locuti estis, dicentes : Iniquitates nostræ, et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis tabescimus : quomodo ergo vivere **433** poterimus ? Dic ad eos : Vivo ego, dicit Dominus Deus : nolo mortem impii, sed ut revertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini a viis vestris pessimis : et quare moriemini domus Israel ? Tu autem fili hominis dic ad filios populi tui : Justitia justi non liberabit eum in quacumque die peccaverit : et impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua : et justus non poterit vivere in justitia sua, in quacumque die peccaverit. Etiam si dixero justo vita vivet, et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem : omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixero impio : Morte morieris : et egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium et justitiam, pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quicquam injustum : vita vivet, et non morietur. Omnia peccata ejus, in quæ peccaverit, non imputabuntur ei : judicium, et justi-

tiam fecit, vita vivet. Et dixerunt filii populi tui : A Non est æqui ponderis via Domini et ipsorum via injusta est. Cum enim recesserit justus a justitia sua, feceritque iniquitates, morietur in eis. Et cum recesserit impius ab impietate sua, feceritque judicium, et justitiam, vita vivet, et non morietur, ait Dominus omnipotens. ℟. Amen.

Sequentia epistolæ Pauli Apostoli ad Romanos. (*Cap.* III).

℟. Deo gratias.

Fratres, Est Deus verax : omnis homo mendax, sicut scriptum est : Ut justificeris in sermonibus tuis : et vincas dum judicaris. Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, qui dicemus ? Numquid iniquus est Deus, qui infert iram ? (secundum hominem dico.) Absit : alioquin quomodo ju- B dicabit Deus hunc mundum ? Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius : quid adhuc et ego tamquam peccator judicor ? et non (sicut blasphemamur, et sicut ajunt nos quidam dicere) faciamus mala ut veniant bona : quorum damnatio juxta est. Quid igitur ? præcellimus eis ? Nequaquam. Causati enim sumus Judæos, et Græcos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est : Quia non est justus quisquam : non est intelligens, non est requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unam. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant : Venenum aspidum sub labiis eorum : Quorum os maledictione, et amaritudine plenum est. Veloces pedes eorum ad C effundendum sanguinem : Contritio, et infelicitas in viis eorum : et viam pacis non cognoverunt : Non est timor Dei ante oculos eorum. Scimus autem quoniam quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur : ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo : quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est ; testificata a lege, et Prophetis. Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi, in omnes et super omnes qui credunt : non enim est distinctio : Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. ℟. Amen.

D *Antiphona* 1. Propter honorem nominis tui Domine libera nos : et propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum. *Psalmus* LXXVIII.

Oratio. Propitius esto peccatis. *fol.* 413.

Antiphona 2. Salva plebem tuam Domine, et benedic hereditatem tuam. *Psalmus* XXVII.

Oratio. Exaudi vocem deprecationis nostræ Domine, quam ad te humili imploratione dirigimus ; tuarumque nos, quæsumus, miserationum circumda excubiis : ut non copulemur peccantium malis ; sed sit cordibus nostris pax præfixa : atque in tuo amore floreat caro nostra ; tibique complaceat vita nostra : Quapropter te rogamus, ut plebi tuæ fortissimus protector existas : tuumque populum salvum facias ; et hereditatem tuam regendo ac benedicendo sustollas. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Deus in adjutorium nostrum intende : Domine ad adjuvandum me festina. *Psalmus* LXIX.

℟. Deprecemur Dominum, et placabilis erit nobis ; *P.* Et exaudiet nos, et miserebitur nobis. ℣. Venite, exultemus in Domino : jubilemus Deo salutari nostro ; *P.* Et exaudiet. ℣. Gloria, et honor. *P.* Deprecemur Dominum.

Preces. Dicamus omnes : Miserere, Domine, et exaudi nos ; *P.* Quia pius es. ℣. Ex toto corde, et ex tota mente orantes ad te exaudi Domine ; *P.* Quia. ℣. Qui habitas in cœlis, **434** et humilia respicis, pœnitentibus dona indulgentiam. *P.* Quia. ℣. Civitatem hanc, et omnes habitantes in ea, protege Christe dextera virtutis ; *P.* Quia. ℣. Remissionem peccatorum, et emendationem morum concede Domine ; *P.* Quia pius es.

Oratio. In adjutorium nostrum intende Domine, nosque ad adjuvandum festina : nihil enim in bonis operibus conatus nostri te desistente proficiunt ; a quo gressus hominis dirigitur : tu es enim, per quem roboratur fragilitas.

Pater noster. A malo nos libera. *fol.* 10.

Benedictio dicatur illa, quæ dicitur in Tertia per totum annum.

Ad Sextam.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* XXXIII).

℟. Deo gratias.

Domine miserere nostri : te enim expectavimus : esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis. A voce Angeli fugierunt populi, et ab exultatione tua dispersæ sunt gentes. Et congregabuntur spolia vestra sicut colligitur bruchus, velut eum fossæ plenæ fuerint de eo. Magnificatus est Dominus, qui habitavit in excelso : implevit Sion judicio et justitia. Et erit fides in temporibus suis : divitiæ salutis sapientia et scientia timoris Domini : ipse thesaurus ejus. Ecce videntes clamabunt foris, et Angeli pacis amare flebunt. Dissipatæ sunt viæ, cessavit transiens in semitam, irritum factum est pactum, projecit civitates, non reputavit homines. Luxit, et elanguit terra : confusus est Libanus, et obsorduit, et factus est Saron sicut desertum : et concussa est Bassan, et Carmelus. Nunc consurgam, dicit Dominus : nunc exaltabor, nunc sublimabor. ℟. Amen.

Antiphona 1. Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nobis. *Psalmus* CXXII.

Oratio. Ad te Domine oculos nostros. *fol.* 73.

Antiphona 2. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus. *Psalmus.* CXXIII.

Oratio. Esto in nobis Domine. *fol.* 78.

Antiphona 3. Benefac Domine bonis, et rectis corde. *Psalmus* CXXIV.

℟. Miserere ; quia Deus es : *P.* Misericors, mi-

serere ; quia peccavimus tibi. ℣. Ad te levamus oculos nostros, qui habitas in cœlis. *P.* Misericors. ℣. Gloria et honor. ℟. Miserere.

Preces. Dicamus omnes : Propitiare populo tuo Christe ; *P.* Et miserere. ℣. Intende nostris tandem precibus : intende jam propitius ; *P.* Et miserere. ℣. Nos peccavimus, nos inique egimus, nos impie gessimus : *P.* Et miserere ℣. Averte iram, et dona indulgentiam cum vultus tui gratia ; P. Et miserere. ℣. A peccatis, ac delictis nostris purifica nos Domine ; P. Et miserere.

Oratio. Benefac Domine bonis. 73

Benedictio dicatur illa, quæ dicitur in Sexta per totum annum.

Ad Nonam.

Prophetia. Fili, custodi sermones meos. *fol.* 96.

Lectio libri Deuteronomii (*Cap.* XXIII. XXIV, XXV).

℟. Deo gratias.

In illis debus : Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Ego Dominus Deus vester. Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium carnis, in domo Dei tui. Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges nec quamlibet aliam rem : sed alieno. Fratri autem tuo absque usura, id quod indiget, commodabis : ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in terram, ad quam ingredieris possidendam. Cum voveris votum Deo tuo, non tardabis reddere : quia requiret illud Dominus Deus tuus : et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccator ris. Quod autem egressum est de labiis tuis, observa, et facies sicut permisisti Domino Deo tuo : ex propria voluntate et ore tuo locutus es. Cum repetes a proximo tuo rem aliquam quam debet tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas : sed stabis foris, et ille tibi proferet, quod habuerit : si autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasum : et dormiet in vestimento suo ut benedicat tibi, et habeas justitiam coram Domino Deo tuo. Non negabis mercedem indigentis, et pauperis fratribus tuis, sive advenis, qui tecum morantur in terra, et intra portas tuas sunt : sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam : ne clamet contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum. Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed **435** unusquisque pro suo peccato moritur. Non pervertes judicium advenæ et pupilli, nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum. Memento quod servieras in Ægypto, et eruit te Dominus Deus tuus inde. Idcirco præcipio tibi ut non facias hanc rem. Quando messueris segetem in agro tuo, et oblitus manipulum reliqueris, non revertaris ut colligas eum : sed advenæ, pupillo, et viduæ relinques, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. Si fruges collegeris olivarum, quicquid remanserit in arboribus, non revertaris ut colligas : A sed relinques advenæ, pupillo ac viduæ. Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, sed cedent in usus ad venæ pupilli, ac viduæ. Memento quod tu servus eras in Ægypto, idcirco præcipio tibi ut facias hanc rem. Non habebis in sacculo diversa pondera ; majus et minus : nec erit in domo tua modius major et minor : pondus habebis justum et verum, et modius æqualis et verus erit tibi : ut vivas multo tempore super terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. ℟. Amen.

Prophetia. Audite qui longe estis. *fol.* 71.

Sequentia Epistolæ Pauli Apostoli ad Romanos (*Cap.* XII.)

℟. Deo gratia.

Fratres, Obsecro vos per misericordiam Dei, ut B exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri : ut probetis quæ sit voluntas Dei, quo est placitum, et perfectum. Dico enim per gratiam quæ data est mihi in omnibus qui sunt inter vos : Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem : et unicuique sicut Deus dividit mensuram fidei, Sicut enim in uno corpore, multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent : ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est vobis, differenter ; sive autem prophetiam secundum gratiam fidei, sive C ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortatione, qui tribuit in simplicitate. qui præest in solicitudine, qui, miseretur in hilaritate. Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono : Charitatem fraternitatis invicem diligentes : Honore invicem prevenientes : Solicitudine non pigri : Spiritu ferventes : Deo servientes : Spe gaudentes : In tribulatione patientes : Orationi instantes : Negotiis sanctorum communicantes : Hospitalitatem sectantes, Benedicite persequentibus : benedicite, et nolite maledicere. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus : Idipsum sentientes invicem : non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos : Nulli malum pro malo D reddentes : providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes : Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ : scriptum est enim : Mihi vindicta ; ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi : hoc faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. ℟. Amen.

Antiphona 1. Confitemini Domino in cithara : in psalterio decem chordarum psallite ei. *Psalmus* XXXII.

Oratio. Domine, qui justorum. *fol.* 403.

Antiphona 2. Anima nostra patiens est Domino : quoniam adjutor et protector noster est. *Psalmus* XXXII.

Oratio. Tibi Domino patiens. *fol.* 404. A

Antiphona 3. Fiat, Domine, misericordia tua super nos : sicut speravimus in te. *Psalmus* XXXII.

Preces. Tu misericors Domine, eripe nos a flagella iræ tuæ : propitiare; P. Et miserere. ℣. Ecclesiam, quam prælegisti, defende : sacerdotum vota suscipe libenter : exaudi precem; P. Et miserere. ℣. Omnipotens æternæ rector Cœlorum summe Deus cerne gemitum ac fletum : præbe auditum; P. Et miserere. ℣. Seniores, juvenes, atque lactantes dira morte perimuntur in dolore : Redemptor parce; P. Et miserere. ℣. Peccavimus, iniquitates commisimus : tu Redemptor ablue omne delictum : solve reatum, P. Et.

Oratio. Fiat misericordia tua. *fol.* 401.

Ad Vesperum.

Lauda. Vespere, mane, et meridie te laudamus B Domine.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Reple Deus gaudio os nostrum : et lingua nostra exsultatione. *Psalmus* CXXV.

Lauda. Veniat super nos misericordia tua Domine; P. Salutare tuum, et eloquium tuum. **536** ℣. Et respondebo exprobrantibus mihi verbum quia speravi in sermonibus tuis. P. Salutare. ℣. Gloria, et honor. P. Salutare.

Hymnus Benignitatis. *Supplicatio.* Oremus. *f.* 69. *Capitula.* Quid poterit. *Lauda.* Veniat mihi. *Benedictio.* Christus Dei Filius. *fol.* 432.

IN SEDUNDO DIE.

Ad Matutinum.

Antiphona. Tu autem Domine. *Psalmus* III. *Oratio.* Quamvis Domine. *fol.* 68. C

Antiphona 1. Magnificate Dominum mecum : et exaltemus nomen ejus in unum. *Psalmus* XXXIII.

Oratio. In omni tempore. *fol.* 405.

Antiphona 2. Filii hominum, in protectione alarum tuarum sperant te Domine. *Psalmus* XXXV.

Oratio. In protectione alarum tuarum Domine filios hominum sperantes, nequaquam detegas; sed tamquam pullos, quo possimus supernis volatibus præparari, fovendo enutrias : nec deripi nos laceratione insidiantium sinas; nec a nido Ecclesiæ tuæ avolare permittas; sed dum nos regimine regis paterno, ad ubertatem domus tuæ adjuti tuo veniamus auxilio. ℟. Amen.

Per misericordiam. D

Antiphona 3. Populi confitebuntur tibi in æternum, et in sæculum sæculi. *Psalmus* 44.

Oratio. Deus, cujus sedes manet in sæculum sæculi, fulgeat Ecclesia tua varietate virtutum; et sceptrum tuum perornetur disciplina officiorum : quosque ejus ornamentis afficis, separari ab ea nullatenus patiaris. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Placabilis esto Domine, et ostende te nobis, P. In tempore tribulationis, et angustiæ nostræ. ℣. Deus in nomine tuo salvos nos fac : et in virtute tua libera nos. P. In tempore. ℣. Gloria, et honor. ℟. Placabilis.

In Laudibus.

Antiphona. Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. *Psalmus* L.

Oratio. Miserere nobis Domine secundum magnam misericordiam tuam : ut unde nos erubescimus, tu indulgeas : et ea, quæ egisse nos pœnitet, tu clementer ignoscas. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Canticum. Antiphona. Ne extermines.

Canticum. Domine Domine Rex. *fol.* 103.

Matutinarium. Deus Deus meus *P.* Ad te de luce vigilo. ℣. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter et caro mea. In terra deserta, invia, et inaquosa. *P.* Ad te de luce. ℣. Gloria, et honor. *P.* Ad te.

Lauda. In sanctis laudate Dominum Alleluia, alleluia : ℣. In firmamento virtutis ejus. *P.* Laudate.

Prophetia. Deus, qui das. *fol.* 130. *Hymnus.* Benignitatis fons. *Supplicatio.* Oremus. *fol.* 69. *Capitula.* Quid poterit, o piissima. *Lauda.* Veniant mihi miserationes. *Et Benedictio.* Christus Dei Filius. *fol.* 432.

Ad Tertiam.

Prophetia. Fili, habe fiduciam. *fol.* 95.

Lectio libri Exodi (*Cap.* XXII.)

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Qui immolat diis, occidetur, præter Domino soli. Advenam non contristabis, nec affliges eum : advenæ etenim ipsi fuistis in terra Ægypti. Viduæ et pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum : et indignabitur furor meus; percutiamque vos gladio, et erunt uxores vestræ viduæ, et filii vestri pupilli. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non arguas eum quasi exactor, nec usuris opprimes. Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum redde ei. Ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud in quo dormiat : si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum. Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices. Decimas tuas et primitias non tardabis offerre. (*Cap.* XXIII.) Non suscipies vocem mendacii : nec junges manum tuam ut pro impio dicas falsum testimonium. Non sequaris turbam ad faciendum malum : nec in judicio, plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies. Pauperis quoque non misereberis in judicio. Non declinabis in judicio pauperis. Mendacium fugies. Innocentem, et justum non occides : quia adversor impium. Nec accipias munera, quæ excæcant et prudentes, et subvertunt verba justorum. Peregrinis molestus non eris : scies enim advenarum animas : quia et ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti. Primitias terræ tuæ deferas **437** in domum Domini Dei tui. ℟. Amen.

Lectio libri Zachariæ Prophetæ (*Cap.* VII, VIII).

℟. Deo gratias.

Factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens : Loquere ad omnem populum terræ, et ad sacerdotes, dicens : Cum jejunaretis, et plangeretis in

quinto et septimo per hos septuaginta annos : numquid jejunium jejunastis mihi ? et cum comedistis, et bibistis, numquid non vobis comedistis, et vobismetipsis bibistis ? Numquid non hæc sunt verba quæ locutus est Dominus in manu prophetarum piorum, cum adhuc Hierusalem habitaretur, et esset opulenta, ipsa et urbes in circuitu ejus, et ad Austrum, et in campestribus habitaretur? Et factum est verbum Domini ad Zachariam, dicens : Judicium verum judicate, et misericordias et miserationes facite, unusquisque cum fratre suo. Et viduam, et pupillum, et advenam, et pauperem nolite calumniari : et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. Et noluerunt adtendere, et verterunt scapulam recedentes, et aures suas adgravaverunt ne audirent. Et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem, et verba quæ misit Dominus exercituum in Spiritu sancto, per manum prophetarum priorum : et facta est indignatio magna a Domino exercituum. Et factum est sicut locutus est Dominus, et non audierunt : sic clamabunt, et non exaudiam, dicit Dominus exercituum. Et dispersi eos per omnia regna, quæ nesciunt ; et terra desolata est ab eis, eo quod non esset transiens et revertens : et posuerunt terram desiderabilem in desertum. Factum est verbum Domini exercituum ad me dicens : Hæc dicit Dominus exercituum : Zelatus sum Sion zelo magno, et indignatione magna zelatus sum eam. Hæc dicit Dominus exercituum : Reversus sum ad Sion, et habitabo in Hierusalem : et vocabitur Hierusalem civitas veritatis, et mons Domini excercituum mons sanctificatus. ℟. Amen.

Sequentia Epistolæ Pauli Apostoli ad Romanos (*Cap.* XIII).

℟. Deo gratias.

Fratres, induimini Dominum nostrum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis. (*Cap.* XIV.) Infirmum autem in fide adsumite, non in disceptationibus cogitationum. Alius autem credit manducare omnia : qui autem infirmus est, olera manducet. Si qui non manducat, manducantem non spernat : et qui non manducat manducantem non judicet : Deus enim illum assumpsit. Tu quis es, qui judicas alienum servum ? suo Domino stat, aut cadit : stabit autem : potens enim est Deus statuere illum. Nam alius judicat diem inter diem : alius autem judicat omnem diem : unusquisque in suo sensu abundet. Qui sapit diem, Domino sapit. Et qui manducat, Domino manducat : et gratias agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, et gratias agit Deo. Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus : sive enim morimur, Domino morimur, Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est, et resurrexit : ut vivorum et mortuorum dominetur. ℟. Amen.

Antiphona 1. Redimet Dominus animas servorum suorum : et non derelinquet omnes qui sperant in eum. *Psalmus* XXXIII.

Oratio. Inquirentes te Domine. *fol.* 405.

Antiphona 2. Salvos nos faciat dextera tua, et exaudi nos. *Psalmus.* LIX.

Oratio. Salvum fac populum. *fol.* 403.

Antiphona 3. Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ. *Psalmus* LXIV.

℟. Benefaciat nobis Deus, et liberet nos ab omnibus malis ; *P.* Et donet pacem in diebus nostris : ℣. Inluminet vultum suum super nos, et misereatur nobis ; *P.* Et donet. ℣. Gloria, et honor. ℟. Benefaciat.

Preces. Fac nobiscum Domine misericordiam : da veniam : dona indulgentiam ; *P.* Et miserere placatus. ℣. Omnipotens Ingenite, Unigeniti Genitor sanctissime, precem nostram suscipe ; *P.* Et. ℣. Parce, rogamus, omnibus : parce ægrotantibus ; adsiste lugentibus : indulge pœnitentibus ; *P.* Et. ℣. Animas quiescentium, sancte Domine, ab inferno erue ; paradiso restitue ; P. Et. ℣. Christe, qui cœlos possides, mundum redimens, tu Deus clementissime, peccata nostra ablue ; P. Et.

Oratio. Exaudi nos Deus salutaris noster, *fol.* 406.

Ad Sextam.

Lectio libri Zachariæ Prophetæ (*Cap.* VIII.).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Confortentur manus vestræ, qui audistis in diebus his sermones istos per os prophetarum, in die qua fundata est domus Domini exercituum, ut templum ædificaretur. Siquidem ante dies illos merces hominum non erat, nec merces jumentorum **438** erat ; neque introeundi, neque exeundi erat pax præ tribulatione : et dimisi omnes homines, unumquemque contra proximum suum. Nunc autem non juxta priores ego faciam reliquiis populi hujus, dicit Dominus exercituum, sed semen pacis erit : vinea dabit fructum suum, et terra dabit fructum suum, et cœli dabunt rorem suum : et possidere faciam reliquias populi hujus universa hæc. Et erit : sicut eratis maledictio in gentibus, domus Judæ, et domus Israel : sic salvabo vos, et eritis benedictio : nolite timere, confortentur manus vestræ. Quia hæc dicit Dominus exercituum : Sicut cogitavi ut affligerem vos, cum ad iracundiam patres vestri me provocarent, dicit Dominus, et non sum misertus : sic conversus cogitavi in diebus istis, ut benefaciam Hierusalem, et domui Juda : nolite timere. Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo : veritatem, et judicium pacis judicate in portis vestris. ℟. Amen.

Antiphona 1. Converte Domine captivitatem] stram : sicut torrens in austro. Qui seminant in lachrimis, in gaudio metent. *Psalmus* CXXV.

Oratio. Convertere, Domine, captivitatem. *fol.* 78.

Antiphona 2. Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. *Psalmus* CXXVII.

Oratio. Deus, qui timentes te. *fol.* 79.

Antiphona 3. Speret Israel in Domino, ex hoc nunc et usque in sæculum. *Psalmus* CXXX.

℟. Miserere nobis Domine, *P.* Miserere. ℣. Ad

te levamus oculos nostros, qui habitas in cœlis : *P.* Miserere. ℣. Gloria, et honor. ℟. Miserere nobis Domine.

Preces. Exaudi Domine preces nostras; P. Et miserere nobis. ℣. Attende Domine de sanctuario tuo; P. Et miserere. ℣. Dona confidentibus de commissis malis veniam; P. Et miserere. ℣. Indulge lapsis, et parce nostris peccatis; P. Et miserere.

Capitula. Exalta cornu nostrum Domine. *fol.* 73.

Ad Nonam.

Prophetia, Fili, custodi sermones. *fol.* 96.

Lectio libri Deuteronomii (*Cap.* VII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Locutus est Moyses ad omnem Israelem, dicens: Ecce elegit te Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram. Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis vinctus est Dominus, et elegit vos, cum omnibus sitis pauciores : sed quia dilexit vos Dominus, et custodivit juramentum, quod juravit patribus vestris : eduxitque vos in manu forti, et redemit de manu servitutis, de manu Pharaonis regis Ægypti. Et scias, quia Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis et fidelis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus se, et his qui custodiunt præcepta ejus, in mille generationes : et reddens odientibus se statim, ut disperdat eos, et ultra non differat, protinus eis reddens quod merentur. Custodi ergo præcepta et cerimonias atque judicia, quæ ego mando tibi hodie ut facias. Si postquam audieris hæc judicia, et custodieris et feceris, custodiet et Dominus Deus tuus tibi pactum, et misericordiam quam juravit patribus tuis : et diliget te ac multiplicabit, benedicetque Deus fructui ventris tui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo, et armentis, gregibus ovium tuarum super terram, pro qua juravit patribus tuis ut daret tibi. Benedictus eris inter omnes populos. Non erit apud te sterilis utriusque sexus, tam in hominibus quam in gregibus tuis. Auferet a te Deus omnem languorem : et infirmitates Ægypti pessimas, quas novisti, non inferet tibi, sed cuncti hostes tui deforabunt omnes populos, quos Dominus Deus daturus est tibi. Non parcet eis oculus tuus, nec servies diis eorum, ne sint in ruinam tibi. Si dixeris in corde tuo: Plures sunt gentes istæ, quomodo potero delere eas ? noli metuere, sed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, et cunctis Ægyptiis, plagas maximas, quas viderunt oculi tui, et signa atque potentiam, manumque robustam, et extentum brachium, ut educeret te Dominus Deus tuus : sic faciet cunctis populis, quos metuis. Insuper et crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes atque disperdat qui te fugierunt, et latere potuerunt. Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est. ℟. Amen.

A *Lectio libri Zachariæ Prophetæ* (*Cap.* VIII).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: Loquimini veritatem unusquisque proximo suo: veritatem, et judicium pacis judicate in portis vestris. Et unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris : et juramentum mendax ne diligatis : omnia enim **439**
hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus. Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens : Hæc dicit Dominus exercituum : Jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi erit domui Juda in gaudium, et lætitiam, et in eo solemnitates præclaras: veritatem, et pacem tantum diligite. Hæc dicit Dominus exercituum : Usquequo veniant populi, ut habitent in civitatibus
B multis, et vadant ad habitatores, unus ad alterum, dicentes : Eamus, et deprecemur faciem Domini, et quæramus Deum exercituum, ut misereatur nobis. ℟. Amen.

Sequentia Epistolæ Pauli Apostoli ad Romanos (*Cap* XIV).

℟. Deo gratias.

Fratres, in hoc enim Christus mortuus est, et resurrexit : ut vivorum et mortuorum dominetur. Tu autem quid judicas fratrem tuum ? aut quare spernis fratrum tuum ? omnes enim stabimus ante tribunal Christi; Scriptum est enim : Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu : et omnis lingua confitebitur Deo. Itaque unusquisque vestrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo am-
C plius invicem judicemus : sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. Scio, et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat aliquid commune esse, ille commune est. Si enim propter cibum frater tuus scandalizatur, aut constristatur : jam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Non ergo blasphemetur bonum vestrum. Non est regnum Dei esca, et potus : sed justitia, et pax in Spiritu sancto. ℟. Amen.

Antiphona 1. Omnis terra adoret te, et psallat tibi. *Psalmus* LXV.

Oratio. Omnis terra adoret te, *fol.* 78.

Antiphona. 2. Dicite Deo: Quam terribilia sunt opera tua ! in multitudine virtutis tuæ. *Psalmus*
D LXV.

Oratio. Deus, cui omnis terra præconans jubilat laudem: cujusque gloriam canora psalmi conclamat voce; cujusque terribilem in tuis operibus fatetur virtutem : da nostris vocibus tibi placitum jubilum, et orationibus perfectum dicere psalmum; teque conditorem omnium prædicare virtutum : ut quia super gentes oculi tui aspiciunt, et cunctorum intima insensibiliter scrutantur; quæsumus, sic nos clementer tuis visibus prospice, sicque misericorditer corrige; ut in nobis nec facinoribus provocatus, iram effundas; nec cum rogaris, misericordiam tuam contineas : E. præsta, ut ipsa nobis sit disciplina,

quod te pro admissis metuimus : ipsumque veniæ præmium, quod Deitatem tuam credimus et fatemur. Tu itaque Domine pone animas nostras ad vitam ; ut hic defleamus quæ gessimus ; et quam peccando amisimus, gratiam adquiramus. ℟. Amen. Per misericordiam.

Antiphona 3. Benedicat nos Deus noster, benedicat nos Deus : et metuant eum omnes fines terræ. *Psalmus*. LXVI.

Preces. Dicamus omnes : Miserere. Domine, P. Miserere. ℣. Iniquitates multæ sunt : P. Miserere. ℣. Charitas refrigescit : P. Miserere. ℣. Tibi soli peccavimus ; P. Miserere. ℣. Christe Redemptor mundi, P. Miserere.

Oratio. Confiteantur tibi omnes. *fol.* 406.

Ad Vesperum.

Lauda. Sol agnovit occasum suum. Posuit tenebras, est facta est nox.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Deus memor fuit nostri : et benedixit nobis. *Psalmus*. CXIII.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Tu mandasti mandata tua, P. Custodire nimis, Deus meus. ℣. Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas. *P.* Custodire. ℣. Gloria, et honor. *P.* Custodire.

Hymnus. Benignitatis. *fol.* 69. *Capitula*. Quid poterit. *Lauda*. Veniant mihi miserationes tuæ. *folio* 432.

IN TERTIA DIE :

Ad Matutinum.

Antiphona. Voce mea ad Dominum clamavi : et exaudivit me de monte sancto suo. *Psalmus* III.

Oratio. Vocem nostram exaudi, Domine, secundum multam, et magnam misericordiam tuam : et quia tu spiras bonum, quod te petimus, tribue propitius misericordiam, quam a te rogamus. ℟. Amen. Per misericordiam.

Antiphona 1. Surge Deus, judica terram : quoniam tu dominaris in omnibus gentibus. *Psalmus* LXXXI.

Capitula. Exurge Deus, qui judicas. *fol.* 80.

440 *Antiphona* 2. Deus, qui similis tibi ? ne taceas, neque sileas Deus. *Psalmus* LXXXII.

Oratio. Deus, quis similis tibi ? *fol.* 80.

Antiphona 3. Cognoscant gentes quoniam nomen tibi Dominus : tu solus Altissimus super omnem terram. *Psalmus* LXXXII.

Oratio. Cognoscant gentes, Christe, *fol.* 72.

℟. Convertimini ad me omnis congregatio filiorum Israelis. Ecce ego confirmabo super vos faciem meam, dicit Dominus : P. Quia miscricors sum ego : ut non in æternum irascar vobis. ℣. Attendite ad me populus meus, et tribus mea me audite ; *P.* Quia. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur*. ℟. Convertimini.

In Laudibus.

Antiphona. Ne projicias nos Domine a facie tua. *Psalmus* L.

Oratio. Ne projicias nos. *fol.* 81.

A *Ad Canticum*. *Antiphona*. Tu Domine in æternum permanes, et sedes tua in sæculum sæculi.

Canticum. Memento Domine. *fol.* 206.

Matutinarium. In tuo Deus lumine *P.* Videbimus lumen. ℣. Ostende misericordiam scientibus te, et justitiam tuam his, qui recto sunt corde. ℣. Gloria, et honor. *P.* Videbimus.

Lauda, In sanctis ejus laudate Dominum Alleluia, alleluia : ℣. In firmamento virtutis ejus laudate Dominum. *Psalmus*. CL.

Lectio libri Sapientiæ Salomonis (*Cap.* XI).

℟. Deo gratias.

Miserere Deus omnibus, quoniam omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pænitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum B quæ fecisti : nec enim odiens aliquid constituisti. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses ? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur ? Parcens autem omnibus : quoniam tua sunt Domine, qui animas amas. Bonus enim spiritus tuus in omnibus. Propter quod hos, qui exerrant partibus corripis : et de quibus peccant, admones et alloqueris : ut deleta malitia, credant in te Domine. ℟. Amen.

Hymnus. Benignitatis. *fol.* 69. *Supplicatio*. Oremus. *Capitula*. Quid poterit, o piissimas Trinitas. *Lauda*. Veniant mihi *Et Benedictio*. Christus Dei Filius. *fol.* 432.

Ad Tertiam.

Prophetia. Fili, habe fiduciam. *fol.* 65.

C *Lectio libri Deuteronomii* (*Cap.* XVI).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Locutus est Moyses ad omnem cœtum filiorum Israelis, et dicit ad eum. Septem hebdomadas munerabis tibi ab ea die qua falcem in segetem miseris : et celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offerres juxta benedictionem Domini Dei tui : et epulaberis coram Domino Deo tuo, tu et filius tuus, et filia tua, et servus tuus, et ancilla, et Levites qui est intra portas tuas, et advena ac pupillus et vidua, qui morantur nobiscum : et recordaberis quoniam servus fueris in Ægypto : custodies quæ præcepta sunt. Solemnitatem quoque tabernaculorum celebrabitis septem diebus, quando collegeris de area et de torculari fruges tuas : et D epulaberis in festivitate tua, tu, et filius tuus, et filia tua, et servus, et ancilla, Levites quoque et advena, et pupillus ac vidua qui intra portas tuas sunt. Septem diebus Domino Deo festa celebrabis : benedicetque te Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis, et in omni opera manuum tuarum, erisque in lætitia. Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum in conspectu Domini Dei tui in locum quem elegerit : in solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum, et in solemnitate tabernaculorum. Non apparebitis ante Deum vacui : sed offerat unusquisque secundum quod habuerit juxta benedictionem Domini Dei sui, quod dederit ei. Judi-

ces et magistros constitues in omnibus portis tuis, A
quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas: ut judicent populum justo judicio, nec in alteram partem declinent. Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientium, et mutant corda justorum. Juste quod justum est persequeris: ut vivas et possideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. ℟. Amen.

Lectio libri Jeremiæ Prophetæ (*Cap.* v).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: Audi populus stulte, qui non habes cor: qui habentes oculos, non videtis; et aures, non auditis. Me ergo non timebitis, ait Dominus: et faciem meam non verebitis? Qui posuit arenam terminum maris, præceptum sempiternum,
quod numquam præteribit: commovebuntur, et B
non potuerunt; et intumescent fluctus ejus, et non transibunt illud: **441** populo autem huic factum cor incredulum et exasperans, recesserunt et abierunt. Et non dixerunt in corde suo: Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam et serotinam in tempore suo; plenitudinem annuæ messis custodientem nobis. Iniquitates nostræ declinaverunt hæc: et peccata nostra prohibuerunt bonum a nobis: Quia inventi sunt in populo meo impii insidiantes, aucupes laqueos ponentes et pedicas ad capiendos viros. Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plena dolo: ideo magnificati sunt et ditati. Incrassati sunt et impinguati: et præterierunt sermones meos pessime. Causam viduæ non ju-
dicaverunt, et causam pupilli non direxerunt, et ju- C
dicium pauperum non judicaverunt. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? et super gentem hujuscemodi non ulciscetur anima mea? Stupor et mirabilia facta sunt in terra: prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes plaudebant manibus suis: et populus meus dilexit talia: quid igitur fiet in novissimo ejus? (*Cap.* vi.) Confortamini filii Benjamin in medio Hierusalem. ℟. Amen.

Sequentia Epistolæ Pauli Apostoli ad Ephesios (*Cap.* iv.).

℟. Deo gratias.

Fratres, Renovamini spiritus mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis. Propter
quod deponentes omne mendacium, loquimini veri- D
tatem unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra. Irascimini, et nolite peccare: sol non occidat super iracundiam vestram, Nolite locum dare diabolo: qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus super his quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quid bonum est ad ædificationem fidei, ut detur gratia audientibus. Et nolite contristari Spiritum Sanctum Dei: in quo signatis estis in diem redemptionis. Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia. Estote autem invicem benigni, misericordes; donantes autem invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. ℟. Amen.

Antiphona 1. Nobis adhærere Deo bonum est: ponere in Domino spem nostram. *Psalm.* LXXIII.

Oratio. Nobis adhærere Deo. *fol.* 411.

Antiphona 2. Memento congregationis tuæ Domine, quam creasti ab initio. *Psalm.* LXXIII.

Oratio. Memento Domine congregationis. *fol.* 75.

Antiphona 3. Confitebimur tibi Deus: confitebimur tibi, et invocabimus nomen tuum Domine. *Psalmus.* LXXIV.

℟. Ne memor fueris iniquitates nostras antiquas, P. Cito nos præveniat misericordia tua Domine. ℣. Adjuva nos Deus salutaris noster: et propitius esto peccatis nostris. P. Cito nos. ℣. Gloria, et honor.

Reiteretur. ℟. Confitebimur.

Preces. Dicamus: Miserere nobis Deus, P. Miserere nobis. ℣. Mundi rector, et Redemptor Jesu Christe, rerum auctor, P. Miserere. ℣. Qui exaudis obsecrantes, et gementes intueris, P. Miserere. ℣. Parce nostris jam delictis, faveus vultu pietatis; P. Miserere. ℣. Hujus urbis, atque plebis conservator esto vigil: P. Miserere. ℣. Peccavimus tibi Deus: indulgentiam postulamus: P. Miserere nobis.

Oratio. Confitebimur tibi Deus: confitebimur. *fol.* 413.

Ad Sextam, et ad Nonam, omnia dicantur, ut in Feria præterita de secundo Dei jejunii Sancti Cypriani fol. 436.

IN NOMINE DOMINI JESU CHRISTI:

Incipit officium jejuniorum Kalendarum Novembrium; quod observatur tribus diebus, ante festum Sancti Martini. Ad Matutinum, omnia dicantur de feria Quarta in Capite jejunii fol. 129.

Ad Vesperum.

Lauda. Vespere, et mane, et meridie te laudamus Domine.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Salva plebem tuam Domine, et benedic hereditatem tuam. *Psalmus.* XXVIII.

Lauda. Veniat super nos misericordia tua Domine: P. Salutare tuum, et eloquium tuum. ℣. Et respondebo exprobrantibus mihi verbum: quia speravi in sermonibus tuis. P. Salutare. ℣. Gloria, et honor. P. Salutare.

Hymnus. Benignitatis *fol.* 69.

Capitula. Erubescimus Domine te. *Lauda*. Irascimini, et nolite peccare. Alleluia. *fol.* 131.

IN SECUNDO DIE.

Ad Matutinum.

Antiphona. Tu autem Domine. *Psalmus* III.

442 *Oratio*. Quamvis, Domine, plurima. *fol.* 68.

Antiphona 1. Deus nostrum refugium et virtus adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. ℣. Propterea non timebimus dum conturbabitur terra, et transferentur montes in corde maris. *Psalmus* XLV.

Oratio. Deus noster esto nobis in adversis refugium; et in certaminibus hujusmodi, virtutis tuæ

præbe solatium: ut dum te adventante mœrens turbata fuerit terra, tibi adjungantur in gaudio, qui ob metum judicii admissa deflent in sæculo: ut tu virtutum Dominus sis nobiscum: quem et timemus judicem; et cognoscimus Redemptorem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. 2. Deus salutaris noster: et averte iram tuam a nobis. Ne in æternum irascaris nobis. ℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam: et salutare tuum da nobis. P*salmus* LXXXIV.

Oratio. Ostende nobis, Domine misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis: plena gratiæ ubertate demonstra; plebis tuæ iniquitatem remitte; et cuncta peccata tegmine indulgentiali cooperi: Converte nos itaque ad te, et conversis præcepta tua servare concede: et tamen exorabilis sit tua clementia: ut in nobis hec ira tua, in quantum merito peccati gravamur, desæviat; nec indignatio bonitatem tuam commoveat: sed præsta, ut dum verbere pectora tundimus, et gementes occulta conscientiarum (cum te non lateant) propalamus, meritum nostrarum evadamus culparum: ut te Dominum misericordiæ, et veritatis auctorem completione justitiæ et pacis perpetuæ hereditatis fruamur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Deus Deus noster respice nos: sperantes in te ne derelinquas. ℣. Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: in te speraverunt, et non sunt confusi. *Psalmus* XXI.

Oratio. Christe, qui de patibulo ad Patrem, ut quid te dereliquert, adclamasti: qui cruce tua hominem peccato perditum redemisti; illumque peccati auctorem æternis arsurum ignibus tradidisti: postulamus sanctam clementiam tuam, ut nos, qui in te credimus, numquam derelinquas; nec confidentiam nostram a tua Deitate repellas: sed per diem clamorem nostrum suscipe, et in nocte placito tibi famulatu servire concede: semperque corda nostra in amorem tui fragrantia spirituali succende; et gratiam quam peccando amisimus, convertendo restitue. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Benefaciat nobis Deus, et liberet nos ab omnibus malis, *P*. Et donet pacem in diebus nostris: ℣. Inluminet vultum suum super nos, et misereatur nobis. *P*. Et donet. ℣. Gloria, et honor. ℟. Benefaciat.

In Laudibus.

Antiphona. Averte faciem. P*salmus* L. *Oratio*. Averte faciem tuam. *fol*. 68.

Ad Canticum. Antiphona, Et Canticum. Deus Patris nostri. *fol*. 100 *et* 101.

Matutinarium. Sit splendor Domini Dei nostri super nos, *P*. Et opera manuum nostrarum dirige super nos. ℣. Respice in servos tuos; et in opera tua: et dirige filios eorum. *P*. Et opera. ℣. Gloria, et honor. *P*. Et opera.

Lauda. In sanctis ejus. *Prophetia*. Miserere Deus omnibus. *fol*. 440. *Hymnus*. Benignitatis. *fol*. 69.

Capitula. Erubescimus, Domine, te Patrem. *Et Lauda*. Irascimini, et nolite. *fol*. 131. *Oratio*. Tibi Domine, *fol*. 94.

Ad Tertiam.

Prophetia. Fili, custodi sermones. *fol*. 96.

Lectio libri Exodi (*Cap*. XXXIII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut loqui solet homo cum amico suo. Cumque ille reverteretur in castra, minister ejus Josue filius Num, puer, non recedebat de tabernacula. Dixit autem Moyses ad Dominum: Præcipis ut educam populum istum: et non indicas mihi quem missurus es mecum, præsertim cum dixeris: Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me. Si enim inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, et inveniam gratiam ante oculos tuos: respice populum tuum et gentem hanc. Dixitque Dominus: Facies mea præcedet te, et requiem dabo tibi. Et ait Moyses: Si non tu ipse præcedes, ne educas nos de loco isto. In quo enim scire poterimus ego et populus tuus, invenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaveris nobiscum, et gloriemur ab omnibus populis qui habitant super terram? Dixit autem Dominus ad Moysen: en verbum istud, quod locutus es, faciam: invenisti enim gratiam **443** coram me, et te ipsum novi ex nomine. Qui ait: Ostende mihi gloriam tuam. Respondit: Ego ostendam omne bonum tibi, et vocabor in nomine Domini coram te: et miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit. Rursumque ait: Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo: et vivet. Et iterum: Ecce, inquit, est locus apud me, et stabis supra petram. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, et protegam dextera mea, donec transeam: tollamque manum meam, et videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris. (*Cap*. XXXIV.) Et de noc te consurgens ascendit in montem Sinai, sicut ei præceperat Dominus, portans secum duas tabulas. Cumque descendisset Dominus per nubem, stetit Moyses cum eo invocans nomen Domini. Quo transeunte coram eo, ait: Dominator Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multæ miserationis, ac verus, qui custodis misericordiam in millia: qui aufers iniquitatem, et scelera, atque peccata, nullusque apud te per se innocens est: qui reddis iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem. Festinusque Moyses, curvatus est pronus in terram, et adorans ait: Si inveni gratiam in conspectu tuo Domine, obsecro ut gradiaris nobiscum (populus enim duræ cervicis est) ut auferas iniquitates nostras atque peccata, nosque possideas. Respondit Dominus: Ego inibo pactum viventibus cunctis, signa faciam quæ numquam visa sunt super terram, et in nullis gentibus: ut cernat populus, in cujus es medio, opus Domini terribile quod facturus sum. Observa cuncta quæ hodie mando tibi. ℟. Amen.

Lectio libri Jeremiœ Prophetœ (*Cap.* v).

℞. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Circuite vias Hierusalem, et aspicite, et considerate, et quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, et quærentem fidem : et propitius ero ei. Quod si etiam, Vivit Dominus, dixerint : et hoc falso jurabunt. Domine oculi tui respiciunt fidem : percussisti eos, et non doluerunt : adtrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam : induraverunt facies suas super terram. et noluerunt reverti. Ego autem dixi : Forsitan pauperes sunt et stulti, ignorantes viam Domini, judicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates, et loquar eis : ipsi enim cognoverunt viam Domini, et judicium Dei sui : et ecce hi magis simul confregerunt jugum, ruperunt vincula. Idcirco percussit eos leo de silva, lupus ad vesperum vastavit eos, pardus vigilans super civitates eorum : omnis, qui egressus fuerit ex eis, capietur : quia multiplicatæ sunt prævaricationes eorum, confortatæ sunt aversiones eorum. Super quo propitius tibi esse potero ? filii tui dereliquerunt me, et jurant in his, qui non sunt dii : saturavi eos, et mœchati sunt, et in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores et in fœminas admissarii facti sunt : unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus ? et in gente tali non ulciscetur anima mea ? Ascendite muros ejus, et dissipate, consummationem autem nolite facere. ℞. Amen.

Sequentia Epistolœ Pauli Apastoli Colossenses (*Cap.* III).

℞. Deo gratias.

Fratres : Induite vos sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, modestiam, patientiam : supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, siquis adversus aliquem habet querelam : sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. Super hæc omnia, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis : et pax Christi exsultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore : et grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes, et commonentes vosmetipsos, in psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes in cordibus vestris Domino. Et omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Jesu facite, gratias agentes Deo Patri per ipsum. ℞. Amen.

Antiphona 1. Avertisti Domine faciem tuam a nobis, et facti sumus turbati. Ad te Domine clamamus : et te Deum nostrum deprecamur : ut exaudias nos, et misereberis nobis. ℣. A voce exprobrantis et obloquentis a facie inimici et persequentis. *Psalmus* XLIII.

Oratio. Domine Jesu Christe, quem sæculorum et regem fatemur et Dominum ; qui salutem in Jacob operaris ; et in Israel jocunda contemplatione cognosceris ; dona salutem mentibus nostris, delendo peccati offensam de nostris conscientiis : ut mens nostra te lumen veritatis inradiata aspiciat ; et 444 in

A splendore tuo, firmo fidei gressu permaneat. ℞. Amen.

Per.

Antiphona 2. Ecce oculi Domini super timentes eum : et in eos, qui sperant in misericordia ejus. Ut eripiat a morte animas eorum. ℣. Anima nostra patiens est Domino : quoniam adjutor et protector noster est. *Psalmus.* XXXII.

Oratio. Fiat misericordia tua Domine. *folio.* 401.

Antiphona 3. Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde : et humiles spiritu salvabit : nec derelinquet omnes qui sperant in eum. ℣. Multæ tribulationes justorum : et de his omnibus liberabit eos Dominus. *Psalmus.* XXXII.

℞. Ad te levamus oculos nostros, qui habitas in

B cœlis. P. Miserere nobis Domine, miserere nobis : quia multum repleti sumus contemptu. ℣. Multus est Domine labor et dolor. Quis novit potentiam iræ tuæ, aut præ timore iram tuam dinumerare? Convertere super servos tuos. P. Miserere. ℣. Gloria, et honor. ℞. Ad te levamus.

Preces. Miserere et parce, clementissime Domine, populo tuo ; P. Quia peccavimus tibi. ℣. Pro nostris malis flagellamur acrius, et pro delictis obcæcamur durius ; nec deflemus mala quæ commisimus : P. Quia. ℣. Remove famem, et da imbrem gratiæ, fructuumque largam præbe abundantiam, atque optatam peccatorum veniam : P. Quia. ℣. Amove pestem, Redemptor Altissime ; ne obruamur repentina morte : dum prosternimur, non detur pœna ; veniam

C da peccantibus : P. Quia. ℣. Lachrymis nostra dignis reple pectora : affluat in nos charitatis spiritus ; qua eruamur vitiorum lapsibus ; P. Quia peccavimus tibi.

Capitula. Benedicat te, Domine, in omni tempore anima nostra : qui in famulis tuis semper adest misericordia tua : dum nos et disciplina corrigis, et indulgentia foves : dum percutiendo sanas, et sanando corroboras. Dona igitur nobis, ut qui tuam in fide gustavimus suavitatem, plenissimam percipiamus in retributione dulcedinem.

Pater noster. A malo nos libera. *fol.* 10.

Benedictio, Quære illam, quæ dicitur per totum annum.

Ad Sextam.

D *Lectio libri Zachariæ Prophetæ* (*Cap.* VII, VIII).

℞. Deo gratias,

Hæc dicit Dominus : Judicium verum judicate, et misericordias facite, unusquisque cum fratre suo. Et viduam, et pupillum, et advenam, et pauperem nolite calumniari : et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. Et nolueruut adtendere, et verterunt scapulam recedentes, et adgraverunt aures suas ne audirent. Et cor suum posuerunt ut admantem, ne audirent, legem, et verba quæ misit Dominus exercituum in Spiritu sancto per manuum prophetarum priorum : et facta est indignatio magna a Domino exercituum, et non audierunt : sic clamabunt, et non exaudiam, dicit Dominus exercituum. Et di-

spersi eos per omnia regna, quæ nesciunt : et terra A desolata est ab eis, eo quod non erat transiens et revertens : et posuerunt terram desiderabilem in desertum. Et factum est verbum Domini exercituum, dicens : Zelatus sum Sion zelo magno, et indignatione magna zelatus sum eam. Hæc dicit Dominus exercituum : Reversus sum ad Sion, et habitabo in Hierusalem : et vocabitur Hierusalem Civitas veritatis, et Mons Domini exercituum mons sanctificatus. Hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc habitabunt senes et anus in plateis Hierusalem : et viri baculus in manu ejus præ multitudine dierum. Et plateæ civitatis complebuntur infantibus et puellis, ludentibus in plateis ejus. Hæc dicit Dominus exercituum : Si difficile videbitur in oculis reliquiarum populi hujus in diebus illis, numquid in oculis meis difficile B erit, dicit Dominus exercituum ? Ecce ego salvabo populum meum de terra Orientis, et adducam eos, et habitabunt in medio Hierusalem : et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum in veritate et justitia. ℟. Amen.

Antiphona 1. In te, Domine, speraverunt patres nostri : Domine speraverunt, et liberasti eos. ℣. Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt : in te speraverunt, et non sunt confusi. *Psalmus* XXI.

Oratio. Respice in nos Domine Deus noster : nec avertendo faciem tuam a nobis, nos aliquatenus derelinquas : vere enim salvi erimus, si vultus tui in nos aspectum converteris ; et hilariter nostris te animabus conjunxeris : et quia in te speraverunt patres nostri, et salvi facti sunt, nos hereditariæ fac C eorum spei succedere ; et parilitate horum, æterna eum eis exsultatione gaudere. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Misericordia tua Domine subsequatur nos **445** omnibus diebus vitæ nostræ : ℣. Et ut inhabitent in domo Domini, in longitudinem dierum. *Psalmus* XXII.

Oratio. Hymnum novum, et dulce canticum, ac tuæ laudis præconium, Domine, crebro nos tibi facito adclamare : ut tibi nos officii merito regas ; et super aquam refectionis educando convertas : ut te miserante, et regimine tuæ gratiæ sustentemur ; et aqua refectionis a contagione peccati lavemur : tuaque deductione ad te protinus exsultantes perveniamus ; tibique acceptabili famulatu infatigabiliter D serviamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Revertatur impius a via sua mala, et iniquus cesset delinquere : et veniam ad vos in jocunditate, dicit Dominus. ℟. Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere : divitiæ si fluant, nolite cor apponere. *Psalmus* LXI.)

℟. Numquid in nostra justitia fundimus preces ante te Domine ? sed speramus in misericordia, quia sanctus es. P. Exaudi, Domine, placare Domine : adtende, et fac : et noli tardare. ℣. Deus Deus noster respice in nos : quare nos dereliquisti ? longe a salute nostra verba delictorum nostrorum. *P*. Exaudi Domine. ℣. Gloria et honor. *Reiteretur* ℟. Numquid.

Preces. Misericors Domine, exaudi supplices ; *P*. Et miserere. ℣. Excelse, perpetue, quæ poscimus tribue : *P*. Et miserere. ℣. Virtutis præsidio, Redemptor, defende nos. *P*. Et miserere. ℣. Superna Potentia, peccatis da veniam ; P. Et Miserere.

Oratio. Effundentibus nobis coram te corda in oratione, tu Domine, qui spes omnium es, exaudi et miserere : tibique nos servituros subde ; et subditis peccato propitia benignitate occurre : fac nos iniquitate rapina carere ; et divitiarum tuarum ornamenta conquirere : atque te concupiscere, te nosse, teque omni vitæ nostræ tempore Dominum mereamur habere.

Pater noster. A malo nos libera. *fol*. 10.

Benedictio, Quære illam, quæ dicitur in Sexta per totum annum.

Ad Nonam.

Prophetia. Fili, habe fiduciam. *fol*. 95.

Lectio libri Exodi (*Cap*. XXIV).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Ascende ad Dominum tu, et Aaron, Nadab, et Abiu, et septuaginta senes ex senioribus Israel, et adorabitis procul. Solusque Moyses ascendet ad Dominum, et illi non appropinquabunt : nec populus ascendat cum eo. Venit ergo Moyses et narravit plebi omnia verba Domini, atque judicia : respondit que cunctus populus una voce : Omnia verba, quæ locutus est Dominus, faciemus. Scripsit autem Moyses universos sermones Domini : et mane consurgens adificavit altare ad radicem montis, et duodecim titulos per duodecim tribus Israel. Et obtulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos. Tulitque Moyses dimidiam partem sanguinis ; et misit in crateres : partem autem residuam fudit super altare. Assumensque volumen fœderis, legit audienti populo : qui dixerunt : Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes. Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum, et ait : Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus super cunctis sermonibus his. Ascenderuntque Moyses et Aaron, Nadab et Abiu, et septuaginta de senioribus Israel : et viderunt Deum : et sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphiri, et quasi cœlum, cum serenum est. Nec super eos qui procul recesserunt de filiis Israel, misit manum suam, videruntque Dominum, et comederuut, ac biberunt. Dixit autem Dominus ad Moysen : Ascende ad me in montem, et esto ibi : daboque tibi tabulas lapideas, et legem ac mandata quæ scripsi ut doceas eos. Surrexerunt Moyses et Josue minister ejus : accendensque Moyses in montem Dei, senioribus ait : Expectate hic donec revertamur ad vos. Habetis Aaron et Hur vobiscum : si quid natum fuerit quæstionis referetis ad eos. Cumque ascendisset Moyses, operuit nubes montem, et habitavit gloria Domini, super Sinai, tegens illum nubes sex diebus : septimo

autem die vocavit eum de medio caliginis. Erat species gloriæ Domini, quasi ignis ardentis super verticem montis in conspectu filiorum Israel. Ingressusque Moyses medium nebulæ, ascendit in montem : et fuit ibi quadraginta dies, et quadraginta noctes. (*Cap.* xx. *Levitici.*) Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens . Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Custodite præcepta mea ; **446** et facite ea : et scietis, quia ego sum Dominus qui sanctifico vos. ℟. Amen.

Lectio libri Joelis Prophetæ (*Cap.* II).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et fletu. Et scindite corda vestra, non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum : quia benignus ac misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia. Quis scit si convertatur, et ignoscat, et relinquat post se benedictionem, sacrificium et libamen Domino Deo nostro ? Canite tuba in Sion, sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos, et sugentes ubera : et egredietur sponsus de cubiculo suo, et sponsa de thalamo suo. Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, dicentes : Parce Domine, parce populo tuo : et ne des hereditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes : quare dicunt in populis : Ubi est Deus eorum ? Zelatus est Dominus terram suam, et pepercit populo suo. Et respondit, et dixit Dominus populo suo : Ecce ego mittam vobis frumentum, vinum, et oleum, et replebimini : et non dabo vos ultra opprobrium in gentibus. ℟. Amen.

Sequentia Epistolæ Pauli Apostoli ad Hebræos (*Cap.* XIII).

℟. Deo gratias.

Fratres, Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim habemus manentem hic civitatem, sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis Domino semper, id est, fructum labiorum confitentium nomen ejus. Beneficentiæ autem, et communionis nolite oblivisci : talibus enim hostiis promeretur Deus. Obedite præpositis vestris, et subjicite eis. Ipsi autem pervigilant, quasi rationem de animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes : hoc autem expedit vobis. Orate pro nobis : confidimus enim quia bonam conscientiam habemus in omnibus bene volentes conversari. Amplius autem deprecor vos hoc facite, ut quo celerius restituar vobis. Deus autem, qui eduxit a mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni, Dominum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis voluntatem ejus, faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum : cui est honor, et gloria in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Antiphona 1. Benedic Domine hereditatem tuam : A et rege eam, et extolle usque in sæculum. ℣. Ne simul tradas me cum peccatoribus : et cum operantibus iniquitatem. *Psalmus* XXVII.

Oratio. Clamantes ad te Domine precamur ; ut in consolatione nostra non sileas ; nec nos secundum desideria cordis nostri relinquendo, simul cum peccatoribus tradas : salva plebem tuam, quam tu ipse creasti ; et benedic hereditatem, quam pretioso sanguine redemisti. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Da virtutem, Domine, populo tuo : et benedic in pace plebem tuam ℣. Afferte Domino filii Dei : afferte Domino filios arietum. Afferte Domino gloriam et honorem. *Psalmus* XXVIII.

Oratio. Da Domine virtutem populo tuo contra adversitatum omnium mala, plebemque tuam pacis B conlatione locupleta ; ut pro abundantia quietis omnes in templo tuo tibi gloriam concinant ; laudemque pariter et honorem, malis vitæ hujus obliti, tuæ semper deferant majestati. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Esto nobis Domine in Deum protectorem, et in locum munitum, ut salvos nos facias. Quia firmamentum meum, et refugium meus es tu : et propter nomen tuum dux mihi eris, et enutries me. *Psalmus* XXX.

Preces. Miserere Domine supplicantibus : P. Tu dona nobis veniam. ℣. Rerum Creator omnium, ad te precem dirigimus : P. Tu dona. ℣. Iram tuam remove ; et quæ rogamus, tribue : P. Tu dona. ℣. C Concede nobis Domine copiam indulgentiæ : P. Tu dona. ℣. Cum misericordia tribue nobis pluviam : P. Tu dona nobis.

Oratio. Esto nobis Domine in Deum protectorem ; ne incolis obsidentibus nostrarum integritas mentium feriatur : pro loco autem munito, tuum habere mereamur auxilium : Nam te nobis obumbrante, nulla vis valebit inrumpere : neque recessus tentationum penetrabit nostros sinus, si tu intra extraque **447** adfueris, et firmamentum refugiumque nostrum tuam dexteram dederis.

Pater noster. A malo nos libera. *fol.* 10.

Benedictio. Quære illam in Nona, quæ dicitur per totum annum.

Ad Vesperum.

D Sol agnovit occasum suum. Posuisti tenebras, et facta est nox.

℣. Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Salvos fac Domine quietos terræ. *Psalmus* LXXV.

℟. Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo : elevatio manuum mearum P. Sacrificium vespertinum. ℣. Pone Domine custodiam ori meo : et ostium circunstantiæ labiis meis. P. Sacrificium. ℣. Gloria, et honor Patri. *Reiteretur* ℟. Dirigatur.

Hymnus. Benignitatis fons. *fol.* 69. *Capitula.* Erubescimus Domine te. *Lauda.* Irascimini, et nolite peccare. Alleluia. *Quære fol.* 131.

IN TERTIA DIE.

Ad Matutinum.

Antiphona. Tu autem Domine. *Psalmus* III.

Oratio. Quamvis Domine. *Quære fol.* 68.

Antiphona 1. Exaudi de cœlo Domine, et dimitte peccata servis tuis, et populo tuo. ℣. Quia tu Domine suavis, et mitis es : et multum misericors invocantibus te. *Psalmus* LXXXV.

Oratio. Deus suavis, ac mitis, multumque invocantibus te misericors ; orationem nostram auribus percipe, ac de multitudine misericordiæ tuæ nostra errata remove : et ne humi proni reptemus, ad te visendum nos erectos statue. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 2. Deus, ut liberes nos, venias : ut auxilieris nobis, festina. ℣. Qui regis Israel, intende : qui deducis velut ovem Joseph. Qui sedes super cherubim, appare. *Psalmus* LXXIX.

Oratio. Domine virtutum, orationes servorum tuorum non iratus sed placatus accipe : vel quod nos orare oporteat, dignare monstrare : eosque æternitatis cibo conforta, quos panis lachrymarum conturbat : et tam mensurabili fletu flumina lachrymarum oculi fluant ; ut miserationum tuarum copiam criminibus elisis, inflectant ; quique Redemptoris nostri adventum trementes pavemus, ejus gloriosum conspectum, te tribuente, pacatissimum contemplemur. ℟. Amen

Per.

Antiphona 3. Domine Deus noster exaudi nos : propitius esto, et salva nos, ℟. Cito nos præveniat misericordia tua : quia pauperes facti sumus nimis. *Psalmus* LXXVIII.

Oratio. Cito anticipet nos misericordia tua, Domine ; quos nec consolatio spei, nec fiducia meriti, nec opitulatio sustentat auxilii ; sed vitæ reatus, vexatioque jactatos arguit, vel conscientia facinorum, vel ultio peccatorum : libera nos propter nomen tuum ; et propitius esto peccatis nostris propter gloriam tuam : ut cum utramque rem propter te feceris, et solita populum tuum pietate respexeris ; gloria tibi detur ex liberatione, et propitiatio nobis tuo accedat ex nomine. ℟. Amen.

Per.

℟. Deprecemur Dominum, dicentes : Peccavimus tibi Deus ; P. Patientiam habe in nobis, et propitiare in malis, quæ quotidie adcrescunt super nos : ℣. Defecimus in ira tua, et in furore tuo conturbati sumus. P. Patientiam. ℣. Gloria, et *Reiteretur* ℟. Deprecemur.

In Laudibus.

Antiphona. Ne projicias nos Domine a facie tua. *Psalmus* L.

Oratio. Ne projicias nos Domine. *Quære fol.* 81.

Ad Canticum. Antiphona. Tu Domine in æternum.

Canticum. Memento Domine quid factum sit nobis. *fol.* 206. *In loco.* Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum.

A *Matutinarium.* Exortum est in tenebris. *Quære fol.* 69.

Lauda. Montes, et colles : ligna fructifera, et omnes cedri. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Ecclesiastici Salomonis (*Cap.* XXXVI).

℟. Deo gratias.

Miserere nostri Deus omnium, et respice nos, et ostende lumen miserationum tuarum : et immitte timorem tuum super gentes, quæ non exquisierunt te, et cognoscant quia non est Deus nisi tu, ut enarrent magnalia tua. Alleva manum tuam super gentes alienas, ut videant potentiam tuam. Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostrorum magnificaberis in illis, ut cognoscant te, sicut et nos cognovimus quoniam non B est Deus præter te Domine. Transi, innova, et immuta mirabilia. In ira flammæ devorentur **448** peccatores ; et qui pessimant plebem tuam, inveniant perditionem. Contere caput principum inimicorum, dicentium : Non est alius præter nos. Congrega omnes tribus Jacob : et cognoscant quia non est Deus nisi tu, ut enarrent magnalia tua : et hereditabis eos, sicut ab initio. Miserere plebi tuæ, super quam invocatum est nomen tuum ; et Jacob, quem coæquasti primogenito tuo. Miserere civitati sanctificationis tuæ Hierusalem, civitati requiei tuæ. Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis, et gloria tua populum tuum. Da testimonium, quia ab initio creaturæ tuæ sunt, et suscita prædicationes, quas locuti sunt nomine tuo prophetæ priores. Da mercedem sustinentibus te, et prophetæ tui fideles C inveniuntur : et exaudi orationes servorum tuorum. Secundum benedictionem tuorum da populo tuo, et dirige nos in justitiam, et sciant omnes qui inhabitant terram, quia tu es Deus conspector sæculorum. ℟. Amen.

Hymnus. Benignitatis fons. *fol.* 69. *Capitula.* Erubescimus Domine. *Lauda.* Irascimini, et nolite peccare. Alleluia. *fol.* 131. *Oratio.* Tibi Domine. *fol.* 117.

Ad Tertiam.

Prophetia. Fili, Custodi sermones meos. *Quære f.* 96.

Lectio libri Deuteronomii (*Cap.* XII).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Locutus est Moyses ad omnem cœtum filiorum Israel, et dixit ad eum : Observa et D audi omnia quæ ego præcipio tibi, ut bene sit tibi et filiis tuis post te in sempiternum, cum feceris quod bonum est et placitum in conspectu Domini Dei tui. Quando disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris possidendas, et possederis, atque habitaveris in terram eorum : cave ne imiteris eas, postquam fuerint te introeunte subversæ, et requiras cærimonias eorum. Non facias similiter Deo Domino tuo. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino : ne addas quicquam, nec minuas. (*Cap.* XIII.) In toto corde, et in tota anima vestra Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, mandata illius custodite, et audite vocem : ipsi servietis, et ipsi adhærebitis, ut

avertatur Dominus ab ira furoris sui, et misereatur A tui, multiplicetque te sicut juravit patribus tuis, quando audieris vocem Domini Dei tui, custodias omnia præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, ut facias quod placitum est in conspectu Domini Dei tui. (*Cap.* XIV.) Fideles estote Domino Deo vestro : non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo. Quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo : et elegit ut sis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus quæ sunt super terram. Peregrino, qui intra portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei : quia tu populus sanctus es Domini Dei tui : ut discas timere Dominum Deum tuum omni tempore, ut comedant et saturabuntur : ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris. (*Cap.* XV.) Civem et propinquum repetendi non B habebis potestatem. Et omnino indigens mendicus inter vos non eris : ut benedicat tibi Dominus in terram, quam traditurus est tibi in possessionem. Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, et custodieris universa quæ ejus sunt, quæ ego præcipio tibi hodie, ut pollicitus es : fœnerabis gentibus multis, et ipse a nullo accipies mutuum : dominaberis nationibus plurimis, et tui nemo dominabitur. Cave ne forte subrepat tibi impia cogitatio : ne avertas oculos tuos a paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum commodare : ne clamet contra te ad Dominum, et fiat tibi in peccatum. Sed dabis ei : nec ages quippiam callide in ejus necessitatibus sublevandis : ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, in cunctis ad quæ manum miseris. C Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ : idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi, qui tecum versatur in terra : ut benedicat tibi Dominus Deus in cunctis operibus tuis. ℟. Amen.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* LIX).

℟. Deo gratias.

Ecce non est adbreviata manus Domini ut salvare nequeat, neque adgravata est auris ut non audiat : Sed iniquitates vestræ diviserant inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderant faciem ejus a vobis ne exaudiat. Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, et digiti vestri iniquitate : labia vestra locuta sunt mendacium, et lingua vestra iniquitatem fatetur. Non est qui invocet justitiam, nec D est qui judicet vere : sed confidunt in nihilo, et loquuntur vanitates : conceperunt laborem, et pepererunt iniquitatem. Ova aspidum ruperunt, et 449 telas araneæ texuerunt : qui comederit de ovis eorum, morietur : et quod confotum ex eo, erumpet in regulum. Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur vestimentis suis : opera eorum opera inutilia; opus iniquitatis in manibus eorum. Pedes eorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem innocentem : cogitationes eorum cogitationes inutiles : vastitas et contritio in viis eorum. Viam pacis nescierunt, et non est judicium in gressibus eorum : semitæ eorum incurvatæ sunt eis : omnis qui calcat in eis, ignorat pacem. Propter hoc elongatum est judicium a vobis, et non apprehendet vos justitia : expectavimus lucem, et ecce tenebræ ; splendorem, et in tenebris ambulavimus. Palpavimus sicut cæci parietem, et quasi absque oculis adtrectavimus : impegimus meridie quasi in tenebris, et caliginosi quasi mortui. Rugiemus quasi ursi omnes, et quasi columbæ meditantes gememus : expectavimus judicium, et non est; salutem, et elongata est a nobis. Multiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ coram te, et peccata nostra responderunt nobis : quia scelera nostra nobiscum, et iniquitates nostras cognovimus, peccare et mentiri contra Dominum : et aversi sumus ne iremus post tergum Dei nostri, ut loqueremur calumniam et transgressionem : concepimus, et locuti sumus de corde verba mendacii. Et conversum est retrorsum judicium, et justitia longe stetit : quia corruit in platea veritas, et æquitas non potuit ingredi. Et facta est veritas in oblivione : et qui recessit a malo, prædæ patuit : et vidit Dominus, et malum apparuit in oculis ejus, quia non est judicium : et vidit quia non est vir : et aporiatus est, quia non est qui occurrat : et salvavit sibi brachium sanctum suum, et justitia ejus ipsa confirmavit eum. ℟. Amen.

Sequentia epistolæ Pauli Apostoli ad Galatas (*Cap.* V).

℟. Deo gratias.

Fratres, omnis lex in uno sermone completur : Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Quod si invicem mordetis, et comeditis : videte ne ab invicem consumamini. Dico autem : Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum : spiritus autem adversus carnem : hæc enim invicem adversantur sibi : ut non quæcumque vultis, illa faciatis. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. Manifesta autem sunt opera carnis : quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, invidiæ, homicidia, ebrietas, comessationes, et his similia : quæ dico vobis, sicut et prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Fructus autem Spiritus est : charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modestia. Adversus hujusmodi non est lex. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis. Si vivimus spiritu, spiritu ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi invicem provocantes invicem invidentes. (*Cap.* VI.) Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, componite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris. Alter alterius onera portate, et sic implebitis legem Christi. ℟. Amen.

Antiphona 1. Ante te, Domine, omne desiderium nostrum : et gemitus noster non est absconditus a te. Cor enim nostrum conturbatum est in nobis. ℣. Ne derelinquas me Domine Deus meus : ne discesseris a me. *Psalmus* XXXVII.

Oratio. Domine ante te omne desiderium nostrum; et gemitus noster non est absconditus a te: præsta ergo, quæ desideramus; et parce, quæ gessimus: simulque et fructum nostris tribue desideriis: et veniam concede peccatis. ℟. Amen. A

Per.

Antiphona 2. Humiliata est in pulverem anima nostra: adhæsit in terra venter noster: Exsurge, quare obdormis Domine? exsurge, et ne repellas nos in finem. *Psalmus* XLIII.

℣. Deus auribus nostris audivimus, et patres nostri annuntiaverunt nobis.

Oratio. Rex Deus noster, qui mandas salutem Jacob, insurgentium in nos tentationum impetus, tui nominis majestate devince: et insidiantium inimicorum laqueos brachii tui virtute confringe: ut qui B cordis secreta cognoscis; conscientiæ maculas abluas; fidem nostram in te firmam efficias; humilitatem placatus intendas; et in defensione nostri semper exsurgas. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Audi populus meus, et loquar: Israel, et testificabor tibi: quoniam Deus Deus tuus ego sum. In tribulatione invocasti me, et liberavi te, et exaudivi te in abscondito tempestatis. ℣. Deus deorum Dominus locutus est: et vocavit terram a solis ortu usque ad occasum: ex Sion species decoris ejus. *Psalmus* XLIV.

℟. Custodi Domine animas nostras, quia sanctus es: **450** salvum fac populum tuum, Deus, sperantem in te. Quia tu suavis, ac mitis es; et multum C misericors P. Invocantibus te. Auribus percipe orationem nostram. ℣. In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte coram ipso: et non sum deceptus. Negavit consolari anima mea. ℣. Protege Domine civitatem istam, et esto adjutor populo tuo, et libera nos ab omnibus malis, quibus non tradidisti. ℣. Domine refugium factus es nobis, a generatione in generationem. Priusquam fierent montes, aut firmaretur orbis terræ; a sæculo et in æternum tu es. ℣. Reddat tibi in memoria, Deus, opus manuum tuarum; ne recordatus fueris omnibus sceleribus nostris: fac nobiscum propter nomen tuum. ℣. Gloria, et honor.

Preces. Verbum Patris Altissimi, P. Redemptor, D peccantibus miserere: ℣. Elide nostrum facinus, qui pro nobis es traditus; P. Redemptor. ℣. Purifica nos a vitiis; qui cæsus es alapis; P. Redemptor. ℣. Qui pro nobis potatus es felle, nos reple dulcedine; P. Redemptor. ℣. Accende nos igne Crucis tuæ, quos redemisti sanguine; P. Redemptor.

Oratio. Invocamus te Domine in die tribulationis, ut nos eripias, fideique nutrimentis et nos crescere facias: ut quod mente proficimus, tibi serviat; et usus nostræ actionis laus sit tui perpetim nominis.

Pater noster. A malo nos libera. *fol.* 10.

Benedictio, Quære illam, quæ dicitur in Tertia per totum annum.

Ad Textam.

Prophetia. Domine miserere nostri. *fol.* 434.

Antiphona 1. Audi Domine deprecationem populi tui; et cunctorum preces orantium in isto loco, Deus, de cœlo exaudi. ℣. Quia tu Domine suavis, ac mitis es; et multum misericors invocantibus te. *Psalmus* LXXXV.

Oratio. Salvos nos fac servos tuos, Domine Deus noster, sperantes in te; quia suavis ac mitis multumque misericors es, respice in nos, ac miserere nostri: ut nominis tui magnitudine cor nostrum lætetur; te timeat, ut lætetur: deduc nos in via tua; et ambulantes in veritate tua consolare adjutorio, et adjuva consolando. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Tu nobis es, Domine refugium a pressura, quæ circumdedit nos: multa sunt enim flagella peccatorum nostrorum. ℣. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates: et quorum tecta sunt peccata. *Psalmus* XXXI.

Oratio. Dona nobis Domine peccatorum remissionem, qui purgatis præstas beatitudinem: esto refugium a pressura damnationis, qui indultor es libertatis: et quia multa flagella peccatorum in nobis, plaga inruente, desæviunt, in te confidendo circumdari nos misericordia tua sentiamus. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Miserere nobis Domine, miserere: quia multum repleti sumus contemptu. ℣. Ad te levamus oculos nostros, qui habitas in cœlis. *Psalmus* CXXII.

℟. Non est Deus præter te Domine. Innova signa, et immuta mirabilia. Miserere plebi tuæ super quam invocatum est nomen tuum. Miserere civitati sanctificationis tuæ. Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis; pro gloria tua populum. ℣. Tu Dominus noster suavis, ac mitis es, patiens, et cum omni misericordia disponens omnia; et si peccavimus in te; tui sumus expectantes misericordiam tuam. ℣. Quique terriginæ, ac filii hominum: simul in unum dives et pauper. ℣. Exaudi Domine: placare Domine, adtende, et fac; ne moreris propter temetipsum, Deus meus. ℣. Cognoscimus Domine peccata nostra, et iniquitates patrum nostrorum: peccavimus coram te; parce nobis Domine. ℣. Miserere Deus omnium, quoniam omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. ℣. Tu Domine virtutum cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis omnia. ℣. Ego sum Deus: ambulate coram me, et estote perfecti; ut possideatis terram hereditatis vestræ. ℣. Ego sum, et pactum meum mecum, dicit Dominus. Convertimini ad me, et plangite: et ego consolabor vos velociter. ℣. Gloria, et honor, *Reiteretur* ℟. Non est Deus.

Preces. Quos redemisti sanguine, P. Tua salva potentia, Christe misericors: ℣. Pro quibus flagellis cæsus adductus es, P. Tua: ℣. Pro quorum crimine, Piissime, cruci affixus es, P. Tua: ℣. Pro-

quibus verberatus, capite percussus es, P. Tua : ℣. Qui tibi flentes mala nostra pandimus; P. Tua salva potentia.

Oratio. Miserere nobis Domine; expectationi nostræ quæsitum auxilium tribue: ut, qui superbo- A rum repleti sumus contemptu, defensionis tuæ muniamur auxilio.

Pater noster. A malo nos libera. *fol.* 10.

A*d Nonam dicatur, ut in Nona de secunda Die Jejunii præcedenti. fol.* 445 et 446.

IN NOMINE DOMINI

INCIPIT

LIBER PRIMUS PSALMORUM

SECUNDUM DAVID PROPHETAM.

INCIPIT PRIMUS PSALMUS.

Prophetia de Domino Jesu Christo, sibe fructu justorum et interitu impiorum.

(1) Ana. *In lege Domini fuit voluntas eius die, ac nocte: in lege eis meditabitur.*

Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit * et in catedra pestilentiæ non sedit.

Sed in lege Domini fuit voluntas eius * et in lege eius meditabitur die, ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantatum est * secus decursus aquarum.

Quod fructum suum dabit in tempore suo: et folium eius non decidit * et omnia quæcumque fecerit, prosperabuntur.

Non sic impii, non sic sed tamquam pulbis, quem proicit ventus a facie terræ.

Ideo non resurgunt impii in iudicio * neque peccatores in consilio iustorum.

Quoniam nobit Dominus viam iustorum * et iter impiorum peribit.

II.

In finem Psalmus David.

Ana. *Nunc reges intelligite, erudimini omnes qui iudicatis terram: servite Domino in timore.*

Quare fremuerunt gentes * et populi meditati sunt inania?

Adstiterunt reges terræ * et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius.

Disrumpamus vincula eorum * et proiciamus a nobis iugum ipsorum.

Qui habitat in cœlis, inridebit eos * et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua * et in furore suo conturbabit eos.

Diapsalma.

Ego autem constitutus sum rex ab eo super Syon montem sanctum eius * prædicans præceptum Domini.

Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; * ego odie genui te.

B Pete a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam * et possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea * et tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc reges intelligite * erudimini omnes, qui iudicatis terram.

Servite Domino in timore * et exultate ei cum tremore.

Adpreendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus * et pereatis a via iusta.

Cum exarserit in brebi ira eius * beati omnes, qui confidunt in eum.

III.

Psalmus David, cum fugerit a facie Absalonis filii sui.

Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me? C * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animæ meæ * non est salus illi in Deo eius.

Diapsalma.

Tu autem, Domine, susceptor meus es * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamabi * et exaudibit me de monte sancto suo.

Diapsalma.

Ego dormibi, et quiebi, et resurrexi * quoniam Dominus suscitabit me.

Non timebo millia populi * circumdantis me:

Exurge Domine * salbum me fac Deus meus.

Quoniam tu percusisti omnes adversantes mihi sine causa * dentes peccatorum conteruisti.

D Domini est salus * et super populum tuum benedictio tua.

IV.

Victori in Psalmis Cantici David.

Ana. *Quum invocarem te, exaudisti me: Deus iustitiæ liberasti me.*

[n] Quum invocarem te, exaudisti me, Deus justitiæ meæ: * in tribulatione dilatasti me.

Miserere mei, Domine: * et exaudi orationem meam.

Filii hominum, usquequo grabes corde: * ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium.

Diapsalma.

Scitote quoniam magnificabit Dominus sanctum suum : * Dominus exaudiet me dum clamabero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare; * quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini.

Diapsalma.

Sacrificate sacrificium iustitiæ, et sperate in Domino, * Multi dicunt, quis ostendit nobis bona ?

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine* dedisti lætitiam in corde meo.

A tempore frumenti, vini, et olei sui * multiplicati sunt.

In pace in idipsum dormiam, et requiescam * quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.

V.

Victori pro hereditatibus. Canticum David.

Ana. *Mane exaudies vocem meam Domine : mane adstabo tibi, et adorabo te.*

Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum * intende voci orationis meæ,

Rex meus, et Deus meus * quoniam ad te orabo, Domine.

Mane exaudies vocem meam * mane adstabo tibi, et videbo te.

Quoniam tu es Deus nolens iniquitatem * non habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

Odisti Domine omnes, qui operantur iniquitatem * perdes eos, qui locuntur mendacium.

Virum sanguinum, et dolosum abominabit Dominus : ego autem in multitudine misericordiæ tuæ sperabo. * Introibo in domum tuam : adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine deduc me in justitia tua propter inimicos meos * dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas * cor eorum vanum est.

Sepulcrum patens est guttur eorum * linguis suis dolose agebant.

Iudica illos Deus * decidant a cogitationibus suis.

Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos * quoniam exacerbaberunt te, Domine.

Lætentur omnes, qui sperant in te : in æternum exultabunt, et inhabitabis in eis * et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum.

Quoniam tu Domine, benedices justum :* Domine, ut scutum bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.

VI.

Victori in psalmis super octaba. Canticum David.

Ana. *Ne in ira tua arguas me, Domine.*

Domine ne in ira tua arguas me * neque in furore tuo corripias me.

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum * sana me, Domine.

Quoniam turbata sunt ossa mea * et anima mea turbata est valde.

Et tu, Domine, usquequo convertere, et eripe animam meam * salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui * in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laborabi in gemitu meo, lababo per singulas noctes lectum meum * lacrimis stratum meum rigabo.

Turbatus est præ ira oculus meus * inveterabi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem : quoniam exaudibit Dominus vocem fletus mei * exaudibit Dominus deprecationem meam : Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, et confundantur omnes inimici mei * avertantur retrorsum, et confundantur valde velociter.

VII.

Psalmus David, quem canebat Domino pro verbis Cusi filii gemini.

Ana. *Iustum adiutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.*

Domine Deus meus in te sperabi * libera me ab omnibus persequentibus me, et eripe me.

Ne quando rapiat, ut leo, animam meam * dum non est, quid redimat, neque qui salvum faciat.

[III] Domine, Deus meus si feci istud : si est iniquitas in manibus meis ; si reddidi retribuentibus mihi mala * decidam merito ab inimicis meis inanis.

Persequatur inimicus animam meam, et comprendat eam, et conculcet in terra vitam meam * et gloriam meam in pulverem deducat.

Diapsalma.

Exurge Domine in ira tua * et exaltare in finibus inimicorum tuorum.

Exurge Domine Deus meus in præcepto, quod mandasti : et sinagoga populorum circumdabit te * et propter hanc in altum regredere, Domine.

Judica populos : judica me, Domine, salbum me fac secundum iustitiam meam * et secundum innocentiam manuum mearum super me.

Consummetur nequitia peccatorum ; * et dirige iustum scrutans corda, et renes Deus.

Iustum adjutorium meum a Domino * qui salvos facit rectos corde.

Deus iudex justus, fortis, et patiens * nunquid irascitur per singulos dies ?

Nisi convertamini, gladium suum vibrabit * arcum suum tetendit, et paravit illum.

Et in eo paravit vasa mortis * sagittas suas ardentes effecit.

Ecce parturit iniustia * concepit dolorem et peperit iniquitatem.

Lacum aperuit, et fodit eum * et inciditin fobeam, quam operatus est.

Convertitur dolor eius in capite eius * et iniquitas eius in vertice ipsius descendit.

Confitebor Domino secundum iustitiam eius * et psallam nomini Domini altissimi

VIII.

In finem pro torcularibus Psalmus David.

Ana. *Quam admirabile est nomen tuum, Domine, in universa terra.*

Domine, Dominus noster * quam admirabile est nomen tuum in universa terra.

Quoniam elebata est magnificentia tua supra cœos * ex ore infantium, et lactantium perfecisti laudem.

Propter inimicos tuos * ut dextruas inimicum, et defensorem.

Quoniam videbo cœlos, opera digitorum tuorum * lunam, et stellas, quas tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es eius * aut filius hominis, quoniam visitas eum.

Minorasti eum paulo minus ab angelis * gloria, et honore coronasti eum : et constituisti eum super opera manum tuarum.

Omnia subiecisti sub pedibus eius, obes, et boves * universa insuper et pecora campi.

Volucres cœli, et pisces maris * qui perambulant semitas maris.

Domine, Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in universa terra.

IX.

Victori pro morte filii Canticum David.

Ana. *Lætabor, et exultabo in te, et psallam nomini tuo, Altissime.*

Confitebor tibi, Domine; in toto corde meo * narrabo omnia mirabilia tua.

Lætabor, et exultabo in te * et psallam nomini tuo Altissime.

In convertendo inimicum meum retrorsum * infirmabuntur, et perient a facie tua.

Quoniam fecisti iudicium meum, et causam meam * sedes super tronum, qui iudicas æquitatem.

Increpasti gentes, et periit impius * nomen eorum delesti in æternum, et in sæculum sæculi.

Inimici defecerunt framea in finem * et civitates eorum dextruxisti.

Periit memoria eorum cum sonitu * et Dominus in æternum permanet.

Parabit in iudicio sedem suam * et ipse iudicabit orbem terræ in æquitate.

Iudicabit populos cum iustitia, et factus est Dominus refugium pauperum * adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.

Et sperent in te omnes, qui noberunt nomen tuum * quoniam non derelinquis quærentes te, Domine.

Psallite Domino, qui habitatis in Syon * adnuntiate inter gentes mirabilia eius.

Quoniam requirens sanguinem eorum, memoratus est * et non est oblitus orationes pauperum.

Miserere mei Domine, et vide humilitatem meam de inimicis meis * qui exaltas me de portis mortis, ut adnuntiem omnes laudes tuas in portis filiæ Syon : exultabo in salutari tuo.

Infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt * in laqueo, quem occultaberunt, compreensus est pes eorum.

Cognoscitur Dominus iudicia faciens * in operibus manuum suarum compreensus est peccator.

Convertantur peccatores * in infernum omnes [IV] gentes, qui oblibiscuntur Dominum.

Quia non in finem oblibiscetur pauperis * patientia pauperum non peribit in finem.

Ana. *Tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor.*

℟ Exurge, Domine, non prævaleat homo * iudicentur gentes in conspectu tuo.

Constitue, Domine, legislatorem super eos * ut sciant gentes, quoniam homines sunt.

Diapsalma.

Ut quid, Domine, recessisti longe * despicis in opportunitatibus, in tribulatione?

In supervia impii incenditur pauper * compreenduntur in cogitationibus suis, quas cogitant.

Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ * et qui inique gerit, benedicetur.

Exacerbavit Dominum peccator * secundum multitudinem iræ suæ requiret.

Non est Deus in conspectu eius * polluntur viæ eius in omni tempore.

Auferuntur iudicia tua a facie eius * omnium inimicorum suorum dominabitur.

Dixit enim in corde suo non mobebor * a generatione in generatione sine malo.

Cuius maledictione os plenum est, et amaritudine, et dolo * sub lingua eius labor, et dolor.

Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem * oculi eius in pauperem respiciunt.

Insidiatur in occultis, sicut leo in cubili suo * insidiatur, ut rapiat pauperem, rapere pauperem.

Donec adducat eum in conversatione sua, et in laqueo suo humiliabit eum * inclinabit se, et cadet, dum dominabitur pauperi.

Dixit enim in corde suo : Oblitus est Deus * avertit faciem suam, ne videat usque in finem.

Exurge, Domine Deus meus, et exaltetur manus tua * ne oblibiscaris pauperem in finem.

Cuius causa irritavit impius Deum? * dixit enim in corde suo : Non requiret Deus.

Vides quoniam tu laborem, et dolorem consideras * ut tradas eum in manibus tuis.

Tibi derelictus est pauper * pupillo tu eris adiutor.

Conteres brachia peccatoris, et maligni * requiretur delictum eius, nec invenietur.

Regnabit Dominus in æternum et in sæculum sæculi * peribitis gentes de terra eius.

Desiderium pauperum exaudibit Dominus * deprecationes cordis eorum exaudibit auris tua.

Iudicare pupillo, et humili * ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.

X.

In finem Psalmus David.

Ana. *Quoniam iustus Dominus, et iustitiam dilexit æquitatem vidit vultus eius.*

In Domino confido * quomodo dicitis animæ meæ transmigra in monte sicut passer.

Quoniam ecce peccatores tetenderunt arcum * paraberunt sagittas suas in faretra, ut sagittent in obscuro rectum corde ?

Quoniam quem tu perfecisti, ipsi dextruxerunt : * iustus autem quid fecit ?

Dominus in templo sancto suo * Dominus in cœlo sedes eius : oculi eius in pauperem respiciunt.

Palpebra ejus interrogat filios hominum : Dominus interrogat iustum, et impium : * qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluit super peccatores laqueus ignis * sulfur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.

Quoniam iustus Dominus, et iustitiam dilexit * æquitatem vidit vultus eius.

XI.

In finem pro octaba. Psalmus David.

Ana. P*ropter miserias inopum, et gemitus pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.*

Salbum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus * quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum.

Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum * labia dolosa in corde, et de corde locuti sunt mala.

Disperdat Dominus universa labia dolosa * et linguam magniloquam.

Qui dixerunt : Lingua nostra magnificabimur * labia nostra a nobis sunt : quis noster est Dominus ?

Propter miserias inopum, et gemitus pauperum * nunc exurgam, dicit Dominus.

Ponam super salutarem meum * fiducialiter agam in eo.

Eloquia Domini eloquia casta * argentum igne examinatum terræ purgatum septuplum.

Tu, Domine, serbabis nos, et custodies nos a generatione hac * in æternum,

In circuitu impii ambulabunt * secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

XII.

In finem Psalmus David.

[v] Ana. *Exultabit cor meum in salutari tuo : cantabo Domino, qui bona tribuit mihi.*

Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem ? quousque avertis faciem tuam a me ?

Quandiu ponam consilium in animam meam * dolorem in corde meo per diem.

Usquequo exaltabitur * inimicus meus super me ?

Respice, et exaudi me, Domine Deus meus * inlumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte :

Ne quando dicat inimicus meus : Prævalui adversus eum.

Qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero * ego autem in tua misericordia sperabo.

Exultabit cor meum in salutari tuo * cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Domini altissimi.

XIII.

In finem Psalmus David.

Ana. *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus * Tu Deus noster es ?*

Dixit insipiens in corde suo : * Non est Deus.

Corrupit sunt et abominabiles facti sunt in voluptatibus suis * non est, qui faciat bonum : non est usque ad unum.

Dominus de cœlo prospexit super filios hominum * ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum.

Omnes declinaberunt : simul inutiles facti sunt in voluptatibus suis : * non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Sepulcrum patens est guttur eorum * linguis suis dolose agebant.

Venenum aspidum sub labiis eorum * quorum os maledictione et amaritudine plenum est.

Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem : contritio, et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non agnoberunt * non est timor Dei ante oculos eorum.

Nonne cognoscent omnes * qui operantur iniquitatem.

Qui devorant plebem meam, sicut cibum panis : Dominum non invocaberunt * illuc trepidaberunt timore, ubi non erat timor.

Quoniam Dominus in generatione iusta est * consilium inopis confudisti, quoniam Deus spes eius est,

Qui dabit ex Sion salutare Israel * in avertendo Dominus captivitatem plebi suæ, lætetur Jacob, et exultet Israel.

XIV.

Psalmus David.

Ana. *Quis habitabit, Domine, in tabernaculo tuo, aut quis requiescit in monte sancto tuo ?*

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo ? aut qui requiescit in monte sancto tuo ?

Qui ingreditur sine macula, et operatur iustitiam : qui loquitur veritatem in corde suo, et non egit dolum in lingua sua ; nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximum suum * ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus : timentes autem Dominum magnificat.

Qui iurat proximo suo, et non decipit eum * qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Qui facit hæc * non commobebitur in æternum.

XV.

Titulus inscriptione Psalmus David.

Ana. *Dixi Domino : Deus meus es tu.*

Conserva me, Domine, quoniam in te sperabi, dixi Domino : * Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non indiges.

Sanctis qui in terra sunt eius * mirificavit omnes voluntates suas inter illos.

Multiplicatæ sunt enim infirmitates eorum * post te acceleraberunt.

Non congregabo conventicula eorum de sangui- A
nibus * nec memor ero nomina illorum per labia mea.

Dominus pars hereditatis meæ, et calicis mei * tu es, qui restituisti mihi hereditatem meam.

Funes ceciderunt mihi in præclaris * etenim hereditas mea præclara est mihi.

Benedicam Domino, qui mihi tribuit intellectum * insuper et usque ad noctem increpaberunt me renes mei.

Prævidebam Dominum in conspectu meo semper * quoniam a dextris est mihi, ne unquam commobear.

Propter hoc delectatum est cor meum, et exultabit lingua mea * insuper et caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in infer-
num * nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. B

Notas mihi fecisti vias vitæ * adimplebis me lætitia cum vultu tuo; delectationes in dextera tua usque in finem.

XVI.

In finem Oratio ipsi David.

[vi] Ana. *Exaudi Deus iustitiam meam, intende deprecationem meam, auribus percipe, Domine, orationem meam.*

Exaudi, Deus, iustitiam meam, intende deprecationem meam, * auribus percipe orationem meam, et non in labiis dolosis.

De vultu tuo iudicium meum prodeat * oculi mei videant æquitatem.

Probasti cor meum, et visitasti * noctem igne me C
examinasti, et non est inventa in me iniquitas.

Ut non loquatur os meum opera hominum * propter verba labiorum tuorum ego custodibi vias duras.

Perfice gressus meos in semitis tuis * ut non mobeantur vestigia mea.

Ego clamabi, quia exaudisti me, Deus: * inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

Mirifica misericordias tuas, qui salbos facis sperantes in te * a resistentibus dexteræ tuæ.

Ana. Custodi me, Domine, ut pupillam oculi; sub umbra alarum tuarum protege me.

℟ A facie impiorum, qui me affixerunt: inimici mei animam meam circumdederunt * adipe suo concluserunt: os eorum locutum est superbia.

Proicientes me nunc circundederunt * oculos suos D
statuerunt declinare in terram.

Susceperunt me, sicut Deo paratus ad prædam * sicut catulus Leonis habitans in abditis.

Exurge, Domine, præveni eos, et subverte illos * eripe animam meam ab impio, frameam tuam de manu inimicorum.

Domine, a paucis a terra dispertire eos * et supplanta eos in vita ipsorum.

De absconditis tuis adimpletus est venter eorum * saturati sunt desideriis, et reliquerunt, quæ super fuerunt parvulis suis.

Ego autem cum iustitia apparebo in conspectu uo satiabor, dum manifestabitur gloria tua.

XVII

Victori servo Domini David, qui locutus est ad Dominum verba cantici hujus in die qua liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, et de manu Saul, et ait:

Ana, *Virtus mea: diligam te, Domine, firmamentum meum.*

Diligam te, Domine * virtus mea.

Dominus firmamentum meum, et refugium meum * et liberator meus.

Deus meus adjutor meus, et sperabo in eum *, protector meus, et cornu salutis meæ, et redemptor meus.

Laudans invocabi Dominum * et ab inimicis meis salvus ero.

Circumdederunt me gemitus mortis * et torrentes iniquitatis conturbaberunt me.

Dolores inferni invenerunt me * prævenerunt me laquei mortis.

Et in tribulatione mea invocabi Dominum * et ad Deum meum clamabi.

Et exaudibit de templo sancto suo vocem meam * et clamor meus in conspectu eius, et introibit in aures eius.

Respexit, et commota est, et contremuit terra * et fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt, quoniam iratus est ei Deus.

Ascendit fumus in ira eius * et ignis a facie eius exardescit.

Carbones succensi sunt ab eo: et inclinavit cœlos, et descendit * et caligo sub pedibus eius.

Ascendit super Cherubin * et volavit.

Volavit super pennas ventorum, et posuit tenebras latibulum suum * in circuitu eius tabernaculum eius: tenebrosa aqua in nubibus aeris.

Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt grando, et carbones ignis.

Et intonuit de cœlo Dominus * et altissimus dedit vocem suam.

Misit sagittas suas, et dissipavit eos * et fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.

Et apparuerunt fontes aquarum * et revelata sunt fundamenta orbis terræ.

Ab increpatione tua, Domine * et ab spiratione spiritus iræ tuæ.

Misit e summo, et accepit me ad adsumsit me de multitudine aquarum * eruit me, quoniam voluit me.

Liberavit me de inimicis meis fortissimis * et ab his, qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me.

Prævenerunt me in die afflictionis meæ; et factus est Dominus protector meus.

Et produxit me in latitudine; * eruit me, quoniam voluit me.

Liberavit me de inimicis meis potentibus; et ab insurgentibus in me eripuit me.

Et retribuit mihi Dominus secundum iustitiam meam * et secundum innocentiam manuum mearum retribuit mihi.

[vii] Quia custodibi vias Domini ; * nec impie A gessi a Deo meo.

Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo sunt semper ; * et iustitias eius non reppuli a me.

Et ero immaculatus coram eo ; * et observabo me ab iniquitate mea.

Et retribuit mihi Dominus secundum iustitiam meam ; * et secundum innocentiam manuum mearum in conspectu oculorum eius.

Quum sancto sanctus eris ; et cum viro innocente innocens eris * et cum electo electus eris, et cum perverso subverteris.

Quoniam tu populum humilem salbum facies ; * et oculos superborum humiliabis.

Ana. *Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum ? Deus qui præcinxit me virtutem.* B

℣. Quoniam tu inluminas lucernam meam, Domine * Deus meus inlumina tenebras meas.

Quoniam a te eripiar a tentatione ; * et in Deo meo transgrediar murum.

Deus meus inpolluta via eius : eloquia Domini igne examinata * protector est omnium sperantium in eum.

Quoniam quis Deus præter Dominum * aut quis Deus præter Deum nostrum ?

Deus qui præcinxit me virtutem * et posuit immaculatam viam meam.

Qui perficit pedes meos tamquam cervi * et super excelsa statuit me.

Quid docet manus meas ad prælium * posuisti ut C arcum æreum brachia mea.

Dedisti mihi protectionem salutis tuæ * et dextera tua, Deus, suscepit me, et disciplina tua ipsa me docebit, et doctrina tua diriget me in finem.

Dilatasti gressus meos subtus me * et non sunt infirmata vestigia mea.

Persequar inimicos meos, et compreendam illos : et non revertar donec deficiant * affligam illos nec potuerunt stare : cadent subtus pedes meos.

Præcinxisti me virtutem ad bellum * supplantasti omnes insurgentes in me subtus me.

Et inimicorum meorum dedisti mihi dorsum * et odio me habentes disperdidisti.

Clamaberunt, nec erat, qui salbos faceret ad Dominum * nec exaudibit eos.

Comminuam illos, ut pulberem ante faciem venti D * ut lutum platearum delebo eos.

Eripies me de contradictionibus populi * constitues me in caput gentium.

Plebs, quem non cognobi, serbivit mihi * obauditu auris obaudibit mihi.

Filii alieni mentiti sunt mihi * filii alieni inveteraverunt, et claudicaverunt a semitis tuis.

Vivit Dominus, et benedictus Deus meus * et exaltetur Deus salutis meæ.

Deus, qui das vindictam mihi * et subdedisti populos sub me.

Liberator meus Dominus de gentibus iracundis, et ab insurgentibus in me exaltabis me * a viro iniquo eripies me.

Propterea confitebor tibi in populis Domine * psalmum dicam nomini tuo.

Magnificans salutem Regis ipsius, et faciens misericordiam Christo suo David ; * et semini eius usque in sæculum.

XVIII.

Victori Canticum David.

Ana. *Præceptum Domini lucidum inluminans oculos.*

Cœli enarrant gloriam Dei * et opera manuum eius adnuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum * et nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelæ, neque sermones * quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exibit sonus eorum ; * et in fines orbis terræ verba illorum.

In sole posuit tabernaculum suum * et ipse tamquam sponsus procedens e thalamo suo.

Exultabit ut gigans ad currendam viam : e summo cœlo egressio eius * et occursum eius usque ad summum eius, nec est, qui se abscondat a calore eius.

Lex Domini inrepreensibilis convertens animas : * testimonium Dei fidele sapientiam præstans parvulis.

Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda * præceptum Domini lucidum inluminans oculos.

Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi * iudicia Dei vera iustificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum, et lapidem preciosum multum * et dulciora super mel, et favum.

Etenim servus tuus custodit ea * in custodiendo illa retributio multa.

Delicta quis intelligit ? * ab occultis meis munda me Domine, et ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati ; tunc immaculatus ero * et mundabor a delicto maximo.

[viii] Et erit, ut complaceant eloquia oris mei et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Domine adiutor meus * et redemtor meus.

XIX.

Victori Canticum David.

Ana. *Protegat te nomen Dei Jacob, mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion tueatur te.*

Exaudiat te Dominus in die tribulationis * protegat te nomen Dei Iacob.

Mittat tibi auxilium de sancto * et de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificii tui * et holocaustum tuum pingue fiat.

Diapsalma.

Tribuat tibi Dominus secundum cor tuum * et omne consilium tuum confirmet.

Lætabimur in salutari tuo * et in nomine Domini Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas : nunc cognobi, quoniam salvum faciet Dominus Christum

suum, et exaudiet eum de cœlo sancto suo * in potentatibus salus dexteræ eius. A

Hi in curribus, et hi in equis * nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabimur.

Ipsi obligati sunt, et ceciderunt * nos vos resurreximus, et erecti sumus.

Domine salvum fac regem * et exaudi nos in quacumque die invocaberimus te.

XX.

In finem Psalmus David.

Ana. *Exaltare Domine in virtute tua, cantabimus, et psallimus virtutes tuas.*

Domine in virtute tua lætabitur rex * et super salutare tuum exultabit veementer.

Desiderium animæ eius tribuisti ei * et deprecationem labiorum eius non fraudasti eum.

Quoniam prævenisti eum in benedictione dulcedinis * posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.

Vitam petiit, et tribuisti ei * longitudine dierum in sæculum sæculi.

Magna est gloria eius in salute tua * gloriam, et magnum decorem impones super eum.

Quoniam dabis eum in benedictione in sæculum sæculi * lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Quoniam rex sperabit in Domino * et in misericordia altissimi non commovebitur.

Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis * dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.

Pones eos ut clibanum ignis * in tempore vultus tui.

Dominus in ira sua conturbabit eos * et devorabit eos ignis.

Fructum eorum de terra perdes * et semen eorum a filiis hominum.

Quoniam declinaberunt in te mala * cogitaberunt consilium, quod non potuerunt stabilire.

Quoniam pones eos deorsum * et in reliquiis tuis præparare vultum illorum.

Exaltare, Domine, in virtute tua * cantabimus, et psallimus virtutes tuas.

XXI.

In finem pro susceptione matutina Psalmus David.

Ana. *Deus Deus meus respice in me, et ne derelinquas me.*

Deus Deus meus respice in me quare me dereliquisti * longe a salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem, nec exaudies * in nocte, et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas laus Israel * in te sperabunt patres nostri: speraberunt, et liberasti eos.

Ad te clamaberunt, et salvi facti sunt * in te speraberunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, et non homo * opprorium hominum, et abiectio plebis.

Omnes qui videbant me, subsanabant me * locuti sunt labiis, et moberunt caput.

Speravit in Domino, eripiat eum * salbum faciat um, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui eduxisti me de ventre * spes mea ab uberibus matris meæ.

In te iactatus sum ex utero: de ventre matris meæ Deus meus es tu * ne discedas a me, quoniam tribulatio proxima est, et non est, qui adiubet.

Circumdederunt me vituli multi * tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt in me os suum * sicut Leo rapiens, et rugiens.

Sicut aqua effusa sunt * et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquefiens * in medio ventris mei.

Exaruit sicut testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis * et in pulverem mortis deduxerunt me. B

Quoniam circumdederunt me canes multi * concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas, et pedes meos * et dinumeraberunt omnia ossa mea.

[IX] Ipsi vero consideraberunt, et conspexerunt me * diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem Domine, ne elongaberis auxilium tuum a me * ad defensionem meam respice.

Eripe a framea animam meam * ei de manu canis unicam meam.

Libera me de ore Leonis * et a cornibus unicornuorum humilitatem meam.

Ana. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te, Domine. C

℟. Qui timetis Dominum, laudate eum * universum semen Jacob, magnificate eum.

Timeat eum omne semen Israel * quoniam non sprebit neque dispexit preces pauperum.

Neque avertit faciem suam a me; * et dum clamarem ad eum exaudibit me.

Apud te laus mihi est in Ecclesia magna * vota mea reddam coram timentibus eum.

Edent pauperes, et saturabuntur: et laudabun dominum, qui requirunt eum * vivit cor eorum in sæculum sæculi.

Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ * et adorabunt in conspectu eius omnes patriæ gentium.

Quoniam Domini est regnum * et ipse dominabitur genti. D

Manducaberunt, et adoraberunt omnes divites plebis in conspectu eius * procedunt universi, qu descendunt in terra.

Et anima mea ipsi vivet, * et semen meum serviet illi.

Adnuntiabitur Domino generatio ventura * et adnuntiabunt cœli iustitiam eius, populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

XXII.

In finem Psalmus David.

Ana. *Nam et si ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es Deus.*

Dominus regit me, et nihil mihi dederit* et in loco viridi, ibi me conlocabit.

Super aquam refectionis edocabit me * animam meam ibi convertit.

Deduxit me super semitam iustitiæ * propter nomen suum.

Nam et si ambulem in medio umbræ mortis * non timebo mala : quoniam tu mecum es.

Virga tua, et baculus tuus * ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam * adversus eos, qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum * et poculum tuum enebrians, quam præclarum est.

Et misericordia tua subsequatur me omnibus diebus vitæ meæ * ut inhabitem in domo Domini in longitudine dierum.

XXIII.

In finem Psalmus ipsi David, Prima Sabbati.

Ana. *Ipse super maria fundavit eam et super flumina præparavit illam.*

Domini est terra, et plenitudo ejus * orbis terrarum, et universi qui habitant in ea.

Ipse super maria fundavit eam * et super flumina præparavit illam.

Quis ascendit in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus ? *innocens manibus, et mundo corde.

Qui non accepit in vano animam suam * nec iuravit proximo suo in dolo.

Hic accipiet benedictionem a Domino * et misericordiam a Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium Dominum * requirentium faciem Dei Jacob.

Tollite portas principes vestras, et elebamini portæ æternales ; * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ ? * Dominus fortis, et potens, Dominus potens in prælio.

Tollite portas principes vestras, et elebamini portæ æternales ; * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ ? * virtutum ipse est Rex gloriæ.

XXIV

In finem Psalmus ipsi David.

Ana. *Deus meus in te confido, non erubescam.*

Ad te, Domine, lebabi animam meam * Deus meus in te confido, non erubescam.

Neque inrideant in me inimici mei * etenim universi, qui te expectant, non confundantur.

Confundantur iniqui * facientes vana.

Vias tuas, Domine, notas fac mihi * et semitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua, et docê me * quia tu es Deus salutaris meus, èt te sustinui tota die.

Reminiscere miserationum tuarum Domine * et misericordiæ tuæ, quæ a sœculo sunt.

Delicta iuventutis, et ignorantiæ meæ ne memineris * secundum magnam misericordiam tuam memor esto mei.

Propter bonitatem tuam Domine, quia dulcis, et

A rectus Dominus * propter hoc legem statuit delinquentibus in viam.

[x] Diriget mites in iudicio * docebit mansuetos vias suas.

Universæ viæ Domini misericordia et veritas* requirentibus testamentum ejus, et testimonia ipsius.

Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo * copiosum est enim.

Quis est homo, qui timeat Dominum * legem statuit ei in via, qua elegit.

Anima ejus in bonis demorabitur * et semen ejus hereditatem possidebit terram.

Firmamentum est Dominus timentibus eum* et testamentum ipsius, ut manifestetur illi.

Oculi mei semper ad Dominum *quia ipse evel-

B let de laqueo pedes meos.

Respice in me, et miserere mei * quoniam unicus, et pauper sum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt * de necessatibus meis eripe me.

Vide humilitatem meam, et laborem meum * et dimitte omnia peccata mea.

Respice inimicos meos quoniam multiplicati sunt * et odio iniquo oderunt me.

Custodi animam meam, et eripe me * Domine non confundar, quoniam invocabi te.

Innocentes et recti adhæserunt mihi* quoniam sustinui te, Domine.

Redime me Deus Israel * ab omnibus angustiis meis.

C

XXV.

Psalmus ipsi David.

Ana. *Domine dilexi decorem domus tuæ et locum gloriæ maiestatis tuæ.*

Iudica me Domime, quoniam ego in innocentiam meam ingressus sum * et in Deo sperans non infirmabor.

Proba me, Domine. et tenta me * ure renes meos, et cor meum.

Quoniam misericordia tua ante oculos meos est * et complacui in veritate tua.

Non sedi in concilio vanitatis * et cum iniqua gerentibus non introibo.

Odio habui congregationes malignantium * et cum impiis non sedebo.

Lavabo inter innocentes manus meas* et circum-

D dabo altare tuum Domine.

Ut audiam vocem laudis tuæ * et enarrem universa mirabilia tua.

Domine dilexi decorem domus tuæ * et locum habitationis gloriæ tuæ.

Ne perdas cum impiis animam meam * et cum viris sanguinem vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt * dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentiam meam ingressus sum * redime me, et miserere mei.

Pes enim meus stetit in via recta * in ecclesiis benedicam Domino.

XXVI.

Psalmus David priusquam ungueretur.

Ana. *Inluminatio mea, et salus mea Dominus, quem timebo?*

Dominus inluminatio mea, et salus mea * quem timebo?

Dominus defensor vitæ meæ * a quo trepidabo?

Dum adpropinquant super me nocentes * ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei * ipsi infirmati sunt, èt ceciderunt.

Si consistant adversum me castra * non timebit cor meum.

Et si insurgat in me prælium * in hoc ego sperabo.

Unam petii a Domino, hanc requiram * ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Ut videam voluntatem Domini * et protegar a templo sancto ejus:

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo * in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui, in petra exaltavit me.

Nunc autem exaltavit caput meum * super inimicos meos.

Circuibo, et immolabo in tabernaculo ejus hostiam iubilationis * cantabo, psalmum dicam Domino.

Ana. *Expecta Dominum, viriliter age. et confortetur cor tuum, et expecta Dominum.*

Exaudi Domine vocem meam, quam clamavi ad te * miserere mei, exaudi me.

Tibi dixit cor meum * quæsivi vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiram.

Ne avertas faciem tuam a me * nec declines in ira a servo tuo.

Adiutor meus es tu, Domine * ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus, et mater mea dereliquerunt me * Dominus autem adsumsit me.

Legem mihi statue Domine in via tua * et dirige me in semita recta propter inimicos meos.

Ne tradideris me in manibus persequentium me * quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

[xi] Credo videre bona Domini * in terra viventium.

Expecta Dominum viriliter age * confortetur cor tuum, et expecta Dominum.

XXVII.

In finem Psalmus David.

Ana. *Dominus adiutor meus, et Redemptor meus, et in ipso speravit cor meum, et adiutus sum.*

Ad te, Domine, clamabi * Deus meus, ne sileas a me, et ero similis descendentibus in lacum.

Exaudi vocem deprecationis meæ dum oro ad te * dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul tradas me cum peccatoribus * et cum operantibus iniquitatem, ne perdideris me.

Cum his qui locuntur pacem cum proximo suo * mala autem sunt in cordibus eorum.

Da illis, Domine secundum opera eorum, et secun-
A dum nequitiam studiorum ipsorum * et secundum opera manuum illorum retribue illis, redde retributionem ipsorum ipsis.

Quoniam non intellexerunt in opera Domini, et in operibus manuum suarum non considerabunt, * destrue illos, nec ædificabis eos.

Benedictus Dominus, * quoniam exaudibit vocem deprecationis meæ *

Dominus adiutor meus, et redemtor meus * et in ipso speravit cor meum, et adiutus sum.

Et refloruit caro mea * et ex voluntate mea confitebor illi.

Dominus fortitudo plebi suæ * et protector salutarium Christi sui est.

Salvum fac populum tuum, Domine, et bene-
B dic hereditati tuæ * et rege eos, et extolle eos usque in sæculum.

XXVIII.

Psalmus David in consummationem Tabernaculi.

Ana. *In templo Domini omnes dicent gloriam, et sedebit Dominus rex in æternum.*

Afferte Domino filii Dei * afferte Domino filios arietum.

Afferte Domino gloriam, et honorem: afferte Domino gloriam nomini ejus * adorate Dominum in aula sancta ejus.

Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit * Dominus super aquas multas.

Vox Domini in virtute * vox Domini in magnifi-
C centia.

Vox Domini confringentis cedros, et confregit Dominus cedros Libani, * et comminuit eos tanquam vitulum Libani, et dilectus sicut filius unicornuorum.

Vox Domini intercidentis flammam ignis * Vox Domini concutientis solitudinem, et commovebit Dominus desertum Cades.

Vox Domini præparantis cervos, et revelabit Dominus condensa * et in templo ejus omnes dicent gloriam.

Dominus diluvium inhabitabit * et sedebit Dominus rex in æternum.

Dominus virtutem populo suo dabit * et benedicet populum suum in pace.

XXIX.

D In finem Psalmus David pro dedicationis domus Domini.

Ana. *Domine Deus meus clamabi ad te, et sanasti me.*

Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me * nec delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus clamabi ad te * et sanasti me.

Domine eduxisti ab inferis animam meam * salvasti me a descendentibus in lacum.

Psallite Domino sancti ejus * et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

Quoniam ira in furore ejus * et vita in voluntate ipsius.

Ad vesperum demorabitur fletus * et ad matutinum lætitia.

Ego autem dixi in mea abundantia : * Non movebor in æternum.

Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem * avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.

Ad te, Domine, clamabo * et ad Deum meum deprecabor.

Quæ utilitas in sanguine meo * dum descendero in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis * aut adnunciabit veritatem tuam ?

Audibit Dominus, et misertus est mei * Dominus factus est adiutor meus.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi * concidisti saccum meum, et præcinxisti me lætitia.

Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar * Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.

XXX.

In finem Psalmus David.

Ana. In te Domine sperabi non confundar in æternum : in tua iustitia libera me, et eripe me.

[XII] Inclina ad me aurem tuam * et accelera, ut eripias me.

Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum * ut salvum me facias.

Quoniam firmamentum meum, et refugium meum es tu * et propter nomen tuum dux mihi eris, et enutries me, et educes me de laqueo, quem statuerunt mihi.

Quoniam tu es protector meus, Domine * in manus tuas commendo spiritum meum.

Redemisti me Domine Deus veritatis * odisti omnes observantes vanitatem supervacue.

Ego autem in Domino sperabo * exultabo, et lætabor in tua misericordia.

Quia respexisti humilitatem meam, salbam fecisti de necessitatibus animam meam * nec conclusisti me in manus inimici.

Statuisti in spatioso loco pedes meos * miserere mei Domine, quoniam tribulor.

Conturbatus est præ ira oculus meus * anima mea, et venter meus.

Quoniam defecit in dolore vita mea * et anni mei in gemitibus.

Infirmatus est [in paupertate vigor meus * et ossa mea conturbata sunt.

Præ omnibus inimicis meis factus sum opprobrium vicinis meis nimium : * et timor notis meis.

Omnes qui videbant me foris, fugiebant a me * excidi tanquam mortuus a corde, et factus sum, sicut vas perditum.

Quoniam audibi vituperationem multorum * circum habitantium me.

In eo dum congregarentur omnes simul adversum me, ut acciperent animam meam : consiliati sunt * ego vero in te sperabi, Domine.

Dixi : Tu es Deus meus in manibus tuis tempora

A mea * libera me : et eripe me de manibus inimicorum meorum, et a persequentibus me.

Ana. *Domine, non confundar, quia invocabi te.*

℟ Inlumina faciem tuam super servum tuum * et salvum me fac in tua misericordia.

Domine non confundar quoniam invocabi te * erubescant impii, et deducantur in infernum.

Muta efficiantur labia iniqua * quæ locuntur adversus iustum iniquitatem, in superbia, et contemptu.

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te ! * et perfecisti sperantibus in te, in conspectu filiorum hominum.

Abscondes eos in abditu vultus tui, a conturbatione hominum * proteges eos in tabernaculo tuo a

B contradictione linguarum.

Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam * in civitate circunstantiæ.

Ego autem in pavore meo proiectus sum a vultu oculorum tuorum * ideo exaudisti vocem deprecationis meæ, dum orarem ad te.

Diligite Dominum omnes sancti eius * quoniam veritatem requiret Dominus, et retribuet his, qui abundanter faciunt superbiam.

Viriliter agite, et confortetur cor vestrum * omnes qui speratis in Domino.

XXXI.

In finem intellectus David.

C Ana. *Exultatio mea Deus : redime me a circundantibus me.*

Beati quorum remissæ sunt iniquitates * et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum * nec est in ore eius dolus.

Quoniam tacui inveteraverunt omnia ossa mea * dum clamarem tota die.

Quoniam die, ac nocte gravata est super me manus tua * conversus sum in ærumna, dum confringitur spina.

Delictum meum ego agnosco ; * et iniustitias meas non operui.

Dixi : Pronunciabo adversum me iniustitias meas Domino * et tu remisisti impietatem cordis mei.

Pro hoc orabit ad te omnis sanctus * in tempore

D opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum * ad eum non adproximabunt.

Tu mihi es refugium a pressura, quæ circumdedit me * exultatio mea redime me a circumdantibus me.

Intellectum dabo tibi, et instruam te * in via qua egredieris : firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus, et mulus, in quibus non est intellectus * in freno, et camo maxillas eorum constringe, qui non adproximant ad te.

Multa flagella peccatorum * sperantes autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, et exultate iusti, * et gloriamini omnes recti corde.

XXXII.

In finem Psalmus David.

Ana. *Confitemini Domino in cithara, psalterio decem chordarum psallite ei.*

Gaudete iusti in Domino * rectos decet conlaudatio.

[xiii] Confitemini Domino in cithara * in psalterio decem chordarum psallite ei.

Cantate ei canticum novum * bene psallite ei in iubilatione.

Quoniam rectus est sermo Domini * et omnia opera eius in fide.

Diligit misericordiam, et iudicium * misericordia Domini plena est terra.

Verbo Domini cœli firmati sunt * et spiritu oris eius omnis virtus eorum.

Congregans sicut in utre aquas maris * ponens in thesauris abyssos.

Timeat Dominum omnis terra * ab ipso autem commovebuntur universi, et omnes qui inhabitant orbem.

Quoniam ipse dixit, et facta sunt; * ipse mandavit, et creata sunt.

Dominus dissipat consilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, * et reprobat consilia principum.

Consilium vero Domini manet in æternum * cogitationes cordis eius in sæculum sæculi.

Ana. *Anima nostra patiens est in Domino, quoniam adiutor, et protector noster est.*

Beata gens cuius es Dominus Deus eorum * populum quem elegit Dominus in hereditatem sibi.

E cœlo respexit Dominus, et vidit omnes filios hominum * de præparato habitaculo suo respexit super omnes, qui inhabitant orbem.

Qui finxit singillatim corda eorum; * qui intelligit omnia opera eorum.

Non salvabitur rex per multitudinem virtutis suæ * nec gigans salvus erit in abundantia fortitudinis suæ.

Fallax equus ad salutem * in abundantia autem virtutis suæ non erit salus.

Ecce oculi Domini super timentes eum * et in eos qui sperant in misericordia eius.

Ut eripiat a morte animas eorum * et alat eos in fame.

Anima autem nostra patiens est in Domino quoniam adiutor, et protector noster est, * et in ipso lætabitur cor nostrum, et in nomine sancto eius speravimus.

Fiat, Domine, misericordia tua super nos * sicut speravimus in te.

XXXIII.

Psalmus David cum immutavit vultum suum coram Abimelec, et immisit eum, et dixit:

Ana. *Magnificate Dominum mecum et exaltemus nomen eius in unum.*

Benedicam Domino in omni tempore * semper laus eius in ore meo.

A In Domino laudabitur anima mea * audiant mansueti, et lætentur.

Magnificate Dominum mecum * et exaltemus nomen eius in unum.

Inquisibi Dominum, ex exaudibit me * et ex omnibus angustiis meis eripuit me.

Accedite ad Dominum, et inluminamini * et vultus vestri non erubescent.

Iste pauper clamavit et Dominus exaudivit eum * et ex omnibus tribulationibus eius liberavit eum.

Immittit angelum Dominus in circuiti timentium eum * et eruet eos.

Gustate, et videte, quam suavis est Dominus * beatus vir, qui sperat in eum.

Timete Dominum omnes sancti eius * quoniam
B nihil deest timentibus eum.

Divites eguerunt, et esurierunt * inquirentes autem Dominum non deficient omni bono.

Ana. *Redimet Dominus animas servorum suorum, et non derelinquet omnes, qui sperant in eum.*

Venite filii, audite me * timorem Domini docebo vos.

Quis est homo, qui vult vitam * et cupit videre dies bonos?

Cohibe linguam tuam a malo; * et labia tua ne loquantur dolum.

Declina a malo, et fac bonum * inquire pacem, et sequere eam.

Oculi Domini super iustos * et aures eius ad preces eorum.

C Vultus autem Domini super facientes mala * ut perdat de terra memoriam eorum.

Clamaberunt iusti, et Dominus exaudibit eos * et ex omnibus tribulationibus eorum liberabit eos.

Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde * et humiles spiritu salvabit.

Multæ tribulationes iustorum * et de his omnibus liberabit eos Dominus.

Dominus custodit omnia ossa eorum * et unum ex eis non conteretur.

Mors peccatorum pessima, * et qui oderunt iustum delinquent.

Redimet Dominus animas servorum suorum * et non derelinquet omnes qui sperant in eum.

XXXIV.

Psalmus ipsi David.

D Ana. *Dic animæ meæ, Domine: Salus tua ego sum.*

Iudica, Domine, nocentes me * et expugna impugnantes me.

[xiv] Adpreende arma, et scutum * et exurge in adiutorium mihi.

Effunde framea, et conclude adversus eos, qui me persecuntur * dic animæ meæ: Salus tua ego sum.

Confundantur, et revereantur inimici mei * qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorsum, et confundantur * qui cogitant mihi mala.

Fiant tamquam pulbis ante faciem venti * et angelus Domini affligens eos. A

Fiant viæ eorum tenebræ, et lubricum * et angelus Domini persequens eos.

Quoniam gratis absconderunt mihi interitu laquei sui * vane exprobraberunt animam meam.

Veniat illis laqueus, quem ignorant, et captio, quam occultaberunt, adpreendat eos * et in laqueo incidant in idipsum.

Anima autem mea exultabit in Domino, delectabitur super salutare eius * omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi ?

Eripiens inopem de manu fortioris eius * et egenum, et pauperem a deripientibus eum.

Exurgentes testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me * et retribuebant mihi mala pro nobis, B et sterilitatem animæ meæ.

Ego autem cum mihi molesti essent, induebam me cilicio, et humiliabam in ieiunio animam meam * et oratio mea in sinu meo convertebatur.

Sicut proximum, et sicut fratrem nostrum, sic complacebam * tamquam lugens, et contristatus. ita humiliabar.

Adversum me lætati sunt, et convenerunt * congregati *sunt in me flagella, et ignoraberunt.

Dissoluti sunt, nec conpuncti sunt, tentaberunt me, et deriserunt derisu * stridebant super me dentibus suis.

Domine, quando respicies, restitues animam meam a malefactis eorum et a leonibus unicam meam.

Ana. Confitebor tibi, Domine, in ecclesia magna : C in populo grabi laudabo te.

℟. Non insultent in me, qui adversantur mihi inique * qui oderunt me gratis, et annuebant oculis.

Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur * et super iram dolose cogitabant.

Dilataberunt in me os suum * dixerunt : Euge, euge : viderunt oculi nostri.

Vidisti, Domine, ne sileas * Domine, ne discedas a me.

Exurge, et intende iudicio meo * Deus meus, et Dominus meus in causam meam.

Indica me secundum misericordia tuam, Domine Deus meus, non supergaudeant in me inimici mei. nec dicant in corde suo : Euge, euge animæ nostræ : nec dicant : devorabimus eum.

Erubescant, et confundantur, qui gloriantur malis D meis * induantur pudore, et confusione, qui magna locuntur adversum me.

Exultent, et lætentur qui volunt iustitiam tuam * et dicant semper : Magnificetur Dominus ; qui volunt pacem servi eius.

Sed et lingua mea meditabitur iustitiam tuam * tota die laudem tuam.

XXXV.

In finem Sermo Domini. Psalmus David.

Ana. *In tuo, Deus, lumine videbimus lumen.*

℣. Dixit in iustus, ut deinquat sibi : * non est timor Dei ante oculos eius,

Quoniam dolose egit in conspectu eius * ut inveniret iniquitatem suam, et odium.

Verba oris eius iuiquitas, et dolus : noluit intelligre, ut bene ageret * iniquitatem meditatus est in cubili suo.

Adstitit omni viæ non bonæ * malitiam autem non odibit.

Domine, in cælo misericordia tua * et veritas tua usque ad nubes.

Iustitia tua sicut montes Dei * iudicia tua velut abyssus multa.

Homines, et iumenta salbos facies, Domine * multiplicasti misericordiam tuam, Deus.

Filii autem hominum protectione alarum tuarum sperabunt * inebriabuntur ab uberibus domus tuæ, et torrentem voluptatis tuæ potum dabis eis.

Quoniam apud te est, Domine, fons vitæ * et in lumine tuo videbimus lumen.

Prætende misericordiam tuam scientibus te * et justitiam tuam his, qui recto sont corde.

Non veniat mihi pes superbiæ * et manus peccarum non moveant me.

Ibi ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem : expulsi sunt, nec potuerunt stare.

XXXVI.

Psalmus huic David.

Ana. *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.*

Noli æmulari inter malignantes * neque æmulans fueris facientes iniquitatem.

Quoniam tamquam fœnum cito arescent * et sicut olera herbarum cito cadent.

[xv] Spera in Domino, et fac bonitatem * et inhabita terram, et pasceris in divitiis eius.

Delectare in Domino * et dabit tibi petitiones cordis tui.

Revela ad Dominum viam tuam, et spera in eum * et ipse faciet et educet tamquam lumen iustitiam tuam, et iudicium tuum sicut meridiem.

Subditus esto Domino, et obsecra eum * noli æmulari eum, qui prosperatur in via sua, et in hominem facientem iniquitatem.

Desine ab ira, et derelinque indignationem * ne æmuleris, ut nequiter facias.

Quoniam qui inique agunt exterminabuntur * nam qui expectant Dominum, ipsi hereditatem possidebunt terram.

Pusillum adhuc, et non erit peccator * et quæres locum eius, nec invenies.

Mansueti autem possidebunt terram * et delectabuntur in multitudine pacis.

Observabit peccator iustum, et fremet super èum dentibus suis * Dominus autem inridedit eum, quonium prospicit, quod veniet dies eius.

Gladium evaginaverunt peccatores * tenderunt arcum suum, ut deiciant inopem, et pauperem, et ucident rectos corde.

Framea eorum intret in cor ipsorum * et arcus eorum conteratur. A

Melius est modicum iusto * super divitias peccatorum multas.

Quoniam brachia peccatorum conterentur * confirmat autem iustos Dominus.

Nobit Dominus vias immaculatorum * et hereditas eorum in æternum erit.

Non confundentur in tempore malo * et in diebus famis saturabuntur.

Quoniam peccatores peribunt: inimici autem Domini statim ut honorabuntur, et exultabuntur * deficientes, ut fumus, deficient.

Mutuatur peccator, et non solbet * iustus autem miseretur, et tribuet.

Quoniam benedicentes eum, possidebunt terram * B maledicentes autem illum, disperibunt.

Apud Dominum gressus hominis dirigentur * et viam eius cupiet nimis.

Cum ceciderit iustus, non conturbabitur * quoniam Dominus confirmat manus eius.

Ana. *Expecta Dominum, et custodi vias eius, et exaltabit te.*

Iunior fui, et senui, et non vidi iustum derelictum * nec semen eius egens panem.

Tota die miseretur, et fœnerat * et semen eius in benedictione erit.

Declina a malo, et fac bonum * et inhabita in sæcula sæculorum.

Quoniam Deus amat iudicium * et non derelinquet sanctos suos, in æternum conservabuntur, C

Iniusti puniuntur * et semen impiorum peribit.

Iusti hereditatem possidebunt terram * et inhabibunt in sæcula sæculorum super eam.

Os iusti meditabitur sapientiam * et lingua eius loquetur iudicium.

Lex Dei eius in corde ipsius * et non supplantabuntur gressus eius.

Considerat peccator iustum, et quærit perdere eum * Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius, nec damnabit eum quum indicabitur illi,

Excepta Dominum, et custodi vias eius, et exaltabit te, ut heredites terram * cum pereant peccatores, videbis.

Vidi impium superexaltatum, et elevatum super cedros Libani * Transibi, et ecce non erat: quæsibi D eum, et non est inventus locus eius.

Custodi innocentiam, et vide æquitatem * quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.

Iniusti autem disperibunt * simul reliquiæ impiorum peribunt.

Salus autem iustorum a Domino * et protector eorum est in tempore tribulationis.

Et adjuvabit eos Dominus, et liberavit eos: et eripiet eos a peccatoribus, * et salvos faciet eos: quoniam speraberunt in eum.

XXXVII.

Psalmus David in commemoratione.

Ana. *Ante te omne desiderium meum Deus: et gemitus meus non est absconditus a te.*

Domine ne in ira tua arguas me * neque in furore tuo corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi * et confirmasti super me manum tuam, nec est sanitas in carne mea.

A vultu iræ tuæ: et non est pax ossibus meis * a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ superposuerunt caput meum * sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Computruerunt, et deterioraberunt cicatrices meæ * a facie insipientiæ meæ.

Miseriis afflictus sum, et turbatus sum usque [xvi] in finem * tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam anima mea completa est inlusionibus * et non est sanitas in carne mea.

Incurbatus autem, et humiliatus sum usquequaque * rugiebam a gemitu cordis mei.

Ante te omne desiderium meum Deus * et gemitus meus non est absconditus a te.

Cor meum conturbatum est in me, et derelinquit me virtus mea * et lumen oculorum meorum non est mecum.

Amici mei, et proximi mei adversum me adpropriaberunt, et steterunt * et proximi mei a longe steterunt.

Et vim fecerunt, qui quærebant animam meam: qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitatem * et dolos tota die meditabantur.

Ego autem velut surdus non audiebam * et sicut mutus, qui non aperuit os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens * et non habens in ore suo increpationes.

Quoniam in te Domine, sperabi: tu exaudies, Domine, Deus meus; quia dixi: Ne umquam insultent in me inimici mei * et dum commoverentur pedes mei super me, magna locuti sunt.

Quoniam ego ad flagella paratus sum * et dolor meus contra me est semper.

Quoniam iniquitatem meam ego pronuncio * et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivent, et confortati sunt super me * et multiplicati sunt, qui oderunt me inique.

Qui retribuebant mihi mala pro nobis: detrahebant mihi, * quia subsecutus sum iustitiam.

Ne derelinquas me Domine Deus meus * ne discedas a me.

Intende in adiutorium meum, * Domine Deus salutis meæ.

XXXVIII.

In finem pro iditun Canticum David.

Dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea * posui ori meo custodiam, dum consistit peccator adversum me.

Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis * et dolor meus renovatus est.

Concalcuit cor meum intra me: et in meditatione mea exardescit ignis * locutus sum in lingua mea.

Notum fac mihi, Domine, finem meum * et numerum dierum meorum, quid est, ut sciam, quid desit mihi.

Ecce veteres posuisti dies meos * et substantia mea, tamquam nihil ante te est.

Verumtamen universa vanitas * omnis homo vivens.

Diapsalma.

Quamquam in imaginem Dei ambulet homo, * tamen vane conturbabitur.

Thesaurizat, et ignorat, cui congreget ea, et nunc quæ est expectatio mea * nonne Dominus? * et substantia mea tamquam nihil ante te est semper.

Ab omnibus iniquitatibus meis eripe me * obprobrium insipienti dedisti me.

Obmutui, et non aperui os meum * quoniam tu es, qui fecisti me.

Amobe a me plagas meas :* a fortitudine enim manus tuæ ego defeci in increpationibus.

Propter iniquitatem erudisti hominem * et tabescere fecisti, velut aranea animam eius.

Verumtamen universa vanitas * omnis homo vivens.

Exaudi orationem meam et deprecationem meam * auribus percipe lacrymas meas, ne sileas a me,

Quod incola ego sum apud te in terra * et peregrinus sicut omnes patres mei.

Remitte mihi, ut refrigerer priusquam eam et * amplius iam non ero.

XXXIX.

In finem Psalmus David.

Ana. *Expectans expectabi Dominum* ; *et respexit me, et eduxit me de lacu miseriæ.*

Expectans expectabi Dominum, et respexit me et exaudibit deprecationem meam * et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fœcis.

Statuit supra petram pedes meos et direxit gressus * meos et inmisit in os meum canticum novum, hymnum Deo nostro.

Videbunt multi, et timebunt * et sperabunt in Domino.

Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius * et non respexit in vanitate, et insania falsa.

Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua * et in cogitationibus tuis non est quis similis tibi.

Adnunciabi, et locutus sum * multiplicati sunt super numerum.

Sacrificium, et oblationem noluisti : aures autem perfecisti mihi ; * holocausta etiam pro delicto non postulasti.

[xvii] Tunc dixi ecce venio * in capite libri scriptum est de me.

Ut faciam voluntatem tuam, Deus meus, volui * et legem tuam in medio cordis mei.

℟ Bene nunciabi iustitiam tuam, nomine, in ecclesia magna * ecce labia mea non prohibe, Domine, tu cognobisti.

Iustitiam tuam non abscondi in corde meo * veritatem tuam, et salutare tuum dixi.

Non celabi misericordiam tuam * et veritatem tuam a sinagoga multa.

Tu autem, Domine, ne elongaberis misericordias

A tuas a me * misericordia tua, et veritas tua semper susceperunt me.

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus * comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui, ut viderem.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei * et cor meum dereliquit me.

Complacuit Domino, ut eriperet me * Domine, in auxilium meum respice.

Confundantur, et revereantur omnes inimici mei * qui quærunt animam meam, ut auferant eam.

Avertantur retrorsum, et confundantur * qui cogitant mihi mala.

Ferant confestim confusionem suam * qui dicunt mihi : Euge, euge.

B Exultent, et lætentur in te omnes, qui quærunt te Domine * et dicant semper : Magnificetur Dominus; qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus, et pauper sum * Dominus curam habet mei.

Adiutor, et liberator meus es tu * Domine, ne tardaberis.

XL.

In finem Psalmus David.

Ana. *Ego dixi : Domine, miserere mei : sana animam meam, quia peccabi tibi.*

Beatus, qui intelliget super egenum, et pauperem * in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus conservet eum, et vivificet eum * et beatum faciat eum.

C Et emundet de terra animam eius * et non tradat eum in manus inimici eius.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius * universum stratum eius versasti in infirmitate eius *

Ego dixi : Domine, miserere mei * sana animam meam, quia peccabi tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi * quando morietur, et peribit nomen eius.

Et ingrediebantur, ut viderent * vanum locutum est cor eorum congregaberunt iniquitatem ipsi sibi.

Et egrediebantur foris * et loquebantur simul in unum.

Adversum me susurrabant omnes inimici mei * adversum me cogitaberunt mala mihi, verbum iniquum mandaberunt adversum me.

D Numquid qui dormit, non adiciet * ut resurgat ?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperabi * qui edebat panes meos, ampliabit adversum me supplantationem.

Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me * et retribuam illis.

In hoc cognobi, quoniam voluisti me * quia non gaudebit inimicus meus super me.

Propter innocentiam autem meam suscepisti me * et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo * et usque in sæculum : fiat, fiat.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

XLI.

In finem Psalmus David intellectus filiis Choree.

Ana. *Sitibit anima mea ad Deum vivum: quando veniam, et apparebo ante faciem Dei.*

Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum * ita desiderat anima mea ad te Deus.

Sitibit anima mea ad Deum vivum * quando veniam, et apparebo ante faciem Dei.

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte * dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus?

Hæc memoratus sum * et effudit in me anima mea.

Quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis domus Dei * in voce exultationis, et confessionis sonus epulantis.

Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? * spera in Domino, quoniam confitebor illi salutare vultus mei, et Deo meo.

A meipso anima mea turbata est * propterea me mor ero tui, Domine, de terra Jordanis, et Hermonis a monte modico.

[xviii] Abyssus abyssum invocat * in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, et fluctus tui * super me ingressi sunt.

In die mandabit Dominus misericordiam suam * et in nocte declarabit.

Apud me oratio mea Deo vitæ meæ * dicam Deo: Susceptor meus es, quare me oblitus es, et quare me repulisti: et contristatus incedo, dum affligit me inimicus.

In eo dum confringuntur omnia ossa mea, exprobraberunt me, qui tribulant animam meam * dum dicitur mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus?

Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me * spera in Domino, quoniam confitebor illi salutare vultus mei, et Deo meo.

XLII.

In finem Psalmus David ad Judæos.

Ana. *Emitte lucem tuam, Domine, et veritatem tuam.*

℣ Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta * ab homine iniquo, et doloso eripe me.

Quia tu es Deus meus, et fortitudo mea * quare me reppulisti, et contristatus incedo, dum affligit me inimicus.

In eo dum confringuntur omnia ossa mea * exprobraberunt me qui tribulant animam meam.

Emitte lucem tuam, et veritatem tuam * ipsa me deduxerunt et adduxerunt in monte sancto tuo, et in tabernaculo tuo.

Et introibo ad altare Dei mei * ad Dominum, qui lætificat iuventutem meam.

Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus * quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?

A Spera in Domino quoniam confitebor illi * salutare vultus mei et Deo meo.

XLIII.

In finem filii Coree intellectus Psalmus David.

Ana. *Tu es ipse Rex meus, et Deus meus, qui mandas salutem Jacob.*

Deus auribus nostris audibimus * et patres nostri adnunciaberunt nobis.

Opus, quod operatus es in diebus eorum * in diebus antiquis.

Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos * afflixsisti populos, et expulisti eos.

Non enim in gladio suo possidebunt terram * et brachium eorum non liberabit eos.

Sed dextera tua, et brachium tuum, et inlumina-
B tio vultus tui * quoniam complacuit tibi in illis.

Quia tu es ipse rex meus, et Deus meus * qui mandas salutem Jacob.

In te enim inimicos nostros ventilabimus * et in nomine tuo spernimus omnes insurgentes in nos.

Non enim in arcu meo sperabo * et gladius meus non salvabit me.

Salvasti enim nos ex affligentibus nos * et eos, qui nos oderunt, confudisti.

In Deo laudabimus tota die * et in nomine tuo confitebimur in sæcula.

Diapsalma.

Nunc autem reppulisti, et sprevisti nos * et non egredieris Deus e virtutibus nostris.

C Avertisti nos retrorsum præ inimicis nostris * et qui nos oderunt, diripiebant sibi.

Dedisti nos tamquam obes escarum * et in gentibus dispersisti nos.

Vendidisti populum tuum sine pretio * et non fuit multitudo in commutationibus eorum.

Posuisti nos in obprobrium vicinis nostris * inlusione et derisu his qui in circuitu nostro sunt.

Posuisti nos in similitudinem gentium * commotione capitis in populis.

Tota die verecundia mea contra me est * et confusio vultus mei operuit me.

A voce exprobrantis, et obloquentis * a facie inimici, et persequentis.

Hæc omnia venerunt super nos, et obliti non su-
D mus te * et inique non egimus in testamento tuo: et non recessit retro cor nostrum, nec declinasti semitas nostras a via tua.

Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis * et operuit nos umbra mortis.

Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad deum aliênum * nonne Deus requiret ista? ipse enim nobit occulta cordis.

Quoniam propter te mortui afficimur tota die * extimati sumus, ut obes occisionis.

Exurge : quare obdormis, Domine ? * exurge et A
ne repellas nos in finem.

Quare faciem tuam avertis * obliviscerisinopiæ nostræ, et tribulationis nostræ.

Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra * et hæsit in terra venter noster.

Exurge, Domine, adiuva nos * et libera nos propter nomen tuum.

XLIV.

In finem pro his qui incommutabuntur filiis Core intellectus Cantico pro dilecto.

[XIX] Ana. Eructuabit cor meum verbum bonum : * dico ego opera mea regi.

Lingua mea calamus scribæ * velociter scribentis.

Speciosus forma * præ filiis hominum.

Diffusa est gratia in labiis tuis : propterea bene- B
dixit te Deus in æternum * accingere gladio tuo circa femur, potentissime.

Speciem, et pulchritudinem tuam intende * prospere procede, et regna.

Propter veritatem, et mansuetudinem, et iustitiam * et deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ acutæ potentissime * populi infra te cadent, viscera inimicorum regis.

Ana. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi : virga æquitatis virga regni tui : dilexisti, iustitiam, et odisti iniquitatem.*

℟. Sedes tua Deus,in sæculum sæculi * virga recta est virga regni tui.

Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem * propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ C
consortibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cassia a vestimentis tuis * a gradibus eburneis, ex quibus te delectaberunt filiæ regum in honore tuo.

Adstitit regina a dextris tuis * in vestito deaurato, circumamicta varietate.

Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui * quoniam concupibit rex speciem tuam.

Quia ipse est Dominus Deus tuus * et adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus.

Vultum tuum deprecabuntur * omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus * in fimbreis aureis circumamicta varietate.

Afferentur regi virgines post eam * proximæ D
eius adducentur tibi in lætitia, et exultatione : adducentur in templo regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii * constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui, Domine * in omni progenie, et generatione.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum * et in sæculum sæculi.

XLV.

In finem pro filiis Coree, pro Iditun Psalmus David.

Ana. *Deus, nostrum refugium, et virtus adiutor in pressuris, quæ nos invenerunt nimis.*

Deus, nostrum refugium et virtus * adiutor intribulationibus, quæ nosinvenerunt nimis.

Propterea non timebimus, dum conturbabitur terra * et transferentur montes in corde maris.

Sonaberunt et turbatæ sunt aquæ ejus * contur bati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei * sanctificabit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus non commovebitur * adiuvabit eam Deus aspectu suo.

Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna * dedit vocem suam Altissimus, et mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum * susceptor noster Deus Jacob.

Diapsalma.

Venite, et videte opera Domini * quæ posuit prodigia super terram.

Auferens bella usque ad fines terræ * arcum conteret, et confringet arma : et scuta comburet igni.

Vacate, et videte quoniam ego sunt Dominus * exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum * susceptor noster Deus Jacob.

XLVI.

Victorum filiorum Coree secunda Sabbati Canticum David.

Ana. *Elegit nos hereditatem sibi rex magnus Dominus super omnem terram.*

Omnes gentes plaudete manibus * iubilate Deo in voce exultationis.

Quoniam Deus summus, terribilis * rex magnus super omnem terram.

Subiecit populos nobis * et gentes suppedibus nostris.

Elegit nos hereditatem suam * speciem Jacob quam dilexit.

Ascendit Deus in iubilatione * Dominus in voce tubæ.

Psallite Deo nostro, psallite * psallite regi nostro psallite ; quoniam rex omnis terræ Deus, psallite sapienter.

Regnabit Dominus super omnes gentes * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Principes populi convenerunt cum Deo Abraham * quoniam dii fortes terræ nimium elevati sunt.

XLVII.

In finem Psalmus Cantici pro filiis Coree secunda Sabbati.

[XX] Ana. *Suscepimus, Deus, misericordian tuam in medio templo tuo.*

Magnus Dominus, et laudabilis valde * in civitate Dei nostri in monte sancto eius.

Dilatans exultationes universæ terræ * mons Sion, latera Aquilonis, civitas Regis magni.

Deus in gradibus ejus dinoscetur * cum suscipiet ea.

Quoniam ecce reges terræ congregati sunt * et convenerunt in unum.

Ipsi videntes tunc admirati, conturbati, et commoti sunt * timor adprehendit eos.

Ibi dolores sicut parturientis * in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

Sicut audibimus, ita et vidimus in civitate Domini virtutum * in civitate Dei nostri, Deus fundabit eam in sæcula.

Diapsalma.

Suscepimus, Deus, misericordiam tuam * in medio templo tuo.

Secundum nomen tuum, Deus, ita et laus tua in fines terræ * iustitia plena est dextera tua.

Lætetur mons Sion, et exultent filiæ Judæ * propter iudicia tua, Domine.

Circumdate Sion, et complectimini eam * narrate in turribus eius.

Ponite corda vestra in virtute eius * et distribuite gradus eius, ut enarretis in progenie altera.

Quoniam hic est Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi * et ipse reget nos in sæcula.

XLVIII.

In finem filiis Coree Psalmus David.

Ana. Audite hæc omnes gentes auribus percipite, qui habitatis orbem.

Quique terrigenæ filii hominum * simul in unum dives et pauper.

Os meum loquetur sapientiam * et meditatio cordis mei prudentiam.

Inclinabo ad similitudinem aurem meam * aperiam in psalterio propositionem meam.

Ut quid timebo in die mala * iniquitas calcanei mei circumdedit me.

Qui confidunt in virtute sua * quique in abundantia divitiorum suarum gloriantur.

Frater non redimet, redimet homo * non dabit Deo placationem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ.

Laborabit in æternum, et vivet in finem * quoniam non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes.

Simul insipiens, et stultus peribunt * et relinquent alienis divitias suas.

Sepulcra eorum domus eorum in æternum * tabernacula eorum in omni progenie, et generatione.

Invocabunt nomina eorum in terris ipsorum * et homo in honore cum esset, non intellexit : comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.

Hæc via eorum in scandalum ipsis * et postea in ore suo benedicent.

Diapsalma.

Sicut oves in infernum depositæ : mors depascit eos : et obtinebunt eos iusti in matutinum, et auxilium eorum veterascet in infernum * a gloria eorum, et a gloria sua expulsi sunt.

Verumtamen Deus liberabit animam meam de manu inferni * cum acceperit eam.

Ne timueris cum dives factus fuerit homo * et quum multiplicata fuerit gloria domus eius.

A Quoniam non cum morietur accipiet omnia * neque simul descendet cum eo gloria domus eius.

Quoniam anima eius in vita ipsius benedicetur * et confitebitur tibi cum benefeceris ei.

Introibunt usque in progenie patrum suorum * et usque in æternum non videbunt lumen.

Et homo in honore cum esset, non intellexit * comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.

XLIX.

In finem Psalmus David.

Ana. *Invoca me in die pressuræ : et eripiam te, et glorificabis me.*

Deus deorum Dominus locutus est * vocavit terram.

B A solis ortu usque ad occasum * ex Sion species decoris eius.

Deus manifeste veniet * Deus noster et non silebit.

Ignis ante eum ardebit * et in circuitu eius tempestas valida.

Advocabit cœlos sursum * et terram discernere populum suum.

Congregate illi sancto eius, qui ordinent testamentum eius super sacrificia * et adnunciaberunt cœli iustitiam eius, quoniam Deus iudex est.

Diapsalma.

Audi, popule meus, et loquar * Israel, et [xxi] testificabor tibi, quoniam Deus, Deus tuus sum ego.

Non super sacrificia tua arguam te * holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

C Non accipiam de domo tua vitulos * neque de gregibus tuis hircos.

Meæ sunt enim omnes foræ silbarum * iumenta in montibus, et bobes.

Cognobi omnia volatilia cœli * et species agri mecum est.

Si esuriero, non dicam tibi * meus est enim orbis terræ, et plenitudo eius.

Numquid manducabo carnes taurorum * aut sanguinem hircorum potabo ?

Immola Deo sacrificium laudis * et redde Altissimo vota tua.

Invoca me in die tribulationis * et eripiam te, et glorificabis me.

Peccatori autem dixit Deus : * Quare tu enarras

D iustitias meas, et adsumis testamentum meum per os tuum.

Tu vero odisti disciplinam * et proiecisti sermones meos post te.

Si videbas furem, simul cum eo currebas * et cum adulteris portionem tuam ponebas.

Os tuum abundabit nequitia * et lingua tua concinnabit dolum.

Sedens adversus fratrem tuum detraebas * et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum.

Hæc fecisti, et tacui * existimasti iniquitatem quod ero tibi similis ?

Arguam te, et statuam illam * contra faciem tuam.

Intelligite hæc, omnes, qui obliviscimini Dominum * ne quando rapiat, et non sit, qui eripiat. A

Sacrificio laudis honorificabit me * illic est iter, quod ostendam illi salutare meum.

L.

In finem Psalmus David cum veniret ad eum Natan propheta, quando intravit Bersabe, et dixit.

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam * et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates meas.

Usquequaque laba me ab iniustitia mea * et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego agnosco * et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccabi, et malum coram te feci * ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas dum iudicaris. B

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum * et in peccatis peperit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexsisti * incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestati mihi.

Adsperges me ysopo, et mundabor * lababis me, et supra nibem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium, et lætitiam * et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis * et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus, * spiritum rectum innoba in visceribus meis.

Ne proicias me a facie tua * spiritum sanctum tuum ne auferas a me. C

Redde mihi lætitiam salutaris tui * spiritu principali confirma me.

Doceam inicos vias tuas * et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ * laudabit lingua mea iustitias tuas.

Domine, labia mea aperies * et os meum adnuntiabit laudem tuam.

Quoniam, si voluisses sacrificium dedissem utique * holocaustis vero non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus * cor contritum et humiliatum Deus non spernet.

Benigne fac, Domine, in bona valuntate tua Sion * ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, et holocausta * tunc impones super altare tuum vitulos. D

LI.

In finem Intellectus David cum advenit Dohec Idumæus, et adnunciavit Sauli, et dixit : Venit David in domum Abimelec, et dixit.

Ana. *Ego sicut oliva fructifera in domo Domini sperabi in misericordia tua, Deus.*

Quid gloriaris in malitia * qui potens es in iniquitate?

Tota die iniustitiam cogitavit lingua tua * sicut rasorium acutum fecisti dolum.

Dilexisti malitiam super benignitatem * iniquitatem magis, quam loqui æquitatem.

Dilexisti omnia verba præcipitationis * in lingua dolosa.

Propterea dextruat te Deus in finem, et evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo * et radicem tuam de terra vibentium.

Diapsalma.

[xxii] Tunc videbunt iusti et timebunt * et super eum ridebunt, et dicent :

Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorium suum * sed speravit in multitudine divitiarum suarum et prævaluit in vanitate sua.

Ego autem sicut oliba fructifera in domo Domini * sperabi in misericordia tua Deus in æternum, et in sæculum sæculi.

Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti : et expectabo nomen tuum quoniam bonum est * ante conspectum sanctorum tuorum.

LII.

In finem pro Amalec Intellectus David.

Ana. *Dum reduxerit Dominus captivitatem plebi suæ, lætetur Jacob, et exultet Israel.*

Dixit insipiens in corde suo * non est Deus.

Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in voluptatibus suis * non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Dominus de cœlo prospexit super filios hominum * ut videat, si est intellegens, aut requirens Deum.

Omnes declinaberunt, simul inutiles facti sunt in voluptatibus suis * non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne cognoscent omnes * qui operantur iniquitatem?

Qui devorant plebem meam sicut cibum panis * Dominum non invocaberunt, illic trepidaberunt timore, ubi non erat timor.

Quoniam Deus dissipabit ossa hominum sibi placentium * confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.

Quis dabit ex Sion salutare Israel : in avertendo Dominus captivitatem plebi suæ * lætetur Jacob, et exultet Israel.

LIII.

In finem carminibus Intellectus David cum venissent Ziffei, et dicerent Sauli : Ecce David absconditus est penes nos.

Ana. Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua libera me * Deus exaudi orationem meam.

Auribus percipe * verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam * et non præposuerunt Deum ante conspectum suum.

Diapsalma.

Ecce enim Deus adiubat me * et Dominus susceptor est animæ meæ.

Converte mala inimicis meis * et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine * quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me * et super inimicos meos respexit oculus tuus.

LIV. A

In finem carminibus Intellectus David.

Ana. *Ne despexeris deprecationem meam, intende in me, et exaudi me, Domine.*

Exaudi Deus orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam * intende in me, et exaudi me.

Contristatus sum in exercitatione mea * et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris.

Quoniam declinaberunt in me iniquitates * et in ira molesti erant mihi.

Cor meum conturbatum est in me * et formido mortis cecidit super me.

Timor, et tremor venerunt super me * et contexe- B
runt me tenebræ, et dixi :

Quis dabit mihi pennas sicut columbæ * et volabo, ut requiescam ?

Ecce elongabi fugiens, et mansi in solitudinem * expectabam Dominum, qui me salbum faceret a pusillo animo, et tempestate.

Præcipita, Domine, et divide linguas eorum * quoniam vidi iniquitatem, et contradictionem, in civitate.

Die ac nocte circundabit eam super muros eius * iniquitas et labor in medio eius, et iniustitia : et non defecit de plateis eius usura, et dolus.

Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, supportassem utique * et si hi, qui oderant me, ad-
versum me magna locuti fuissent : absconderem C
me utique ab eo.

Tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos * in domo Domini ambulabimus cum consensu.

Veniat mors super illos * et descendant in infernum viventes.

Quoniam nequitia in hospitiis eorum * in medio ipsorum.

Ego ad Deum clamabi, et Dominus exaudibit me * vespere, mane, et meridie.

Narrabo, et renunciabo, et exaudiet vocem meam * liberabit in pace animam meam ab [xxiii] his qui adpropinquant mihi, quoniam inter multos erat mecum.

Et exaudiet Deus, et humiliabit eos, qui est ante D
sæcula * et manet in æternum.

Non est enim illis commutatio * et non timuerunt Deum.

Extendit manum suam in retribuendo illis : contaminaverunt testamentum eius * divisi sunt ab ira vultus eius, et adpropriabit cor eius.

Molierunt sermones suos super oleum * et ipsi sunt iacula.

Iacta in Deo cogitatum tuum, et ipse te enutriet * non dabit in æternum fluctuationem iusto.

Tu vero, Deus, deduces eos in puteum interitus * viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos : ego vero in te sperabi, Domine.

LV.

Victori pro Cumulato, eo quod procul abierit David humilis, et simplex, quando tenuerunt eum Palæstini in Gethe.

Ana. *In me sunt Deus vota, quæ reddam laudationis tibi.*

Miserere mei, Domine, quoniam conculcabit me homo * tota die bellans tribulabit me.

Conculaberunt me inimici mei tota die * ab altitudine dierum.

Quoniam multi, qui debellabant me, timebunt * ego vero in te sperabi, Domine.

In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem : in Deo sperabo * non timebo, quid mihi faciat homo.

Tota die verba mea abominabantur adversum me * omnia consilia eorum in malum.

Inhabitabunt abscondite : ipsi calcaneum meum observabunt expectantes animam meam * pro nihilo salvabis eos : in ira populos confringes.

Deus vitam meam adnunciabi tibi, posuisti lacrymas meas in conspectu tuo * sicut in repromissione tua.

Tunc convertentur inimici mei retrorsum * in quacumque die invocavero te, ecce agnobi; quoniam Deus meus es tu.

In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem, in Deo sperabo * non timebo, quid mihi faciat homo.

In me sunt Deus vota, quæ reddam * laudationis tibi.

Quia eripuisti animam meam de morte * oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu :

Ut placem coram Domino * in lumine viventium.

LVI.

In finem Psalmus David pro populo, qui se elongaverunt ipsi David in titulis inscriptione, cum tenuerunt eum Allofili in Geth. Vox Pauli apostoli orantis.

Miserere mei, Dei, miserere mei : quoniam in te confidit anima mea * et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.

Clamabo ad Deum altissimum * ad Dominum qui benefecit mihi.

Diapsalma.

Misit de cœlo, et salvavit me * dedit in obprobrium conculcantes me.

Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam * et animam meam eripuit de medio catulorum leonum, dormibi conturbatus.

Filii hominum dentes eorum arma et sagitta * et lingua eorum machæra acuta.

Exaltare super cœlos Deus * et super omnem terram gloria tua.

Laqueos paraberunt pedibus meis * et incurbaberunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam fobeam * et ipsi inciderunt in eam.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum * cantabo et psallam.

Exurge gloria mea * exurge psalterium, et cithara : exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis Domine * psalmum dicam tibi inter gentes.

Quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua * et veritas tua usque ad nubes.

Exaltare super cœlos Deus * et super omnem terram gloria tua.

LVII

In finem Psalmus David.

Ana. Si vere utique iustitiam loquimini, recta judicate filii hominum.

Etenim in corde iniquitates operamini * in terra iniquitates manus vestræ concinnant.

Alienati sunt peccatores ab utero; * erraberunt a ventre : locuti sunt falsa.

Ira illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidæ surdæ, et obdurantes aures suas [xxiv,] quæ non exaudiunt voces incantantium * et venefici, quæ incantantur a sapiente.

Deus conteruit dentes eorum in ora ipsorum * molas leonum confregit Dominus ut ad nihilum deveniant velut aqua decurrens.

Extenditar cum suum donec infirmentur : * sicut cera liquefacta auferentur.

Supercecidit ignis super eos, et non viderunt solem * priusquam producat spinas vestras ramnus.

Sicut viventes * sic in ira obsorbet eos.

Lætabitur iustus quum viderit vindictam impiorum * manus suas lababit in sanguine peccatorum.

Et dicet homo * si utique est fructus iusto, et utique est Deus iudicans eos super terram.

LVIII.

In finem Psalmus David, quando misit Saul et custodibit domum ejus, ut interficeret eum, et dixit :

Ana. *Exaltabo mane misericordiam tuam, quoniam factus es susceptor meus, et refugium meum in die pressuræ meæ.*

Eripe me de inimicis meis, Deus meus * et ab insurgentibus in me, libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem * et a viris sanguinum libera me.

Quia ecce occupaberunt animam meam : inruerunt in me fortes * neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine : sine iniquitate cucurri et dirigebar.

Exurge in occursum mihi, vide : et tu, Domine Deus virtutum Deus Israel intende ad visitandas omnes gentes * non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem.

Convertantur ad vesperum, et fame patientur, ut canes * et circuibunt civitatem.

Ecce ipsi loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum * quoniam quis audivit.

Et tu, Domine, deridebis eos, pro nihilo habebis omnes gentes * fortitudo mea, a te custodiar, quia Deus susceptor meus es, Deus meus misericordia eius præveniet me.

Deus meus ostende mihi inter inimicos meos * ne occideris eos, ne quando oblibiscantur legis tuæ.

A Disparge illos in virtute tua * et destrue eos protector meus, Domine.

Delicta oris eorum sermones labiorum ipsorum * et comprehendantur in superbia sua, et de exacratione, et mendacio convellantur.

Consumme eos in ira consummationis, et non erunt * et scient, quia Deus dominabitur Jacob et finium terræ.

Diapsalma.

Convertantur ad vesperum, et fame patientur, ut canes * et circuibunt civitatem.

Ecce ipsi dispargentur ad manducandum * si autem non saturabuntur, murmurabunt.

Ego autem cantabo potentiam tuam, et exaltabo mane misericordiam tuam * quia factus es susceptor B meus, et refugium meum in die tribulationis meæ.

Adiutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es, * Deus meus, misericordia mea.

LIX.

In finem qui inmutabuntur in titulis inscriptione. Psalmus David in doctrinam quando succendit Mesopotamiam, et Syriam, Sobab : et convertit Joab, et percussit in vallem Salinarum duodecim millia.

Ana. Deus reppulisti nos, et dextruxisti nos : iratus fuisti et misertus es nobis.

Commovisti terram, et conturbasti eam * sana contritiones eius, quoniam mota est.

Ostendisti populo tuo dura * potasti nos vino compunctionis.

C Dedisti metuentibus te significationem * ut fugiant a facie arcus.

Ut liberentur dilecti tui * salbum me faciat dextera tua, et exaudi me.

Deus locutus est in sancto suo : Lætabor, et dividam Sicimam * et convallem tabernaculorum dimetiar.

Meus est Galaad, et meus est Manasses * et Efrem, fortitudo capitis mei.

Juda rex meus : Moab olla spei meæ * in Idumæa ostendam calceamentum meum : mihi allofili subditi sunt.

Quis deducet me in civitate circunstantiæ, aut quis deducet me usque in Idumæam * nonne tu, Deus, qui reppulisti nos, et non egredieris Deus e virtutibus nostris.

D Da nobis auxilium in tribulatione * et vana salus hominis.

In Deo faciemus virtutem * et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

LX.

In finem Psalmus David. Obsecratio cum bona gratia.

Ana. *A finibus terræ ad te clamabi, Domine.*

Exaudi, Deus, deprecationem meam * intende voci orationis meæ.

[xxv] A finibus terræ ad te clamabi * dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.

Deduxisti me, quia factus es spes mea * turris fortitudinis a facie inimici.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula * protegar in velamento alarum tuarum. A

Diapsalma.

Quoniam tu, Deus, exaudisti orationem meam * dedisti hereditatem timentibus nomen tuum.

Dies super dies regis adicies : annos ejus usque in diem generationis, et generationum * permanebunt in æternum in conspectu Dei.

Misericordiam et veritatem * quis requiret eorum.

Sic psallam nomini tuo Deus, in sæcula * ut reddam vota mea de die in diem.

LXI.

Victori pro Iditun Psalmus David.

Doctrina sanitatis.

Ana. Nonne Deo subdita est anima mea, quoniam ab ipso est enim patientia mea : etenim ipse est B Deus meus, et salutaris meus, adiutor meus, non movebor amplius.

Quousque inruetis in homines interficientes universos * tanquam parieti inclinato, et maceriæ impulsæ ;

Verumtamen honorem meum cogitaverunt repellere * concurrerunt in siti.

Ore suo benedicebant * et corde suo maledicebant.

Diapsalma.

Verumtamen Deo subdita est anima mea * quia ab ipso est sufferentia mea.

Etenim ipse est Deus meus et salutaris meus * adiutor meus non emigrabor.

In Deo salutari meo, et gloria mea * Deus auxilii mei, spes mea in Deo est.

Sperate in eum omnis conventus plebis meæ * effundite coram illo corda vestra, quoniam Deus adiutor noster est. C

Verumtamen vani filii hominum ;* mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate sua in idipsum.

Nolite sperare in iniquitatibus, et in rapinis nolite concupiscere * divitiæ si fluant nolite cor adponere.

Semel locutus est Deus : duo hæc audibi * quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia : quia tu reddes singulis secundum opera eorum.

LXII.

Psalmus David, cum esset in deserto Judææ.

Bona gratia eius, qui secundum Deum perfectus est.

Ana. *In deserto, et in invio, et in aquoso, Deus, Deus meus ad te de luce vigilo.*

Deus, Deus meus * ad te de luce vigilo. D

Sitibit in te anima mea * quam multipliciter, et caro mea in deserto, et in invio, et inaquoso :

Sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam * quia melior est misericordia tua super vitam.

Labia mea laudabunt te, sic benedicam te in vita mea * et in nomine tuo lebado manus meas.

Sicut adipe, et pinguedine repleatur anima mea : * et labia exultationis laudabunt nomen tuum.

Sic memor fui tui super stratum meum * in matutinis meditabor in te, quia factus es adiutor meus, et in velamento alarum tuarum sperabo.

Adhæsit anima mea post te * me suscipiat dextera tua.

Ipsi vero in vano quæsierunt animam meam * introibunt in inferiora terræ : tradentur in manus gladii : pars vulpium erunt.

Rex vero lætabitur in Domino, laudabitur omnis qui iurat in eo * quoniam obstructum est os loquentium iniqua.

LXIII

Victori Psalmus David.

Doctrinæ Dei cultoris adtletæ.

Ana. Exaudi, Deus, orationem meam, cum tribulor : a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conventu malignantium * et a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt, ut gladium linguas suas * intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eum, et non timebunt * firmaberunt sibi verbum malum, disputaberunt laqueos, dixerunt : Quis videbit eos ?

Prescrutati sunt iniquitatem * defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedit homo ad cor altum * et exaltabitur Dominus.

Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum * et pro nihilo habuerunt eos, et infirmatæ sunt super eos linguæ eorum.

[xxvi] Conturbati sunt omnes qui videbant eos et timuit omnis homo.

Et adnunciaberunt opera Dei * et facta eius intellexerunt.

Lætabitur iustus in Domino, et sperabit in eo * et laudabuntur omnes recti corde.

LXIV.

Psalmus David Canticum Iheremiæ et Ezeciel de verbo peregrinationis, quando incipiebat proficisci.

Vocatio gentium.

Ana. *Exitus matutini, et vesperi delectaberis, Deus.*

Te decet, Domine, ymnus Deus in Sion et tibi reddetur votum in Iherusalem : * exaudi orationem meam ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum prævaluerunt super nos * et impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beatus, quem elegisti, et adsumsisti * inhabitabit in tabernaculis tuis.

Replebimur bonis domus tuæ * sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

Exaudi nos Deus salutaris noster * spes omnium finium terræ, et in mari longe.

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia, qui conturbas fundum maris * sonum autem fluctuum eius, quis sufferet.

Turbabuntur gentes * et timebunt omnes, qui inhabitant fines terræ a signis tuis.

Exitus matutini, et vesperi * delectaberis.

Visitasti terram, et inebriasti eam * multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aqua * præparasti cibum illorum, quia ita est præparatio tua.

A

Rivos eius inebria, multiplica generationes eius * in stillicidiis suis lætabitur, cùm exorietur.

Benedicens coronam anni benignitatis tuæ * et campi tui repleantur ubertate.

Pinguescent fines deserti * et exultatione colles accingentur.

Induti sunt arietes obium, et convalles abundabunt frumento * etenim clamabunt, et ymnum dicent.

LXV.

In finem Canticum Psalmus David resurrectionis.

Vocatio gentium, et apostolorum testimonium.

Ana. *Psalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius, dicite Deo : Quam metuenda sunt opera tua.*

B

Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius * date gloriam laudi eius.

Dicite Deo : Quam terribilia sunt opera tua * in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, et psallat tibi * psalmum dicat nomini tuo, Altissime.

Venite, et videte opera Domini * terribilis in consiliis super filios hominum.

Qui convertit mare in aridam, et flumen pertransibit pede * ibi lætabimur in idipsum.

Qui dominatur in virtute sua in æternum * oculi eius super gentes respiciunt.

Qui in ira provocant * non exaltentur in semeptisis.

Benedicite gentes Deo nostro * et obaudite vocem laudi eius.

C

Qui posuit animam meam ad vitam * et non dedit commoveri pedes meos.

Quoniam probasti nos Deus * igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes super dorsum nostrum * imposuisti homines super capita nostra.

Transivimus per ignem, et aquam * et induxisti nos in refrigerio.

Introibo in domum tuam cum holocaustis * reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea, et locutum est os meum in tribulatione mea.

Holocausta medullata offeram tibi cùm incenso, et arietibus * offeram tibi bobes cum yrcis.

Venite, et audite, et narrabo vobis, omnes qui timetis Dominum, * quanta fecit animæ meæ.

D

Ad ipsum ore meo clamabi * et exultabi sub lingua mea.

Iniquitatem si conspexi in corde meo * non exaudiet Deus.

Propterea exaudibit me Deus * et intendit voci deprecationis meæ.

Benedictus Dominus qui non amobit deprecationem meam * et misericordiam suam a me.

LXVI.

In finem Psalmus Cantici David.

Vocatio gentium, et apostolorum prædicatio.

Ana. *Inluminet Dominus vultum suum super nos.*

Deus misereatur nobis * et benedicat nos.

Inluminet Dominus vultum suum super nos * et misereatur nobis.

[xxvii] Et cognoscamus in terra viam tuam * in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus * confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur, et exultent gentes * quoniam iudicas populos in æquitate, et gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus * confiteantur tibi populi omnes.

Terra dedit fructum suum : benedicat nos Deus, Deus noster benedicat nos Deus * et metuant eum omnes fines terræ.

LXVII.

In finem Psalmus David.

Christi incarnatio, et Gentium vocatio.

Ana. Exurgat Deus, et dissipentur inimici eius * et fugiant, qui oderunt eum a facie eius.

Sicut defecit fumus, deficiant * sicut fluit cera a facie ignis ; sic pereant peccatores a facie Dei : et iusti epulentur.

Exultent in conspectu Dei * et delectentur in lætitia.

Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius * iter, facite ei, qui ascendit ab occasu : Dominus nomen est ei.

Gaudete in conspectu eius * turbabuntur a facie eius patres orphanorum, et iudices viduarum.

Deus in loco sancto suo : * Deus, qui habitare facit unanimes in domo.

Qui educit vinctos in fortitudine * similiter et eos qui ira provocant, qui habitant in sepulcris.

Deus quum egredieris coram populo tuo * dum transgredieris per desertum.

Diapsalma.

Terra mota est, etemin cœli distillaberunt a facie Dei * mons Syna a facie Dei Israel.

Pluviam voluntariam segrega Deus hereditati tuæ * etenim infirmata est.

Tu vero perfecisti eam * animalia tua inhabitabunt in ea.

Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus : * Dominus dabit verbum evangelizantibus in virtutibus multis.

Reges virtutum dilecti * et species domus dividere spolia.

Si dormiatis inter medios cleros, pinnæ columbæ deargentatæ * et posteriora dorsi eius in specie auri.

Diapsalma.

Dum discernit cœlestis reges super terram * nivem dealbabuntur in Selmon.

Montem Dei montem uberem : mons coagulatus mens uber.

Ut quid suspicamini montem uberem * mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.

Diapsalma.

Etenim Dominus habitabit usque in finem * semper.

Ana. *Benedictus Deus, benedictus Dominus de die in diem.* A

Currus Dei decem millium multiplex millia lætantium * Dominus in illis, in Syna, in sancto.

Ascendit in altum, cepit captivitatem, dedit dona hominibus * etenim qui non credunt inhabitare Dominum Deum.

Benedictus Deus * benedictus Dominus de die in diem :

Prosperum iter faciat nobis Deus salutaris noster Deus noster, Deus salvificans, et Domini mors, et Domini exitus.

Verumtamen Deus conquassabit capita inimicorum suorum * verticem capilli perambulantium in delictis suis.

Dixit Dominus: Ex Basan convertar * convertar in profundum maris, ut tinguatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis tuis, ab ipso. B

Visi sunt gressus tui, Deus : * ingressus Dei mei : regis qui est a sancto ipsius.

Prævenerunt principes coniuncti psallentibus * in medio iubencularum tympanistriarum.

In ecclesiis benedicite Dominum Deum * de fontibus Israel.

Ibi Beniamin adulescentior in pabore, principes Juda duces eorum * principes Zabulon, principes Neptalim.

Manda, Deus, virtuti tuæ * confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Iherusalem * tibi offerunt reges munera. C

Increpa feram silvæ, concilia taurorum inter vaccas populorum * ut non excludantur hi, qui probati sunt argento.

Dissipa gentes, quæ bella volunt : venient legati ex Ægypto * Æthiopia præveniat dare manus Deo.

Regna terræ, cantate Deo, psallite Domino, psallite Deo * qui ascendit super cœlos cœlorum ad orientem.

Ecce dabit vocem suam vocem virtutis suæ * date honorem Deo.

Super Israel magnificentias eius, et virtutes eius * in nubibus.

[xxviii] Mirabilis Deus in sanctis suis * Deus Israel ipse dabit virtutem, et fortitudinem plebi suæ : benedictus Dominus. D

LXVIII.

In finem pro his qui immutabuntur. Psalmus David.

Passiones, et Judæorum abiectiones sic :

Ana. Salbum me fac, Deus Domine, quoniam introierunt aquæ usque ad animam meam.

Infixus sum in limo profundi * et non est substantia.

Deveni in altitudinem maris * et tempestas dimersit me.

Laborabi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ * defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei * qui oderunt me inique.

Confortati sunt super me, qui me persecuti sunt inimici mei iniuste * quæ non rapui tunc exolbebam.

Deus tu nosti insipientiam meam ; * et delicta mea a te non sunt abscondita.

Non erubescant in me, qui te expectant, Domine Deus virtutum * ne revereantur super me qui quærunt te Domine Deus Israel.

Quoniam propter te subportabi improperium * operuit reverentia faciem meam.

Exter factus sum fratribus meis * et ospes filiis matris meæ.

Quoniam zelus domus tuæ comedit me * et obprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

Humiliabi in ieiunio animam meam * et factum est in opprobrium mihi.

Et posui vestimentum meum cilicium * et factus sum illis in parabola.

Adversum me exercebantur, qui sedebant in porta * et in me psallebant, qui bibebant vinum.

Ego vero orationem meam ad te Domine * tempus beneplaciti.

Deus in multitudinem misericordiæ tuæ * exaudi me in veritate salutis tuæ.

Eripe me de luto, ut non inhærear : libera me ex odientibus me, et de profundo aquarum * non me dimergat tempestas aquæ, neque obsorbeat me profundum, neque opereat super me puteus os suum.

℟ Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua * secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.

Ne avertas faciem tuam a puero tuo * quoniam tribulor velociter exaudi me.

Intende animæ meæ, et libera eam * propter inimicos meos eripe me.

Tu enim scis inproperium meum, et confusionem, et verecundiam meam * in conspectu tuo omnes tribulantes me.

Improperium expectavit cor meum, et miseriam : et sustinui, qui simul mecum contristaretur, et non fuit * et consolantem me, et non inveni.

Et dederunt in esca mea fel * et in siti mea potaberunt me aceto.

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum * et in captionem, et in scandalum.

Obscurentur oculi eorum, ne videant * et dorsum illorum semper incurba.

Effunde super eos iram tuam * et indignatio iræ tuæ adpreendat eos.

Fiat habitatio eorum deserta * et in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet.

Quoniam quem tu percusisti, ipsi persecuti sunt me * et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Appone iniquitatem super impietatem ipsorum * et non intrent in tua iustitia.

Deleantur de libro viventium * et cum justis non scribantur.

Pauper ego, et dolens sum * et salus vultus tui A
Deus suscepit me.

Laudabo nomen Dei mei cum cantico * magnificabo eum in laude.

Et placebit Deo super vitulum novellum * cornua producentem, et ungulas.

Videant pauperes, et lætentur * quærite Dominum, et vivet anima vestra.

Quoniam exaudivit pauperes Dominus * et vinctos suos non sprebit.

Laudent illum cœli et terra * mare et omnia repentia in eo.

Quoniam Deus salbum faciet Syon, et ædificabunt civitates Juda, et inhabitabunt ibi, et hæreditabunt eam * et semen servorum eius possidebunt eam : et
qui diligunt nomen eius, habitabunt in eam. B

LXIX.

In finem Psalmus David in rememoratione Dei quando salvum fecit eum Dominus.

Deprecatio iusti, et ipsius Christi.

Ana. Deus in adiutorium meum, tu intende ; Domine, ad adiuvandum me, festina.

[xxix] Confundantur, et revereantur inimici mei * qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorsum, et confundantur qui cogitant mihi mala.

Avertantur statim erubescentes * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent, et lætentur in te omnes qui quærunt te Domine * et dicant semper : Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum. C

Ego vero egenus, et pauper sum * Dominus curam habet mei.

Adiutor et liberator meus es tu * Domine ne tardaberis.

LXX.

In finem Psalmus David filiorum Aminadab, qui fuerunt in captivitatem :

Christi passio, et resurrectio.

Ana. Deus, in te sperabi, Domine, non confundar in æternum : * in tua iustitia libera me, et eripe me.

Inclina ad me aurem tuam * et libera me.

Esto mihi in Deum protectorem * et in locum munitum, ut salbum me facias.

Quoniam firmamentum meum, et refugium meum
es tu * Deus meus eripe me de manu peccatoris, et D
de manu contra legem agentis, et iniqui.

Quoniam tu es patientia mea, Domine : * spes mea a iuventute mea.

In te confirmatus sum ex utero : de ventre matris meæ Deus meus es tu * in te est decantatio mea semper.

Tamquam prodigium factus sum multis * et tu adiutor fortis.

Repleatur os meum laude tua, ut possim cantare gloriam tuam * tota die magnificentias tuas.

Ne proicias me in tempore senectutis * et cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Quia dixerunt inimici mei mala mihi : et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes : Deus dereliquit illum * persequimini, et compreendite eum quia non est qui eripiat eum.

Deus, ne elonges a me * Deus meus in adiutorium meum respice.

Confundantur, et deficiant detraentes animæ meæ * operiantur pudore, et confusione, qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper in te sperabo * et adiciam super omnem laudem tuam.

Os meum pronuntiabit iustitiam tuam * tota die laudem tuam.

Quia non cognobi negotiationes, introibo in potentias Domini * memorabor iustitiæ tuæ solius.

Ana. *Gaudebunt labia mea dum cantabero tibi; et anima mea, quam redemisti Domine.*

Docuisti me, Deus, a iuventute mea * et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua, et usque ad senectam, et senium Deus ne derelinquas me.

Donec adnuntiem brachium tuum * generationi omni, quæ ventura est ;

Potentiam tuam, et iustitiam tuam, Deus usque in sæculum * quæ fecisti magnalia, Deus, quis similis tibi.

Quia ostendisti mihi tribulationes multas, et malas * et conversus vivificasti me, et de abysso terræ iterum reduxisti me : multiplicasti iustitiam tuam : et conversus consolatus es me.

Et ego confitebor tibi in vasis psalmorum * veritatem tuam psallam tibi in cithara, Deus sancte Israel.

Gaudebunt labia mea dum cantabero tibi ; * et anima mea, quam redemisti.

Sed et lingua mea meditabitur iustitiam tuam * tota die laudem tuam.

Dum confusi, et reveriti fuerint * omnes qui quærunt mala mihi.

LXXI.

In Salomone Psalmus David.

Prophetia Christi regni, et vocationes gentium.

Ana. *Suscipiant montes pacem populi tui et colles iustitiam tuam.*

Deus, iudicium tuum regi da * et iustitiam tuam filio regis.

Iudicare populum tuum in tua iustitia * et pauperes tuos in iudicio.

Suscipiant montes pacem populi tui * et colles iustitiam tuam.

In sua iustitia iudicabit pauperes huius populi * et salbos faciet filios pauperum.

Et humiliabit calumniatorem * et permanebit cum sole, et ante lunam in sæcula sæculorum.

Et descendit, sicut pluvia in vellus * et sicut stillicidia stillantia super terram.

Orietur in diebus eius iustitia, et multitudo pacis * donec extollatur luna.

Et dominabitur a mari usque ad mare * et a fluminibus usque ad terminos orbis terræ. A

Coram illo Æthiopes procedunt * et inimici eius limum lingent.

[xxx] Reges Tarsis, et insulæ munera offerunt * reges Harabum, et Sabaha dona adducent.

Et adorabunt eum omnes reges terræ * omnes gentes serviunt ei.

Quia liberabit pauperem a potente * et inopem, cui non erat adiutor.

Parcet pauperi, et inopi * et animas pauperum salbas faciet.

Ex usuris, et iniquitatibus liberabit animas eorum * et præclarum nomen eius coram ipsis.

Et vivet, et dabitur ei de auro Harabiæ * et orabunt pro eo semper : tota die benedicent eum.

Et erit firmamentum in terra a summis montibus, superextolletur super Libanum fructus eius * et florebit de civitate, sicut fœnum terræ ; et erit nomen eius benedictum in sæcula.

Ante solem permanet nomen eius * et ante lunam sedes eius.

Et benedicentur in eo omnes tribus terræ * omnes gentes magnificabunt eum.

Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus * et benedictum nomen maiestatis eius in æternum, et in sæculum sæculi :

Et replebitur maiestate eius omnis terra * fiat, fiat.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

LXXII.

Defecerunt Ymni David filii Jesse : Psalmus Asaph.

Confessio humanæ infirmitatis super impiis.

Ana. Quam bonus Deus Israel * eis qui recto sunt corde.

Mei autem pene moti sunt pedes * pene effusi sunt gressus mei.

Quia zelabi in peccatoribus * pacem peccatorum videns.

Quia non est declinatio mortis eorum * nec firmamentum in plaga ipsorum.

In laboribus hominum non sunt * et cum hominibus non flagellabuntur.

Ideo tenuit eos superbia eorum * operati sunt iniquitatem super impietatem suam. C

Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum * transierunt in dispositione cordis.

Cogitaberunt, et locuti sunt nequitiam * iniquitatem in excelso locuti sunt.

Posuerunt in cœlo os suum * et lingua eorum transiit super terram.

Ideo revertetur huc populus meus * et dies pleni inveniuntur in eis.

Et dixerunt : Quomodo scibit Deus * et si est scientia in excelso ?

Ecce ipsi peccatores, et abundantes in sæculo * obtinuerunt divitias.

Et dixi : Numquid vane justificabi cor meum, et labi inter innocentes manus meas * et fui flagellatus tota die, et vindex meus in matutino. D

Si dicebam : Narrabo sic * ecce generatio filiorum tuorum, cui disposui.

Existimabam, ut cognoscerem hoc, labor est ante me * donec intrem in sanctuarium Dei, et intellegam in nobissimo.

Verumtamen propter dolositates eorum posuisti eis mala * deiecisti eos, cum allebarentur.

Quomodo facti sunt in desolatione subito defece- B runt, et perierunt propter iniquitatem suam * velut a somnio exurgentes.

Domine, in civitate tua * imaginem illorum ad nihilum rediges.

Quia exaruit cor meum, et renes mei resoluti sunt * et ego ad nihilum reductus sum, et nescibi.

Velut iumentum factus sum apud te * et ego semper tecum.

Tenuisti manum meam dexteram * et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria adsumsisti me.

Quid enim mihi restat in cœlo * et a te quæ volui super terram.

Defecit cor meum et caro mea robur cordis mei * et pars mea tu Deus in sæcula.

Quia ecce qui elongant se a te, peribunt * perdisti omnes qui fornicantur abs te.

Mihi autem adhærere Deo bonum est * ponere in Deo spem meam, ut enarrem omnia promissa tua in portis filiæ Sion.

LXXIII.

Intellectus Asaph.

Vox Christi de futuro. Proclamatio nobissima Judæorum et circumventionis, quæ sub Vespesiano et Tito facta est.

Ana. *Memento congregationis tuæ Domine, quam creasti ab initio.*

[xxxi] Ut quid repulisti nos. Deus, in finem * iratus est furor tuus super obes gregis tui.

Memento congregationis tuæ * quam creasti ab initio.

Liberasti virgam hereditasti tuæ * montem Syon in quo habitas in idipsum.

Eleba manum tuam in superbia eorum * in finem,

Quanta malignatus est inimicus in sanctis tuis * et gloriati sunt omnes, qui te oderunt.

In medio atrio tuo posuerunt signa sua, signa * et non cognoberunt, sicut in via supra summum.

Tamquem in silba lignorum securibus exciderunt eius * in idipsum.

Bipinne, et ascia deiecerunt ea, incenderunt igni

Deus, in sancto via tua : quis Deus magnus, sicut Deus noster * tu es Deus quis facis mirabilia magna solus.

Notam fecisti in populis virtutem tuam * liberasti brachio tuo plebem tuam, filios Jacob, et Joseph.

Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ, et timuerunt * conturbati sunt abyssi.

A multitudine sonitus aquarum * vocem dederunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ pertransierunt * vox tonitrui tui in rota.

Inluxerunt fulgura eius orbis terræ * mota, et tremefacta est terra.

In mari viæ tuæ, et semitæ tuæ in aquis multis * et vestigia tua non cognoscentur.

Deduxisti sicut obes populum tuum * in manu Moysi, et Aaron.

LXXVII.

Eruditionis Asaph.

Vox Christi de Judæis. Christi dictio ad Ecclesiam pro prioris populi iniquitate.

Ana. *Inclinate aurem vestram in verba oris mei: popule meus adtende legem meam.*

Adtende popule meus legem meam * inclinate aurem vestram in verba oris mei.

Aperiam in parabolis os meum * loquar propositiones ab initio sæculi.

Quanta audibimus, et cognobimus ea * et patres nostri adnuntiaberunt nobis.

Non sunt occultata a filiis eorum * in progenie altera.

Narrat laudes Domini, et virtutes eius * et mirabilia eius quæ fecit.

Et suscitavit testimonium in Jacob * et legem posuit in Israel:

Quam mandavit patribus nostris * ut notam facerent ea filiis suis.

Ut cognoscat generatio altera * filii, qui nascentur, exurgent, et narrabunt ea filiis suis.

Ut ponant in Deo spem suam * et non oblibiscantur operum Dei sui : et mandata eius exquirant.

Ne fiant, sicut et patres eorum * genus prabum, et peramarum :

Genus, quod non direxit cor suum * et non credidit Deo spiritus eius.

Filii Efren intendentes arcum, et mittentes sagittas suas ; * cum conversi sunt in die belli.

Non custodierunt testamentum Dei sui * et in lege eius noluerunt ambulare.

Et obliti sunt beneficiorum eius * et mirabilium eius, quæ ostendit eis.

Coram patribus eorum fecit magnalia in terra Ægypti * in campo Taneos.

[xxxiii] Interrupit mare, et perduxit eos * et statuit aquas, quasi in utre.

Et eduxit eos in nubem diei * et nocte in inluminatione luminis.

Interrumpit in heremo petram * et adaquavit eos, velut in abyssus multa.

Et eduxit aquam de petra * et eduxit tamquam flumina aquas.

Et apposuerunt adhuc peccare ei * in ira concitaberunt excelsum in siccitate.

Et tentaberunt Deum in cordibus suis * ut peterent escam animabus suis.

Et male locuti sunt de Deo, et dixerunt * Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?

Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ * et torrentes inundaberunt.

Numquid, et panem poterit dare * aut parare mensam populo suo ?

Ideo audibit Dominus, et distulit, et superposuit, et ignis accensus est in Jacob * et ira Dei ascendit in Israel.

Quia non crediderunt in Deum suum * nec speraberunt in salutare eius.

Et mandavit nubibus desuper * et ianuas cœli aperuit.

Et pluit illis mannam manducare : panem cœli dedit eis * panem angelorum manducabit homo, frumentationem misit illis in abundantiam.

Ana. *Non sunt rememorati manu eius die, qua liberavit eos de manu tribulationis.*

℟. Et excitavit Austrum de cœlo * et induxit in virtute sua Africum.

Et pluit super eos sicut pulberem carnes * et sicut arenæ maris volatilia pinnata.

Et ceciderunt in medio castrorum eorum circa tabernacula eorum.

Et manducaberunt, et saturati sunt nimis * et desiderium eorum obtulit eis.

Non sunt fraudat a desiderio suo * adhuc esca eorum erat in ora ipsorum.

Ira Dei ascendit in eos, et occidit plurimos eorum * et electos Israel inpedibit.

In omnibus his peccaberunt adhuc * et non crediderunt in mirabilibus eius.

Et defecerunt in vanitate dies eorum * et anni eorum cum festinantia.

Quum occideret eos, tunc quærebant eum * et convertebantur ante lucem, et veniebant ad eum.

Et rememorati sunt, quia Deus adiutor eorum est * et Deus excelsus liberator eorum est.

Et dilexerunt eum in ore suo * et lingua sua mentiti sunt ei.

Cor autem ipsorum non est rectum cum eo * nec fides habita est illis in testamento eius.

Ipse autem est misericors, et propitius fit peccatis eorum * et non disperdidit eos.

Et abundavit, ut averteret iram suam ab eis * et non ascendit omnem iram suam.

Et rememorati sunt, quia caro sunt * spiritus vadens, et non rediens.

Quotiens exacerbabunt eum in deserto * in ira concitaberunt eum in terra sine aqua.

Et conversi sunt, et tentaberunt Deum * et Sanctum Israel exacerbaberunt.

sanctuarium tuum * in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.

Dixerunt in corde suo * cognatio eorum in idipsum :

Venite,comprimamus omnes dies festos Domini* de terra.

Signa nostra non vidimus * iam non est propheta, et nos non agnoscet amplius.

Usquequo Deus improperabit inimicus * irritat adversarius nomen tuum in finem.

Ut quid avertis faciem tuam, et dexteram tuam * e medio sinu tuo in finem.

Deus autem rex noster ante sæcula * operatus est salutem in medio terræ.

Tu confirmasti in virtute tua mare * tu contribulasti capita draconum super aquas.

Tu confregisti caput draconis magni * et dedisti eum in esca populo Æthiopo.

Tu disrupisti fontes, et torrentes * tu exicasti flumina Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox : tu fecisti solem, et lunam : tu fecisti omnes terminos terræ * æstatem, et ver tu fecisti ea.

Memor esto huius creaturæ tuæ * quia inimicus exprobravit Dominum : et populus insipiens exacerbavit nomen tuum.

Ne tradas bestiis animas confitentium tibi * animæ pauperum tuorum, ne obliviscaris in finem.

Respice in testamento tuo, qui repleti sunt * quia obscurati sunt terrœ domorum iniquitantium,

Ne avertatur humilis factus confusus* pauper, et inops laudabunt nomen tuum.

Exurge, Domine, iudicta causam tuam * memor esto obprobrii servorum tuorum, et eorum, qui insipientes sunt tota die.

Ne obliviscaris vocem quærentium te * superbia eorum qui te odeaunt, ascendat in sempiternum.

LXXIV.

In finem ne disperdas David. Psalmus Asaph Canticum.

Christi dictio deitatis et commemoratio divina.

Ana. Confitebimur tibi, Deus, confitebimur tibi: et invocabimus nomen sanctum tuum.

Narrabo omnia mirabilia tua* quum accepero tempus, ego iustitias judicabo.

Liquefacta est terra, et omnes habitantes in ea * ego autem confirmabi columnas eius.

Dixi iniquis : Nolite inique agere * et delinquentibus : Nolite exaltare cornum.

Nolite in altum extollere cornum vestrum * et ne loquamini adversus Deum iniquitatem.

Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus * quoniam Deus iudex est.

Hunc humiliat, et hunc exaltat * quia calix in manu Domini vini meri plenus est mixto, et inclibit ex hoc in illud.

Verumtamen fæx eius non est exinanita * bibent ex eo omnes peccatores terræ.

Ego autem in sæcula lætabor: et psallam Deo Jacob et omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua iusti

LXXV.

In finem Ymnis Psalmus Asaph. Canticum pro Assiriis.

Vindictam adversum impios secundum Dei iudicium.

Ana. *Inluminans tu mirabilis a montibus æternis.*

Notus in Iudea Deus * in Israel magnum nomen eius.

Et factus est in pace locus eius * et habitatio eius in Syon.

Ibi confregit cornu, arcum, * scutum, gladium, et bellum.

Inluminans tu mirabilis * a montibus æternis.

Turbati sunt omnes insipientes corde * dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

Ab increpatione tua Deus Jacob * dormitaberunt, qui ascenderunt equos.

Tu terribilis es, et quis resistet tibi ? * ex trunc [xxxii] et ab ira tua, e cœlo iudicium iaculatum est.

Terra tremuit, et quiebit, dum resurgeret in iudicio Deus* ut salvos faceret omnes quietos terræ.

Quia cogitatio hominis confitebitur tibi * et reliquæ cogitationes diem festum agent tibi.

Vobete, et reddite Domino Deo vestro * omnes, qui in circuitu eius offertis munera.

Terribili et ei qui aufert spiritum principum * terribili præ regibus terræ.

LXXVI.

Victori pro Iditum, Psalmus David.

De Dei patientia et mirabilium operum eius

Ana. *In die tribulationis meæ Deus exquisibi : manibus meis nocte coram eo et non sum deceptus.*

Voce mea ad Dominum clamabi * et vox mea ad Deum : et respexit me.

In die tribulationis meæ Deum exquisibi * manibus meis nocte coram eo, et non sum deceptus.

Recusabi consolari animam meam * memoratus sum Dei, et lætatus sum.

Alienatus sum, et defecit paulisper spiritus meus * præoccupaberunt custodias omnes inimici mei, conturbatus sum, et non sum locutus.

Recordatus sum dies antiquos * et annos æternos in mente habui.

Meditatus sum nocte cum corde meo * cogitabam, et ventilabam spiritum meum.

Et dixi : Numquid in sæculo repellet Deus : aut non apponat benefacere adhuc * aut in finem misericordiam suam amputabit a sæculo, et generatione.

Numquid oblibiscetur misereri Deus * aut continebit in ira misericordiam suam ?

Et dixi : Nunc cœpi * hæc mutatio dexteræ altissimi.

Memoratus sum operum Dei * quia memor ero a principio mirabilium tuorum.

Et meditatus sum in omnibus operibus tuis * et in adinventionibus tuis me exercebor.

Non sunt rememorati manu eius * die qua liberavit eos de manu tribulationis. A

Qui posuit in Ægypto signa sua * et prodigia sua in campo Taneos.

Convertit in sanguine flumina eorum * et puteales aquas eorum ne biberent.

Inmisit in eos muscam caninam, et comedit eos * et rana exterminavit eos.

Et dedit caniculæ fructus eorum * et labores eorum locustæ.

Occidit in grandine vineas eorum * et moros eorum in pruina, et substantias eorum in igne.

Et tradidit in grandine iumenta eorum * et possessiones eorum in igne.

Inmisit in eos iram indignationis suæ * indignationem, et iram, et tribulationem, inmissiones per angelos malos. B

Viam fecit semitæ iræ suæ, et non pepercit a morte animabus eorum * et iumenta eorum in morte conclusit.

Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti * primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cam.

Et abstulit, sicut obes, populum suum * et perduxit eos, tanquam gregem in deserto.

Ana. *Adduxit eos in montem sanctificationis suæ.*

Et eduxit eos in spe, et non timuerunt * et inimicos eorum operuit mare.

Adduxit eos in montem sanctificationis suæ * montem hunc, quem adquisibit dextera eius.

Et eiecit a facie eorum gentes * sortem divisit eis terram in funiculo distributionis.

Et habitavit in tabernaculis eorum * tribus Israel. C

Et tentaberunt et exacerbaberunt Deum excelsum * et testimonia eius non custodierunt.

Averterunt se, et non obserbaberunt, sicut et patres eorum * [xxxiv] et conversi sunt in arcum perversum.

In ira concitaberunt eum in collibus suis * et in sculptilibus suis æmulati sunt eum.

Audibit Dominus et sprebit * et ad nihilum redigit nimis Israel.

Et repulit tabernaculum Selon tabernaculum suum * in quo habitabit inter homines.

Et tradidit in captivitate virtutes eorum * et pulcritutines eorum in manus inimici.

Et conclusit in gladio populum suum * et hereditatem suam sprevit. D

Iuvenes eorum comedit ignis * et virgines eorum non sunt lamentatæ.

Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt * et viduæ eorum non ploraberunt.

Et excitatus est, tanquam dormiens Dominus * et tamquam potens crapulatus a vino.

Et percussit inimicos suos in posteriora * obprobrium sempiternum dedit eis.

Et repulit tabernaculum Joseph et tribum Efren non elegit * sed elegit tribum Juda, montem Sion, quem dilexit.

Et ædificabit sicut unicornuorum sanctificationem suam * in terra fundavit eam in sæcula.

Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus obium * de post fœtantes accepit eum.

Pascere Jacob servum suum * et Israel hereditatem suam.

Et pabit eos sine malitia cordis sui * et in sensu manuum suarum deduxit eos.

LXXVIII.

Psalmus Asaph.

Vox Apostolorum post passionem Christi. Prophetia, quæ secundum Antiochum de Judæis contingit accedentium storiam in Maccabæis.

Ana. *Cito nos præveniat misericordia tua, Domine.*

Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum * posuerunt Jerusalem velut pomorum custodias.

Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus cœli * carnes sanctorum tuorum vestiis terræ.

Effuderunt sanguinem eorum, velut aqua in circuitu Jerusalem * et non erat, qui sepeliret.

Facti sumus ubprobrium vicinis nostris * inlusione, et derisu his, qui in circuitu nostro sunt.

Usquequo, Deus, irasceris in finem * an in finem exardescit velut ignis, zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes quæ te non noberunt * et in regna, quæ nomen tuum non invocaberunt.

Quia comederunt Jacob * et locum eius desolaberunt.

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipet nos misericordia tua Domine * quoniam pauperes facti sumus nimis.

Diapsalma.

Adiuva nos Deus salutaris noster, et propter honorem nominis tui libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum * ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eorum.

Innotescat in nationibus coram oculis nostris * defensio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est. Intret in conspectu tuo gemitus compeditorum * secundum multitudinem brachii tui posside filios morti punitorum

Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum * improperium ipsorum, quod exprobaberunt tibi, Domine.

Nos autem populus tuus, et opes gregis tui confitebimur tibi in sæcula * et in sæculum sæculi narravimus laudem tuam.

LXXIX.

Pro his qui immutabuntur testium Asaph. Psalmus, pro Asyriis.

Prophetia, quæ ab adversariis circumvallati sunt, et deprecatio de Christi adventu.

Ana. Qui regis Israel intende: qui deducis velut obem, Joseph.

℟ Qui sedes super Cherubin manifestare coram Efren * et Beniamin, et Manasse.

Excita potentiam tuam * et veni, ut salvos facias nos.

Deus virtutum converte nos * et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Domine Deus virtutum * quousque irasceris in A orationem servi tui.

Cibasti nos panem lacrymarum * et pctum dedisti nobis in lacrymis in mensuram.

Posuisti nos in contradictione vicinis nostris * et inimici nostri deriserunt nos.

[xxxv] Deus virtutum converte nos * et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Diapsalma.

Vineam ex Ægypto transtulisti * eiecisti gentes, et plantasti eam.

Viam fecisti in conspectu eius * et plantasti radices eius, et repleta est terra.

Operuit montes umbra eius * arbusta eius cedros Dei.

Extendisti palmites eius usque ad mare * et usque B ad flumina propagines eius.

Ut quid dextruxisti maceriam eius * et vindemiaberunt eam omnes transeuntes viam.

Exterminabit eam aper de silba * et singularis ferus depastus est eam.

Domine Deus virtutum convertere * nunc respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam, et dirige eam, quam plantavit dextera tua, et filium hominis, quem confirmasti tibi.

Incensam igni, et effosa manu ab increpatione vultus tui, Domine, peribunt * fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis, quem confirmasti tibi.

Et non discedimus a te, vivificabis nos * et nomen tuum invocabimus. C

Domine Deus virtutum converte nos * et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

LXXX.

In finem pro Torcularibus. Psalmus ipse Asaph, Quinta Sabbati.

Vocatio gentium, et doctrina eorum, qui acciderint priori populo.

Ana. Exultate Deo adiutori nostro : iubilate Deo Jacob.

Sumite psalmum, et date tympanum * psalterium iucundum cum cithara.

Canite in initio mensis tuba, in die insignis solemnitatis vestræ * quia præceptum Israel est, et judicium Deo Jacob.

Testimonium in Joseph posuit cum exiret de terra D Ægypti * linguam, quam non noverat, audibit.

Divertit ab oneribus dorsum eius * manus eius in cophino servierunt,

In tribulatione invocasti me, et liberabi te : et exaudibi te in abscondito tempestatis * probabi te ad aquas contradictionis.

Diapsalma

Audi popule meus, et loquar * Israel et testificabor tibi.

Israel si me audieris, non erit in te Deus recens neque adorabis deos alienos.

Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxite de terra Ægypti * dilata os tuum, et ego adimplebo illud.

Et non audihit populus meus vocem meam * et Israel non intendit mihi.

Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum * et ambulaberunt in voluptatibus suis.

Si plebs mea audisset me, Israel si vias meas ambulasset, ad nihilum inimicos eius humiliassem * et super tribulantes eos misissem manum meam.

Inimici Domini mentiti sunt ei * et erit tempus eorum in æternum.

Cibabit eos ex adipe frumenti * et de petra melle saturabit eos.

LXXXI.

Psalmus ipsi Asaph.

Vox Christi ad Judæos. Argutio principum Judæorum.

Ana. *Judicate pupillo, et egeno: humilem, et pauperem iustificate.*

Deus stetit in sinagoga deorum * in medio autem deos discernit.

Quousque iudicatis iniquitatem * et facies peccantium sumitis.

Diapsalma.

Judicate pupillo et egeno * humilem et pauperem iustificate.

Eripite pauperem et egenum * de manu peccatoris liberate eum.

Nescierunt, nec intellexerunt, qui in tenebris ambulant * mobebuntur omnia fundamenta terræ.

Ego dixi, dii estis * et filii excelsi omnes.

Vos autem, sicut homines moriemini * et sicut unus de principibus cadetis.

Exurge Domine iudica terram * quia tu hereditaberis omnibus gentibus.

LXXXII.

Canticum Psalmi Asaph.

Vox Christi de Judæis.

Deprecatio de quibus pro eo, qui passus est tristitias populi : et prophetia pro fine inimicorum Dei.

Ana. *Cognoscant gentes, quia nomen tibi* Dominus: *tu solus altissimus super omnem terram.*

℟ Deus quis similis tibi * ne taceas, neque conpescaris Deus.

Quoniam ecce inimici tui sonuerunt * et qui te oderunt, lebaberunt caput.

[xxxvi] in plebem tuam adversus te cogitaberunt * consilium cogitaberunt adversus sanctos tuos.

Dixerunt : Venite, disperdamus eos ex gente * et non memoretur nomen Israel amplius.

Quoniam cogitaberunt consilium in unum ; adversus te testamentum disposuerunt * tabernacula Idumæorum, et Smaelitarum, Moab, et Agareni.

Gebal, et Ammon, et Amalec * et alienigenæ cum habitantibus Tyrum.

Etenim Assirius simul venit cum illis * facti sunt in susceptione filiis Loth.

Diapsalma.

Fac illis, Deus, sicut Madian, et Sisaræ, et sicut Jabin in torrentem Cisson * disperierunt omnes in Endor : facti sunt sicut stercus terræ.

Pone principes eorum sicut Orep, Zeb, Zebee, et A
Salmana * omnes principes eorum, qui dixerunt : Hereditatem possideamus nobis sanctuarium Dei.

Deus meus pone illos, ut rotam * et sicut stipulam ante faciem venti.

Sicut ignis, qui comburet silbam * et velut si flamma comburet montes.

Ita persequere eos in tempestate tua * et in ira tua conturbabis eos.

Imple facies eorum ignominia * et quærant nomen tuum, Domine.

Confundantur, et turbentur in sæculum sæculi * et revereatur et pereant in æternum, et in sæculum sæculi.

Et cognoscant, quia nomen tibi Dominus * tu solus altissimus super omnem terram. B

LXXXIII.

Victori pro Torcularibus filiis Coreph. Psalmus.

Prophetia de Christo, et de Ecclesiis eius.

Ana. *Cor meum, et caro mea exultaberunt in Deum vivum.*

Quam amabilia sunt tabernacula tua, Domine Deus virtutum * concupibit, et defecit anima mea in atria, Domini.

Cor meum, et caro mea * exultaberunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum * et turtur nidum, ubi reponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum * rex meus, et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua * in sæcula sæculorum laudabunt te. C

Diapsalma.

Beatus vir, cuius est auxilium abs te, Domine ascensus in corde eius disposuisti * in convallem plorationis in locum, quem fundasti ei.

Etenim benedictionem dabit, qui legem dedit * ambulabunt de virtute in virtute, et videbitur Deus deorum in Syon.

Diapsalma.

Domine Deus virtutum exaudi precem meam * auribus percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui * quia melior est dies una in atriis tuis super milia.

Elegi abiectus esse in domo Dei * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. D

Quia misericordiam, et veritatem diligit Dominus * gratiam, et gloriam dabit Deus.

Dominus non pribabit bonis * ambulantibus in innocentiam.

Domine Deus virtutum * beatus homo, qui sperat in te.

LXXXIV.

Victorum filiorum Coreb Psalmus David.

Prophetia de Christo et pro eis, qui per ipsum liberati sunt.

Ana. *Deus tu convertens vivificabis nos* ; *et plebs tua lætabitur in te.*

℟ Benedixisti, Domine, terram tuam * avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ * operuisti omnia peccata eorum.

Diapsalma.

Mitigasti omnem iram tuam * aversus es ab ira indignationis tuæ.

Converte nos Deus salutaris noster * et averte iram tuam a nobis.

Non in æternum irascaris nobis * neque extendas iram tuam a progenie in progenie.

Deus tu convertens vivificabis nos * et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam * et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus quoniam loquetur pacem in plebem suam : et super sanctos suos : et in eos qui convertuntur ad ipsum corde.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius * ut inhabit et gloria in terram nostram.

Misericordia et veritas obviaberunt sibi * iustitia ut pax complexæ sunt.

Veritas de terra orta est * et iustitia de cœlo prospexit.

[xxxvii] Etenim Dominus dabit benignitatem * et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit * et ponet in via gressus suos.

LXXXV.

Psalmus ipsi David : Obsecratio David.

Vox Christi, sive populi ani.

Ana. *Quia tu, Domine, suavis, ac mitis es et multum misericors invocantibus te.*

℟ Inclina Domine aurem tuam et exaudi me * quoniam egenus et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus es * salvum fac servum tuum, Domine Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamabi tota die * lætifica animam servi tui, quia ad te Domine animam meam lebabi.

Quia tu, Domine, suavis, ac mitis es * et multum misericors invocantibus te.

Auribus percipe orationem meam * et intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamabi ad te * et exaudisti me.

Non est similis tibi in diis, Domine * et non est secundum opera tua.

Omnes gentes quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine * et honorificabunt nomen tuum, quia magnus es tu, et faciens mirabilia tu Deus solus.

Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua * lætetur cor meum, et timeat nomen tuum.

Confitebor tibi, Domine, Deus meus, in toto corde meo, et honorificabo nomen tuum, quia magna est

super me misericordia tua * et eruisti animam meam A
ex inferno inferiori.

Deus, iniusti insurrexerunt adversum me, et sinagoga potentium quæsierunt animam meam * et non præposuerunt Deum ante conspectum suum.

Et tu, Domine Deus meus, miserator, et misericors * patiens, et multum misericors et verax.

Respice in me, et miserere mei * da potestatem puero tuo, et salvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum, Deus, signum in bono, ut videant, qui me oderunt, et confundantur * quoniam tu, Domine, adiuvisti me, et consolatus es me.

LXXXVI.

Filiorum Coreph : Psalmus Cantici.

Christi incarnatio.

Ana. *Diligit Dominus portas Syon super taber-* B
nacula Jacob.

℟ Fundamenta eius in montibus sanctis * diligit Dominus portas Syon super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te * civitas Dei.

Diapsalma.

Memor ero Raab, et Babilon * scientium me.

Ecce enim alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopus * qui fuerunt illic.

Mater Syon dicet, homo, et homo factus est in ea * et ipse fundabit eam Altissimus.

Dominus narravit scripturas populorum suorum * et principum eorum, qui fuerunt in ea.

Diapsalma.

Sicut lætantibus nobis omnibus * commemoratio C
est in te.

LXXXVII.

Canticum carminis filiorum Coreph. In finem pro Amalec ad respondendum Intellectum Eman Ezraelitæ.

Christi mortem prophetizabit.

Ana. *Et ego ad te Domine clamabi, et mane oratio mea præveniat te.*

℟ Domine Deus salutis meæ * per diem clamabi, et nocte coram te.

Intret oratio mea in conspectu tuo * inclina aurem tuam ad precem meam, Domine.

Quia repleta est malis anima mea * et vita mea in infernum adpropriabit.

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum * D
factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.

Et sicut vulnerati dormientes proiecti in monumentis, quorum non est memoria amplius * et quidem ipsi de manu tua expulsi sunt.

Posuerunt me in loco inferiori * in tenebris, et umbra mortis.

In me confirmata est iracundia tua * et omnes electiones tuas super me induxisti.

Diapsalma.

Elongasti notos meos a me * posuisti me abominationem eis : traditus sum, et non egrediebar.

Oculi mei infirmati sunt præ inopia * clamabi ad te, Domine Deus meus, tota die expandi manus meas ad te.

[xxxviii] Numquid mortuis faciens mirabilia * aut medici resuscitabunt, et confitebuntur tibi ?

Diapsalma.

Numquid enarrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam * aut veritatem tuam in perditione ?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua * aut iustitia tua in terra obliterata ?

Et ego ad te, Domine, clamabi * et mane oratio mea præveniat te.

Ut quid Domine reppulisti orationem meam, avertisti faciem tuam a me * pauper sum ego, et in laboribus a iubentute mea.

Exaltatus autem, et humiliatus sum * et confusus.

In me pertransierunt iræ tuæ * et terrores tui conturbaberunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die * circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum * et notos meos præ miseria.

LXXXVIII.

Intellec. Etan Isralitæ.

Christi regnum ex semine David.

Ana. *In cœlis præparabitur veritas tua, Domine.*

Misericordias tuas, Domine * in æternum cantabo.

In generatione, et progenie * pronuntiabo veritatem tuam in ore meo.

Quoniam dixisti : in æternum misericordia ædificabitur * in cœlis præparabitur veritas tua.

Disposui testamentum electis meis * iurabi David servo meo.

Usque in æternum præparabo semen tuum * et ædificabo in generatione, et progenie sedem tuam.

Diapsalma.

Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine * et veritatem tuam in ecclesiis sanctorum.

Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino * aut quis similis erit Deo inter filios Dei.

Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum * magnus, et metuendus super omnes, qui in circuitu eius sunt.

Domine Deus virtutum, quis similis tibi * potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo.

Tu dominaris potestatem maris * motum autem fluctuum eius tu mitigas.

Tu humiliasti, sicut vulneratum, superbum * et in virtute brachii tui dispersisti inimicos tuos.

Tui sunt cœli, et tua est terra * orbem terrarum, et plenitudinem eius tu fundasti.

Aquilonem, et mare tu creasti * Tabor et Ermon in nomine tuo exultabunt :

Tuum brachium cum potentia. Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua * iustitia, et judicium præparatio sedis tuæ.

Misericordia, et veritas præibunt ante faciem tuam * beatus populus, qui scit iubilationem.

Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in

nomine tuo exultabunt tota die * et in tua iustitia A
exaltabuntur.

Quoniam gloria virtutis eorum tu es * et in beneplacito tuo exaltabitur cornum nostrum.

Quoniam a Domino est adsumtio et a sancto Israel regi nostro.

Tunc locutus es in aspectu filiis tuis, et dixisti, Posui adiutorium super potentem * et exaltabi electum de populo meo.

Inveni David servum meum * oleo sancto linui eum.

Manus enim mea auxiliabitur ei * et brachium meum confortabit eum.

Nihil proficiet inimicus in eo * et filius iniquitatis non nocebit eum.

Et concidam inimicos eius a facie ipsius * et
odientes eum in fugam vertam. B

Et veritas mea, et misericordia mea cum ipso * et in nomine meo exaltabitur cornu eius.

Et ponam in mari manum eius * et in fluminibus dexteram eius.

Ipse invocabit me, Pater meus es tu * Deus meus, et susceptor salutis meæ.

Et ego primogenitum ponam illum * excelsum præ regibus terræ.

In æternum servabo illi misericordia mea * et testamentum meum fidele ipsi.

℟ Et ponam In sæcula sæculorum sedem eius * et tronum eius sicut dies cœli.

Si dereliquerint filii eius legem meam, et in iudiciis meis non ambulaberint, si iustificationes meas
profanaberint, et mandata mea non custodierint * C
visitabo in virga iniquitates eorum, et in flagellis peccata eorum.

Misericordiam autem meam non auferam ab eis, neque nocebo eis in veritate mea: neque profanabo testamentum meum * et quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.

Semel iurabi in sancto meo: si David mentiar semen eius in æternum manebit * et tronum eius sicut sol in conspectu meo.

[xxxix] Sicut luna perfecta in æternum manebit * et testis in cœlo fidelis.

Tu autem repulisti, et sprevisti * distulisti Christum tuum.

Avertisti testamentum servi tui * profanasti in terra sanctitatem eius.

Dextruxisti omnes macerias eius * posuisti munitiones eius in formidine.

Dirupuerunt eum omnes transeuntes viam * factus est in opprobrium vicinis suis.

Exaltasti dexteram inimicorum eius * lætificasti omnes inimicos eius.

Avertisti adiutorium gladii eius * et non est auxiliatus ei in bello.

Disolbisti eum ab emundatione * et semen eius in terra conlisisti.

Minorasti paulo minus dies sedis eius * perfudisti eum confusione.

Diapsalma.

Usquequo, Deus, irasceris in finem * an in finem exardescit, velut ignis, ira tua.

Memorare, quæ sit mea substantia * non enim vane constituisti filios hominum.

Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem * aut quis eruit animam suam de manu inferni.

Diapsalma.

Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine * sicut iurasti David in veritate tua.

Memor esto obprobrii servorum tuorum, quod continui in sinu meo multarum gentium * quod exprobraberunt inimici tui, Domine, quod exprobraberunt in commutationem Christi tui.

Benedictus Dominus in æternum * fiat, fiat.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

LXXXIX.

Oratio Moysi viri Dei.

Judæorum obiecti.

Ana. *Sit splendor Domini Dei nostri super nos.*

Domine, refugium factus es nobis * a generatione in progenie.

Priusquam fierent montes, aut firmaretus orbis terræ * a sæculo et in sæculum tu es.

Ne avertas hominem in humilitate * et dixisti: Convertimini, filii hominum.

Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies una, * et sicut hesterna dies quæ præteriit, et sicut custodia in nocte, quæ pro nihilo habetur: ita erunt anni eorum.

Mane sicut herba transeat, mane floreat, et pertranseat * vespere decidat, induret, et arescat.

D Quoniam defecimus in ira tua * et in furore tuo conturbati sumus.

Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo * sæculum nostrum in inluminatione vultus tui.

Quoniam omnes dies nostri defecerunt * et nos in ira tua defecimus.

Anni nostri sicut aranea meditabuntur * dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta annis.

Si autem in potentatibus octuaginta annis * et plurimum eorum labor, et dolor.

Quoniam supervenit mansuetudo super nos * et corripiemur.

Quis nobit potentiam iræ tuæ * aut præ timore iram tuam dinumerare.

Dexteram tuam, Domine, notam fac nobis * et eruditos corde in sapientia.

Convertere, Domine, aliquantulum * et repropitiare super servos tuos. A

Satiati sumus mane misericordiam tuam * et exultabimus, et delectati sumus in omnibus diebus nostris.

Delectati sumus pro diebus quibus nos humiliasti * annis quibus vidimus mala.

Respice in servos tuos, et in opera tua Domine * et dirige filios eorum.

Sit splendor Domini Dei nostri super nos : et opera manuum nostrarum dirige in nos * et opus manuum nostrarum confirma.

XC.

Laus Cantici David.

Christi victoria omni qui secundum Deum persecutus est. B

Ana. *In protectione Dei cœli commorabitur : dicit Deo : Susceptor meus es.*

Qui habitat in adiutorium Altissimi * in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicit Domino : Susceptor meus es tu, et refugium meum * Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium * et a verbo aspero.

In scapulis suis obumbrabit tibi * et suppinnis eius sperabis.

Scuto circumdabit te veritas eius * non timebis a timore nocturno.

[XL] A sagitta volante per diem, a negotio perambulante in tenebris * a ruina, et dæmonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille et decem millia a dextris tuis * tibi autem non adpropiabit. C

Verumtamen oculis tuis considerabis * et retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es, Domine, spes mea * altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedent ad te mala * et flagellum non adpropriabit tabernaculo tuo.

Quoniam angelis suis mandabit de te * ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te * ne umquam offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem, et basiliscum ambulabis * et conculcabis leonem, et draconem.

Quoniam in me sperabit liberabo eum * protegam eum, quia cognobit nomen meum.

Invocabit me, et ego exaudiam eum * cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum. D

Longitudine dierum adimplebo eum * et ostendam illi salutare meum.

XCI.

Psalmus Cantici in die Sabbati, qui secundum Deum requiescit.

Ana. Bonum est confiteri Domino : et psallere nomini tuo, Altissime.

Ad adnuntiandum mane misericordiam tuam * et veritatem tuam per noctem.

In decacorde psalterio * cum cantico, et cithara.

Quia delectasti me, Domine, in factura tua * et in operibus manuum tuarum exultabo.

Quam magnificata sunt opera tua, Domine * nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.

Vir insipiens non cognoscit * et stultus non intelleget ea.

Quum exurentur peccatores sicut fœnum, et præscrutati sunt omnes, qui operantur iniquitatem, ut intereant in sæculum sæculi * tu autem Altissimus in æternum es, Domine.

Quoniam ecce inimici tui, Domine peribunt * et dispargentur omnes, qui operantur iniquitatem.

Et exaltabitur sicut unicornis cornum meum * et senectus mea in misericordia uberi.

Et respexit oculus tuus inimicos meos * et insurgentes in me malignantes audibit auris tua.

Justus, ut palma florebit * et sicut cedrus, quæ est in Libano, multiplicabitur.

Plantati in domo Domini * in atriis domus Dei nostri florebunt.

Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi * et bene patientes erunt.

Ut adnuntient, quoniam iustus Dominus Deus noster et non est iniquitas in eo.

XCII.

Laus Cantici ipsius David in die Sabbato, quando fundata est terra.

Ymnus regni Christi in priori eius adventu.

Ana. *Mirabiles elationes maris mirabilis in altis Dominus.*

Dominus regnabit, decorem induit * induit Dominus fortitudinem, et præcinxit se virtute.

Etenim firmavit orbem terræ * quæ non commobebitur.

Parata sedes tua Deus * ex tunc, et a sæculo tu es.

Elebaberunt flumina, Domine * elebaberunt flumina voces suas.

Tollant flumina altitudines suas * a vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris * mirabilis in altis Dominus.

Testimonia tua, Domine * credibilia facta sunt nimis.

Domum tuam decet sanctitas, Domine * in longitudine dierum.

XCIII.

Psalmus ipsi David, quarta Sabbati.

Judæis Ecclesiam Dei persequentibus.

Ana. *Non repellet Dominus plebem suam, et hereditatem suam non derelinquet.*

Deus ultionum Dominus * Deus ultionum liber egit.

Exaltare, qui iudicas terram * redde retributionem superbis.

Quousque peccatores, Domine * usquequo peccatores gloriabuntur.

Pronuntiabunt, et loquentur iniquitatem * loquentur omnes, qui operantur iniustitiam. A

Populum tuum, Domine, humiliaberunt * et hereditatem tuam vexaberunt.

Viduam, et advenam interfecerunt; et pupillos occiderunt, et dixerunt: Non videbit Dominus * nec intelleget hæc Deus Jacob.

Intelligite nunc, qui insipientes estis in populo * et stulti, aliquando sapite.

[XLI] Qui plantavit aurem non audiet * qui finxit oculum, non considerat.

Qui corripit gentes non arguet qui docet nominem scientiam ?

Dominus scit cogitationes hominum * quoniam vanæ sunt.

Beatus homo, quem tu erudieris, Domine * et de lege tua docueris eum. B

Ut mitiges eum a diebus malis * donec fodiatur peccatori fobea.

Quoniam non repellet Dominus plebem suam * et hereditatem suam non derelinquet.

Quousque iustitia convertatur in iudicio * et tenent eam omnes, qui recto sunt corde.

Diapsalma.

Quis resistet mihi adversus malignantes * aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem.

Nisi Dominus adiuvisset me * paulo minus habitaberat in inferno anima mea.

Si dicebam : Motus est pes meus * misericordia tua, Domine, adiuvet me.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo * exortationes tuæ delectaberunt animam meam. C

Numquid adhærebit tibi sedes iniquitatis * qui fingis dolorem in præcepto ?

Captabunt animam iusti * et sanguinem innocentem condemnabunt.

Et factus est mihi Dominus in refugium * et Deus meus in auxilium spei meæ.

Et reddet illis iniquitates ipsorum * et in malitia eorum disperdet eos Dominus Deus noster.

XCIV.

Ymnus Cantici David.

Vocatio Judæorum, et cognatio eorumdem.

Ana. *Prœoccupemus faciem Dei in confessione, et in psalmis iubilemus ei.*

Venite exultemus in Domino * iubilemus Deo salvatori nostro. D

Præocupemus faciem eius in confessione * et in psalmis iubilemus ei.

Quoniam Deus magnus * Dominus rex magnus super omnem terram.

Quoniam non repellet Dominus plebem suam, quia in manu eius sunt omnes fines terræ * et altitudines montium ipse conspicit.

Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud * et arida manus eius fundaberunt.

Venite, adoremus, et procidamus ante Deum * et ploremus coram Domino, qui fecit nos.

Quoniam ipse est Dominus Deus noster * nos autem populus eius, et obes gregis eius.

Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra sicut in exacerbatione * secundum diem tentationis in deserto.

Ubi temtaberunt me patres vestri * probaberunt, et viderunt opera mea.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic * et dixi : Semper errant corde.

Propter quod odio habui hanc generationem * et ipsi non cognoberunt vias meas.

Quibus iurabi in ira mea * si introibunt in requiem meam.

XCV.

Canticum ipsi David, Sermones quos locutus est quando Domus ædificabantur post Captivitatem.

Vocatio gentium, et Christi adventus.

Ana. *Bene nunciate de die in diem salutare Domini.*

Cantate Domino canticum novum * cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, et benedicite nomini eius * bene nuntiate de die in diem salutare eius.

Adnunciate inter gentes opera eius * in omnibus populis mirabilia eius.

Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis * terribilis super omnes deos.

Quoniam omnes dii gentium, dæmonia * Dominus vero cœlos fecit.

Confessio, et species in conspectu eius * sanctitas, et magnificentia in sanctificatione eius.

Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem * afferte Domino gloriam nomini eius.

Tollite hostias, introite in atria eius, adorate Dominum in aula sancta eius * commoveatur a facie eius universa terra.

Dicite in nationibus : Dominus regnavit a ligno * etenim quorrexit orbem terræ, quæ non commovebitur.

Iudicabit populos in iustitia * et gentes in ira sua.

Lætentur cœli, et exultet terra * mobeatur mare, et plenitudo eius.

Gaudebunt campi, et omnia, quæ in eis sunt * tunc exultabunt omnia ligna silbarum ante faciem Domini, quoniam venit, quoniam veniet iudicare terram.

Iudicabit orbem terræ in æquitate * et populos in veritate sua.

XCVI.

Psalmus ipsi David, quando terra eius restituta est.

Ymnus regni Christi in secundo adventu.

[XLII] Ana. Dominus regnabit, exultet terra : lætentur insulæ multæ.

Nubes et caligo in circuitu eius * iustitia, et iudicium correctio sedis eius.

Ignis ante eum præcedet * et inflammabit in circuitu inimicos eius.

Inluxerunt fulgura eius orbis terræ * vidit et commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini * a facie Dei tremuit omnis terra.

Adnunciaberunt cœli iustitiam eius * et viderunt omnes populi gloriam eius.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia * et qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate Dominum * omnes angeli eius.

Audibit, et lætata est Syon, et exultaberunt filiæ Judæ * propter iudicia tua, Domine.

Quoniam tu es Deus altissimus super omnem terram * nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum odite malum * custodit Dominus animas servorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est iustis * et rectis corde lætitia.

Lætamini iusti in Domino * et confitemini memoriæ sanctitatis eius.

XCVII.

Psalmus David.

Vocatio gentium, et Christi adventus.

Ana. *Notum fecit Dominus salutare suum, ante conspectu gentium revelabit iustitiam suam.*

Cantate Domino canticum nobum * quia mirabilia fecit Dominus.

Salvabit ei dextera eius * et brachium sanctum eius.

Notum fecit Dominus salutare suum * ante conspectum gentium revelabit iustitiam suam.

Memor fuit misericordiæ suæ Jacob * et veritati suæ domui Israel.

Viderunt omnes fines terræ * salutare Dei nostri.

Iubilate Deo universa terra * cantate et exultate, et psallite.

Psallite Deo nostro in cithara, in cithara, et voce psalmi * in tubis abietum, et voce tubæ corneæ : iubilate in conspectu regis Domino.

Commoveatur mare, et plenitudo eius * orbis terrarum, et universi, qui habitant in ea.

Flumina plaudent manibus in idipsum, montes exultaberunt ante faciem Domini quoniam venit * quoniam veniet iudicare terram.

Iudicabit orbem terræ in æquitate * et populos in veritate sua.

XCVIII.

Psalmus David.

Ymnus regni Christi.

Ana. *Dominus in Syon magnus, et excelsus super omnes populos.*

Dominus regnabit irascuntur populi * qui sedes super Cherubin, mobeatur terra.

Dominus in Syon magnus * excelsus super omnes populos.

Confiteantur omnes nomini tuo magno, et terribili, quia sanctum est * et honor regis iudicium diligit.

Tu parasti æquitatem * iustitiam, et iudicium in Jacob tu fecisti.

Exaltate Dominum Deum nostrum * et adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctus est.

Moyses, et Aaron in sacerdotibus eius * et Samuel inter eos, qui invocant nomen eius.

A Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos * in columna nubis loquebatur ad eos.

Custodiebant testimonia eius, et præcepta eius * quæ dederat illis.

Domine Deus noster, tu exaudiebas eos * Deus, tu propitius fuisti illis, et vindicans in omnia studia eorum.

Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto eius * quoniam sanctus est Dominus Deus noster.

XCIX.

Psalmus in confessione.

Vocatio gentium.

Ana. Iubilate Deo omnis terra * servite Domino in lætitia.

B Intrate in conspectu eius in exultatione * scitote, quod Dominus ipse est Deus ipse fecit nos, et non ipsi nos.

Nos autem populus eius * et obes pascuæ eius.

Intrate portas eius in confessione * et atria eius in ymnis confessionum.

Laudate nomen eius quoniam suavis est Dominus * in æternum misericordia eius, et usque in sæculum sæculi veritas eius.

C.

Psalmus David

Ymnus qui secundum Deum perfectus est.

[xliii] Ana. *In matutinis, Domine, interfice omnia peccata nostra.*

Misericordiam, et iudicium cantabo tibi, Domine *

C psallam, et intellegam in via immaculata, quando venies ad me.

Perambulabam in innocentiam cordis mei * in medio domus tuæ.

Non præponebam ante oculos meos actos malignos * facientes prævaricationes odibi, et non adhæsit mihi cor prabum.

Declinantes a me malignos non agnoscebam * detrahentem adversus proximum suum occulte eum persequebar.

Superbo oculo, et insatiabili corde * cum eo simul non edebam.

Oculi mei ad fideles terræ * ut sedeant ii mecum.

Ambulans in via immaculata * hic mihi deserviebat.

Non habitabit in medio domus meæ, qui facit

D superbiam * qui loquitur iniqua, non direxi in conspectu occulorum meorum.

In matutinis interficiebam omnes peccatores terræ * ut disperdam de civitate Domini omnes, qui operantur iniquitatem.

CI.

Oratio pauperis, cum anxiatus fuerit in conspectu Domini et fuderit orationem suam.

Tribulatio super priorem populum, et prophetia novi populi, et vocatio gentium.

Ana. *In quacumque die invocabero te, velociter exaudi me, Domine Deus meus.*

Domine, exaudi orationem meam * et clamor meus ad te perveniat.

Non avertas faciem tuam a me in quacumque die A tribulor inclina ad me aurem tuam * in quacumque die invocabero te velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei * et ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt.

Percussus sum sicut fœnum, et aruit cor meum * quia oblitus sum manducare panem meum.

A voce gemitus mei * adhæserunt ossa mea carni meæ.

Similis factus sum pellicano in solitudine: factus sum sicut nocticorax in domicilio * vigilabi, et factus sum sicut passer unicus in ædificio.

Tota die exprobrabant me inimici mei * et qui me laudabant, adversum me iurabant.

Quia cinerem sicut panem manducabam * et potum meum cum fletu miscebam. B

A facie iræ tuæ, et indignationis tuæ * quia lebasti, et allisisti me.

Dies mei, sicut umbra præterierunt * et ego sicut fœnum arui.

Tu autem, Domine, in æternum permanes * et memoriale tuum in sæculum sæculi.

Ana. *Timebunt gentes nomen tuum, Domine, et omnes reges gloriam tuam.*

℟ Tu exurgens, misereberis Syon * quia venit tempus miserendi eius.

Quia beneplacitum habuerunt servi tui lapides eius * et terræ eius miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum, Domine * et omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificabit Dominus Syon * et videbitur in C maiestate sua.

Et respexit in orationes pauperum * et non sprebit preces eorum.

Scribatur hoc in sæculum alterum * et populus qui nascetur laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo * Dominus de cœlo in terra prospexit.

Ut audiret gemitus vinculatorum * et solbat filios interemtorum.

Ut adnuntietur in Syon nomen Domini * et laus eius in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum * et regna, ut serviant Domino.

Et respondit ei in via virtutis suæ * paucitatem D dierum meorum enuncia mihi.

Et ne revoces me in dimidio dierum meorum * in sæcula sæculorum anni tui.

Initio terram tu fundasti, Domine * et opera manuum tuarum sunt cœli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes * et omnia sicut vestimentum veterescent, et sicut opertorium mutabis ea, et mutabuntur.

Tu autem idem ipse es * et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum inhabitabunt ibi * et semen eorum in sæculum sæculi dirigetur.

CII.

Psalmus David.

Doctrina glorificationis.

Ana. *Miserator, et misericors Dominus quia non in finem irascetur, nec in æternum indignabitur.*

[xliv] Benedic anima mea Domino * et omnia interiora mea nomini sancto eius.

Benedic anima mea Domino * et noli oblibisci omnes retributiones eius.

Qui propitius fit cunctis iniquitatibus tuis * qui sanat omnes langores tuos.

Qui redimet de interitu viam tuam * qui satiat in bonis desiderium tuum.

Qui coronat te in miseratione, et misericordia * renobabitur, sicut aquilæ inventus tua.

Faciens misericordias Dominus * et iudicium omnibus iniuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moysi * filiis Israel voluntates suas.

Miserator, et misericors Dominus, patiens, et multum misericors * non in finem irascetur, nec in æternum indignabitur.

Non secundum peccata nostra faciet nobis * neque secundum iniquitates nostras retribuet nobis.

Quia secundum altitudinem cœli a terra * confirmabit misericordiam suam super timentes eum.

Quantum distat oriens ab occasu * elongabit a nobis iniquitates nostras.

Sicut pater miseretur filiorum, sic misertus est Dominus timentibus eum * quia ipse scit figmentum nostrum.

Memento, Domine, quod terra sumus * homo sicut fœnum dies eius et sicut flos fœni, ita aruit.

Quia spiritus pertransibit ab eo, et non erit * et non agnoscet amplius locum suum.

Misericordia autem Domini a sæculo est * et usque in sæculum sæculi super timentes eum.

Et iustitia eius super filios filiorum custodientibus testamentum eius * et memoria tenentibus mandata eius, ut faciant ea.

Dominus in cœlo parabit sedem suam * et regnum eius omnibus dominabitur.

Benedicite Domino omnes angeli eius, potentes virtutes eius, qui facitis verbum eius * obedire voci sermonum eius.

Benedicite Domino omnes virtutes eius * ministri eius, qui facitis voluntatem eius.

Benedicite Domino omnia opera eius; * in omni loco dominationes eius: benedic anima mea Domino.

CIII.

Psalmus ipsi David.

Doctrina gentium, et eorum priori populo.

Ana. *Confessionem, et decorem induisti, amicta luce sicut vestimento.*

Benedic anima mea Domino * Domine Deus meus, magnificatus es vehementer.

Confessionem et decorem induisti * amictus lumine sicut vestimento.

Extendens cœlum sicut pellem * qui tegit in aquis superiora eius.

Qui ponit nubem ascensum suum * qui ambulat super pinnas ventorum.

Qui facit angelos suos spiritus * et ministros suos ignem urentem.

Qui fundavit terram super stabilitatem eius * non inclinabitur in sæculum sæculi.

Abyssus sicut palleum amictus eius * super montes stabunt aquæ.

Ab increpatione tua fugient * a voce tonitrui tu formidabunt.

Ascendunt montes, et descendunt campi * in locum, quem fundasti ei.

Terminum posuisti eis, quem non transgredientur * neque convertentur operire terram.

Qui emittit fontes in convallibus * inter medios montium pertransibunt aquæ.

Potabuntur omnes bestiæ silvarum * expectabunt onagri sitim suam.

Super ea volucres cœli inhabitabunt * de medio petrarum dabunt voces suas.

Rigans montes de superioribus tuis * de fructu operum tuorum satiabitur terra.

Producens fœnum pecoribus * et herbam servituti hominum.

Ut educat panem de terra * et vinum lætificet cor hominis.

Ut exilaret faciem in oleo * et panes cor hominis confirmet.

Satiabuntur omnia ligna silbarum * et cedri Libani, quos plantasti.

Illic passeres nidificabunt * fulices domus dux eorum.

Montes excelsi cervis * petræ refugium harenacis.

Fecit lunam in tempora, sol agnobit occasum suum * posuisti tenebras, et facta est nox.

℟ In ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvarum * catuli leonum rugientes, ut rapiant, et quærant a Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregati sunt * et in cubilibus suis se conlocaberunt.

Exiet homo ad opus suum * et ad operationem suam usque ad vesperum.

Quam magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti * repleta est terra creatura tua.

[XLV] Hoc mare magnum, et spatiosum * illic reptilia, quorum non est numerus: animalia pusilla, et magna.

Illic nabes pertransibunt * draco iste, quem confirmasti ad inludendum ei.

Omnia a te expectant, Domine * et tu das escam illis in tempore opportuno.

Dante te, illi colligent * aperiente autem te manum tuam, omnia replebuntur ubertate.

Avertente autem te faciem tuam turbabuntur * aufers spiritus eorum, et deficient, et in terram suam revertentur.

A Emitte spiritum tuum, et creabuntur * et renobabis faciem terræ.

Sit gloria Domini in sæculum sæculi * lætabitur Dominus in operibus suis.

Qui respexit in terram, et facit eam tremere * qui tangit montes, et fumigabunt.

Cantabo Domino in vita mea * psallam Deo meo quandiu ero.

Suabis sit ei laudatio mea * ego vero delectabor in Domino.

Deficient peccatores a terra, et iniqui ita ut non sint * benedic anima mea Domino.

CIV.

SECUNDA FERIA.

Alleluia, Alleluia.

B *Doctrina impietatis Judæorum Gentibus.*

Ana. *Quærite Dominum et confortamini: quærite faciem ejus semper.*

Confitemini Domino, et invocate nomen eius * adnuntiate inter gentes opera eius.

Cantate, et psallite magnalia eius * narrate omnia mirabilia eius.

Laudamini in nomine sancto eius * lætetur cor quærentium Dominum.

Quærite Dominum, et confortamini * quærite faciem eius semper.

Mementote mirabilium eius, quæ fecit * prodigia eius, et inducia oris eius.

Semen Abraam servi eius * filii Jacob electi eius.

Ipse Dominus Deus noster * in universa terra iu-

C dicia eius.

Memor fuit in sæculum testamenti sui * verbi, quod mandavit in mille generationes.

Quod disposuit ad Abraam * et iuramenti sui Isaac.

Statuit illud Jacob in præcepto * et Israel in testamento æterno.

Dicens tibi: Dabo terram Canaam * funiculum hereditatis tuæ Israel.

Quum essem numero brebi * paucissimi, et incola in ea.

Et pertransierunt de gente in gentem * et de regno ad populum alterum.

Non permisit hominem nocere eis * sed corripuit pro eis reges.

Nolite tangere Christos meos * et in prophetas meos nolite malignari.

D Et vocavit famem super terram * et omne firmamentum panis contribit.

Misit ante eos virum * in servo venundatus est Joseph.

Humiliaberunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransivit anima eius, donec veniret verbum eius * eloquium Domini ignibit eum.

Misit rex, et solbit eum * princeps populorum, et dimisit eum.

Et constituit eum dominum domus suæ * et principem omnis possessionis suæ.

Ut erudiret principes suos, sicut se * et seniores suos prudentiam doceret.

TERTIA FERIA.

Alleluia, Alleluia, Alleluia.

Ana. *Disrupit petram, et fluxerunt aquæ, et abierunt in sicco flumina.*

Et intravit Israel in Ægypto * et Jacob habitavit in terram Chan.

Et auxit populum suum nimis * et confortavit eum super inimicos eius.

Convertit cor eorum, ut odiret populum ejus * et dolum faceret in servos eius.

Misit Moysen servum suum * et Aaron, quem elegit ipsum.

Posuit in eis verba signorum suorum * et prodigiorum in terra Cham.

Misit tenebras, et obscuravit eos * et exacerbaberunt verbum eius.

Convertit aquas eorum in sanguine * et occidit pisces eorum.

Misit terræ eorum ranas * in cubilibus eorum, et regum ipsorum.

Dixit, et venit cinomia, et scinifes * in omnibus finibus eorum.

Posuit plubias eorum in grandinem * ignem comburentem in terra ipsorum.

Et percussit vineas eorum, et ficulneas eorum * et contribit omne lignum finium eorum.

Dixit, et venit lucusta, et brucus * cui non erat numerus.

[XLVI] Et manducavit omne fœnum terræ eorum * et omnem fructum terræ ipsorum.

Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti * primitias omnis laboris eorum.

Et eduxit eos in argento, et auro * et non erat in tribus eorum infirmus.

Lætatus est Ægyptus in profectione eorum * quia cecidit timor eorum super eos.

Expandit nuben in protectione eorum * et ignem ut luceret eis per noctem.

Petierunt carnes, et venit cuturnix * et panem cœli saturavit eos.

Disrupit petram, et fluxerunt aquæ * et abierunt in sicco flumina.

Quia memor fuit verbi sancti sui * quod locutus est ad Abraham puerum suum.

Et eduxit populum suum in exultatione * et electos suos in lætitia.

Et dedit eis regiones gentium * et civitates populorum possidebunt.

Ut custodiant iustificationes Domini * et legem eius exquirant.

CV.

QUARTA FERIA.

Alleluia, Alleluia, Alleluia, Alleluia.

Prophetia vocationis Gentium et que in omnibus Dei Verbi inluminationis.

Ana. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius.*

Confitemini Domino, quoniam bonus * quoniam in sæculum misericordia eius.

A Quis loquetur potentias Domini * auditas faciet omnes laudes eius.

Beati, qui custodiunt judicium * et faciunt iustitias in omni tempore.

Memento nostri, Domine, et beneplacito populi tui * visita nos in salutari tuo.

Ad videndum in bonitate electorum tuorum * ad lætandum in lætitia gentis tuæ : ut lauderis cum hereditate tua.

Peccavimus cum patribus nostris * injuste egimus, iniquitates fecimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua * et non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.

Et irritaberunt eum ascendentes in rubro mari *
B et liberavit eos propter nomen suum, ut notam faceret eis potentiam suam.

Et increpavit rubro mari, et recessit * et eduxit eos in aquis multis sicut in deserto.

Et liberavit eos de manu odientium * et redemit eos de manu inimicorum.

Et operuit aqua tribulantes eos * et unus ex eis non remansit.

Et crediderunt verbo eius * et cantaberunt laudes eius.

Acceleraberunt, et obliti sunt operum eius * et non sustinuerunt consilium eius : et concupierunt concupiscentias in deserto.

Et tentaberunt Deum in siccitate, dedit eis petitiones eorum * et inmisit saturitatem in animas eo-
C rum.

Et irritaberunt Moysen in castris * et Haaron sanctum Domini.

Aperta est terra, et deglutibit Datan * et operuit super synagoga Abiron.

Exarsit ignis in synagoga eorum * et flamma comedit pecatores.

Fecerunt vitulum in Orep, et adoraberunt sculptilia * et mutaberunt gloriam suam in similitudinem vituli manducantis fœnum.

Obliti sunt Deum, qui liberavit eos * qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.

Et dixit disperdere eos, si non Moysen servus eius stetisset in contradictione in conspectu eius *
D ut averteret iram eius, ne disperderet eos.

Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem * et non crediderunt verbo eius.

Et murmuraberunt in tabernaculis sus * et non exaudierunt vocem Domini.

Et elebavit manum suam in illis, ut deiceret eos in deserto * et ut deiceret semen eorum in nationibus, et dispergeret eos per regiones.

Et consecrati sunt Beelphegor * et manducaberunt sacrificia mortuorum.

Et irritaberunt eum in observationibus suis * et multiplicata est in eis ruina.

Stetit Finees, et exoravit, est cessavit quassatio.

et reputatum est illi ad iustitiam a generatione, et A generatione usque in sæculum.

QUINTA FERIA.

Alleluia, Alleluia, Alleluia, Alleluia, Alleluia.

Ana. *Salba nos Domine Deus noster.*

℟ Et irritaberunt eum ad aquas contradictionis, et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaberunt spiritum eius * et non distinxit in labiis suis.

Et non disperdiderunt gentes * quas dominus dixerat illis.

Et conmixti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum * et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum.

[XLVII] Immolaberunt filios suos * et filias suas dæmoniis.

Effuderunt sanguinem innocentem * sanguinem B filiorum suorum, et filiarum suarum : quod sacrificaberunt sculptilibus Chanaan.

Infecta est terra sanguinibus, et contaminati sunt in operibus eorum * et fornicati sunt in observationibus suis.

Et iratus est animo Dominus in populum suum * et abominatus est hereditatem suam.

Et tradidit eos in manus nationum * et dominaberunt eis qui odorant eos.

Et tribulaberunt eos inimici eorum, et humiliati sunt sub manibus eorum * sæpe liberavit eos.

Ipsi autem exacerbaberunt eum in concilio suo * et humiliati sunt in suis iniquitatibus.

Et respexit eos cum tribularentur * in eo cum exaudiret orationes eorum.

Quia memor fuit testamenti sancti sui * et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ.

Et tradidit eos in misericordia * in conspectu hominum qui captibaberunt eos.

Salbos nos fac Domine Deus noster * et congrega nos de nationibus.

Ut confiteamur nomini sancto tuo * et gloriemur in laude tua.

Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo, et usque in sæculum * et dicet omnis populus : fiat, fiat.

INCIPIT LIBER QUINTUS.

CVI.

SEXTA FERIA.

Alleluia.

Vocatio gentium

Ana. *Dicant, qui redemti sunt a Domino, quos* C *redemit de manu inimicorum.*

Confitemini Domino, quoniam bonus * quoniam in sæculum misericordia eius.

Dicant nunc gentes, quæ redemptæ sunt a Domino * quos redemit de manu inimicorum.

De regionibus congregavit eos * a solis ortu, et occasu, ab Aquilone, et mari.

Erraberunt in solitudine, in siccitate, in via * et civitatem habitationis illic non invenerunt.

Esurientes, et sitientes erant * et anima eorum in ipsis defecit.

Et clamaberunt ad Dominum, quum tribularentur * et de necessitatibus eorum laboravit eos.

Et deduxit eos in viam rectam * ut ierent in civitatem habitationis.

Confiteantur Domino misericordias eius * et mi- D rabilia eius filiis hominum.

Quia saturabit animam inanem * et animam esurientem satiabit bonis.

Sedentes in tenebris, et umbra mortis * vinculis ligatos in mendicitate, et ferro.

Quia exacerbaberunt eloquium Domini * et consilium Altissimi irritaberunt.

Et humiliatum est in laboribus cor eorum * infirmati sunt, nec fuit, qui adiuvaret eos.

Et clamaberunt ad Dominum, quum tribularentur * et de necessitatibus eorum liberavit eos.

Et eduxit eos de tenebris, et umbra mortis * et vincula eorum disrupit.

Confiteantur Domino misericordias eius * et mirabilia eius filiis hominum.

Quia contribit portas æreas * et vectes ferreos confregit.

Suscepit eos de via iniquitatis ipsorum * propter iniustitias enim suas humiliati sunt.

Omnem escam abominata est anima eorum * et adpropriaberunt usque ad portas mortis.

Et clamaberunt ad Dominum, quum tribularentur * et de necessitatibus eorum liberavit eos.

SABBATO.

Ana. *Misit verbum suum, et sanavit nos Dominus ; et eripuit nos de interitu.*

℟ Misit verbum suum, et sanavit eos * et eripuit eos de interitu eorum.

Confiteantur Domino misericordias eius * et mirabilia eius filiis hominum.

Et sacrificent sacrificium laudis * et pronuntient opera eius in exultatione.

Qui descendunt mare in nabibus * facientes operationes in aquis multis.

Ipsi viderunt opera Domini * et mirabilia eius in profundo.

Dixit, et stetit spiritus procellæ * et exaltati sunt fluctus eius.

Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos * et anima eorum in malis tabescebat.

Turbati sunt, et moti sunt, sicut ebrius * et omnis sapientia eorum deglutita est.

[XLVIII] Et clamaberunt ad Dominum cum tribularentur * et de necessitatibus eorum liberavit eos.

Statuit procella in aura, et siluerunt fluctus eius * et lætati sunt, quod siluerunt.

Et eduxit eos in portum voluntatis suæ * et de necessitatibus eorum liberavit eos. A

Confiteantur Domino misericordias eius * et mirabilia eius filiis hominum.

Exaltent eum in ecclesia populi * et in cathedra seniorum laudent eum.

Quia posuit flumina in desertum * et exitus aquarum in sitim.

Terram fructiferam in salsuginem * a malitia inbabitantium in ea.

Posuit deserta in stagna aquarum * et terra sine aqua in exitus aquarum.

Et conlocavit illic esurientes * et constituerunt civitatem habitationis.

Et seminaberunt agros, et plantaberunt vineas * et fecerunt fructum nativitatis suæ.

Et benedixit eis, et multiplicati sunt nimis * et iumenta eorum non sunt minorata.

Pauci facti sunt, et vexati sunt * a tribulationibus malis, et dolore.

Effusa est contemtio super principes eorum * et seduxerunt eos vana ipsorum.

Et eduxit eos in invia, et non in via, et adjuvavit pauperem de mendicitate * et posuit sicut obes patris familias.

Videbunt recti, et lætabuntur * et omnis iniquitas obdurabit os suum.

Quis sapiens est, intelleget hæc * et tunc intelleget misericordias Domini.

CVII.

Canticum Psalmus David.

Passio Christi.

Ana. *Exurgam diluculo, et confitebor Domino.*

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum * cantabo et psalmum dicam tibi.

Exurge gloria mea, exurge psalterium, et cithara * exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis, Domine * psalmum dicam tibi inter gentes.

Quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua * et veritas usque ad nubes.

Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua * ut liberentur dilecti tui.

Salbum me faciat dextera tua, et exaudi me * Deus locutus est in sancto suo, lætabor, et dividam Sicimam, et convellam tabernaculorum dimetiar.

Meus est Galaad, et meus est Manasses * et Efrem fortitudo capitis mei.

Juda rex meus, Moab olla spei meæ * et Idumæa extendam calciamentum meum, mihi allofili subditi sunt.

Quis deducet me in civitate circunstantiæ * aut quis deducet me usque in Idumæa.

Nonne tu, Deus, qui reppulisti nos * et non egredieris, Deus, e virtutibus nostris.

Da nobis auxilium in tribulatione * et vana salus hominis.

In Deo faciemus virtutem * et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

CVIII.

Pro victoria David Canticum.

Victoria Christi.

Deus, laudem meam ne tacueris * quoniam os peccatoris, et dolosi super me apertum est.

Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me * et expugnaberunt me gratis.

Pro eo ut dilligerent me, detrahebant mihi * ego autem orabam pro eis.

Et posuerunt adversum me mala pro bonis * et odium pro dilectione.

Constitue super eum peccatorem * et diabolus stet a dextris eius.

Quum iudicatur, exeat condemnatus * et oratio
B eius fiat in peccatum.

Fiant dies eius pauci * et episcopatum eius accipiat alter.

Fiat tabernaculum eius desertum et non sit, qui inhabitet in eo.

Fiant filii eius orfani * et uxor eius vidua.

℟ Commoti amoveantur filii eius, et mendicent * et eiciantur de habitationibus suis.

Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius * diripiant alieni omnes labores eius.

Non sit illi adiutor * nec sit, qui misereatur orfanis eius.

Fiant anni eius in interitu * in una generatione deleatur nomen eius.

Commemoretur iniquitas patrum eius in conspectu
C Domini * et peccatum matris eius non daleatur.

Fiat contra Dominum semper ut disperdat de terra memoria eius.

Pro eo quod non sit recordatus facere misericordiam * et persecutus est hominem pauperem, [XLIX] et mendicum, et compunctum corde morti tradidit.

Et dilexit maledictionem, et veniet ei * et noluit benedictionem, et prolongabitur ab eo.

Et induit se maledictionem, sicut vestimento * et intrabit sicut aqua in interioria eius, et sicut oleum in ossibus eius.

Fiat illi sicut vestimentum, quod operietur * et sicut zona, quæ semper præcingitur.

Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum * et qui locuntur mala adversus animam meam.

D Et tu, Domine, fac meum misericordia propter nomen tuum * quia suavis est misericordia tua.

Libera me, quoniam egenus, et pauper sum ego * et cor meum conturbatum est in me.

Sicut umbra, cum declinat, ablatus sum * et excussus sum sicut locusta.

Genua mea infirmata sunt a ieiunio * et caro mea immutata est propter oleum, et ego factus sum obprobrium illis.

Viderunt me, et moverunt capita sua * adiuba me Domine Deus meus, salvum me fac propter misericordiam tuam, ut sciant, quia manus tua hæc est, et tu, Domine, fecisti eam.

Maledicent illi, et tu benedices * qui insurgunt in

Et eduxit eos in portum voluntatis suæ * et de ne-

me confundantur, servus autem tuus lætabitur in te. A

Induantur reverantia, qui detrahunt mihi * et operiantur, sicut diploide, confusionem suam.

Confitebor Domino nimis in ore meo * et in medio multorum laudabo eum.

Quoniam adstitit a dextris pauperum * ut salvam faceret a persequentibus animam meam.

CIX.

Canticum David.

Bona gratia.

Ana. *Tecum principium in die virtutis tuæ.*

Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis* donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis suæ emittit Dominus ex Syon * et dominabitur in medio inimicorum suorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ * in splendo- B
ribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te.

Iuravit Dominus, et non pœnitebit eum * tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melcisethec.

Dominus a dextris suis confringet * in die iræ suæ reges.

Iudicabit in nationibus, implebit ruinas * conquassabit capita in terra copiosa.

De torrente in via bibit * propterea exaltabit caput.

CX.

Alleluia.

Doctrina Christi.

Ana. *Principium sapientiæ timor Domini: intellectus bonus facientibus ea.*

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo * in concilio iustorum, et congregatione. C

Magna opera Domini * exquisita in omnes voluntates eius.

Confessio, et magnificentia opus eius * et iustitia eius manet in sæculum sæculi,

Memoriam fecit mirabilium suorum * miserator, et misericors Dominus escam dedit timentibus se.

Memor fuit in sæculum testamenti sui * virtutem operum suorum adnuntiabit populo suo.

Ut det illis hereditatem gentium * opera manuum eius veritas, et iudicium.

Fidelia omnia mandata eius, confirmata in sæculum sæculi * facta in veritate, et æquitate.

Redemtionem misit Dominus populo suo, mandavit in æternum testamentum suum * sanctum et terribile nomen eius.

D
Principium sapientiæ timor Domini * intellectus bonus facientibus ea.

Laudatio eius * manet in sæculum sæculi.

CXI.

Alleluia.

Nobi populi vocatio.

Ana. *Misericors et miserator, et iustus Dominus. Iucundus homo, qui miseretur.*

Beatus vir, qui timet Dominum * in mandatis eius cupiet nimis.

Potens in terra erit semen eius * generatio rectorum benedicetur.

Gloria, et divitiæ in domo eius * et iustitia eius manet in sæculum sæculi.

Exortum est in tenebris lumen rectis corde * misericors, et miserator, et iustus Dominus.

Iucundus homo, qui miseretur, et commodat * disponit sermones suos in iudicio: quia in æternum non commobebitur.

In memoria æterna erit iustus * obauditu malo non timebit.

Paratum est cor eius sperare in Domino * [L] confirmatum est cor eius, non commobebitur, donec videat inimicos suos.

Dispersit, dedit pauperibus * iustitia eius manet in sæculum sæculi, cornu eius exaltabitur in gloria.

Peccator videbit et irascetur, dentibus suis frendet, et tabescet * desiderium peccatorum peribit.

CXII.

Alleluia.

Novi populi doctrina.

Ana. Laudate, pueri, Dominum: laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum * laudate nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus * supra cœlos gloria eius.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat * et humilia respicit in cœlo, et in terra.

Suscitat a terra inopem * et ab stercore erigit pauperem.

Ut conlocet eum cum principibus, cum principibus populi sui * qui habitare fecit sterilem in domo matrem filiorum lætantem.

CXIII.

Alleluia.

Ana. *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

In exitu Israel de Ægypto * domus Jacob de populo barbaro.

Facta est Judæa sanctificatio eius * Israel potestas eius; Israel regnavit in ea.

Mare vidit, et fugit * Jordanis conversus est retrorsum.

Montes exultaberunt, ut arietes * et colles velut agni obium.

Quid est mare, quod fugisti * et Jordanis, quare conversus es retrorsum.

Montes quare exultastis, ut arietes * et colles velut agni obium.

A facie Domini tremuit omnis terra * a facie Dei Jacob.

Qui convertit petram in stagna aquarum * et rupes in fontes aquarum.

Non nobis Domine, non nobis * sed nomini tuo da gloriam.

Super misericordiam, et veritatem tuam * ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eorum.

Ana. Deus autem noster in cœlo sursum; * in cælo et in terra quæcumque voluit, fecit.

Simulacra gentium argentum et aurum * opera manuum hominum.

Os habent, et non loquentur * oculos habent, et non videbunt.

Aures habent, et non audient, * nares habent, et non odorabunt.

Manus habent, et non palpabunt * pedes habent, et non ambulabunt.

Non clamabunt in gutture suo * neque enim est spiritus in ora ipsorum.

Similes illis fiant, qui faciunt ea * et omnes, qui confidunt in eis.

Domus Israel sperabit in Domino * adiutor, et protector eorum est.

Domus Haaron sperabit in Domino * adiutor, et protector eorum est.

Qui timent Dominum sperent in Domino * adiutor, et protector eorum est.

Dominus memor fuit nostri * et benedixit nobis.

Benedixit domum Israel, benedixit domum Aaron * benedixit omnes timentes Dominum, pusillos cum maioribus.

Adiciet Dominus super vos * et super filios vestros benedictionem.

Benedicti vos a Domino * qui fecit cœlum, et terram.

Cœlum cœli Domino * terram autem dedit filiis hominum.

Non mortui laudabunt te, Domine * neque omnes, qui descendunt in infernum.

Sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

CXIV.

Alleluia.

Novi populi vocatio, vel perfectio.

Ana. *Misericors Dominus, et iustus, et Deus noster miseretur.*

Dilexi, quoniam exaudibit Dominus * vocem orationis meæ.

Quia inclinabit aurem suam mihi * et in diebus meis invocabo eum.

Circumdederunt me dolores mortis * pericula inferni invenerunt me.

Tribulationem, et dolorem inveni, et nomen Domini invocabi * o Domine libera animam meam.

Misericors Dominus, et iustus * et Deus noster miserebitur.

Custodiens parvulos Dominus * humiliatus sum, et liberavit me.

Convertere animam meam in requiem tuam * quia Dominus benefecit mihi.

Quia eripuit animam meam de morte * oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.

[LI] Complacebo Domino * in regione vivorum.

CXV.

Alleluia.

Vocatio gentium.

Credidi propter quod locutus sum * ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excesu meo mentis meæ *: Omnis homo mendax.

A Quid retribuam Domino * pro omnibus, quæ præstitit mihi.

Calicem salutaris accipiam * et nomen Domini invocabo.

Pretiosa in conspectu Domini * mors sanctorum eius.

O Domine, ego servus tuus * ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.

Disrupisti vincula mea * tibi sacrificabo hostiam laudis.

Vota mea Domino reddam in atriis domus Domini, in conspectu omnis populi eius * in medio tui Jerusalem.

CXVI.

Alleluia.

Victoria eorum qui in Christo agonizantur, et prophetia de Christo. B

Ana. *Confirma super nos Deus misericordiam tuam.*

Laudate Dominum, omnes gentes * et conlaudate cum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius * et veritas Domini manet in æternum.

CXVII.

Alleluia.

Eruditioque secundum Deum inductionis.

Ana. *Fortitudo mea, et laudatio mea Dominus, et factus est mihi in salute.*

Confitemini Domino quoniam bonus * quoniam in sæculum misericordia eius.

Dicat nunc domus Israel, quoniam bonus * quoniam in sæculum misericordia eius.

C Dicat nunc domus Aaron, quoniam bonus quoniam in sæculum misericordia eius.

Dicant nunc omnes timentes Dominum, quoniam bonus * quoniam in sæculum misericordia eius.

In tribulatione invocabi Dominum * et exaudibit me in latitudine.

Dominus mihi adiutor est * et non timebo, quid mihi faciat homo.

Dominus mihi adiutor est * et ego despiciam inimicos meos.

Bonum est sperare in Domino * quam sperare in homine.

Bonum est confidere in Domino * quam confidere in principibus.

Omnes gentes circumdederunt me * et in nomine D Domini ultus sum illos.

Circundantes circumdederunt me * et in nomine Domini ultus sum illos.

Circumdederunt me sicut apes fabum, et exarserunt in me sicut ignis in spinis * et in nomine Domini ultus sum illos.

Impulsus versatus sum, ut caderem * et Dominus suscepit me.

Fortitudo mea, et laudatio Dominus * et factus est mihi in salute.

Vox lætitiæ, et salutis * in tabernaculis iustorum.

Dextera Domini fecit virtutem * dextera Domini exaltavit me.

Non moriar, sed vivam * et narrabo opera Domini.

Castigans castigavit me Dominus * et morti non A tradidit me.

Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino * hæc porta Domini, iusti introibunt per eam.

Confitebor tibi, Domine, quoniam exaudisti me * et factus es mihi in salute.

Lapidem quem reprobaberunt ædificantes * hic factus est in caput anguli.

A Domino factum est istud * et est mirabile in oculis nostris.

Hic est dies, quem fecit Dominus * exultemus, et lætemur in eo.

O Domine, salbos nos fac * o Domine, bona prospera.

Benedictus, qui venit in nomine Domini * benediximus vos de domo Domini. B

Ana. Deus Dominus, * et inluxit nobis.

Constituite diem solemnem in confrequentationibus * usque ad cornu altaris.

Deus meus es tu, et confitebor tibi * Deus meus es tu, et exaltabo te.

Confitebor tibi Domine, quoniam exaudisti me * et factus es mihi in salute.

Confitemini Domino, quoniam bonus * quoniam in sæculum misericordia eius.

CXVIII.

Aleph.

Doctrina inambitionis.

Ana. *Tu mandasti mandata tua, Domine, custodire nimis.*

[LII] Beati immaculati in via * qui ambulant in C lege Domini.

Beati, qui prescrutantur testimonia eius * in toto corde suo exquirunt eum.

Non enim qui operantur iniquitatem * in viis eius ambulaberunt.

Tu mandasti mandata tua Domine * custodire nimis.

Utinam dirigantur viæ meæ * ad custodiendas iustificationes tuas.

Tunc non confundar * dum respicio in omnia mandata tua.

Confitebor tibi, Domine, in directione cordis mei * in eo quod didici iudicia iustitiæ tuæ.

Iustificationes tuas custodiam * non me derelinquas usquequaque.

Beth.

Domus conversationis. D

Ana. *In toto corde meo exquisibi te, Deus, ne repellas me a mandatis tuis.*

In quo corrigit iubenior viam suam * in custodiendo sermones tuos.

In toto corde meo exquisibi te * ne repellas me a mandatis tuis.

In corde meo abscondi eloquia tua * ut non peccem tibi.

Benedictus es, Domine * doce me iustificationes tuas.

In labiis meis pronunciabi * omnia iudicia oris tui.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum * sicut in omnibus divitiis.

In mandatis tuis me exercebor * et considerabo vias tuas.

Et in tuis iustificationibus meditabor * non obliviscar sermones tuos.

Gimel.

Plenitudo : angustia.

Ana. *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua : incola ego sum in terra, ne abscondas a me mandata tua.*

Retribue servo tuo * vivam, et custodiam sermones tuos.

Revela oculos meos * et considerabo mirabilia de lege tua.

Incola ego sum in terra * ne abscondas a me mandata tua.

Concupibit anima mea desiderare iustificationes tuas * in omni tempore.

Increpasti superbos * maledicti qui declinant a mandatis tuis.

Aufer a me obprobrium, et contemtionem * quia testimonia tua exquisibi.

Etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur * servus autem tuus exercebatur in tuis iustificationibus.

Nam et testimonia tua meditatio mea est * et consolatio mea iustificationes tuæ sunt.

Deleth.

Tabularum.

Adhæsit pavimento anima mea * vivifica me secundum verbum tuum.

Vias tuas pronunciabi, et exaudisti me * doce me iustificationes tuas.

Hanc viam iustificationum tuarum fac, ut intellegam * et exercebor in mirabilibus tuis.

Dormitavit anima mea præ tædio * confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitatis amobe a me * et de lege tua miserere mei.

Viam veritatis elegi * iudicia tua commemorabi.

Adhæsi testimoniis tuis, Domine * noli me confundere.

Viam mandatorum tuorum cucurri * quum dilatares cor meum.

He

Vibent.

Ana. *Legem pone mihi, Domine, viam iustitiæ tuæ, et exquiram eam semper de toto corde meo.*

Legem pone mihi Domine, viam iustificationum tuarum * et exquiram eam semper.

Da mihi intellectum, et prescrutabor legem tuam * et custodiam illam de toto corde meo.

Deduc me in legem mandatorum tuorum * quoniam ipsam volui.

Inclina cor meum in testimonia tua * et non ad inutilitatem.

Averte oculos meos, ne videant vanitatem in via tua vivifica me.

Statue servo tuo eloquium tuum * in timore tuo.

Amputa obprobrium meum, quod suspicatus sum * judicia enim tua iucunda.

Ecce concupibi mandata tua in tua * iustitia vivifica me.

Vau Get.

Bonum salutare.

[LII] Veniat super nos misericordia tua, Domine * salutare tuum, et eloquium tuum.

Et respondebo exprobrantibus mihi verbum * quia sperabi in sermonibus tuis.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque * quia in iudiciis tuis sperabi.

Et custodiam legem tuam semper * in æternum, et in sæculum sæculi.

Et ambulabi in latitudine * quia præcepta tua exquisibi.

Loquar de testimoniis tuis in conspectu regum, * et non confundar.

Et meditabor in mandatis tuis * quæ dilexi vehementer.

Et lebabi manus meas in mandatis tuis, quæ dilexi * et exercebor in mirabilibus tuis.

Zay. Hec. T.

Initium.

Memento verbi tui servo tuo * in quo mihi spem dedisti, Domine.

Hæc me consolata est in humilitate mea * quia eloquium tuum vivificavit me.

Superbi inique agebant usquequaque * a lege autem tua non declinabi.

Memor fui iudiciorum tuorum a sæculo, Domine * et delectatus sum.

Tædium tenuit me pro peccatoribus * derelinquentibus legem tuam.

Cantabiles erant mihi iustificationes tuæ in loco incolatus mei.

Memor fui in nocte nominis tui, Domine * et custodibi legem tuam.

Hoc mihi factum est * quia iustificationes tuas exquisibi.

Heth.

Vita vel vivacitas.

Portio mea, Domine, * dixi, custodire legem tuam.

Deprecatus sum faciem tuam * de toto corde meo.

Miserere mei secundum eloquium tuum, quia cogitabi vias tuas * et converti pedes meos in testimonia tua.

Paratus sum, et non sum turbatus * custodire mandata tua.

Funes peccatorum circumplexi sunt me * et legem tuam non sum oblitus.

Media nocte surgebam ad confitendum tibi * super iudicia iustitiæ tuæ.

Particeps sum ego omnium timentium te * et custodientium mandata tua.

Misericordia tua, Domine, plena est terra * iustificationes tuas doce me.

Teth.

Bonum.

Ana. *Bonus es, Domine : bonitate doce nos.*

A Iucunditatem fecisti cum servo tuo, Domine * secundum verbum tuum.

Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me * quia mandatis tuis credidi.

Priusquam humiliarer, ego deliqui * propterea eloquium tuum custodibi.

Bonus es, Domine * et in bonitate tua doce me iustificationes tuas.

Multiplicata est super me iniquitas superborum * ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

Quoagulatum est, sicut lac cor eorum * ego vero legem tuam meditatus sum.

Bonum mihi est, quod humiliasti me, Domine * ut discam justificationes tuas.

Bona mihi est lex oris tui * super millia auri, et

B argenti.

Ioth.

Principium aleo.

Manus tuæ fecerunt me, et plasmaberunt me * da mihi intellectum, ut discam mandata tua.

Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur * quia in verbo tuo sperabi.

Cognobi, Domine, quia æquitas, et veritas, iudicia tua * et in veritate tua humiliasti me.

Fiat nunc misericordia tua, et consoletur me * secundum eloquium tuum cum servo tuo.

Veniant mihi miserationes tuæ, ut vivam * quia lex tua meditatio mea est.

Confundantur superbi, quia iniuste iniquitatem fecerunt in me * ego autem exercebor in præceptis

C tuis.

Convertantur ad me timentes te * et qui noberunt testimonia tua.

Fiat cor meum immaculatum in tuis iustificationibus * ut non confundar.

Kaph.

Manus.

[LIV] Defecit in salutari tuo anima mea * et in verbo tuo sperabi, Domine.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum * dicentes : Quando consolaberis me.

Quia factus sum, sicut uter in pruina * iustificationes tuas non sum oblitus.

Quot sunt dies servi tui, Domine * quando facies de persequentibus me iudicium.

D Narraberunt mihi iniqui delectationes suas * sed non ita, ut lex tua, Domine.

Omnia mandata tua veritas * iniqui persecuti sunt me, sucurre mihi.

Paulo minus consummaberunt me in terra * ego autem non dereliqui mandata tua.

Secundum misericordiam tuam vivifica me * ut custodiam testimonia oris tui.

Lameth.

Disciplina, sive cordis auxilium.

Ana. *Fundasti terram, et permanet : ordinationi tuæ perseverant dies, quoniam universa serviunt tibi, Domine.*

In æternum, Domine * permanet verbum tuum in cœlo.

In generatione et progenie veritas tua.

Fundasti terram, et permanet * ordinationi tuæ perseverant dies, quoniam universa serviunt tibi.

Nisi quod lex tua meditatio mea est * tunc forsitan perissem in humilitate mea.

In æternum non oblibiscar iustificationum tuarum * quia in ipsis vivificasti me, Domine.

Tuus sum ego, salvum me fac * ut custodiam iustificationes tuas.

Me expectaberunt peccatores, ut perderent me * testimonia autem tua non intellexerunt.

Omni consummationi vidi finem * latum mandatum tuum valde.

Mem.

Sempiternum incipit.

Quomodo dilexi legem tuam, Domine * tota die meditatio mea est.

Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo * quia in æternum mihi est.

Super omnes docentes me intellexi * quia testimonia tua meditatio mea est.

Super seniores intellexi * quia mandata tua exquisibi.

Ab omni via mala prohibui pedes meos * ut custodiam verbum tuum.

A iudiciis tuis non declinabi * quia tu legem posuisti mihi.

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua * super mel, et fabum ori meo.

Mandata tua intellexi * propterea odio habui omnem viam iniquitatis.

Nun.

Sempiterna visio.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine * et lumen semitis meis.

Iurabi, et statui * custodire iudicia iustitiæ tuæ.

Humiliatus sum usquequaque, Domine * vivifica me secundum verbum tuum.

Voluntaria oris mei comproba, Domine * et iudicia tua doce me.

Anima mea in manibus tuis semper * et legem tuam non sum oblitus.

Posuerunt peccatores laqueos mihi * et a mandatis tuis non errabi.

Hereditatem adquisibi testimonia tua in æternum * quia exultatio cordis mei tu es.

Inclinabi cor meum ad faciendas iustificationes tuas * propter æternam retributionem.

Samec.

Aditorium. Oculus.

Iniquos odio habui, et abominatus sum * legem autem tuam dilexi, Domine.

Adiutor et susceptor meus es tu * et in verbo tuo sperabi.

Declinate a me malignantes * et prescrutabor mandata Dei mei.

Suscipe me secundum eloquium tuum, ut vi-
A vam * et ne confundas me ab exspectatione mea.

Adiuva me, et salbabor * et meditabor in tuis iustificationibus semper.

Sprevisti omnes dicedentes a iustificationibus tuis * quia iniusta cogitatio eorum est.

Præbaricatores reputabi omnes peccatores terræ ideo dilexi testimonia tua semper.

Infige timori tuo carnem meam * a iudiciis enim tuis timui.

Ayn.

Sive oculus, nos.

Ana. *Excipe servum tuum in bono : ut non calumnientur mihi superbi.*

[LV] Feci iudicium, et iustitiam * Domine, ne tradas me persequentibus me.

B Excipe servum tuum in bono * ut non calumnientur mihi superbi.

Oculi mei defecerunt in salutari tuo * et in eloquium iustitiæ tuæ.

Fac cum servo tuo, Domine, secundum multam misericordiam tuam * et secundum iustificationes tuas doce me.

Servus tuus sum ego : da mihi intellectum * ut sciam testimonia tua.

Tempus est benefaciendi, Domine * dissipaberunt legem tuam iniqui.

Ideo dilexi testimonia tua * super aurum, et topazion.

Propterea ad omnia mandata tua dirigebar * omnem viam iniquitatis odio habui

C Phe.

Os.... iustitia.

Mirabilia testimonia tua, Domine * ideo scrutata est anima mea.

Declaratio sermonum tuorum inluminet me * et intellectum det parvulis.

Os meum aperui, et adtraxi spiritum * quia mandata tua concupiscebam.

Respice in me, et miserere mei * secundum iudicium diligentium nomen tuum.

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum * ut non dominetur mihi omnis iniustitia.

Erue me a calumniis hominum * ut custodiam præcepta tua.

Faciem tuam ostende super servum tuum * et
D doce me iustificationes tuas.

Rivos lachrymarum deduxerunt oculi mei * quia non custodierunt legem tuam.

Sade.

Justitiæ inscio.

Ana. *Cremavit me zelus domus tuæ, quia inimici mei verba tua obliti sunt.*

Iustus es Domine * et rectum iudicium tuum.

Mandasti iudicium, et testimonia tua * et veritatem tuam nimis.

Cremavit me zelus domus tuæ * quia obliti sunt verba tua inimici mei.

Ignitum eloquium tuum valde * et servus tuus dilexit illud.

Adolescentior ego sum, et contemtus * iustificationes tuas non sum oblitus.

Iustitia tua iusta in æternum * et lex tua veritas.

Tribulatio, et angustia invenerunt me * mandata autem tua meditatio mea est.

Æquitas et testimonia tua in æternum * intellectum eorum da mihi, Domine, et vivifica me.

Coph.

Vocatio aspice.

Ana. *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.*

Exclamabi in toto corde meo, exaudi me, Domine * iustificationes tuas requiram.

Clamabi ad te salvum me fac * ut custodiam præcepta tua.

Præveni in maturitate, et exclamabi * et in verbo tuo sperabi.

Prævenerunt oculi mei ad te diluculo * ut meditarer eloquia tua.

Vocem meam exaudi, Domine, secundum multam et magnam misericordiam tuam * et secundum iudicium tuum vivifica me.

Adpropriaberunt persequentes me iniuste * lege autem tua longe facti sunt.

Prope es tu, Domine * et omnia mandata tua veritas.

Ab initio cognobi de testimoniis tuis * quia in æternum fundasti ea.

Res.

Capitis.

Vide humilitatem meam, et eripe me * quia legem tuam non sum oblitus.

Iudica iudicium meum, et redime me * propter eloquium tuum vivifica me.

Longe est a peccatoribus salus * quia iustificationes tuas non exquisierunt.

Miserationes tuæ multæ, Domine * secundum iudicium tuum vivifica me.

Multi persequentes tribulabant me * a testimoniis tuis non declinabi.

Vidi incompositos, et tabescebam * quia eloquia tua non custodierunt.

Vide, quia mandata tua dilexi * Domine, in tua misericordia vivifica me.

Principium verborum tuorum veritas * in æternum omnia iudicia iustitiæ tuæ.

Sin.

Dentium sedentes.

Principes persecuti sunt me gratis * et a verbis tuis formidavit meum.

[LVI] Lætor ego super eloquia tua * sicut qui invenit spolia multa.

Iniquitatem odio habui, et abominatus sum * legem autem tuam dilexi.

Septies in die laudem dixi tibi * super iudicia iustitiæ tuæ.

Pax multa diligentibus legem tuam * et non est illis in scandalum.

Expectabam salutare tuum, Domine * et mandata tua serbabi.

Custodibit anima mea testimonia tua * et dilexit ea valde.

Serbabi mandata tua, et testimonia tua * quoniam omnes viæ meæ in conspectu tuo, Domine.

Tav.

Signum.

Adpropriet oratio mea in conspectu tuo, Domine * secundum eloquium tuum da mihi intellectum.

Intret postulatio mea in conspectu tuo, Domine * secundum eloquium tuum eripe me.

Eructuabunt labia mea hymnum * quum docueris me iustificationes tuas.

Pronuntiabit lingua mea eloquia tua * quoniam omnia mandata tua iusta sunt.

Adpropinquet postulatio mea in conspectu tuo, Domine * fiat manus tua ad liberandum me, quia mandata tua dilexi.

Concupibi salutare tuum, Domine * et lex tua meditatio mea est.

Vivit anima mea, et laudabit te * et iudicia tua adiubabunt me.

Errabi sicut obis quæ perierat * vivifica servum tuum, quia mandatorum tuorum non sum oblitus.

CXIX.

Canticum gradum.

Ad Dominum, cum tribularer, clamabi * et exaudibit me.

Domine libera animam meam a labiis iniquis * et a lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi * ad linguam dolosam.

Sagittæ acutæ potentis * cum carbonibus desolatoriis.

Heu me, quod incolatus meus prolongatus est a me * habitabi cum habitantibus Cedar.

Multum incola fuit anima mea : cum his qui oderant pacem eram pacificus * dum loquebar illis inpugnabant me gratis.

CXX.

Canticum gradum.

Bonorum nuntiationes.

Ana. *Auxilium meum a Domino qui fecit cœlum, et terram.*

Lebabi oculos meos ad montes * unde veniat auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino * qui fecit cœlum, et terram.

Non det in commotione pedem tuum * neque dormitet, qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque obdormiet * qui custodit Israel.

Dominus custodiat te * Dominus protectio tua super manum dexteræ tuæ.

Per diem sol non uret te * neque luna per noctem.

Dominus custodiat te ab omni malo * custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum et exitum A tuum * ex hoc nunc et usque in sæculum.

CXXI.

Canticum gradum.

Orationis.

Ana. *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.*

Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi * in domo Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri * in atriis tuis Ierusalem.

Ierusalem quæ ædificatur ut Civitas * cuius participatio eius in idipsum.

Illic enim ascenderunt tribus, tribus Domini * testimonium in Israel ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt sedes in iudicio * sedes super B tronum David.

Rogatæ quæ pacis sunt Ierusalem * et abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua * et abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, et proximos meos loquebar pacem de te * et propter domum Domini Dei mei quæsibi bona tibi.

CXXII.

Canticum gradum.

Bona gratiæ.

Ana. *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nobis.*

Ad te lebamus oculos nostros * qui habitas in C cœlis.

Ecce sicut oculi servorum ad manus dominorum suorum, [LVII] et sicut oculi ancillæ ad manus dominæ suæ * ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nobis.

Miserere nobis, Domine, miserere nobis * qua multum repleti sumus contemtione :

Multumque repleta est anima nostra obprobriis abundantium * et dispectione superborum.

CXXIII.

Canticum gradum.

Restitutionis.

Ana. *Laqueus contritus est et nos liberati sumus.*

Nisi quod Dominus erat in nobis * dicat nunc Israel, nisi quod Dominus erat in nobis. D

Quum insurgerent homines in nos * forsitan vivos deglutissent nos.

Quum irasceretur animus eorum adversum nos * forsitan velut aqua obsorbuissent nos.

Torrentem pertransivit anima nostra * forsitan pertransisset anima nostra aquam immensam.

Benedictus Dominus * qui non dedit nos in captura dentibus eorum.

Anima nostra sicut passer erepta est * de laqueo venantium.

Laqueus contritus est * et nos liberati sumus.

Adiutorium nostrum in nomine Domini * qui fecit cœlum, et terram.

CXXIV.

Canticum gradum.

Speratio futurorum.

Ana. *Benefac Domine bonis, et rectis corde.*

Qui confidunt in Domino sicut mons Syon * non commobebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem.

Montes in circuitu eius, et Dominus in circuitu populi sui * ex hoc nunc et usque in sæculum.

Quia non derelinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum * ut non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.

Benefac, Domine * bonis, et rectis corde.

Declinantes autem ad obligationem, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem * pax super Israel.

CXXV.

Canticum gradum.

Ædificationis Ecclesiæ.

Ana. *Magnificavit Dominus facere nobiscum : facti sumus lætantes.*

In convertendo Dominus captivitatem Syon * facti sumus, sicut consolati.

Tunc repletum est gaudium os nostrum * et lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes, magnificavit Dominus facere cum istis : magnificavit Dominus facere nobiscum * facti sumus lætantes.

Converte, Domine, captivitatem nostram sicut torrens in austro * ut qui seminant in lacrymis, in gaudio metant.

Euntes ibant, et flebant * mittentes semina sua.

Venientes autem venient in exultatione * portantes manipulos suos.

CXXVI.

Canticum gradum.

Vocationis gentium

Nisi Dominus ædificaberit domum * in vano laborant qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem * in vano vigilant, qui custodiunt eam.

In vanum est vobis ante lucem surgere * surgite, postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Quum dederit dilectis suis somnum ecce hereditas Domini filii * merces fructus ventris ejus.

Sicut sagittæ in manu potentis * ita filii excussorum.

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis * non confundetur dum loquetur inimicis suis in porta.

CXXVII.

Canticum gradum.

Victoriæ Dei militiæ.

Ana. *Labores fructum tuorum manducabis : beatus es, et bene tibi erit.*

Beati omnes, qui timent Dominum * et qui ambulant in viis eius.

Labores fructuum tuorum manducabis * beatus es, et bene tibi erit.

Uxor tua, sicut vitis abundans * in lateribus domus tuæ.

Filii tui, sicut nobella olivarum * in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur omnis homo * qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Syon * et videas quæ bona sunt in Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum * pax super Israel.

CXXVIII.

Canticum gradum.

Oratio martyrum.

[LVIII] Ana. *Benedictio Domini super vos : benedicimus vos in nomine Domini.*

Sæpe expugnaberunt me a iubentute mea, dicat nunc Israel * sæpe expugnaberunt me a iubentute mea : etenim non potuerunt mihi.

Supra dorsum meum fabricaberunt peccatores * prolongaberunt iniquitates suas.

Dominus iustus * concidet cervices peccatorum.

Confundantur, et convertantur retrorsum * omnes, qui oderunt Syon.

Fiant sicut fœnum ædificiorum * quod priusquam evellatur, arescit.

De quo non implebit manum suam, qui metit * et sinum suum, qui manipulos colligit.

Et non dixerunt, qui præteriebant : benedictio Domini super vos * benedicimus vos in nomine Domini.

CXXIX.

Canticum gradum.

De humilitate.

Ana. *A vigilia matutina usque ad noctem : speret Israhel in Domino.*

De profundis clamabi ad te, Domine * Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * ad orationem servi tui.

Si iniquitatem observaberis, Domine, * Domine quis sustinebit.

Quia apud te propitiatio est * et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo tuo * sperabit anima mea in Domino.

A vigilia matutina usque ad noctem * a custodia matutina speret Israhel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia est * et copiosa apud eum redemtio.

Et ipse redimet Israhel * ex omnibus iniquitatibus ejus.

CXXX.

Canticum gradum.

Oratio David. Inluminatio Christi.

Ana. *Speret Israhel in Domino ex hoc nunc, et usque in sæculum.*

Domine, non est exaltatum cor meum neque elati sunt oculi mei * neque ambulati in magnis, neque in mirabilibus super me.

Si non humiliter sentiebam * sed exaltabi animam meam.

A Sicut ablactatus super matrem suam * ita retribues animam meam.

Speret Israhel in Domino * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

CXXXI.

Canticum gradum.

Populi Perfectio.

Memento Domine David * et omnis mansuetudinis eius.

Sicut iuravit Domino * votum vobit Deo Jacob.

Si introiero in tabernaculum domus meæ * si ascendero in lectum stratus mei.

Si dedero sonmum oculis meis, aut palpebris meis dormitationem * aut requiem temporibus meis.

Donec inveniam locum Domino * tabernaculum Deo Jacob.

B Ecce audibimus eum in Eufrata * invenimus eum in campis silbæ.

Introibimus in tabernaculo ejus * adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius.

Exurge Domine in requiem tuam * tu et arca sanctificationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur iustitiam * et sancti tui lætentur in bonis.

Propter David servum tuum * non avertas faciem Christi tui.

Ana. *Parabi lucernam Christo meo.*

Iurabit Dominus David in veritate, et non frustrabit eum * de fructu ventris tui ponam super sedem meam.

C Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea hæc, quæ docebo eos * et filii eorum sedebunt usque in æternum super sedem meam.

Quoniam elegit Dominus Syon * præelegit eam in habitationem sibi.

Hæc requies mea in sæculum sæculi * hic habitabo quoniam præelegi eam.

Viduam eius benedicens benedicam * et pauperes eius saturabo panibus.

Sacerdotes eius induam salutare * et sancti eius exultatione exultabunt.

Illic producam cornu David * parabi lucernam Christo meo.

Inimicos eius induam confusione * super ipsum autem floriet sanctificatio mea.

D CXXXII.

Canticum gradum.

Populi perfectio.

Ana. *Sicut ros Hermon, quod descendit in montem Syon :* [LIX] *illic mandabit Dominus benedictionem.*

Ecce quam bonum et quam iucundum * habitare fratres in unum.

Sicut ungentum a capite quod descendit in barbam in barbam Aaron * quod descendit in ora vestimenti eius.

Sicut ros Hermon, quod descendit in montem Syon * quoniam illic mandabit Dominus benedictionem, et vitam usque in sæculum.

CXXXIII.

Canticum gradum.

Populo venturo.

Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini * qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.

In noctibus extollite manus vestras in sancta * et benedicite Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Syon * qui fecit cœlum, et terram.

CXXXIV.

Alleluia.

Doctrinæ inductionis.

Ana. *Ego cognobi, quod magnus est Dominus : et Deus noster super omnes deos.*

Laudate nomen Domini * laudate servi Domini.

Qui statis in domo Domini * in atriis domus Dei nostri.

Laudate Dominum, quia benignus Dominus psallite nomini eius, quoniam suave est.

Quoniam Iacob elegit sibi Dominus * Israel in possessionem sibi.

Quia ego cognobi, quod magnus est Dominus * et Deus noster præ omnibus diis.

Omnia quæcumque voluit Dominus fecit * in cœlo, et in terra, in mari, et in omnibus abyssis.

Educens nubes ab extremo terræ * fulgura in plubiam fecit.

Qui producit ventos de thesauris suis * qui percussit primogenita Ægypti, ab homine usque ad pecus.

Et misit signa, et prodigia in medio tui, Ægypte* in Faraonem, et in omnes servos eius.

Qui percussit gentes multas * et occidit reges mirabiles.

Seon regem Amorrheorum, et Og regem Basan * et omnia regna Canaan occidit.

Et dedit terram eorum hereditatem * hereditatem Israel servo suo.

Domine, nomen tuum in æternum * Domine, memoriale tuum in sæculum sæculi.

Quia iudicabit Dominus populum suum * et in servis suis consolabitur.

Simulacra gentium argentum, et aurum * opera manuum hominum.

Os habent, et non loquentur * oculos habent, et non videbunt.

Aures habent, et non audiunt * nares habent, et non odorabunt.

Manus habent, et non palpabunt * pedes habent, et non ambulabunt.

Non clamabunt in gutture suo * neque enim est spiritus in ora ipsorum.

Similes illis fiant, qui faciunt ea * et omnes, qui confidunt in eis.

Domus Israhel benedicite Domino * domus Aaron benedicite Domino.

Domus Levi benedicite Domino * qui timetis Dominum, benedicite Domino.

A Benedicat tibi Dominus ex Syon * qui habitat in Ierusalem.

CXXXV.

Alleluia.

Bona gratia liberatorum.

Ana. *In humilitate nostra memor fuit nostri Dominus, et redemit nos de manu inimicorum nostrorum.*

Confitemini Domino quoniam bonus * quoniam in sæculum misericordia eius.

Confitemini Deo deorum * quoniam in sæculum misericordia eius.

Confitemini Domino dominorum * quoniam in sæculum misericordia eius.

Qui fecit mirabilia magna solus * quoniam in sæculum misericordia eius.

B Qui fecit cœlos intellectu * quoniam in sæculum misericordia eius.

Qui firmavit terram super aquas * quoniam in sæculum misericordia eius.

Qui fecit luminaria magna solus * quoniam in sæculum misericordia eius.

Solem in potestate diei * quoniam in sæculum misericordia eius.

Lunam et stellas in potestate noctis * quoniam in sæculum misericordia eius.

Qui percussit Ægyptum cum primittis suis * quoniam in sæculum misericordia eius.

Et eduxit Israhel, e medio eius,* quoniam in sæculum misericordia eius.

In manu forti, et brachio excelso * quoniam in
C sæculum misericordia eius.

Qui divisit mare rubrum in divisiones * quoniam in sæculum misericordia eius.

[LX] Et transduxit Israhel per medium eius * quoniam in sæculum misericordia eius.

Qui excussit Faraonem, et exercitum eius in mari rubro * quoniam in sæculum misericordia eius.

Qui transduxit populum suum per desertum * quoniam in sæculum misericordia eius

Qui eduxit aquam de petra rupis * quoniam in sæculum misericordia eius.

Qui percussit gentes multas * quoniam in sæculum misericordia eius.

Et occidit reges mirabiles * quoniam in sæculum misericordia eius.

D Seon regem Amorreorum * quoniam in sæculum misericordia eius.

Et Og regem Bassan * quoniam in sæculum misericordia eius.

Et omnia regna Canaan occidit * quoniam in sæculum misericordia eius.

Et dedit terram eorum hereditatem * quoniam in sæculum misericordia eius.

Hereditatem Israhel servo su o quoniam in sæculum misericordia eius.

Quia in humilitate nostra memor fuit nostri Dominus * quoniam in sæculum misericordia eius.

Et redemit nos de manu inimicorum nostrorum * quoniam in sæculum misericordia eius.

Qui dat escam omni carni * quoniam in sæculum A misericordia eius.

Confitemini Deo cœli * quoniam in sæculum misericordia eius.

Confitemini Domino, quoniam bonus * quoniam in sœculum misericordia eius.

CXXXVI.

Psalmus David et Iheremiæ.

Sanctorum voces, qui in captivitate sunt.

Super flumina Babilonis illic sedimus, et flevivus : dum recordaremur tui, Syon.

In salicibus in medio eius * ibi suspendimus organa nostra.

Quia illic interrogaberunt nos, qui captivos duxerunt nos verba canticorum * et qui adduxerunt nos, dixerunt nobis : Hymnum cantate nobis de canti- B cis Syon.

Quomodo catabimus canticum Domini * in terra aliena ?

Si oblitus fuero tui Ierusalem * oblibiscatur me dextera mea.

Adhæreat lingua mea faucibus meis * si tui non meminero.

Si non præposuero Ierusalem * in principio lætitiæ meæ.

Memento Domine filiorum Edon in diebus Ierusalem * qui dixerunt : Exinanite, exinanite quousque ad fundamentum in ea.

Filia Babilonis misera * beatus qui retribuit tibi retributionem, quam tu retribuisti nobis.

Beatus qui tenet * et allidet parvulos suos ad pe- C tram.

CXXXVII.

Psalmus David.

Bona gratia. Prophetia David

Ana. *In conspectu angelorum tuorum psallam tibi Domine.*

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniam exaudisti omnia verba oris mei * et in conspectu angelorum tuorum psallam tibi.

Adorabo ad templum sanctum tuum * et confitebor nomini tuo.

Super misericordiam, et veritatem tuam * quoniam magnificasti super omnia nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocabero te, velociter exaudi me Domine * multiplicasti animam meam in ve- D ritate tua.

Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ * quoniam audierunt omnia verba oris tui.

Et cantem in canticis Domino, quoniam magna est gloria Domini * quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta de longe agnoscit.

Si ambulabero in medio tribulationis, vivificabis me * et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salbum me fecit dextera tua.

Domine, retribue pro me * Domine misericordia tua in æternum : opera manuum tuarum ne despicias.

CXXXVIII.

Pro victori David Canticum.

Declaratio justi cum Dei dicatione.

Ana. *Tu formasti me, posuisti super me manum tuam Domine.*

Domine probasti me. et cognobisti me * tu cognobisti sessionem meam, et resurrectionem meam : tu intellexisti cogitationes meas a longe.

Semitam meam, et limitem meum tu investigasti * et omnes vias meas prævidisti, quia non est dolus in lingua mea.

Ecce tu, Domine cognobisti omnia * nobissima, et antiqua.

[LXI] Tu formasti me, et posuisti super me manum tuam * mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, nec potero ad eam.

Quo ibo ad spiritu tuo * et a facie tua quo fugiam ?

Si ascendero in cœlum tu ibi es * et si descendero in infernum ades.

Si sumsero pinnas meas ante lucem * et habitabero in postremis maris.

Etenim illuc manus tua deducet me * et tenebit me dextera tua.

Et dixi : Forsitan tenebræ conculcaberunt me * et nox inluminatio mea in deliciis meis.

Quia tenebræ non obscurabuntur a te * et nox sicut dies inluminabitur.

Sicut tenebræ eius, ita et lumen eius * quoniam possides renes meos, Domine.

Suscepisti me de utero matris meæ * confitebor tibi, Domine, quoniam terribiliter mirificatus es.

Mira opera tua, Deus * et anima mea novit nimis.

Non est occultatum os meum a te, quæ fecisti in occultis * et substantia mea in inferioribus terræ.

Imperfectum meum viderunt oculi tui * et in libro tuo omnes scribentur :

Dies firmabuntur * et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus * Valde confortatus est principatus eorum.

Dinumerabo eos, et super arena maris multiplicabuntur * et surrexi, et adhuc tecum sum.

Si occidas Deus peccatores, viri sanguinum declinate a me : quia dicitis in cogitationibus vestris * accipiant in vanitate civitates suas.

Nonne qui oderant te Deus, oderam illos * et super inimicos tuos tabescebam.

Perfecto odio oderam illos * et inimici facti sunt mihi.

Proba me Domine èt scito cor meum interroga me, et cognosce semitas meas.

Et vide si via iniquitatis in me est * et deduc me in via æterna.

CXXXIX.

Pro victoria Canticum David.

Voces quæ adversus Deum agonizantur.

Ana. *Domine Deus virtus salutis meæ, obumbra caput meum in die belli.*

Eripe me, Domine, ab homine malo * a viro iniquo libera me.

Qui cogitaberunt malitias in corde suo * tota die A
constituebant prælia.

Acuerunt linguas suas, sicut serpentes * venenum aspidum sub labiis eorum.

Conserva me, Domine, de manu peccatoris * ab hominibus iniquis libera me.

Qui cogitaberunt supplantare gressus meos * absconderunt superbi laqueos mihi.

Et funes extenderunt continuatis pedibus meis * iuxta inter scandala posuerunt mihi.

Dixi Domino : Deus meus es tu * exaudi vocem deprecationis meæ.

Domine Deus virtus salutis meæ * obumbra caput meum in die belli.

Ne tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori * cogitaberunt adversum me, ne derelinquas B
me : ne unquam exaltentur.

Caput circuitus eorum * labor labiorum ipsorum operiet eos.

Cadent super eos carbones ignis ; et in igne dejicies eos * et in miseriis non subsistunt.

Vir lingosus non dirigetur super terram * virum iniustum mala capiunt in interitu.

Cognobi, quoniam faciet Dominus iudicium inopis * et vindictam pauperis.

Verumtamen iusti confitebuntur nomini tuo * et habitabunt recti cum facie tua.

CXL.

Canticum David.

Oratio, qui secundum Deum perfecti sunt.

Domine, Clamabi ad te, exaudi me * intende voci C
orationis meæ, dum clamabero ad te.

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo * elebatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circunstantiæ labiis meis * ut non declinet cor meum in verbum malum.

Ad excusandas excusationes in peccatis cum hominibus operantibus iniquitatem * et non communicabor cum electis eorum.

Corripiet me iustus in misericordia, et increpabit me * oleo autem peccatoris non impinguet caput meum.

Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum, absorti sunt continuati petræ indices eo- D
rum * audierunt verba mea, quoniam potuerunt.

Sicut crassitudo terræ eructuat super terram * dissipata sunt ossa nostra secus infernum :

Quia ad te Domine Domine oculi mei * in te sperabi, ne auferas animam meam.

[LXII] Custodi me a laqueo, quem stratuerunt mihi * et ad scandalis operantibus iniquitatem.

Cadent in retia eius peccatores * singulariter sum ego, donec transeam.

CXLI.

Eruditio David cum essent in spelunca.

Vocem, qui propter Deum perfecti sunt.

Ana. *Effundam in conspectu Dei orationem meam, tribulationem meam ante ipsum pronunciabo.*

Voce mea ad Dominum clamabi * voce mea Deum deprecatus sum.

Effundam in conspectu Dei orationem meam * tribulationem meam ante ipsum pronunciabo.

In deficiendo in me spiritum meum * et tu cognobisti semitas meas.

In via hac quam ambulabam * absconderunt superbi laqueos mihi.

Considerabam a dextris, et videbam * et non erat qui cognosceret me.

Periit fuga mea * et non est, qui requirat animam meam.

Clamabi ad te, Domine, dixi : Tu es spes mea * portio mea in terra vibentium.

Intende voci orationis meæ, quia humiliatus sum nimis * libera me a persequentibus me quoniam confortati sunt super me.

Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo * me expectant iusti donec retribuas mihi.

CXLII.

Canticum David.

Oratio confessionis.

Ana. *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam.*

Domine exaudi orationem meam * auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua.

Exaudi me in tua iustitia, et ne intres in iudicio cum servo tuo * quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vibens.

Quia persequutus est inimicus animam meam * humiliavit in terra vitam meam.

Conlocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi, et anxiatus est in me spiritus meus * in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum anticorum, et meditatus sum in omnibus operibus tuis * et in factis manuum tuarum meditabor.

Expandi manus meas ad te * anima mea velut terra sine aqua, velociter exaudi me.

Domine defecit spiritus meus, non avertas faciem tuam a me * et similis ero descendentibus in lacum

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam * quia in te sperabi Domine.

Demonstra mihi viam, per quam ambulem * quia ad te Domine animam meam lebabi.

Eripe me de inimicis meis, Deus meus, quoniam ad te confugibi * donec me facere voluntatem tuum, quia tu es Deus meus, spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam.

Propter nomen tuum. Domine, vivificabis me in æquitate tua * et educes de tribulatione animam meam.

Et in misericordia tua disperdes inimicos meos et perdes omnes, qui tribulant animam meam * quoniam serbus tuus sum ego.

CXLIII.

Psalmus David.

Ana. *Misericordia mea, et refugium meum, susceptor meus, et liberator meus.*

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad bellum * digitos meos ad prælium. A

Misericordia mea, et refugium meum * susceptor meus, et liberator meus.

Protector meus, et in ipso sperabi * subiciens populos sub me.

Domine, quid est homo, quod innotuisti ei * aut filius hominus, quod reputas eum.

Homo vanitatis similis factus est * dies eius sicut umbra præterierunt.

Domine inclina cœlos, et descende * tange montes, et fumigabunt.

Corusca coruscationes et dissipabis eos * emitte sagittas tuas, et conturbabis eos.

Emitte manum tuam de alto, eripe et libera me de aquis multis * et de manu filiorum alienorum. B

Quorum os locutum est vanitatem * et dextera eorum dextera iniquitatis.

Deus canticum novum cantabo tibi * in psalterio decem cordarum psallam tibi.

Qui das salutem regibus, et liberas David servum tuum de glaudio maligno * eripe et libera me de aquis multis et de manu filiorum alienorum.

Quorum os locutum est vanitatem * et dextera eorum dextera iniquitatis.

Quorum filii sicut novella plantationis * stabilita a iubentute sua.

Filiæ eorum decoratæ * circumornatæ ut similitudo templi.

[LXIII] Promtuaria eorum plena * eructuantia ex hoc in illud.

Obes eorum fœtosæ abundantes in itineribus suis bobes eorum crassi.

Non est ruina maceriæ * neque transitus, neque clamor in plateis eorum.

Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt * beatus populus cuius est Dominus Deus eorum.

CXLIV.

Hymnus David. Alep.

Hymnus cum Dei dictione.

Ana. *Suabis Dominus universis, et miserationes eius omnia opera eius.*

Exaltabo te Domine rex meus, et Deus meus * et benedictum nomen tuum in æternum, et in sæculum sæculi. D

Per singulos dies benedicimus te * et laudamus nomen tuum in æternum, et in sæculum sæculi:

Magnus Dominus, et laudabilis nimis * et magnitudinis eius non est finis.

Generatio, et generatio laudabunt nomen tuum * et potentiam tuam pronunciabunt.

Magnificentiam maeistatis tuæ, et sanctitatem tuam loquentur * et mirabila tua narrabunt.

Virtutem terribiliorum tuorum dicent * et magnificentiam tuam loquentur.

Memoriam abundantiæ suabitatis tuæ eructuabunt * et in tua iustitia exaltabuntur.

Miserator et misericors Dominus * patiens, et multum misericors, et sanctus in omnibus operibus suis.

Suabis Dominus universis * et miserationes eius super omnia opera eius.

Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua * et sancti tui benedicent tibi.

Gloriam regni tui dicent * et potentiam tuam loquentur.

Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam * et gloriam magnificentiæ regni tui.

Regnum tuum, Domine, regnum omnium sæculorum * et dominatio tua in omni progenie, et generatione.

℞ Fidelis Dominus in verbis suis * et sanctus in omnibus operibus suis.

Erigit Dominus omnes qui ruunt * corrigit omnes elisos.

Oculi hominum in te sperant Domine et tu das escam illis in tempore opportuno.

Aperis tu manum tuam * et imples omnem animam benedictionem.

Iustus Dominus in viis suis * et sanctus in omnibus operibus suis.

Prope est Dominus omnibus * invocantibus eum in veritate.

Voluntatem timentium se faciet * et orationes eorum exaudiet, et salvos faciet eos.

Custodit Dominus omnes diligentes se * et omnes peccatores disperdet.

Laudem Domini loquetur os meum * et benedicet
C omnis caro nomini sancto eius in æternum, et in sæculum sæculi.

CXLV.

Alleluia.

Hymnus cum Dei dictione.

Ana. *Dominus erigit elisos, Dominus solbet compeditos, Dominus inluminet cæcos.*

Lauda anima mea Dominum * laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quandiu ero.

Nolite confidere in principibus * neque in filiis hominum, in quibus non est salus.

Exiet spiritus eorum, et revertetur in terram suam * in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Beatus cuius Deus Jacob adiutor eius * spes eius in Domino ipsius, qui fæcit cœlum et terram, mare et omnia, quæ in eius sunt.

Qui custodit veritatem a sæculo * facit iudicium iniuriam patientibus, et dat escam esurientibus.

Dominus erigit elisos, Dominus solbet compeditos, Dominus inluminet cæcos * Dominus diriget iustos.

Dominus custodit advenam; pupillum, et viduam suscipiet * et vias peccatorum exterminabit.

Regnabit Dominus in æternum * Deus tuus Syon in sæculum sæculi.

CXLVI.

Alleluia.

Hymnus cum Dei dictione.

Ana. *Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum: magnus Dominus noster, et magna virtu eius.*

Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus * A Deo nostro iucunda sit laudatio.

Ædificans Ierusalem Dominus * et dispersos Israhel congregans.

Qui sanat contritos corde * et alligat contritiones eorum.

Qui numerat multitudinem stellarum * et omni- [illegible] vocat.

[illegible] noster, et magna [illegible]

[illegible]

[illegible] D[illegible]

[illegible]

[illegible] D[illegible] confessione * [illegible] De[illegible]

[illegible]

Qui [illegible]

[illegible] B

Qui producit in montibus fœnum * et herbum servitutis hominum.

Qui dat iumentis escam ipsorum * et pullis corborum invocantibus eum.

Non in viribus equi voluntatem habebit * neque in tabernaculis viri beneplacitum est ei.

Beneplacitum est Domino super timentes eum * et in eos, qui sperant im misericordia eius.

CXLVII.

Alleluia.

Hymnus cum Dei dictione.

Ana. *Iherusalem lauda Dominum* ; *Deum tuum Syon lauda.*

Lauda Iherusalem Dominum * conlauda Deum tuum Syon.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum * benedixit filios tuos in te.

Qui posuit fines tuos pacem * adipe frumenti satians te.

Qui emittit eloquium suum terræ * velociter cornit sermo eius.

Qui dat nibem sicut lanam * nebulam velut cinerem adspargit.

Qui emittit cristallum suum tanquam frusta panis * ante faciem frigoris eius qui subsistit.

Mittit verbum suum, et liquefaciet ea * flat spiritus eius, et fluent aquæ.

Pronuncians verbum suum Jacob * iustitia, et iudicia sua Israhel.

Non fecit taliter omni nationi eius * et iudicia sua non manifestabit eis.

CXLVIII.

Alleluia.

Hymnus cum Dei dictione.

Laudate Dominum de cœlis * laudate eum in excelsis.

Laudate eum, omnes angeli eius * laudate eum, omnes virtutes eius.

Laudate eum sol et luna * laudate eum omnes stellæ et lumen.

Laudate eum cœli cœlorum * et aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit, et facta sunt * ipse mandavit, et creata sunt.

Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi * præceptum posuit et non preteribit.

Laudate Dominum a terra * dracones et omnes abyssi.

Ignis grando nix glacies spiritus tempestatis * qui facitis verbum eius.

Montes, et omnes colles * ligna fructifera, et omnes cedri.

Bestiæ, et universas pecora * serpentes, et volucres pinnatæ.

Reges terræ, et omnes populi * principes et iudices terræ.

Iubenes, et virgines, seniores cum iunioribus * B laudent nomen Domini.

Quia exaltatum est nomen eius solius * confessio eius super cœlum, et terram.

Et exaltabit cornu populi sui * hymnus omnibus sanctis eius filiis populo adpropinquanti sibi.

CXLIX

Alleluia.

Cantate Domino canticum nobum * laus eius in Ecclesiis sanctornm.

Lætetur Israel in eo, qui fecit ipsum * et filii Syon exultent super regem suum.

Laudent nomen eius in choro * in tympano, et psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est Domino in populo suo * et exaltabit mansuetos in salute.

C Exultabunt sancti in gloria * et lætabuntur in cubilibus suis.

Exaltationes Dei in faucibus eorum * et gladii bis acuti in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus * increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus * et nobiles eorum in vinculis ferreis,

Ut fiat in eis iudicium conscriptum * gloria hæc est omnibus sanctis eius.

CL.

Alleluia.

Laudate Dominum in sanctis eius * laudate eum in firmamento virtutis eius.

Laudate eum in potentatibus eius * laudate eum D secundum multitudinem magnitudinis eius.

Laudate eum in sono tubæ * laudate eum in psalterio, et cithara.

Laudate eum in tympano, et coro * laudate eum in cordis, et organo.

Laudate eum in cymballis bene sonantibus laudate [LXV] eum in cymbalis iubilationum * omnis spiritus laudet Dominum.

CLI.

Hic Psalmus proprie scriptus in David extra numerum cum pugnator esset adversus Goliam solus.

Pusillus eram inter fratres meos * et adolescentior in domo patris mei.

Pascebam obes patris mei * manus meæ fecerunt organum, et digiti mei abtaberunt psalterium.

Et quis adnuntiabit Domino meo * ipse Dominus exaudibit me.

Ipse exauditor omnium * ipse misit angelum suum, et tulit me de obibus patris mei, et unxit me in misericordia unctionis suæ.

Fratres autem mei boni, et magni * et non fuit in eis beneplacitum Domino.

Exibi obviam alienigenæ * et denutrabit me in simulacris suis.

Ego autem evaginato ab eo habens ipsius gladio amputabi caput eius * et abstuli opprobrium a filiis Israel.

INCIPIUNT CANTICI.

CANTICUM DEUTERONOMII.

Capitulo 33.

Ana. *Apparuit Dominus de monte Faran, et cum eo sanctorum millia.*

Dominus de Sina veniet : et de Seir ortus est nobis.

Apparuit Dominus de monte Faran : et cum eo sanctorum milia.

In dextera eius ignea lex : dilexit populos.

Omnes sancti in manu illius sunt : et qui adpropinquant pedibus eius accipient de doctrina illius.

Manus eius pugnabunt pro eo : et adiutor illius contra adversarios eius erit.

Catulus leonis fluet largiter de Basan : habundantia perfruetur : et plenus erit benedictione Domini mane, et meridie possidebit.

Quasi primogenita tauri pulcritudo eius cornua rinocerotis cornua illius : in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terre.

II.

CANTICUM ESAIE PROPHETE.

Capitulo 8 *et* 9.

Ana. *Deus fortis super tronum David sedebit ut confirmet illud usque in sempiternum.*

Liga testimonium et signa legem in discipulis meis : expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam a domo Jacob et prestolabor eum.

Ecce ego et pueri quos dedit mici Dominus in signum et in portentum Srahelis : a Domino exercituum, qui habitat in monte Syon.

Et quum dixerint ad vos querite a pitonibus : et a divinis, qui stridant in incantationibus suis.

Numquid non populus a Deo suo requirit pro vivis ac mortuis : et ad legem magis, et ad testimonium.

Quod si non dixerint iuxta verbum hoc : non erit eis matutina lux.

Et transibit per eam, et corruet et esuriet : et cum esurierit irascetur et maledicet regi suo et Deo suo.

Et suscipiet [suspiciet] sursum : et ad terram intuebitur.

Et ecce tribulatio, et tenebre, dissolutio et angustitia et caligo persequens : et non poterit avolare de angustia sua.

Primo tempore allebata est terra Zabulon, et terra Neptalim : et in novissimo adgravata est via maris trans Jordanem Galilee.

Gentium populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbre mortis, lux horta est eis.

Multiplicasti gentem, non magnificasti letitiam letabuntur coram te sicut letantur in messe : sicut exultant victores, quando dividunt spolia.

Iugum enim honeris eius, et virgam humeris eius et sceptrum exactoris eius : superasti sicut in die Madian.

Quia omnis violenta predatio cum tumultu et vestimentum mixtum sanguine : erit in combustione et cibus ignis.

Parvulus enim natus est nobis filius datus est nobis : et factus est principatus eius super humeros eius.

Et vocabitur nomen eius : Admirabilis, consiliarius.

Deus, fortis, pater futuri seculi : princeps pacis.

[LXVI] Multiplicabitur eius imperium : et pacis eius non erit finis.

Super solium David sedebit et super regnum eius : ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia amodo et usque in sempiternum.

Zelus Domini exercituum : faciet hoc.

III.

CANTICUM ESAIE PROPHETE.

Capitulo 10 *et* 11.

Ana. *Radix Gesse qui stat in signum populorum ipsum gentes deprecabuntur.*

Ecce Dominator Dominus exercituum confringet launculam in terrore : et excelsi statura succidentur et sublimes humiliabuntur.

Et subvertentur condensa saltus ferro : et Libanus cum excelsis cadet.

Et egredietur virga de radice Jesse : et flos de radice eius ascendet.

Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientie et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientie et pietatis : et replebit eum spiritu timoris Domini.

Non secundum visionem oculorum iudicabit : neque secundum auditum aurium arguet : sed indicabit in iustitia pauperes et arguet in equitate pro mansuetis terre.

Et percutiet terram virga horis sui : et spiritu labiorum suorum interficiet impium.

Et erit iustiti cingulum lumborum eius : et fides cinctorium renum eius.

Habitabit lupus cum agno : et pardus cum edo A accubabit.

Vitulus et leo et obis simul niorabuntur : et puer parvulus minabit eos.

Vitulus et ursus pascentur : et simul requiescent catuli eorum.

Et leo quasi bos comedet paleas et delectabitur infans ab ubere.

Super foramine aspidis et in cabernam reguli : qui ablactatus fuerit manum suam mittit.

Non nocebunt et non occident in universo monte sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini sicut aqua maris operientis in die illa.

Radix Gesse qui stat in signum populorum : ipsum gentes deprecabuntur et erit sepulcrum eius gloriosum. C

IV.

CANTICUM ESAIE PROPHETE.

Capitulo. 30.

Deus iudicii Dominus : beati omnes qui expectant eum.

Populus enim Syon habitabit in Ierusalem plorans : nequaquam plorabis miserans miserebitur tui.

Ad vocem clamoris tui : statim ut audierit respondebit tibi.

Et dabit tibi Dominus panem artum et aquam brebem : et non faciet avolare a te ultra doctorem tuum.

Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum : et aures tue audient verbum post tergum monentis.

Hec via ambulate in ea neque ad dexteram ne- C que ad sinistram, et contaminabis lamminas sculptilium argenti tui : et vestimentum conflatilis auri tui et disperges ea sicut iumunditiam menstruate. Egredere dices ei.

Et dabitur pluvia semini tuo ubicumque seminaberis in terra : et panis frugum terre erit uberrimus et pinguis.

Pascentur in possessione tua in die illa agnus spatiose et tauri tui et pulli asinorum tuorum qui operantur terram : commixtum migma comedent : sic in area ut ventilatum est.

Et erunt super omnem montem excelsum et super omnem collem elebatum rivi currentium aquarum : in die interfectionis multorum cum ceciderit turris.

Et erit lux lune sicut lux solis : et lux solis erit D septempliciter sicut lux septem dierum : in die qua alligaberit Dominus vulnus populi sui et percussuram plage eius sanaberit.

Ecce nomen Domini venit de longinquo : ardens furor eius et gravis ad portandum.

Labia eius repleta sunt indignatione : et lingua eius quasi ignis devorans.

Spiritus eius velut torrens inundans usque ad medium collium eternorum ad perdendas gentes in nihilum : et frenum erroris quod erat in maxillis populorum.

Canticum erit vobis sicut nox sanctificate solemnitatis ; et letitia cordis sicut qui pergit cum tibia u intret in montem Domini ad fortem Srahel.

Et auditam faciet Dominus gloriam vocis sue : et terrorem bracii sui ostendet in comminatione furoris et flamme ignis devorantis.

Allidet in turbine : et in lapide grandinis.

[LXVII] A voce enim Domini pabebit Assur virga percussus : et erit transitus virge fundatus quam requiescere faciet Dominus super eum.

In tymphanis et citharis : et bellis precipuis expugnabit eum.

Flatus enim Domini : sicut torrens sulforis succendens eum.

V.

CANTICUM ESAIE PROPHETE.

Capitulo 35.

Ana. *Ecce Deus noster veniet et salvos nos faciet.*

Confortate manus dissolutas : et genua debilia roborate.

Dicite pusillanimes : confortamini et nolite timere.

Ecce Deus vester ultionem adducit retributionis Deus ipse veniet et salvos nos faciet.

Tunc aperientur oculi cecorum : et aures surdorum patebunt.

Tunc saliet sicut cerbus claudus : et aperta erit lingua mutorum.

Quia scisse sunt in deserto aque et torrentes in solitudine et que erant arida in stagna et sitientes in fontes aquarum.

In cubilibus in quibus prius dracones habitabant horietur viror calami et iunci : et erit ibi semita et via et via sancta vocabitur.

Non transibit per eam pollutus et hec erit nobis directa via : ita ut stulti non errent per eam.

Non erit ibi leo et mala bestia non ascendet per ea : nec invenietur ibi.

Et ambulabunt qui liberati fuerint et redempti a Domino : convertentur et venient in Syon cum laude et letitia sempiterna super capita eorum.

Gaudium et letitiam obtinebunt et fugiet dolor et gemitus.

VI.

CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo 40.

Ana. *Parate viam Domino rectas facite semitas Dei nostri.*

Consolamini consolamini popule meus : dicit Dominus Deus vester.

Loquimini ad cor Iherusalem et vocate eam quoniam completa est malitia eius, dimisse sunt iniquitates illius : suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.

Vox clamantis in deserto parate viam Domino : rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.

Omnis vallis exaltabitur : et omnis mons et collis humiliabitur.

Et erunt praba in directa : et aspera in vias A
planas.

Et revelabitur gloria Domini : et videbit omnis caro pariter quod hos Domini locutum est.

Vox dicentis clama : et dixi quid clamabo.

Omnis caro fenum : et omnis gloria eius quasi flos agri.

Et siccatum est fenum et cecidit flos : quia spiritus Domini sufflabit in eo.

Vere fenum est populus et siccatum est fenum et cecidit flos : verbum autem Domini Dei nostri stabit in eternum.

Super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Syon exalta in fortitudine vocem tuam : qui evangelizas Iherusalem exalta et noli timere : dic civitatibus Juda, ecce Deus vester. B

VII.

CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Ana. *Ecce Dominus in fortitudine veniet et bracium eius cum dominatione.*

Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet : et bracium eius dominabitur.

Ecce merces eius cum eo : et opus illius coram ipso.

Sicut pastor gregem suum pascit et in bracio suo congregabit agnos et in sinu suo levabit: fetas ipse portabit.

Quis mensus est pugillo aquas : et celos palmo ponderabit.

Quis appendit tribus digitis molem terre : et B
librabit in pondere montes et colles in statera ?

Quis adiubit spiritum Domini : aut quis consiliarius eius fuit et ostendit illi ?

Quum quo inid [*Forte*, iniit] consilium et instruxit eum ; et docuit eum semitam iustitie ; et erudibit eum scientia : et viam prudentie ostendit illi.

Ecce gentes quasi stille situle : et quasi momentum in statere reputate sunt.

Ecce insule quasi pulvis exiguus et Libanus non sufficiet ad succendendum : et animalia eius non sufficient ad holocaustum.

Omnes gentes quasi non sint sic sunt coram eo : [LXVIII] et quasi nicilum et inane reputate sunt.

VIII.

CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo 42.

Cantate Domino canticum nobum : laus eius ab extremis terræ.

Qui descenditis in mare et plenitudo eius : insule et habitatores earum.

Sublebetur desertum et civitates eius : in domibus habitabit Cedar.

Laudate eum habitatores petræ : de vertice montium clamate.

Ponent Domino gloriam ; et laudem eius in insulis nuntiabunt.

Dominus sicut fortis egredietur : et sicut vir perliator suscitabit zelum.

Vociferabitur et clamabit : et super inimicos suos confortabitur.

Tacui semper silui patiens fui : sicut pariens loquar.

Dissipabo et obserbebo simul desertos faciam montes et colles : et omne germen eorum exiccabo.

Ponam flumina in insulas : et stagna arefaciam.

Et deducam cecos in viam quam nesciunt : et in semitis quas ignoraberunt ambulare eos faciam.

Ponam tenebras coram eis in luce : et prava in recta.

IX.

CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo 49.

Ana. *Consolatus est Dominus populum suum : et pauperum suorum miserebitur.*

Hec dicit Dominus redemtor Srahel sanctus eius : ad contemtibilem animam et abominatam gentem ad servum dominorum.

Reges videbunt et consurgent principes et adorabunt propter Dominum quia fidelis est : et sanctus Srahel qui elegit te.

Hec dicit Dominus, tempore placito exaudibi te : et in die salutis auxiliatus sum tui.

Et serbabi et dedi te in fedus populi : ut suscitares terram et possideres hereditates dispersas.

Ut diceres his qui vincti sunt exite : et his qui in tenebris sunt revelamini.

Super vias pascentur : et in omnibus planis pascua eorum.

Non esurient neque sitient et non percutiet eos estus et sol : quia miserator eorum reget eos et ad fontes aquarum potabit illos.

Et ponam omnes montes meos in via : et semite mee exaltabuntur.

Ecce isti de longe venient et ecce illi ab Aquilone et mari : et isti de terra australi.

Laudate celi et exulta terra, iubilate montes laudem : quia consolatus est Dominus populum suum et pauperum suorum miserebitur.

X.

CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo 51.

D
Ana. *Salus mea in sempiternum erit, dicit Dominus, et iustitia mea in generatione et generatione.*

Adtendite ad me popule meus : et tribus mea me audite.

Quia lex a me exiet : et iudicium meum in luce populorum requiescet.

Prope est iustus meus et egressus est salbator meus : et bracia mea populos iudicabunt.

Me enim insule expectabunt : et bracium meum sustinebunt.

Lebate in celum oculos vestros : et videte sub terra deorsum.

Quia celi sicut fumus liquescent et terra sicut

vestimentum adteretur : et habitatores eius sicut A hec interibunt.

Salus autem mea in sempiternum erit : et iustitia mea non deficiet.

Audite me qui scitis iustum populum : lex mea in corda eorum.

Nolite timere obprobrium hominum : et blasfemias eorum ne metuatis.

Sicut enim vestimentum sic comedet eos vermis : et sicut lanam sic devorabit eos tinea.

Salus autem mea in sempiternum erit : et iustitia mea in generatione et generatione.

Consurge consurge induere fortitudine bracium Domini : consurge sicut in diebus antiquis in generationibus seculorum.

Numquid non tu percusisti supervum : vulne- B rasti draconem ?

Numquid non tu exsiccasti mare : aquam abyssi veementis.

Qui posuisti profundum maris viam : ut transirent liberati.

Et nunc qui redemti sunt a Domino convertentur et venient in Syon laudantes : et letitia sempiterna super capita eorum.

Gaudium et letitiam obtinebunt : et fugiet dolor et gemitus.

[LXIX] Ego ego ipse consolabor vos : ayt Dominus.

XI.

CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo 52.

Ana. *Quam pulcri super montes pedes adnun-* C *tiantis pacem, predicantis salutem dicentis egnabit Dominus Deus tuus.*

Consurge consurge induere fortitudine tua Syon : indere [induere] vestimentis glorie tue Iherusalem civitas sancta.

Quia non adiciet ultra ut pertranseat per te incircumcisus et immundus : excutere de pulvere consurge sede Iherusalem, solbe vincula colli tui captiba filia Syon.

Quia hæc dicit Dominus, gratis venumdati estis : et sine argento redimemini.

Quia hec dicit Dominus Deus, in Egypto descendit populus meus in principio ut colonus esset ibi : et Assur absque ulla causa calumniatus est eum.

Et nunc : quid mici est hec dicit Dominus, quoniam ablatus est populus meus gratis. D

Dominatores eius inique agunt dicit Dominus : et iugiter tota die nomen meum blasfematur.

Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa : quia ego ipse : quia ego ipse qui loquebar ecce adsum.

Quam pulcri super montes pedes evangelizantis et prædicantis pacem : adnuntiantis bonum prædicantis salutem dicentis Syon, regnabit Dominus Deus tuus.

Vox speculatorum tuorum lebaberunt vocem si-t mul laudabunt : quia oculum ad oculum videbun quum converterit Dominus Syon.

XII

CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo 56.

Ana. *Iuxta est salus mea ut veniat et iustitia mea ut revelatur ayt Dominus.*

Hæc dicit Dominus, custodite iudicium et facite iustitiam : quia iuxta est salus mea ut veniat et iustitia mea ut reveletur.

Beatus vir qui facit hoc : et filius hominis qui adprehendit istud.

Custodiens sabbatum ne polluat illut : custodiens manus suas ne faciat omnem malum.

Et non dicat filius advene qui aderet Domino dicens : separationem dividet me Dominus a populo suo.

Et non dicat eunucus, ecce ego lignum aridum : quia hec dicit Dominus eunucis.

Qui custodierint sabbata mea et elegerint que volui et tenuerint fedus meum : dabo eis in domo mea et in muris meis locum et nomen melius a filiis et a filiabus nomen sempiternum dabo eis quod non peribit.

Et filius advene qui aderet Domino ut colant eum : et qui diligunt nomen eius ut sint et in servos.

Omnem custodientem sabbatum ne poluat illut et tenentes fedus meum : adducam eos in monte sancto meo et letificabo eos in domo orationis mee.

Holocausta eorum et victime eorum placebunt mici super altari meo : quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis ayt Dominus Deus qui congregat dispersos Srahel.

XIII.

CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo 62.

Ana. *Dicite filie Syon : ecce salbator tuus venit.*

Iurabit Dominus in dextera sua : et in bracio fortitudinis sue.

Si dedero tritticum tuum ultra cibum inimicis tuis : et si biberint filii alieni vinum tuum in quo tu laborasti.

Quia qui congregabunt illut comedent et laudabunt Dominum : et qui comportant illut vibent in atriis sanctis meis.

Transite transite, per portas, preparate viam populo meo : planum facite iter et eligite lapides.

Elevate signum ad populos : ecce Dominus auditum fecit ab extremis terre.

Dicite filie Syon ecce Salvator tuus venit : ecce merces eius cum eo et opus illius coram ipso.

Et vocabunt eos populus sanctus et redemti a Domino : tu autem vocaberis civitas quesita non derelicta.

XIV.

CANTICUM EX EVANGELICO SECUNDUM LUCAM.

Capitulo. 1.

Ana. *Fecit mici magna qui potens est et sanctum nomen eius et misericordia eius in omni progenie et generatione.*

Magnificat anima mea Dominum : et exultabit spiritus meus in Deo salutari meo.

[LXX] Quia respexit humilitatem ancille sue : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. A

Quia fecit mici magna qui potens est et sanctum nomen eius : et misericordia eius in progenies et progenies timentibus eum.

Fecit potentias in bracio suo : dispersit supervos mente et intellectu cordi sui.

Deposuit potentes de sede : et exaltabit humiles.

Esurientes replebit bonis: et divites dimisit inanes.

Suscepit Shrael puerum suum memorari misericordie sue : sicut locutus est ad patres nostros Abraham et semini eius usque in seculum.

XV.

CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo 45.

Ana. *Aperiatur terra et germinet salvatorem et iustitia oriatur simul.*

Rorate celi desuper : et nubes pluant iustum.

Aperiatur terra et germinet salvatorem : et iustitia oriatur simul ego Dominus creabi ea.

Ve qui contradicit finctori suo : testa de samiis terre.

Numquid dicit lutum figulo suo quid facis : et opus tuum absque manibus est ?

Ve qui dicit patri quid generas : et mulieri quid parturis.

Hec dicit Dominus sanctus Srahel plastes eius : ventura interrogate me super filios meos et super opus manuum mearum mandate mici.

Ego feci terram : et hominem super eam creabi ego.

Manus mee tetenderunt celos : et omni militie eorum mandabi.

Ego suscitabo eum ad iustitiam : et omnes vias eius dirigam.

Ipse edificabit civitatem meam : et captivitatem meam dimittet.

Non in pretio neque in muneribus : dicit Dominus Deus exercituum.

Hec dicit Dominus, labor Egypti : et negotiatio Eziopie et Sabaim.

Viri sublimes ad te transibunt et tui erunt : post te ambulabunt, victi manibus pergent et te adorabunt teque deprecabuntur.

Tantum in te est Deus et non est absque te Deus : vere tu es Deus absconditus Deus Srahel salvator.

Confusi sunt et erubuerunt simul omnes habierunt in confusione fabricatores errorum : Srahel salvatus in Domino salute eterna.

Non confundemini : et non erubescetis usque in seculum seculi.

Quia hec dicit Dominus creans celos ipse Deus formans terram et faciens eam : ipse plastes eius.

Non in vanum creabit eam : sed ut habitaretur formabit eam.

Ego Dominus et non est alius : non in abscondito locutus sum in loco terre tenebroso.

Non dixi semini Jacob, frustra queritis me : ego Dominus loquens iustitiam et adnuncians recta.

Congregamini et venite : et accedite simul qui salvatis ex gentibus.

Nescierunt qui lebant signum sculpture sue : et rogant Deum non salvantem.

Adnunciate et venite et consiliamini simul : quis auditum fecit hoc ab initio ex tunc predixit illut.

Numquid non ego Dominus et non est ultra Deus absque me ? Deus iustus et salvans non est preter me.

Convertimini ad me et salvi eritis omnes fines terræ : quia ego Dominus et non est alius.

B In memetipsum iurabi et egredietur de ore meo iustitie verbum et non revertetur : quia mici curbabunt omnia genu et iurabit omnis lingua.

Ergo in Domino dicent mee sunt iustitie, et imperium ad eum veniet : et confundantur omnes qui repugnant ei.

In domino iustificabitur : et laudabitur omne semen Srahel.

XVI.

CANTICUM DE EVANGELIO SECUNDUM LUCAN.

Capitulo 2.

Ana. *Ego in Domino gloriabo gaudebo in Deo Ihesu meo.*

Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace : quia viderunt oculi mei sa-
C lutare tuum quod preparasti ante faciem omnium populorum.

Lumen ad revelationem gentium : et gloriam plebis tue Srahel.

XVII.

[LXXI] CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo 60.

Ana. *Inluminare Ihrusalem adest enim lumen tuum.*

Surge inluminare Iherusalem quia venit lumen tuum : et gloria Domini super te orta est.

Quia ecce tenebre operient terram : et caligo populos.

Super te autem orietur Dominus : et gloria eius in te videbitur.

Et ambulabunt gentes in lumine tuo : et reges in
D splendore ortus tui.

Leba in circuitu oculos tuos et vide : omnes isti congregati sunt et venerunt tibi.

Filii tui de longe venient : et filie tue in latere surgent.

Tunc videbis et aflues : et admirabitur et delatabitur cor tuum.

Quando conversa fuerit ad te multitudo maris : fortitudo.

Inundatio camelorum operiet te : dromedarie Madian et Eva.

[1] Hoc pronomen *ego* in Ms. exstat initio versus sequentis.

Omnes de Sabaa venient aurum et tus deferen- A tes : et laudem Domino adnuntiantes.

Omne pecus Cedar congregabitur tibi: arietes Nabahot ministrabunt tibi.

Offerentur super placabili altari meo : et domus maiestatis mee glorificabo.

Qui sunt isti qui ut nubes volant : et quasi columbe ad fenestras suas.

Me enim insule expectabunt : et nabes maris in principio.

Ut adducant filios tuos de longe, argentum eorum et aurum eorum cum eis in nomine Domini Dei tui : et sancti Srahel quia glorificabit te.

Et edificabunt filii peregrinorum muros tuos : et reges eorum ministrabunt tibi.

In indignatione enim mea percussi te : et in re- B conciliatione mea misertus sum tui.

Et aperietur porte tue iugiter die ac nocte : et non claudentur.

Ut afferatur ad te fortitudo gentium : et reges eorum adducantur.

Gens enim et regnum quod non servierit tibi peribit, et gentes in solitudine vastabuntur.

℟ Gloria Libani ad te veniet et abies et buxus et pinus simul ad ornandum locum sanctificationis mee : et locum pedum meorum glorificabo.

Et venient ad te curbi filii eorum qui humiliaberunt te : et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detraebant tibi.

Et vocabunt te civitatem Domini Syon sancti Srahel : pro eo quod non fuisti derelicta et odio C habita et non erat qui per te transiret.

Ponam te in supervia seculorum : gaudium in generatione et generationem.

Et sugges lac gentium : et mamillas regum lactaberis.

Et scies quia ego Dominus salvans te : redemtor tuus fortis Jacob.

Pro ere afferam aurum et pro ferro afferam argentum et pro lignis hes : et pro lapidibus ferrum.

Et ponam visitationem tuam pacem : et prepositos suos iustitiam.

Non audietur iniquitas ultra in terra tua : vastitas et contritio in terminis tuis.

Et occupabit salus muros tuos : et portas tuas laudatio.

Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem neque splendor lune inluminabit te : sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam et Deus tuus in gloriam tuam.

Non occidet ultra sol tuus et luna tua non minuetur : quia Dominus erit tibi in lucem sempiternam et complebuntur dies luctus tui.

Populus autem tuus omnes iusti, in perpetuum hereditabunt terram : germen plantationis mee opus manuum mearum ad glorificandum.

Minimus erit in mille : et parvulus in gentem fortissimam.

Ego Dominus in tempore eius : subito facia istut.

XVIII.

CANTICUM IHEREMIE PROPHETE.

Capitulo 31.

Hec dicit Dominus : vox in excelso audita est lamentationis : fletus et ululatus : Racel plorans filios suos et noluit consolari super eos quia non sunt.

Hec dicit Dominus : quiescat vox tua a ploratu et oculi tui a lacrimis : quia est merces operi tuo ayt Dominus.

Et revertentur de terra inimici et est spes novissimis tuis ayt Dominus : et revertentur filii ad terminos suos.

Audiens audibi Efrain transmigrantem : castigasti me et eruditus sum quasi iubenculus indomitus.

[LXXII] Converte me et revertar : quia tu es Deus meus.

Postquam enim convertisti me egi penitentiam : et postquam ostendisti mici percussi femur meum.

Confusus sum et erubui : quoniam sustinui obprobrium adulescentie mee.

Si filius honorabilis mici Efrain si puer delicatus : quia ex quo locutus sum de eo adhuc rocordabor eius.

Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum, miserans miserebor eius ayt Dominus.

Statue tibi speculum pone tibi amaritudines : dirige cor tuum in viam rectam in qua tu ambulasti.

Revertere virgo Srahel revertere ad civitates tuas : usquequo deliciis disolveris filia vaga quia creabit Dominus novum super terram : FEMINA CIRCUMDABIT VIRUM.

INCIPIUNT CANTICI DE QUADRAGESIMA DICENDI.

XIX.

CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo 58.

Clama ne cesses dicit Dominus : quasi tuba exalta vocem tuam.

Et adnuntia populo meo scelera eorum : et domui Jacob peccata eorum.

Me enim de die in diem querunt : et scire vias meas volunt.

Quasi gens que iustitiam fecerit : et que iudicium D Dei sui non dereliquerit.

Rogant me iudicia iustitiæ : adpropinquare Deo volunt.

Quare ieiunabimus et non aspexisti ; humiliabimus animas nostras et nescisti ?

Ecce in diem ieiunii vestri invenitur voluntas vestra : et omnes debitores vestros repetitis.

Ecce ad lites et ad contentiones ieiunatis : et percutitis pugno impie.

Nolite ieiunare sicut usque ad hanc diem : ut audiatur in excelso clamor vester.

Numquid tale est ieiunium quod elegi ; per diem affligere hominem animam suam ?

Numquid contorquere quasi circulum caput suum : et saccum et cinerem sternere ?

Numquid istum vocabi ieiunium : et diem acceptabilem Domino ?

Nonne hoc est magis : ieiunium quod elegi.

Dissolve colligationes impietatis ; solve fasciculos deprimentes.

Dimitte eos qui confracti sunt liberos : et omne honus eorum disrumpe.

Frange esurienti panem tuum : et egenos vagosque induc in domum tuam.

Quum videris nudum operi eum : et carnem tuam ne dispexeris.

Tunc erumpet quasi mane lumen tuum : et sanitas tuas citius orietur.

Et anteibit faciem tuam iustitia : et gloria Domini colliget te.

Tunc invocabis et Dominus exaudiet : clamabis et dicet : ecce adsum.

XX.

CANTICUM IHEREMIE PROPHETE.

Tren. *Capitulo*. 5.

Recordare Domine quid acciderit nobis : intuere et respice obprobrium nostrum.

Hereditas nostra versa est ad alienos : domus nostra ad extraneos.

Pupilli facti sumus absque patre : matres nostre quasi vidue.

Aquas nostras pecunia bibimus : et lingua nostra pretio comparabimus.

Cervicibus minabamur : lassis non dabatur requies.

Egipto dedimus manum et Assiriis dedimus colla nostra : ut saturaremur pane.

Patres nostri peccaberunt et non sunt : nos autem iniquitates eorum portabimus.

Servi dominati sunt nobis : et non fuit qui redimeret nos de manibus eorum.

In animabus nostris afferabemur panem nobis : a facie gladii in deserto.

Pellis nostra quasi clibanus exusta est : a facie tempestatum famis.

Mulieres in Syon humiliaberunt : et virgines in civitatibus Juda.

Principes manum suspensi sunt : et facies senum non erubuerunt.

Adolescentibus impudice abusi sunt : et pueri in ligno corruerunt.

Senes de portis defecerunt : et iubenes de coro psallentium.

Defecit gaudium cordis nostri versus est in luctu corus noster, cecidit corona capitis nostri : ve nobis quoniam peccabimus.

Propterea mestum factum est in dolore cor nostrum, ideo contenebrati sunt oculi nostri propter montem Syon quia disperiit : vulpes ambulaberunt per eum.

[LXXIII] Tu autem Domine in eternum permanes ; et solium tuum in generatione et generatione.

A

Quare ergo in perpetuum oblivisceris nostri : derelinques nos in longitudine dierum.

Converte nos Domine ad te et convertemur : renoba dies nostros sicut a principio.

Sed proiciens repputisti nos ; iratus es contra nos veementer.

XXI.

ORATIO IHEREMIE [NEHEMIE] DE LIBRO ESDRE II.

Capitulo 1.

Ana. *Miserere Deus magne terribilis qui custodis pactum et misericordiam diligentibus te et custodientibus mandata tua.*

Queso Domine Deus celi fortis magne atque terribilis : qui custodis pactum et misericordiam cum his qui diligunt te et custodiunt mandata tua.

B

Fiat auris tua oscultans et oculi tui aperti : ut audias orationem servi tui que ego oro quoram te odie nocte et die pro filiis Srahel servis tuis.

Et confiteor pro peccatis filiorum Srahel in quibus peccaberunt tibi : et ego et domus patris mei.

Peccavimus, vanitate seducti sumus : et non custodibimus mandatum et cerimonias atque iudicia que precepisti Moysi servo tuo.

Memento verbi quod mandasti Moysi famulo tuo dicens : cum transgressi fueritis ego disperdam vos in populis.

Et si revertamini ad me et custodiatis mandata mea et faciatis ea, etiamsi adducti fueritis ab extrema celi inde congregabo vos : et inducam in locum quem elegi ut habitaret nomen meum ibi.

C

Et ipsi servi tui et populus tuus quos redemisti in fortitudine tua magna : et in manu tua valida.

Obsecro Domine sit auris tua adtendens ad orationem servi tui : ad orationes servorum tuorum qui volunt timere nomen tuum.

Et dirige servum tuum odie : et da et misericordiam ante virum hunc.

XXII.

ORATIO MANASSE REGIS DE LIBRO PARALIPOMENON

Ana. *Peccabi Domine peccabi et iniquitatem meam ego cognosco.*

Deus altissimus magnanimis, miserator et multe misericordie : patiens super mala hominum.

Tu ergo Domine secundum multitudinem bonitatis tue promisisti indulgentiam et remissionem delinquentibus tibi : et habundantiam misericordie tue, statuisti penitentiam prccatoribus ad salutem.

Tu ergo Domine Deus iustorum non posuisti penitentiam iustis tuis Abraham Ysaac et Jacob, qui non peccaberunt tibi set posuisti penitentiam mici peccatori : quoniam super numerum arene maris habundaberunt iniquitates mee : et non est declinatio multitudinis delictorum meorum.

Et nunc iuste contineor digne comprimor : percurbatus multis vinculis ferreis ad non erigendum caput.

Quoniam non sum dignus aspicere et videre altitudinem celi : pre iniustitiis meis.

Quoniam irritabi furorem tuum et feci malum co-

rám te : statuens abominationes et multiplicans A odiositates.

Et nunc flecto genua cordis mei : precans a te bonitatem.

Peccabi Domine peccabi : et iniquitatem meam ego agnosco.

Ne perdas me cum iniquitatibus meis neque in finem iratus contineas mala mea : neque condemnaberis me cum his qui sunt in inferibus [inferioribus] terre.

Tu es enim Deus penitentium : ut in me ostendas bonitatem tuam.

Indignum me salvabis secundum multitudinem misericordie tue : et glorificabo nomen tuum in omni vita mea.

Quoniam te laudat omnis virtus celorum : et tibi est gloria in secula seculorum.

XXIII.

CANTICUM TOBI.

Capitulo. 13.

Magnus es Domine in eternum : et in omnia secula regnum tuum.

Quoniam tu flagellas et salvas, ducis ad infernum et reducis : et non est qui effugiat manum tuam.

Confitemini Domino filii Srahel : et in conspectu gentium laudate eum.

Quoniam ideo dispersit vos in gentes que ignorant eum ut vos narretis mirabilia eius : et faciatis scire eos quia non est alius Deus omnipotens preter eum.

Ipse castigabit nos propter iniquitates nostras : [LXXIV] et ipse salvabit nos propter misericordiam suam.

C Aspicite ergo que fecit vobiscum timore et tremore confitemini illi regemque seculorum : laudate et exultate eum in operibus vestris.

Ego autem in terra captivitatis mee confitebor illi : quoniam ostendit magestatem suam super gentem peccatricem.

Convertimini itaque peccatores et faciet iustitiam coram Deo : credentes quod faciet vobiscum misericordiam suam.

Ego autem et anima mea : in Deo lætabitur.

Benedicite Domino omnes electi eius : agite diem leticie et confitemini illi.

XXIV.

ORATIO DE LIBRO IHESU.

Capitulo.

D Miserere nostri Deus omnium et respice nos : et ostende nobis lumen miserationis tue.

Et inmitte timorem tuum super gentes que non exquisierunt te : et cognoscant quia non est Deus nisi tu ut enarrent magnalia tua.

Alleba manum tuam super gentes alienas : ut videant potentiam tuam.

Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis in illis : ut cognoscant te sicut et nos cognobimus quoniam non est Deus preter te Domine.

Innoba signa : et inmuta mirabilia.

Glorifica manum : et bracium dextrum.

Excita furorem : et effunde iram.

Extolle adversarium : et afflige inimicum.

Festina tempus et memento finis : ut enarrent magnalia tua.

In ira flamme devorentur peccatores : et qui pessimant plebem tuam inveniant perditionem.

Contere caput principum iniquorum : dicentium non est alius preter nos.

Congrega omnes tribus Jacob et cognoscant quia non est Deus nisi tu ut enarret magnalia tua : et hereditabis eos sicut ab initio.

Miserere plebi tue super quam invocatum est nomen tuum : et Srahel quem quoequasti primogenito tuo.

Miserere civitati sanctificationis tue : Iherusalem B civitati requiei tue.

Reple Syon inenarrabilibus virtutibus tuis : et gloria tua populum tuum.

Da testimonium quia ab initio creature tue sunt : et suscita precationes quas locuti sunt in nomine tuo prophete priores.

Da mercedem sustinentibus te ut prophetui [prophetæ tui] fideles inveniantur : et exaudies orationes servorum tuorum.

Secundum benedictionem Haaron de populo tuo : et dirige nos in viam iustitie.

Ut sciant omnes qui habitant terram : quia tu es Deus conspector seculorum.

XXV.

CANTICUM ZACCARIE [AZARIE] DE LIBRO DANIELIS.

Capitulo 3.

Ana. *Quecumque Domine fecisti nobis, vero iudicio fecisti, et hoc omnia propter peccata nostra.*

Alia. *Iustus es Domine in omnibus que fecisti nobis et omnia opera tua veritas et recte sunt vie tue.*

Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum et laudabilis : et gloriosum nomen tuum in sæcula.

Quia iustus es in omnibus que fecisti nobis et universa opera tua et vie tue recte : et omnia iudicia tua vera.

Iudicia enim vera fecisti iuxta omnia que induxisti super nos : et super civitatem sanctam patrum nostrorum Iherusalem.

Quia in veritate et in iudicio induxisti omnia hec : propter peccata nostra.

Peccabimus enim et inique egimus recedentes a te : et deliquimus in omnibus et precepta tua non audibimus nec observabimus nec fecimus sicut preceperas nobis ut bene nobis esset.

Omnia ergo que induxisti super nos et universa que fecisti nobis : vero iudicio fecisti.

Et tradidisti nos in manibus inimicorum inicorum, pessimorum prevaricatorumque : et regi iniusto et pessimo ultra omnem terram.

Et nunc non possumus aperire os : confusio et obprobium facti sumus servis tuis et his qui colunt te.

Ne quesumus tradas nos in perpetuum propter nomen tuum : neque dissipes testamentum tuum neque auferas misericordiam tuam a nobis.

Propter Abraham dilectum tuum et Ysaac servum A tuum et Srahel sanctum tuum : quibus locutus es pollicens quod multiplicares [LXXV] semen eorum sicut stellas celi : et velut arena que est in littore maris.

Quia Domine imminuti sumus plusquam omnes gentes : sumusque humiles in universa terra odie propter peccata nostra.

Et non est in hoc tempore princeps profeta et dux neque holocaustum neque sacrificium neque oblatio neque incensum neque locus primitiarum coram te : ut possimus invenire misericordiam tuam.

Set in anima contrita et spiritu humilitatis suscipiamur sicut in holocaustis arietum et taurorum : sicut in milibus agnorum pinguium sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo odie ut placeat tibi. B

Et perfice subsequentes te : quoniam non est confusio confidentibus in te.

Et nunc sequimur in toto corde nostro et timemus te : et querimus faciem tuam ne confundas nos.

Set fac nobiscum secundum mansuetudinem tuam : et secundum multitudinem misericordie tue : et erue nos in mirabilibus tuis et da gloriam nomini tuo Domine.

Confundantur omnes qui ostendunt servis tuis mala : confundantur in omni potentia sua et robur eorum conteratur.

Et scient quia tu es Dominus solus : et gloriosus in universo orbe terrarum.

XXVI.

INCIPIUNT CANTICI DE TRADITIONE DOMINI. C

CANTICUM DE LIBRO MACCABEORUM II.

Capitulo 1.

Ana. *Domine Domine Deus omnium creator terribilis et fortis iustus et misericors congrega dispersionem nostram, libera eos qui serviunt gentibus.*

Alia. *Domine Domine contemtos et abominatos respice, afflige comprimentes et contumeliam facientes in superbia ut sciant gentes quod tu es Deus noster.*

Domine Domine Deus omnium creator : terribilis fortis et misericors.

Qui solus es rex bonus, solus prestans, solus iustus : omnipotens et eternus.

Qui liberas Srahel de omni malo : qui fecisti patres electos et sanctificasti eos.

Accipe sacrificium pro universo populo tuo Srahel : et custodi partem tuam et sanctifica dispersionem nostram. D

Libera eos qui serviunt gentibus : contemtos et abominatos respice, ut sciant gentes quod tu es Dominus Deus noster.

Afflige comprimentes : et contumeliam facientes in superviam.

Constitue populum tuum in loco sancto tuo : sicut dixit Moyses.

XXVII.

CANTICUM IHEREMIE PROPHETE.

Capitulo 11.

Ana. *Quasi agnus mansuetus ductus sum ad victimam.*

Tu Domine demonstrasti mici : et ego cognobi.

Nunc ostendisti mici studia eorum : et salvam fecisti a persequentibus animam meam.

Et ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam : et nunc cognobi quia super me cogitaberunt consilia.

Mittamus lignum in pane eius : et eradamus eum de terra vibentium : et nomen eius non memoretur amplius.

Tu autem Domine Sabaoth qui iudicas iuste et probas renes et cor : videam quæso ultionem tuam ex eis tibi enim revelabi causam meam.

Iustus quidem tu es Domine : si disputem tecum verumtamen iusta loquar ad te.

Quare via impiorum prosperatur : bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt.

Plantasti eos et radicem miserunt : proficiunt et faciunt fructum.

Prope es tu hori eorum : et longe ha renibus eorum.

Et tu Domine nosti me et vidisti me : et probasti cor meum tecum.

Congrega eos quasi gregem ad victimam : et sanctifica illos in die occisionis.

XXVIII.

CANTICUM IHEREMIE PROPHETE.

Capitulo 15.

Tu scis Domine recordate [recordare] mei et tuere me a persequentibus me et visita me : ab his qui persecuntur me.

Noli in patientia tua suscipere me : scito quoniam sustinui pro te obprobrium inventi sunt sermones tui et comedi eos.

Et factum est mici verbum tuum in gaudio et in letitia cordis mei : quoniam invocatum est nomen tuum super me Domine Deus exercituum.

[LXXVI] Non sedi in concilio ludentium : et gloriatus sum.

A facie enim manus tue solus sedebam : quoniam comminatione replesti me.

Quare factus est dolor meus perpetuus : et plaga mea disperabilis rennuit curari.

Factum est mici : quasi mendacium aquarum infidelium.

Propter hoc hec dicit Dominus si converteris convertam te : et ante faciem meam stabis.

Etsi seperaberis pretiosum a vili : quasi hos meum eris.

Convertentur ipsi ad te : et tu non converteris ad eos.

Et dabo te populo huic in murum hereum fortem : et bellabunt adversum te : et non prævalebunt, quia ego tecum sum ut salvem te et eruam te dicit Dominus.

Et liberabo te de manu pessimorum : et redimam te de manu fortium.

XXIX.

CANTICUM IHEREMIE PROPHETE.

Capitulo 18.

Adtende Domine ad me : et audi vocem adversariorum meorum.

Numquid reddetur pro bono malum : quia foderunt fobeam anime mee.

Recordare quod steterim in conspectu tuo ut loquerer pro eis bonum : et averterem indignationem tuam ab eis.

Propterea da filios eorum in fame : et deduc eos in manu gladii.

Fiant uxores eorum absque liberis et vidue : et viri earum interficiantur mortem.

Iubenes eorum confodiantur gladio in prelio : audiatur clamor de domibus eorum.

Adduces enim super eos latronem repente quia foderunt fobeam ut caperent me : et laqueos absconderunt pedibus meis.

Tu autem Domine scis omne consilium eorum : adversum me in morte.

Ne propitieris iniquitati eorum : et peccatum eorum a facie tua non deleatur.

Fiant corruentes in conspectu tuo : |in tempore uroris tui abutere eis.

XXX.

CANTICUM HIEREMIE PROPHETE.

Capitulo 20.

Ana. *Domine qui me persecuntur corruant et infirmi fiant.*

Seduxisti me Domine et seductus sum : fortior me fuisti et invaluisti.

Factus sum in derisu : tota die omnes subsanabant me.

Quia iam olim loquor vociferans : iniquitatem et vastitatem clamito.

Et factum est mici sermo Domini in obprobrium et in derisu tota die : et dixi non recordabor eius neque loquar ultra in nomine illius.

Et factus est in corde meo quasi ignis exestuans claususque in ossibus meis : et defeci ferre non sustinens.

Audibi enim contumelias multorum : et terrorem in circuitu.

Persequimini et persequamur eum : ab omnibus viris qui erant pacifici mei et custodientes latus meum.

Si quomodo decipiatur et prevaleamus adversus eum : et consequamur ultionem ex eo.

Dominus autem mecum est quasi bellator fortis : idcirco qui persecuntur me cadent et infirmi erunt.

Confundantur veementer quia non intellexerunt. obprobrium sempiternum quod numquam delebitur.

Et tu Domine exercituum probator iusti qui probas renes et cor : videam queso ultionem tuam ex eis, tibi enim revelabi causam meam.

XXX.

CANTICUM IHEREMIE PROPHETE.

Capitulo 23.

Contritum est cor meum in medio mei : contremuerunt omnia ossa mea.

Factus sum sicut vir ebrius : et quasi homo madidus a vino.

A facie Domini : et a facie verborum sanctorum eius.

Quia adulteriis repleta est terra : quia a facie maledictionis luxit terra, arefacta sunt arba deserti.

Factus est cursus eorum malus : et fortitudo eorum dissimilis.

Propheta namque et sacerdos polluti sunt : et in domo mea inveni malum eorum ayt Dominus.

Idcirco via eorum erit quasi lubricum in tenebris : impellentur enim et corruent in ea.

Auferam enim super eos mala : annum visitationis eorum ayt Dominus.

XXXII.

CANTICUM IHEREMIE [MICHEÆ] PROPHETE

Capitulo 7.

Ana. *Nolite credere amico et nolite confidere in duce : quia inimici hominis domestici eius.*

[LXXVII] Nolite credere amico et nolite confidere in duce : ab ea que dormit in sinu tuo custodi claustra horis tui.

Quia filius contumeliam facit patri, filia consurgit adversus matrem suam, et nurus contra socrum suam : et inimici hominis domestici eius.

Ego autem ad Dominum aspiciam, expectabo Deum salvatorem meum : audiet me Deus meus.

Ne leteris inimica mea super me quia cecidi : consurgam.

Quum sedero in tenebris Dominus lux mea est : iram Domini portabo quoniam peccabi ei.

Donec iudicet causam meam et faciat iudicium meum : et educet me in luce videbo iustitiam eius.

Et aspiciet inimica mea et operietur confusionem : que dicit ad me ubi est Dominus Deus tuus.

XXXIII.

CANTICUM EZECIELIS PROPHETE.

Capitulo 36.

Ana. *Effundam super vos aquam mundam dicit Dominus et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

Tollam vos de gentibus et congregabo vos de universis terris : et adducam vos in terram vestram.

Et effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris : et ab universis idolis vestris mundabo vos.

Et dabo vobis cor novum : et spiritum meum ponam in medio vestri.

Et auferam cor lapideum de carne vestra et dabo vobis cor carneum : et spiritum meum ponam in medio vestri.

Et faciam ut in preceptis meis ambuletis : et iudicia mea custodiatis et operemini.

Et habitabitis in terra quam dedi patribus vestris ;

et eritis mihi in populum et ego ero vobis in Deum. A

XXXIV.

INCIPIUNT CANTICI DE RESURRECTIONE DOMINI.

CANTICUM DE LIBRO GENESIS.

Capitulo 49.

Ana. *Ad prœdam Domine ascendisti; requiescens accubuisti ut leo et virtute tua suscitatus es.*

Iuda te laudabunt fratres tui: manus tue in cervicibus inimicorum tuorum

Adorabunt te filii patris tui: catulus leonis Juda.

Ad prædam fili mi ascendisti: requiescens adcubuisti ut leo et quasi leena quis suscitabit eum.

Non auferetur sceptrum de Juda nec dux de femoribus eius donec veniat qui mittendus est: et ipse erit expectatio gentium. B

Ligans ad vineam pullum suum: et ad vitem o fili, mi asinum suum.

Lababit vino stollam suam: et in sanguine ube psalleum suum.

Pulcriores oculi eius vino: et denter lacte candidiores.

Sedit in forti arcus eius et dissoluta sunt vincula braciorum eius et manus illius per manum Dei omnipotentis: Jacob inde pastor egressus est lapis Srahel.

Deus patris tui erit adiutor tuus: et omnipotens benedicet tibi.

Renedictionibus celi desuper: benedictionibus abyssi jacentis deorsum.

Benedictionibus uberum et vulbe: benedictiones patris tui confortate sunt. C

Benedictionibus patrum eius: donec veniret desiderium collium eternorum.

Fiant in capite Joseph: et in vertice Nazarei inter fratres suos.

XXXV.

CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo [43.

Ana. *Antiqua ne intueamini noba faciam: dicit Dominus.*

Ante me non est formator Deus: et post me non erit.

Ego sum ego sum Dominus: et non est absque me salvator.

Ego adnunciabi et salvabi: auditum feci et non fui in vobis Deus alienus. D

Vos testes mei dicit Dominus et ego Deus ab initio.

Ego ipse et non est qui de manu mea eruat: operabor et quis avertit illut.

Hec dicit Dominus redemptor vester sanctus Srahel: propter vos emissi Babylonem et detraxi vectes universos: et Caldeos in nabibus suis gloriantes.

Ego dicit Dominus qui dedit in mari viam: et in aquis torrentibus semitam.

Hec dicit Dominus qui dedit in mari viam: et in aquis torrentibus semitam.

[LXXVIII] Qui eduxit quadrigam et equum, agmen et robustum simul obdormierunt: nec resurgerent. Contriti sunt quasi linum et extincti sunt; ne memineritis priora et antiqua ne intueamini.

Ecce ego facio noba et nunc orietur; utique cognoscetis ea.

Ponam in deserto viam et in invio flumina; glorificabunt me vestie agri dracones et structiones.

Quia dedi in deserto aquas et flumina in invio: darem potum populo meo, electo meo, populum istum formabi mici, laudem meam narrabit.

XXXVI.

CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo. 63.

Ana. *Salvabit mici bracium meum et iustitia mea ipsa auxiliata est mici.*

Quis est iste qui venit de Edon: tinctis vestibus de Bosra.

Iste formosus in stola sua: gradiens in multitudine fortitudinis sue.

Ego qui loquor iustitiam: et propugnator sum ad salvandum.

Quare ergo rubrum est indumentum tuum et vestimentum tuum: sicut calcantium in torcuları?

Torcular calcabi solus: et de gentibus non est vir mecum.

Calcabi eos in furore meo et conculcabi eos in ira mea et adsparsus est sanguis eorum super vestimenta mea: et omnia indumenta mea inquinabi.

Dies enim ultionis in corde meo est: et annus retributionis mee venit.

Circum inspexi et non erat auxiliator: quæsibi et non fuit qui adiubaret.

Salvabit mici bracium meum: et iustitia mea ipsa auxiliata est mici.

Conculcabi populos in furore meo et inebriabi eos in indignatione mea: et detraxi in terra virtutem eorum.

XXXVII.

CANTICUM ESAYE [IEREMIE] PROPHETE.

Capitulo 31.

Ana. *Tamquam de somno suscitatus sum et vidi et somnus meus dulcis mici.*

Hec dicit Dominus exercituum Deus Srahel: adhuc dicent verbum istut in terra Juda et in urbibus eius quum convertero captivitatem eorum.

Benedicat tibi Dominus pulcritudo iustitie mons sanctus: et habitabunt in eo Judas et omnes civitates eius, simul agricole et minantes greges.

Quia inebriabi animam lassam: et omnem animam esurientem saturabi.

Ideo quasi de somno suscitatus sum: et vidi et somnus meus dulcis mici.

Ecce dies veniunt dicit Dominus et seminabo domum Srahel et domum Juda semine hominis: et semine iumentorum.

Et sicut vigilabi super eos ut evellerem et demolirem et dissiparem et dispergerem et affligerem: sic vigilabi super eos ut edificem et plantem ayt Dominus.

XXXVIII.

CANTICUM ESAYE [OSEÆ] PROPHETE.

Capitulo 6.

Ana. *Vivificabit nos Dominus post duos dies ad tertia suscitabit nos et videbimus.*

Venite revertamur ad Dominum quia ipse cepit et sanabit nos: percutiet et curabit nos.

Vivificabit nos post duos dies, die tertia suscitabit nos et vibemus in conspectu eius: sciemur sequamurque ut cognoscamus Dominum.

Quasi diluculo preparatus est egressus eius: et veniet nobis quasi imber temporaneus et serotinus terre.

Quid faciam tibi Efraym quid faciam tibi Juda: misericordia vestra quasi lux matutina et quasi ros mane pertransiens.

Propter hoc dolabi in Prophetis et occidi eos in verbo horis mei: et iudicia mea quasi lux egredietur.

Quia misericordiam volui et non sacrificium: et scientiam Dei plusquam holocaustum.

XXXIX.

CANTICUM SOFFONIE PROPHETE.

Capitulo 3.

Ana. *Expecta me in die resurrectionis mee dicit Dominus ut congregem gentes et colligam regna.*

Expecta me dicit Dominus in die ressurectionis mee in futuro: quia iudicium meum et congregem gentes et colligam regna.

Ut effundam super eos omnem indignationem meam: et omnem iram furoris mei.

In igne enim zeli mei devorabitur omnis terra: quia tunc reddam populis labium electum [LXXIX] ut vocent omnes in nomine Domini et serviant ei humero uno.

Ultra flumina Eziopie inde supplices mei: fili dispersorum meorum deferent munus mici.

In die illa non confunderis super cunctis adinventionibus tuis: quibus prevaricata es in me.

Quia tunc auferam de medio tui magnilocus supervie tue: et non adicies exaltari amplius in monte sancto meo.

Et derelinquam in medio tui populum pauperum et egenum: et sperabunt in nomine Domini reliquie Srahel.

Non faciet iniquitatem nec loquentur mendacium: et non invenietur in ore eorum lingua dolosa.

Quoniam ipsi pascentur et accubabunt: et non erit qui exterreat.

INCIPIUNT CANTICI DE SANCTIS.

XL.

CANTICUM IHESU FILII SIRACH.

Capitulo 26.

Datio Dei permanet iustis: et profectus illius successus habebit in eternum.

Mulieris bone beatus vir: numerus annorum eorum duplex.

Mulier fortis oblectat virum suum: et annos vite illius in pace implevit.

A Pars bona, mulier bona, in parte bona timentium Deum: dabitur viro pro factis bonis.

XLI.

CANTICUM DE LIBRO JUDICIUM.

Capitulo 5.

Ana. *Diligentes te Domine: sicut sol in ortu suo resplendens ita rutilent.*

Qui sponte obtulistis de Srahel animas vestras ad periculum: benedicite Dominum.

Audite reges, auribus percipite principes: ego sum ego sum que Domino canam, psallam Domino Deo Srahel.

Domine cum exires de Seyr et transires per regiones Edom: terra mota est celique ac nubes distillaberunt aquis.

B Montes fluxerunt a facie Domini: et Sinay a facie Dei Srahel.

Nova bella elegit Dominus: et portas hostium ipse subvertit.

Clipeus et hasta si apparuerit in quadraginta milibus Srahel; cor meum diligit principes Srahel.

Qui propria voluntate obtulisti vos discrimini: benedicite Domino.

Qui ascenditis super nitentes asinos et sedetis in iudicio et ambulatis in via; loquimini ubi conlisi sunt currus: et hostium est suffocatus exercitus.

Ibi narrentur iustitie Domini: et clementie eius in fortes Srahel.

Tunc descendit populus Domini ad portas: et obtinuit principatum.

C Salvate sunt reliquie populi: Dominus in fortibus dimicabit.

Venerunt reges et pugnaberunt, pugnaberunt reges Canaan in Tanay iuxta aquas Magedon: et tamen nicil tulerunt predantes, de celo dimicatum est contra eos.

Sic pereant inimici tui Domine; qui autem te diligunt sicut sol in ortu suo resplendens ita rutilent.

XLII.

CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo 61.

Ana. *Letitia sempiterna erit electis meis dum dedero opera eorum in veritate.*

Vos sancti Domini vocabimini: ministri Dei nostri dicetur vobis.

D Fortitudinem gentium comedetis: et in gloria eorum supervietis.

Pro confusione vestra duplici et rubore laudabunt partem eorum: propter hoc in terram suam duplicia possidebunt.

Letitia sempiterna erit eis: quia ego Dominus diligens iudicium: et odio habens rapinam in olocaustum.

Et dabo opus eorum in veritate: et fedus perpetuum feriam eis.

Et scientur in gentibus semen eorum: et gemen eorum in medio populorum.

Omnes qui viderint eos cognoscent illos; quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.

INCIPIUNT CANTICI DE UNO JUSTO.

XLIII.

CANTICUM IHEREMIE PROPHETE.

Capitulo 17.

Benedictus vir qui confidit in Domino : et erit Dominus fiducia eius.

Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum : quod ad humorem mittit radices suas, et non timebit dum venerit estus.

Et erit folium eius viride : et in tempore [LXXX] siccitatis non erit solicitus nec aliquando desinit facere fructum.

Sana me Domine et sanabor, salbum me fac et salbus ero : quia laus mea et virtus mea tu es.

Ecce ipsi dicunt ad me : ubi est verbum Domini, veniat : et ego non sum turbatus te pastorem sequens : et diem hominis non concupibi tu scis.

Quod egressum est de labiis meis : rectum in conspectu tuo fuit.

Non sit mici formidinis : spes mea tu in die afflictionis mee.

Confundantur omnes qui me persecuntur et non confundar ego : pabeant illi et non pabeam ego.

Induc super eos diem afflictionis : et duplici contritione contere eos.

XLIV.

CANTICUM IHESU FILII SIRACH.

Capitulo 51.

Ana. *Danti mici sapientiam dabo gloriam consiliatus sum enim ut facerem illam zelatus sum bonum non confundar.*

Priusquam errarem quesibil sapientiam : palam in oratione mea.

Ante tempus postulabam pro illam [illa] : et usque in nobissimis inquiram eam.

Defloruit tanquam precox uba : letatum est cor meum in ea.

Ambulabit pes meus iter rectum : a iubentute mea investigabam illam.

Inclinabi modice aurem meam et excepi illam : multam inveni micimetipsi sapientiam, multum profeci in ea.

Danti mici sapientiam dabo gloriam, consiliatus sum enim ut facerem illam : zelatus sum bonum ut non confundar.

Conculcata [*Forte*, conluctata] est anima mea in illam : et in faciendo eam confirmatus sum.

Manus mea extendi in altum : et insipientiam eius luxi.

Animam meam direxi ad illam : et in agnitione inveni eam.

Possedi cum ipsis cor ab initio : propter hoc non relinquar.

Venter meus conturbatus est querendo eam : propterea possidebo bonam possessionem.

Dedit enim mici Dominus linguam mercedem meam : et in ipsa laudabo eum.

Adpropinquate ad me indocti : et congregate vos in domum discipline.

A Quid adhuc retardatis : aut quid dicitis in his, anime vestre sitiunt veementer.

Aperui hos meum et locutus sum : comparate vobis sine argento sapientiam et collum vestrum subicite iugo.

Et suscipiet anima vestra disciplina : in proximo est enim invenire eam.

Videte oculis vestris quoniam modice laborabi : et inveni mici multam requiem.

Adsumite disciplinam in multo numero argenti : et copiosum aurum possidete in ea.

Letetur anima vestra in misericordia eius : et non confundemini in laude ipsius.

Operamini opus vestrum ante tempus : et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo.

B

XLV.

CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo 42.

Ecce servus meus suscipiam eum : electus meus dicit Dominus : complacuit sibi in illo anima mea.

Dedi spiritum meum super eum : iudicium gentibus proferet.

Non clamabi neque accipiet personam : nec audietur foris vox eius.

Calamum quassatum non conteret : et linum fumigans non extinguet.

In veritate educet iudicium, non erit tristis neque turbulentus : donec ponat in terra iudicium, et legem eius insule expectabunt.

XLVI.

C

CANTICUM ZACHARIE PROPHETE.

Luce Capitulo 1.

Ana. *Tu puer propheta Altissimi vocaberis preibis enim ante faciem Domini parare vias eius ad dandam scientiam salutis plebi eius.*

Benedictus Dominus Deus Srahel : quia visitabit et fecit redentionem plevi sue.

Et erexit cornu salutis nobis : in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per hos sanctorum profetarum suorum : qui a seculo sunt.

Salutem de inimicis nostris : et de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sancti sui : iusiurandum quod iurabit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis, ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.

D

Et tu puer propheta Altissimi vocaberis : [LXXVI] preibis enim ante faciem Domini preparare vias eius.

Ad dandam scientiam salutis plebi eius : in remissione peccatorum.

Per viscera misericordie Dei nostri : in quibus visitabit nos horiens ex alto.

Inluminare eis qui in tenebris et in umbra mortis sedent : ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

XLVII.

INCIPIUNT CANTICI DE VIRGINIBUS.

CANTICUM IHESU FILII SIRACH.

Capitulo 39.

Ana. *In canticis labiorum vestrorum dicite Domino : universa opera tua bona valde.*

Audite me divini fructus : et quasi rosa plantata super rivos aquarum fruticate.

Quasi Libanus : odorem suabitatis habete.

Florete flores quasi lilium date odorem frondete in gratiam et conlaudate canticum : et benedicite Dominum in operibus suis.

Date nomini eius magnificentiam : et confitemini illi in voce labiorum vestrorum : in canticis labiorum et citharis : et sic dicetis in confessione : opera Domini universa bona valde.

XLVIII.

CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo 61 *et* 62.

Gaudens gaudebo in Domino : et exultabit anima mea in Deo meo.

Quia induit me vestimentum salutis : et indumento iustitie circumdedit me.

Quasi sponsum decoratum corona : et quasi sponsam ornatam monilibus suis.

Sicut enim terra profert germen suum ; et sicut hortus semen suum germinat : sic Dominus Deus germinabit iustitiam et laudem coram universis gentibus.

Propter Syon non tacebo, et propter Iherusalem non quiescam donec egrediatur ut splendor iustus eius : et salvator eius ut lampas accendatur.

Et videbunt gentes iustum tuum : et cuncti reges terre inclitum tuum.

Et vocabitur tibi nomen novum : quod hos Domini nominabit.

Et eris corona glorie in manu Domini : et diadema regni in manu Dei tui.

Non vocaberis ultra Derelicta : et terra tua non vocabitur amplius Desolata.

Set vocaberis Voluntas mea in ea : et terra tua inhabitabitur.

Quia complacuit Domino in te : et terra tua inhabitabitur.

Habitabit enim iuvenis cum virgine : et habitabunt in te filii tui.

Et gaudebit sponsus super sponsam suam : et gaudebit super te Dominus Deus tuus.

Super muros tuos Iherusalem constitui custodes : tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt.

Qui reminiscimini Dominum ne taceatis et ne detis silentium ei donec stabiliat : et donec ponat Iherusalem laudem in terra.

XLIX.

CANTICUM SOFFONIE PROPHETE.

Capitulo 3.

Lauda filia Syon, iubila Srahel : letare et exulta in omni corde filia Iherusalem.

A Abstulit Dominus iudicium tuum : avertit inimicos tuos rex Srahel.

Dominus in medio tui : non timebis malum ultra.

In die illa dicetur Iherusalem noli timere : Syon non dissolbantur manus tue.

Dominus Deus tuus in medio tui fortis : ipse salvabit te.

Gaudebit super te in letitia, silebit in dilectione tua : et exultabit super te in laude.

Nugas qui a lege recesserunt, congregabo qui ex te erant : ut non ultra habeas super eos obprobrium.

Ecce ego interficiam omnes qui afflixerunt te in tempore illo : et salvabo claudicantem et eam [ea] que eiecta fuerant congregabo.

B Et ponam eos in laudem et in nomen : in omni terra confusionis eorum.

In tempore illo quo adducam vos : et in tempore quo congregabo vos.

Dabo enim vos in nomen et in laudem omnibus populis terræ : quum convertero captivitatem vestram coram oculis vestris, dicit Dominus Deus.

L.

CANTICUM ZACCARIE PROPHETE.

Capitulo 2.

Lauda et letare filia Syon : quia ecce ego veniam et habitabo in medio tui dicit Dominus.

[LXXXII] Et applicabuntur gentes multe ad Dominum in die illa, et erunt mici in populum et habitabo

C in medio tui : et scies quia Dominus exercituum misit me ad te.

Et possidebit Dominus Judam partem suam in terra sanctificata : et eliget adhuc Iherusalem.

Sileat omnis caro a facie Domini : quia consurrexit de habitaculo sancto suo.

LI.

CANTICUM SALOMONIS IN SACRATIONE BASELICE.

Paralipom. II, capitulo 6.

Ana. S*int Domine oculi tui aperti super domum istam.*

Domine Deus Srahel non est similis tui Deus in cœlo et in terra : qui custodis pactum et misericordiam cum servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo.

D Qui prestitisti servo tuo David patri meo quecumque locutus fueras ei : et que hore promiseras opere complesti sicut et presens tempus probat.

Nunc ergo Domine Deus Srahel : imple servo tuo David patri meo quecumque locutus es ei dicens :

Non deficiet ex te vir coram me : qui sedeat super thronum Srahel.

Ita tamen si custodierint filii tui vias meas et ambulaberint in lege mea : sicut et tu ambulasti coram me.

Et nunc Domine Deus Srahel : firmetur sermo tuus quem locutus es servo tuo David.

Ergo nec [ne] credibile est : ut habitet Deus cum hominibus super terram ?

Si celum et celi celorum non te capiunt: quando magis domus ista quam edificabi.

Set ad hoc tantum facta est ut respicias ad orationem servi tui: et obsecrationem eius.

Domine Deus meus audi preces quas fundit famulus tuus coram te: ut aperias oculos tuos super domum istam diebus hac noctibus super locum in quo pollicitus es ut invocaretur nomen tuum et exaudias orationem quam servus tuus orat in eo.

Exaudi preces famuli tui et populi tui Srahel: quicumque oraberit in loco isto.

Exaudi de habitaculo sancto tuo id est de celis et propitiare: tu es enim Deus meus.

Aperiantur queso oculi tui: et aures tue intente sint ad orationem que fit in loco isto.

Nunc igitur consurge Domine Deus in requiem tuam: tu et arca sanctificationis tue.

Sacerdotes tui Domine Deus induantur iustitiam: et sancti tui letentur in bonis.

Domine Deus ne avertas faciem Christi tui: memento misericordiam David servi tui.

LII.

CANTICUM DE RESTAURATIONE BASELICE.

Tobie Capitulo 13.

Luce clara fulgebis: in omnibus finibus terre.

Nationes multe de loginco venient tibi: et habitatores a nobissimis partibus terre ad nomen Domini Dei.

Et munera sua in manibus habentes, regi celorum offerunt cum letitia: et nomen Domini magnum erit in omnibus seculis seculorum.

Maledicti omnes qui spernunt te: et omnes qui blasfemant te.

Maledicti omnes qui oderunt te: et omnes qui dixerunt in te verbum durum.

Maledicti omnes qui deponunt te: et omnes qui dextruunt muros tuos, et omnes qui subvertunt turres tuas, et omnes qui succendunt habitationes tuas, et benedicti erunt in te omnes qui diligunt te in eternum.

Tunc gaude et letare cum filiis iustorum: quia omnes colligentur et benedicent Dominum in eternum.

Felices qui diligunt te, felices qui gaudent in pace tua, et felices omnes homines qui constristabuntur in flagellis tuis: quoniam gaudebunt omne gaudium tuum in secula.

Anima mea benedicet Dominum regem magnum quia biberit Iherusalem: et edificabitur iterum domus eius, in omnibus seculis seculorum confitebitur regi celorum.

Obtie Iherusalem izmaracdo et saffiro fasricabuntur: et lapides pretiosi omnes muri tui.

Turres Iherusalem gemmis edificabuntur: et propugnacula eius auro mundo.

Platee Iherusalem canticum letitie dicunt: et per omnes vicos eius Alleluia cantabitur.

Benedictus Dominus qui exaltat te, et benedictus

A in omnibus seculis seculorum: quoniam in te benedicet omne sanctum in eternum.

LIII.

[LXXXIII] CANTICUM BALE DE LIBRO NUMERI.

Capitulo 23.

Adsumta parabola sua dixit Balaam; de Aran adduxit me Balaac rex Moabitarum de montibus orientis.

Veni inquid et maledicere Jacob: propera et detestare Srahel.

Quomodo maledicam cui non maledixit Dominus aut qua ratione detester quem Deus non detestatur.

De summis silicibus videbo eum: et de collibus considerabo illum.

Populus enim solus habitabit: inter gentes non

B reputabitur.

Quis dinumerare posit pulberem Jacob: aut nosse numerum stripis Srahel.

Moriatur anima mea morte iustorum: et fiant nobissima mea horum similia.

Non est Deus sicut homo ut mentiatur: nec ut filius hominis ut mutetur.

LIV.

CANTICUM DE APOSTOLO.

Epist. 1. *ad Timot. Capitulo* 4 *et* 6.

Adprehende vitam eternam in qua vocatus est et confessus bonam confessionem coram multis testibus.

Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatio-

C ne, in caritate: in fide et in castitate.

Dum venio adtende lectioni: exortationi doctrine.

Noli neglegere gratiam que in te est: que data est tibi per profetiam cum impositione manuum.

Hec meditare in his esto: ut profectus tuus manifestus sit omnibus.

Adtende tibi et doctrine: insta in illis.

Hoc enim faciens: et te ipsum salvum facies et qui te audiunt.

LV.

INCIPIUNT CANTICI DE COTIDIANO.

CANTICUM MOYSI DE LIBRO EXODO.

Capitulo 15.

Cantemus Domino: gloriose enim honorificatus est

Equum et ascensorem: proiecit in mare.

Adiutor et protector meus Dominus: et factus

D mici in salute.

Hic Deus meus et honorificabo eum: Deus patris mei et exaltabo eum.

Dominus conterens bella Dominus nomen est ei: currus Faraonis et exercitum eius proiecit in mare.

Electos ascensores ternos strantes dimersit in rubro mari: pelago cooperuit eos dimersi sunt in profundum tanquam lapis.

Dextera tua Domine glorificata est in virtute: dextera manus tue confregit inimicos, et pre multitudine magestatis tue conteruisti adversarios.

Misisti iram tuam, et comedit eos tamquam stipulam: et pre spiritu iracundie tue divisa est aqua.

Steterunt tanquam murus aque : glaberunt fluctus in medio mari. A

Dixit inimicus persequens, compreendam partibo spolia replebo animam meam : interficiam gladio meo et dominabitur manus mea.

Misisti spiritum tuum et cooperuit eos mare :dimersi sunt tamquam plumbum in aqua validissima.

Quis similis tibi in diis Domine quis similis tibi honorificus : in sanctis mirabilis, in magestatibus faciens prodigia.

Extendisti dexteram tuam et devorabit eos terra: gubernasti iustitia tua populum tuum hunc quem liberasti.

Consolatus es in virtute tua : in refectione sancta tua.

Audierunt gentes et irate sunt : dolores adpreenderunt inhabitantes Filistim.

Tunc festinaberunt duces Edom : et principes Moabitarum, adpreendit eos timor : tabuerunt omnes inhabitantes Canaam.

Decidat super eos timor et tremor magnitudinis bracii tui : fiant tamquam lapis donec transeat populus tuus Domine, usque dum pertranseat populus tuus hunc quem liberasti.

Indue et planta eum in montem hereditatis tue : in preparata habitatione tua quam preparasti tibi Domine.

Sanctuarium tuum Domine quod preparaberunt manus tue : Domine qui regnas in eternum et in sempiternum et adhuc.

Quia introibit equitatus Faraonis quum quadrigis et ascensoribus in mare et induxit super eos Dominus aquas maris : filii autem Srahel ambulaberunt per siccum per medium mare.

LVI.

[LXXXIV] CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo 5.

Cantabo nunc dilecto canticum dilecte vinee mee : vinea facta est dilecta in loco uberi.

In cornu et macerie circumdedi et circumfodi : et plantabi vineam Sorech.

Et edificabi turrem in medio eius : et torcular fodi in ea.

Et sustinui ut faceret ubas : fecit autem spinas.

Et nunc homo Iuda et qui habitatis in Iherusalem iudicate inter me et veniam meam : quid faciam vinee mee adhuc quod ei non fecerim.

Quoniam sustinui ut faceret ubas : fecit autem spinas.

Nunc autem adnunciabo vobis : quid facturus sum vinee mee.

Auferam maceriam eius et erit in direptione : et dextruam parietes eius et erit in conculcatione.

Et derelinquam vi eam meam : et non potabitur neque fodietur.

Et ascendunt in eam sicut in agrum incultum spine : et nubibus mandabo ne pluant super eam plubiam.

Vinea enim Domini Sabaoth domus est Srahel : et domo Juda nobellum dilectum.

Quoniam sustinui et faceret iudicium : fecit autem iniquitatem et non iustitiam set clamorem.

LVII.

CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo 26.

Ana. *Anima mea desiderat te in nocte* ; *de mane Domine vigilabo ad te.*

Urbs fortitudinis nostre : salvator.

Ponetur in ea murus : et antemurale.

Aperite portas ingrediatur gens iusta custodiens veritatem : vetus error habit.

Servabis pacem, pacem quia in te sperabimus : sperastis in Domino in seculis eternis in Domino Deo forti in perpetuum.

Qui incurbabit habitantes in excelso : civitatem sublimem humiliabit.

Humiliabit eam usque ad terram : detrahet eam usque ad pulberem.

Conculcabit eam pes : pedes pauperum gressus egenorum.

Semita iusti recta facta est : rectus callis iusti ad ambulandum.

In semita iudiciorum tuorum Domine sustinuimus te : nomen tuum et memoriale tuum in desiderio anime.

Anima mea desiderat te in nocte : sed et spiritus meus in precordiis meis de mane vigilabo ad te.

Quum feceris iudicia tua in terra : iustitiam discent habitatores orbis.

Misereamur impio, et non discet iniustitiam in
C terra sanctorum : inique gessit et non videbit gloriam Domini.

Domine exaltetur manus tua et non videant : videant et confundantur zelantes populi et ignis hostes tuos devoret .

LVIII.

CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo eodem.

℟ XVIII. Preceptum.

Ana. *Vivent mortui tui interfecti mei resurgent.*

Domine dabis pacem nobis : omnia enim opera nostra operatus es in nobis.

Domine Deus noster possiderunt nos domini absque te : tantum in te recordemur nominis tui.

Morientes non vibant, gigantes non resurgant :
D propterea visitasti et conteruisti et perdidisti omnem memoriam eorum.

Indulsisti genti Domine : indulsisti genti, numquid glorificatus es ? elongasti omnes terminos terre.

Domine in angustia requisierunt te : et in tribulatione murmuris doctrina tua in eis.

Sicut que concepit dum adpropinquaberit ad partum, dolens clamat in doloribus suis : sic facti sumus a facie tua Domine.

Concepimus et quasi parturibimus et peperimus spiritum : salutem non fecimus in terra ideo non ceciderunt habitatores terre.

Vibent mortui tui : et interfecti mei resurgent.

Expergescimini et laudate Dominum qui habitatis

in pulberem : quia ros lucis ros tuum, et terra A gigantum detraes in ruinam.

Vade popule meus, intra in cubicula tua, claude hostia tua super te, abscondere modicum ad momentum : donec transeat indignatio.

LIX.

CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo 33.

Ana. Audite qui longe estis que fecerim : dicit Dominus et cognoscite fortitudinem ¡meam.

Conterriti sunt in Syon peccatores : possedit timor Ypocritas.

[LXXXV] Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante : aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis.

Qui ambulat in iustitiis : et loquitur veritatem. B

Qui proicit avaritiam et calumniam : et excutit manus suas ob omni munere.

Qui obdurat aures suas ne audiat sanguinem : et claudit oculos suos ne videat malum.

Iste in excelsis habitabit munimenta saxorum sublimitas eius : panis ei datus est asque eius fideles sunt.

Regem in decore suo videbunt, oculi eius cernent terram de longe : cor tuum meditabitur timore.

Ubi est literatus ubi legis ubi verba ponderans : ubi doctor parvulorum.

Populum imprudentem non videbis, populum altis sermonibus :¸ita ut non possis intelligere dissertitudinem lingue eius in qua nulla est sapientia.

Respice Syon civitatem solemnitatem [solemnitatis nostre : oculi tui videbun Iherusalem habitationem opulentam. C

Tabernaculum quod nequaquam transferri poterit nec auferentur clavi eius in sempiternum : et omnes funiculi eius non rumpentur.

Quia solummodo ibi magnificus Dominus noster locus flubiorum : rivi latissimi et patentes.

Non transibit per eam navis remigum : neque triremis magno transgredietur eam.

Dominus enim Iudex noster, Dominus legifer noster ; Dominus rex noster : Ipse salvabit nos.

[LX.

CANTICUM IHONE PROPHETE.

Capitulo 2.

℟ XXXV. In tuo.

Ana. *Quanta vobi reddam tibi salvatori meo Domino.* D

Alia. *Fluctus tui Domine super me transierunt et ego dixi : expulsus sum ab oculis tuis putas videbo templum sanctum tuum.*

Clamabi de tribulatione mea ad Dominum : et exaudibit me.

De ventre inferni clamabi : et exaudibit vocem meam.

Et proiecisti me in profundum in corde maris : et flumen circumdedit me.

Omnes gurgites tui et fluctus tui super me ingressi sunt : et ego dixi abiectus sum a conspectu oculorum tuorum : verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum.

Circumdederunt me aque usque ad animam, abyssus ballabit me, pelagus cooperuit caput meum : ad extrema montium descendi, terre vectes concluserunt me in eternum.

Et sublevabis de corruptionem [corruptione] vitam meam : Domine Deus meus.

Quum angustiaretur in me anima mea, Domini mei recordatus sum : et veniet oratio mea ad templum sanctum tuum.

Qui custodiunt vanitates : frustra misericordiam suam dereliquerunt.

Ego autem cum voce laudis immolabo tibi : quecumque vobi reddam pro salute Domino.

LXI.

CANTICUM DE LIBRO ESDRE IV.

Capitulo 8.

℟ XLII. Emitte.

Ana. *Tronus tuus Deus inextimabilis ; et gloria incompreensibilis : cui adstat omnis exercitus angelorum cum tremore, cuius aspectus arefacit abyssos indignatio tabescere montes.*

Alia. *Miserere Domine eis quis non habent substantiam bonorum operum.*

Domine qui habitas in eternum : cuius oculi elati et superiora in aere.

Cuius tronus inextimabilis : et gloria inconpreensibilis.

Cui adstat omnis exercitus angelorum cum tremore : corum observatio in vento et igni convertitur.

Cuius verbum firmum : et dicta perseverantia.

Cuius dispositio fortis et iussio terribilis.

Cuius aspectus arefacit abyssos. et indignatio tabescere montes : et veritas testificatur.

Exaudi Domine orationem servi tui : auribus percipe deprecationem figmenti tui, inte de verba mea.

Dum enim vibo loquar : et dum sapio respondeam.

Ne aspicias populi tui delicta : set qui tibi in veritate servierunt.

Neque adtendas impie agendum [*Forte*, agentium] studia : set qui tua testamenta cum doloribus custodierunt.

Neque cogites perdere qui in conspectu tuo false conversati sunt : set memorare qui ex voluntate tuum timorem cognoberunt.

Neque volueris perdere qui pecodum mores [LXXXVI] habuerunt : set respicias super eos qui legem tuam splendide docuerunt.

Neque indigneris eis qui vestiis peius sunt iudicati : set diligas eos qui semper in gloriam tuam confiderunt.

Quoniam nos et patres nostri talibus moribus egimus : tu autem propter nos peccatores misericors vocatus es.

Si enim decreberis ut nostri miserearis : tunc misericors vocaberis.

Nobis enim non habentibus opera iustitie : iustis quibus sunt opera multa reposita aput te Domine, ex propriis operibus percipient mercedem.

Quid est enim homo ut ei indigneris : aut genus corruptibile ut ita amariceris de ipso.

In veritate enim nemo de genitis est quis non impie gessit : et de confidentibus qui non diliquid.

Set in hoc enim adnunciabitur iustitia et bonitas tua Domine ; quum misertus fueris eis qui non habent substantiam bonorum operum.

LXII.

CANTICUM MOYSI DEUTERONOMIUM

Capitulo 32.

℟ LVIII. Exaltabo.

Adtende celum et loquar : audiat terra verba ex ore meo.

Expectetur sicut plubia eloquium meum : et descendat sicut ros verba mea.

Sicut nimbus super gramen et sicut nix supra fenum : quoniam nomen Domini invocabi : date magnitudinem Domino Deo vestro, Deus vera opera eius, et omnes vie eius iudicia.

Deus fidelis et non est iniquitatis in eo : iustus et sanctus Dominus.

Peccaberunt nonne hii filii immaculati progenies praba et perversa : hec Domino retribuisti sicut populus fatuus et non sapiens.

Nonne hic ipse pater tuus : qui possedit fecit et creabit te.

Commemoramini dies anticos : intelligite annos generationis et generationum.

Interroga patrem tuum et adnuntiabit tibi : seniores tuos si dicent tibi.

Quum partiretur altissimus nationes gentium quemadmodum dispersit filios Ade ; statuit terminos gentium secundum numerum angelorum Dei.

Facta est portio Domini populus eius Jacob : funiculum hereditatis sue Srahel.

Sufficientiam dedit ei in terra deserta : in sitim caloris ubi non erat aqua.

Circumduxit et docuit : et custodibit eum sicut pupillam oculi.

Sicut aquila protegetnidum suum et super pullos suos conscendit : expandit alas suas et suscepit eos et superposuit scapulis suis.

Dominus solus deducebat eos : et non erat cum eis Deus alienus.

LXIII.

CANTICUM ANNE DE LIBRO SAMUELIS I.

Capitulo 2.

℟ LXII. In deserto.

Confirmatum est cor meum in Domino : et exaltatum est cornum meum in Deo salutari meo.

Dilatatum est hos meum ; super inimicos meos.

Letor ego in sanctitate tua quia non est alius Deus quomodo tu, nec est sanctus preter te : et non est iustus preter Deum nostrum.

Nolite gloriari et nolite alta loqui in supervia et

A ne exeat magniloquium ex ore vestro : quoniam Deus scientie Dominus est.

Deus qui parat adinventiones suas : arcus potentium infirmatus est et infirmi virtute precincti sunt.

Pleni panibus minorati sunt ; et esurientes transierunt terram.

Sterilis peperit septem, et fetosa in filiis infirmata est.

Dominus mortificat et vivificat : ducit ad inferos et reducit.

Dominus pauperem et divitem facit : humiliat et exaltat.

Suscitat a terra inopem : et ab stercore erigit pauperem.

Et sedere facit eum cum potentibus populi : et

B tronum glorie hereditans illi.

Dat votum obtanti : et benedicet annos iusti.

Quoniam non in viribus potens est vir : Dominus infirmum facit adversarium suum Dominus sanctus.

Non glorietur sapiens in sua sapientia ; neque glorietur dives in divitiis suis : neque glorietur fortis in fortitudine sua : set in eo glorietur qui gloriatur, scire ei intelligere Dominum, et facere iudicium et iustitiam super terram.

Dominus ascendit in celos et tonat : et ipse iudicabit extrema terre.

Potens est et dat virtutem regibus nostris : et exaltabit cornu Christi sui.

LXIV.

[LXXXVII] CANTICUM DE LIBRO PARALIPOMENON I.

Capitulo 29.

C ℟ LXIV. Exitus.

Ana. *In manu tua Domine virtus et potentia in manu tua magnitudo et imperium omnium.*

Benedictus Dominus Deus Srahel patris nostri : ab eterno et usque in eterno.

Tua est Domine magnificentia et potentia : et gloria adque victoria et tibi laus.

Cuncta enim que in celo : et que in terra, tua sunt.

Tuum Domine regnum : et tu es super omnes principes.

Tue divitie et tua est gloria : et tu dominaris omnibus.

In manu tua Domine virtus et potentia ; in manu tua magnitudo et imperium omnium.

Nunc igitur Domine Deus noster confitebimur

D tibi : et laudabimus nomen tuum inclitum.

Quis ego aut quis populus meus : ut possimus tibi hec universa promittere ?

Tua sunt enim omnia : et que de manu tua accepimus dedimus tibi.

Peregrini enim summus coram te : et advene sicut omnes patres nostri.

Dies nostri quasi umbra super terram : est nulla est mora.

Domine Deus Abraham, Ysaac, et Srahel patrum nostrorum : custodi in eternum hanc voluntatem cordis nostri, et semper veneratione tua mens ista permaneat.

LXV.

CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo 12.

℣ LXVI. Inluminet.

Ana. *Conversus est furor tuus et consolatus es me*

Confitebor tibi Domine quoniam iratus es mici : conversus est furor tuus et consolatus es me.

Ecce Deus salvator meus : fiducialiter agam et non timebo.

Quia fortitudo mea et laudatio mea Dominus : et factus est mici in salute.

Aurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris : et dicetis in illa die.

Confitemini Domino et invocate nomen eius, notas facite in populis adinventiones eius : mementote quoniam excelsum est nomen eius.

Cantate Domino quoniam magnifice fecit : adnunciate hec in universa terra.

Exulta et lauda habitatio Syon : quoniam magnus in medio tui sanctus Srahel.

LXVI.

CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo 33.

℣ LXXV. Inluminans.

Domine miserere nostri : te enim expectabimus.

Esto bracium nostrum in mane : et salus nostra in tempore tribulationis.

A voce angeli fugierunt populi : et ab expectatione tua disperse sunt gentes.

Et congregabuntur spolie vestre sicut colligitur brucus : et velut quum fosse plene fuerint de eo.

Magnificatus est Dominus : quoniam habitabit in excelso.

Implebit Syon iudicio et iustitia : et erit fides in temporibus suis.

Divitie salutis sapientie et scientie : timor Domini ipse tesauros eius.

Ecce videntes clamabunt foris : angeli pacis amare flebunt

Dissipate sunt vie, cessabit transiens per semitam, irritum factum est pactum : proiecit civitates, non reputabit homines.

Luxit et elanguit terra, confusus est Libanus et obsurduit : et factus est Saron sicut desertum, et concussa est Basan et Carmelus.

Nunc exurgam dicit Dominus : nunc exaltabor et nunc sublimator.

LXVII.

ORATIO MARDOCEI DE LIBRO ESTER.

Capitulo 13.

Ana. *Miserere Domine plevi tue et ne despicias hereditatem tuam quam redemisti.*

Domine Domine rex omnipotens : in dicione tua cuncta sunt posita et non est qui tue possit resistere voluntati.

Si decreberis salvare Srahel : Tu fecisti celum et terram, et quicquid celi ambitu continetur.

Dominus enim omnium es : nec est qui resistat maiestati tue.

Et nunc Domine rex Deus Abraham : miserere po-
A pulo tuo quia volunt nos inimici perdere et hereditatem tuam delere.

Ne despicias partem tuam : quam redemisti tibi ex Egibto.

Exaudi deprecationem meam : et propitius esto sorti et funiculo tuo.

[LXXXVIII] Et converte luctum nostrum in gaudium ut vibentes laudemus nomen tuum Domine : et non claudas ora te canentium.

LXVIII.

CANTICUM IHEREMIE PROFETE.

Capitulo 14.

℣ LXXXVII. Et ego.

Ne nos dederis in obprobrium propter nomen
B *tuum Domine.*

Deducant oculi mei lacrimas per diem et noctem : et non taceant.

Quoniam contrictione magna contrita est virgo filia populi mei : plaga pessima veementer.

Si egressus fuero ad agros ecce occisi gladio : et si introiero in civitate ecce adtenuati fame.

Propheta namque et sacerdos : habierunt in terram quam ignoraberunt.

Numquid proiciens abiecisti Judam : aut Syon abominata est anima tua ?

Quare ergo percussisti nos ita : ut nulla sit sanitas ?

Expectabimus pacem : et non est.

Bonum et tempus curationis : et ecce turbatio.

C Cognobimus Domine impietates nostras, et iniquitates patrum nostrorum : quia peccabimus tibi.

Ne nos dederis in obprobrium propter nomem tuum : neque facias nobis contumelia.

Solii glorie tue recordare : ne irritum facias fedus tuum nobiscum.

Numquid sunt sculptilibus gentium qui pluant : aut celi possunt dare imbrem.

Nonne tu es Domine Deus noster quem expectabimus : tu enim fecisti omnia hec.

LXIX.

CANTICUM DEUTERONOMIUM.

Capitulo 9.

D ℣ LXXXVIII, Sit splendor.

Domine Deus ne disperdas populum tuum et hereditatem tuam quam redemisti in magnitudine tua : quos eduxisti de Egypto in manu forti.

Recordare servorum tuorum : Abraham Ysaac et Jacob.

Ne aspicias duritiam populi huius : et impietatem adque peccatum.

Ne forte dicant habitatores terre de qua eduxisti nos : non poterat Dominus introducere eos in terram quam pollicitus est eis et oderat illos.

Idcirco eduxit eos : ut interficeret eos in solitudine.

Qui sunt populus tuus et hereditas tua : quos eduxsisti in fortitudine tua magna et in bracio tuo extento.

LXX.

CANTICUM IOSAFAT DE LIBRO PARALIPOMENON II.

Capitulo 20.

℟XCI. Bonum est.

Domine Deus patrum nostrorum tu es Deus in celo : et dominaris cunctis regnis gentium.

In manu tua est fortitudo et potentia : nec quisquam tibi potest resistere.

Nonne tu Domine Deus noster in te fecisti omnes habitatores terre huius coram populo tuo Srahel : et dedisti eam semini Abraham amici tui in sempiternum.

Habitaberuntque in ea : et instruxeruntque in illa sanctuarium nomini tuo dicentes.

Si inruerint super nos mala gladii, iudicii, pestilentie et famis stabimus coram te in domo hac in conspectu tuo in qua invocatum est nomen tuum : et clamabimus ad te in tribulationibus nostris, et exaudies, salbosque facies.

Nunc igitur Deus noster : ergo non iudicabis inimicos nostros ?

In nobis quidem non tanta est fortitudo : ut possimus huic multitudini resistere que inruit super nos.

Set quum ignoremus quid agere debeamus : hoc solum residuum habemus, ut oculos nostros dirigamus ad te.

LXXI.

CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo 25.

℟C. In matutinis.

Domine Deus meus es tu : exaltabo te et confitebor nomini tuo.

Quoniam fecisti mirabilia : et cogitationes antiquas fideles amen.

Quia posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam domum alienorum : ut non sit civitas, et in sempiternum non edificetur.

Super hoc laudabit te populus fortis : civitas gentium robustarum timebit te.

Quia factus es fortitudo pauperi fortitudo egeno in tribulatione : spes a turbine, umbraculum ab estu.

Spiritus enim robustorum : quasi turbo impellens parietem.

[LXXXIX] Sicut estus in sitim tumulum alienorum humiliabis : et quasi calorem sub nube torrentem, propaginem fortium marcescere facies.

Et facriet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemie : pinguium medullatorum, vindemie defecate.

Et precipitabit in monte isto faciem vinculi conligati super omnes populos : et telam quam horditus est super omnes nationes. Percipitabit mortem in sempiternum.

Et auferet Dominus Deus lacrimam ab omni facie : et obprobrium populi sui auferet de universa terra quia Dominus locutus est et dicetur in illa die.

Ecce Dominus Deus noster iste est expectabimus eum, et salvabit nos.

A Iste Dominus sustinuimus eum, exultabimus et letabimur in salutare eius : quia requiescet manus Domini in monte isto.

LXXII.

CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo 37.

℟CVII. Exurgam.

Domine exercituum Deus Srahel qui sedes super Cerubim : tu es Deus solus omnium regnorum terre.

Te fecisti celum et terram : inclina Domine aurem tuam et audi, aperi oculos tuos et vide : et audi omnia Sennacerib, que misit ab blasfemandum Deum vibentem.

Vere enim Domine desertas fecerunt reges Assiriorum terras et regiones earum : et dederunt deos
B earum igni.

Non enim erant dii, set opera manuum hominum ligna et lapis : et comminuerunt eos.

Et nunc Domine Deus noster salva nos de manu eius : ut cognoscant omnia regna terre quia tu es Dominus solus.

LXXIII.

CANTICUM ESAYE PROPHETE.

Capitulo 38.

℟CXVII. Deus Dominus.

Ana. *Corripies me Domine et vivificabis me.*

Ego dixi, in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi : quesibi residuum annorum meorum : dixi non videbo Dominum Deum in terra vibentium.

Non aspiciam hominem ultra et habitatorem quiebis generatio mea, ablata est et convoluta est a me quasi tabernacula pastorum.

Precisa est velut a texente tela vita mea, dum adhuc ordirer succidit me : de mane usque ad vesperum finiens me.

Sperabam usque in mane : quasi leo sic contribit omnia ossa mea.

Sicut pullus yrundinis sic clamabam : meditabar ut columba : adtenuati sunt oculi mei suspicientes in excelso, Domine vim patior responde pro me.

Qui dicam aut quid respondebit mici quum ipse fecerim : recogitabo omnes annos meos in amaritudine anime mee.

Domine si sic vibitur ; et in talibus est vita spi-
D ritus mei : corripies me et vivificabis me.

Ecce in pace amaritudo mea amarissima : tu autem eruisti animam meam ut non periret.

Proiecisti post tergum tuum : omnia peccata mea.

Quia non infernus confitebitur tibi : neque mors laudabit te.

Non expectabunt qui descendunt in lacum : veritatem tuam.

Vivens vivens confitebitur tibi : sicut et ego odie pater filiis notam facio veritatem tuam.

Domine salvos nos fac : et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vite nostre in domo Domini.

LXXIV.

CANTICUM IHEREMIE PROPHETE.

Capitulo 51.

℟ CXVIII. Prevenerunt.

Ana. *Qui fecit omnia ipse est Deus, et Israhel hereditas eius, Dominus exercituum nomen est illi.*

Iurabit Dominus exercituum per animam suam : quoniam replebo te hominibus quasi bruco : et super te celeuma cantabitur.

Qui fecit terram in fortitudine sua, preparabit orbem in sapientia sua : et prudentia sua extendit celos.

Dante eo vocem : multiplicabuntur aque in celo.

Qui lebat nubes ab extrema terre : fulgura in plubiam fecit.

Qui producit ventos de tesauris suis : stultus factus est omnis homo ab scientia sua.

Confusus est omnis conflator in sculptili : quia mendax conflatio eius nec est spiritus in eis.

Vana sunt enim opera et risui digna : in tempore visitationis sue peribunt.

Non sicut hec pars Jacob : quia qui fecit omnia ipse est Deus : et Srahel sceptrum [xc] hereditatis eius, Dominus exercituum nomen est illi.

LXXV.

CANTICUM ECCLESIASTICI.

Capitulo 11 et 12.

℟ CXXVIIII. A vigilia.

Letare iubenis in adolescentia tua : et in bonis sit cor tuum in diebus iubentutis tue.

Et ambula in viis cordis tui et in intuitu occulorum tuorum : et scito quod pro his omnibus adducet te Deus in iuducio.

Aufer iram a corde tuo, et amobe malitiam a carne tua : adulescentia enim et voluptas vane sunt.

Memento Creatoris tui : in diebus iubentutis tue.

Antequam veniat tempus afflictionis et adpropinquent anni de quibus dicas non mici placent.

Antequam tenebrescat sol, et lumen, et luna, et stelle : et revertatur nubes post plubiam.

Quando commovebuntur custodes domus, et mutabuntur viri fortissimi : et otiose erunt molentes in minuto numero.

Et tenebrescent videntes per foramina, et claudent ostia in platea : in umilitate vocis molentis.

Et consurgent ad vocem volucris et obsurdescent omnes filie carminis.

Excelsa quoque timebunt : et formidabunt in via.

A Florebit amigdalus et impinguabitur lucusta : et dissipabitur capparis.

Quoniam ibit homo in domum eternitatis sue : et circuibunt in platea plangentes.

Antequam rumpatur funis argenteus et recurrat vitta aurea : et conteratur idria super fontem, et confringatur rota super cisterna.

Et revertatur pulbis in terram suam unde erat : et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.

LXXVI.

CANTICUM DE LIBRO JOB.

Capitulo 19.

℟ CXLII. Auditam.

Scio enim quod redemtor meus vivit : et in nobissimo de terra surrecturus sum.

B Et rursus circumdabor pelle mea : et in carne mea videbo Deum quem visurus sum.

Ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt : et non est alius.

Reposita est hec spes mea in sinu meo : et hereditas mea in Deo meo.

LXXVII.

CANTICUM ANGELORUM.

DE NATIVITATE CHRISTI.

Gloria in excelsis Deo.
Et in terra pax hominibus bone voluntatis.
Laudamus te.
Benedicimus te.
C Adoramus te.
Glorificamus te.
Ymnum dicimus tibi.
Gratias tibi agimus : propter gloriam tuam magnam.
Domine Deus : Rex celestis.
Deus pater omnipotens.
Domine Fili unigenite.
Iesu Christe altissime.
Domine Deus.
Agnus Dei.
Filius Patris.
Qui tollis peccata mundi : miserere nobis.
Qui tollis peccata mundi : suscipe deprecationem nostram.
Qui sedes ad dexteram : miserere nobis.
Quoniam tu solus sanctus.
D Tu solus Dominus.
Tu solus altissimus.
Iesu Christe.
Cum sancto Spiritu : in gloria Dei Patris. Amen.

INCIPIUNT YMNI DE TOTO CIRCULO ANNI.

[xci] *Prologus Ymnorum.*

Miracula primeva ymnorum modula clara
Angelica promserunt, nascente Domino, ora
Videlicet paucis infusa celitus dona
Resumeret terrestri pastorum acie visa.
In veteri iam quidem ymnorum reeulserant [*Forte* refulserat] ordo.
Cum trium ora iubenum fornacis igne devicto

Veterique Patri, Filio iam tunc et ipsis adiuncto A
Sumserunt ymnum laudium cunctorum vite quod alto
Olimpiadis ambitu quodque terreni circuitus giro
Beato tamen cetui quam cuncto elemento creato
Toth sacra toth rura ymnizabere arte camena.
Ad nunc quod celebrat per tot pie orbe difusa
Nitens Ecclesia divino sacramento locata
Tandenque et Redemtor sacrum cene tempus ad- [implens
Eterno sit Patri ymnum concentum apostolico solvens
Vestigia beata orationis causa convertens
Exiit in montem quoevum exorare Parentem
Rector quoque fidei et cunctis per secula Magister
Admonet et Paulus ut psalmis loquamur et ymni
Nam ex hoc surrexit sacrata dogma ymnorum
Ilario Papa Ambrosio ceterisque more istorum B
Ad laudem divinam ymnorum sic condere modos
Nunc laudes Domini nunc martyrum narrare trium- [phos
Omnemque celibem dirivare vocibus sonos
Et dulces reddere factori omnium melos.
Dei summa gloria laus et letitia constat
In his et Trinitas laudatur et Ecclesia fraglat
Dum ymnum dicimus honorem et gloriam damus
Ymnum dum canimus Ecclesia vota monstramus
Tandem et omnium finem noxiarum obtamus.

[XCII] *Ymnus de adventu Domini et Sanctorum festivitate ter mixtus qui in Matutinum dicendus est quando adventu Domini incipitur.*

Gaudete flores martirum,
Salbete plebes gentium, C
Visum per astra mittite,
Sperate signum glorie.

Voces Prophetarum sonant.
Venire Ihesum nuntiant,
Redemtionis previa,
Qua nos redemit gratia.

Hic mane nostrum promicat,
Et corda leta exestuant.
Cum vox fidelis personat
Prenuntiatrix gloriam.

Tante salutis gaudium,
Quo est redemtum seculum,
Exceptionis inclitum
Abhinc ciamus canticum.

Adventus hic primus fuit
Punire quo non seculi
Venisset ulcus tergere
Salbandos [salbando] quod perierat.

Ad nunc secundus premonet
Adesse Christum ianuis
Sanctis coronas reddere
Celique regna pandere

Eterna lux promittitur
Sidusque salbans promitur
Iam nos iubar prefulgidum
Ad ius vocet celestium

Te Christe solum querimus
Videre sicut es Deus
Ut leta nos hec visio
Evellat omni tartaro

Quo dum Redemtor veneris
Cum candidato martyrum
Globo : adunes celibi
Nos tunc beato cetui

Deo Patri sit gloria
Eiusque soli Filio
Cum Spiritu Paraclito
Et nunc et in perpetuum.
Amen.

℣. Exultabunt sancti in gloria

Ymnus in diem sancti Romani. XIV. Kalendas Decembris.

Romane Christi fortis assertor Dei. *Ut in ejus Festivitate, die 18. Novembris.*

℣. Iustorum anime in manu.

Ymnus in diem sancti Crispini.

Insignem Christi Crispinum laudemus martirem. *Ut in ejus Festivitate, die 19.*

℣. Iustum deduxit Dominus per viam.

Ymnus de adventu Domini cotidianus ad Vesperum.

Verbum supernum prodiens. *Ut in Breviario, fol. 10.*

℣. Deus manifeste veniet.

Alius ad Matutinum.

Vox clara ecce intonat. *fol. 12.*

Item Dominicalis dicendus tam ad Vesperum quam Ad Matutinum.

Christi caterba clamitet. *fol. 1.*

℣. Excita potentiam.

Ymnus in diem sancte Cecilie.

Incliti festum pudoris. *Ut in ejus Festivitate die 22. Novembris.*

℣. Exultabunt sancti in gloria.

Ymnus in diem sancti Clementis.

Clementis festum celebratur odie. *Ut in ejus Festivitate, die 23.*

℣. Iustum deduxit Dominus.

[XXCII] *Ymnus in diem sancti Saturnini episcopi. Dicendus est totus in passionis in translatinis sue tantum ubi littera conspexeris Io Ta.*

Vocis audite nobitas refulsit. *Ut in ejus Festivitate, die 29.* D

℣. In memoria.

Ymnus in diem sancti Andre apostoli.

Decus sacrati nominis. *Ut in ejus Festivitate, die 30.*

℣. Iustum deduxit Dominus.

Ymnus in diem sancte Leocadie.

Sanctissime Leocadie. *Ut in ejus Festivitate, die 9. decembris.*

℣. Confessionem et decorem.

Ymnus in diem sancte Eulalie.

Laudem beate Eolalie. *Ut in ejus Festivitate, die 10.*

℣. Speciem et pulcritudinem.

Ymnus in diem sancte Marie.

A solis ortu cordine [cardine]. *Ut in Festo Annuntiationis B. M. V. die* 18.

In alia festivitate non dicitur.

Fit porta Christi pervia
Referta plena gratia
Transitque Rex et permanet
Clausa ut fuit per secula
Genus superni numinis
Processit aula Virginis
Sponsus Redemtor Conditor
Sue gigans Ecclesie
Honor Matris et gaudia
Immensa spes credentium
Per atra mortis pocula
Resolbit nostra crimina.

In Nativitate Domini

Feno iacere pertulit
Presepe non aborruit
Parboque lacte pastus est
Per quem nec ales esurit
Gaudet corus celestium
Et angeli canunt Deum
Palamque fit pastoribus
Pastor creator omnium.

In apparitione Domini.

Hostis Erodes impie. *Ut in Breviario f.* 90.

In allisione infantum.

Katerva matrum personat. *fol.* 59.

De Lazaro.

Quarto die iam fetidus. *fol.* 91.

In cena Domini ad Matutinum.

Tunc ille Iudas carnifex. *fol.* 91.

Ymnus in diem sancti Tome Apostoli.

[☧ Xpe rex mundi]

Festum Christe Rex per orbem. *Ut in ejus Festivitate, die* 21. *Decembris.*

℣. Iustum deduxit.

Yymnus in Nativitate Domini.

Veni Redemtor gentium. *fol.* 45.

℣. Dominus dixit ad me.

Yymnus in sancti Stephani.

Christus est vita veniens in orbem. *f.* 51.

℣. In memoria.

Ymnus in diem sancte Eugenie.

Honore Sancte Eugenie. *Ut in ejus Festivitate, die* 12. *Decembris.*

℣. Exultabunt Sancti

Ymnus in diem sancti Jacobi fratris Domini.

Clara sanctorum una Iherusalem. *fol.* 59.

℣. Iustum deduxit.

Yymnus in sancti Johannis apostoli et Evangeliste.

Iste electus Iohannes. *fol.* 54.

℣. In memoria.

[XCIV] *Ymnus sancti Jacobi fratris sancti Johannis.*

O Dei Verbum Patris ore proditum. *Ut in ejus Festivitate, die* 30. *Decembris.*

A *Ymnus in diem sancte Columbe.*

Nardus Columbe floruit. *Ut in ejus Festivitate, die* 31. *Decembris.*

℣. Speciem et pulcritudinem.

Ymnus in Circumcisione Domini.

Sacer octabarum dies. *fol.* 62.

℣. Domine Deus noster.

Ymnus in Apparitione Domini.

Inluminans Altissimum. *fol.* 85.

℣. Hostis Herodis impie.

Ymnus in diem sancti Juliani.

Insigne festum Juliani martiris. *Ut in jeus Festivitate, die* 9. *Januarii.*

℣. Iustorum anime.

Ymnus in diem sancti Sabastiani.

B Sebastiani martiris sollemne est festum
Beati plebs fidelis concine
Benigna mente canticum novum Deo
Qui dat triumphum sanctis et victoriam
Iubetque celi possidere patriam
Vir hic fuit verax modestus sobrius
Mitis iucundus valde et carissimus
Sermone clarus lingua dissertissimus
Ad hoc latebat seculi sub clamide
Regnum ut poli prædicaret omnibus
De ore sancti multitudo plebium
Precepta Christi audientes inquiunt
Sit turpe nobis actenus qui viximus
Obtemperando pessimis parentibus
Christum sequamur redemtorem omnium
C Sebastiane sancte noster vernule
Tu nos doce fobe guberna et protege
Ad passionem qualiter promtissimam
Venire mentem debeamus nabiter
Et fortiter crudelem hostem vincere.
Fecit beatus sicut illi iusserat
Terrena cuncta mox iubet relinquere
Ex toto corde illi sicut stercora
Temnunt caduca illico et respuunt
Appeterent vitæ ut futura gaudia
Parentibus cum nuntiatum protinus
Esset venire magnis cum gurgitibus :
Quid vobis et filii contigit carissimi
Perdatis ut mundi jucunda et optima
Et tenditis ad mortem ultro pessimam
D Cepere sancti ad dolorem flectere
Cor ad parentum verba emollescere
Sed mox predicti martires effecti sunt
Corroborantur nimia constantia
Ad perferenda tormenta atrocia
Vobis jam Deus pandit poli januam
Ad illam ut venire sanctam patriam
Possitis in qua nulla mors sed gaudium
Perenne adque magna est iucunditas
Gustate et videte quam suabis est Dominus
Si pulcritudinem domorum queritis
Eterna civitas habet pulcras domos
Multasque mansiones in celestibus
Et angelorum ibi absque sillabis

Ter sanctum salunt multitudo iubilant
Ad laudem illic regis resonant organa
Fraglantque campi variis odoribus
Emicat jubar absque ullis umbribus
Serenitas ibi est absque nubilo
Et sempiternum lumen ibi est Deus.
Quam magna multitudo est dulcedinis
Tue Deus quam te timentibus celas
Et perfecisti te valde diligentibus
Domumque gratie tue petentibus
Donas et indulgentiam piissime
Zoe beata mutaque permansera
Bis ternis cernit angelum Dei
Librum tenere de quo verba protulit
Sabastiani coram suis visibus
Clamore vocis Conditorem invocat
Beatus est credens tuis sermonibus
Sabastiane magne et mirabilis
Dixit jam credo Deum Dei Filium
Quemque meum pandit os velociter
Ut laudem illum in superna patria
Que vox potest laudes tuas Deus loqui
Que cogitare mens valet potentiam
Tuo repleti martires mox flammine
Ad passionem properant interriti
Ut te fruantur summo et bono Deo
Te adjuvante martires effecti sunt
Per servum tuum pium et sanctissimum
Sabastianum militem fortissimum
Per quos rogamus flebiles ut audias
Nostras preces noxasque omnes amputes
Adest dies percomta summis gaudiis
Que decoratam martirum victoriis
[xcv] Excipit sancta debota ecclesia
Ob hoc decenter in laudes altissimi
Yymnum promamus cantibus armonicis.
Hic vir inluster meritis ac verbibus
Ab idolorum ultibus [*Forte*, cultibus] nefariis
Plebes convertit divinis coaculis
Cultores reddit fidei catholice
Et amatores fervidos martirii.
Promto carorum fratrum nutans animum
Affatu firmat salubri ortamine
Parentum quoque coniugumque subolum
Adque carorum infidelem animum
Fidei sancte mancipabit cultui.
Hinc principante plebium Cromatium
Nicostratum vel Claudium vel Castulum
Necnon et Zoe simul et Castorium
Adletas fecit Christi Dei filium
Quod incuntanter perferrent martirium.
Qui innobati salutari labacro
Signis coruscant virtutibus eminant
Nam quemdam lapsum quassatis iam membribus
Restaurat orans illico Tiburtius
Que cum parentes Christo munus obtulit.
Hic vir inluster merito Cromatius
Spreto profano cultu idolatrie
Aderens caste discipline fi

A Nexus dissolbit famulorum libere
Mancipans Christo quos jure possideret;
Mox se devotum exhibens Altissimo
Reliquid cuncta mundi transitoria
Adesit mente divinis obsequiis
Student [Studet] implere indita oracula
Forum spernit et secretum appetit
Huic caterba aderent credentium,
Perferre pondus nequibens martirii
Cum quibus idem in Campano litore
Cenobialem vitam geret digniter
Deo se simul cuncti mactant hostia.
Romuleorum Principes sacrilegi
Ad hec commoti gravius deserviunt
Et exarsere furoreque ravido
B In persequendo Christi testes fidei
Libamen quoque diis nollent exibi :
Tunc Papa urbis convocato agmine
Catholicorum secum remanentium
Quosdam ex illos [illis] consecrat presbiteros
Quosdam honorat decore Levitico
Ceteros omnes fecit subdiacones.
Sabastiani auctoris studio
Omnium horum armata confessio
Ad passionem prosilit intrepida
Nam Zoe victrix prima vicit dimicans
Hinc Tranquillinus triunfat felicius :
Deinde simul Claudius Nicostratus
Castor, Victorque una cum Simpronio
Sacra querentes corpora per litora
C Subito capti ab insidiantibus
Salo immersi pro Christo peremti sunt.
Post hoc beati preliantis pulcrius
Castulus sanctus nec non et Tiburtius
Superant ignes, tortorumque verbera :
Ense prostrati, migrant ad celestia,
Regno adsciti cum turba angelica.
Igitur temti ex hinc nobilissimi
Gemini fratres set uni vocabulo
Figuntur ligno ferreis aculeis
Stimulantur planta pedum clavibus :
Fatentes Christum lancea transfossi sunt
His universo laureati sanguine.
Rutilum sidus lucernaque fulgida
Diu latere nullatenus potuit
D Sabastiani inclita presentia
Ortator quique cunctis fuit strenuus.
Hic callidorum conventus insidiis
Regi oblatus extat imperterritus
Et sciscitatur numina cur temneret?
Christum cunctanter laudando confessus est
Esse cum Patre Deum sempiterniter.
Huius ad vocem furens iudex impius
Jubet in campo hunc sagitis insui
Quo [Quod] genus pene huic ad exitium
Putans prodesse sibi ad vindicium
Amens relinquid ipsum velut mortuum :
Nullo beatus dolore conteritur
Cum armaretur divinis virtutibus

Set convalescens iam virtute preditus
Persecutorem obviat modestius
Proponens morem Christiani dogmatis.
Inmanis ille denuo deseviens
Fragiis concidi Dei sanctum imperat
Indesinenter usque dum deficeret
Set mox ut ipsam perferret sententiam
Spiritum efflat ad patria celica [patriam celicam]
Adstote Dei gloriosi martires
Adstote Christi milites fortissimi
Ferte faborem vobis obsequentibus
Patrocinate vobis diligentibus
Et sufragate Christiano cetui :
En clerus omnis adque Sacerdotium
En etas omnis sexus vel conditio
Vestris congaudent odie victoriis
Prepete cunctis congrua remedia
Ac queque vestris competunt iam meritis :
Qui postulata conferendo plebibus
Et munimenta Christo servientibus
Omnibus sitis perenne solatium
Ad reserandum paradisi aditum
[xcvi]Qui hujus festum veneramur gaudium.
Presta oramus Trinitas indifferens
Desiderata tibi confitentibus
Qui solus nomen Deitatis obtines
Pater cum Filio atque Sancto Spiritu
In Trinitate regnas in perpetuum.
Amen.
℣. Exultabunt sancti in gloria.

Ymnus in diem sancte Agnetis. XIII Kalendas Februarias.

Agne sepulcrum est Romulea in domo. *Ut in ejus Festivitate, die* 20. *Januarii.*
℣. Letetur mons Sion etexultent.

Ymnus in diem sanctorum Fructuosi episcopi, Augurii Et Eulogii diaconorum XII Kalendas Februarias.

O triplex honor o triforme culmen. *Ut in ejus Festivitate, die* 21.
℣. Iustorum anime.

Ymnus in diem sancti Vincenti.

Adest miranda passio. *Ut in ejus Festivitate, die* 22.
℣. In memoria eterna .

Ymnus in diem sancti Babile episcopi. VIII Kalendas Februarias.

[☩ Christus est vita.]

O sacerdotum inclita corona. *Ut in ejus Vestivitate die* 25.
℣. Iustorum anime.

Ymnus in diem sancti Tirsi. V Kalendas Februarias.

Exulta nimium turba fidelium. *Ut in ejus Festivitate, die* 28.
℣. Exultabunt sancti

Ymnus in diem sancte Agate.

[☩ Xpe celestis.]

Festum insigne prodiit coruscum. *Ut in ejus Festivitate, die* 5. *Februarii.*
℣. Speciem et pulcritudinem.

A *Ymnus in diem sancte Dorote. VII Idus Februarias*

☩ Insigne festum.

Te decet ymnus in Syon Omnipotens
Dum quisque reddit votum in Iherusalem.
Fide sumens in voto constantiam
Expellit sese cunctis ab inlecebris
Ut te sequatur crucem sibi baiulans.
Hoc documento priores Apostoli
Egerunt actu fidei probabiles
Hoc predicando fundabere ecclesiam
Materque vera persistens incolomis
Enixa sponsum profert alma pignora.
In infolatus agmina potissima
Nectareosque fructus in martiribus
In confessores fert donum uberrimum
B Dum gloriatur in regnis celestibus
Se perceptura opes inefabiles.
Hinc odierno bis binis in testibus
Resultans victrix transmittit regalia
Tibi rex poli abta vel suabia
Munera vere balde probatissima
Que tuo idem lucravit ex sanguine.
In Dorotea ligustra ambrosea
Liliorumque ac rosarum destinat
Vel in Callistem Cristetemque violas
Oppletas valde odore gratissimo
Vel preciosum ferculum iu Teufilo ;
Quorum certatrix Dorotea prior est
Duplici comta laurea prefulgida
Virginitatis nempe hac martirii
C Adeptam fructum in lucro consortium
Sororum duum tertium vel Teufilo.
Cappadocence Cesaree civitas
Hec cives arta summo in presidio
Specimen urbi prebet imitabile
Fide prepollens vita morum enitens
Martiriali triumfum expediens.
Opinione huius sacre virginis
Infandus preses comperta Sabricius
Discutiendam sisti sibi precipit
Temtatur blandis ac suadellis decipi
Idem deterrit minis perasperrimis :
Quam ut prespexit preses inperterrita
Furens catasta trucidandam sublimat
Set insons penam incunctanter perferens
D Elata voce nomen Christi predicat
Unum cum Patre fore hac Paraclito.
Cuius ad finem [fidem] enervandam callidus
Christetem simul cum Callistem provocat
Sibimetipsi parilem ut faciant
Set mox correcte per ipsam credidere
Que facta esset celeps iam augustior
[xcvii] Quis enarrare tua Christe valeat
Miraculorum opera insignia
Que agis ipse dum sanctos glorificas ?
Nam stanti ales presul ad custodiam
Cum corruentes corrigas clementius.
Afflata cuius virgo sancta Flammine
Fert iam elapsis salutem sororibus

Restaurans mentem ortamentis fidei
In his ferborem recreat martirii
Quod properarent hic ad palmam alacres.
Inlusum ita se dolens Sapricius
Ambarum censet artus cupam urere
Quarum ex nece dum ulcisci nititur
Victrices fecit ethera conscendere
Ad obtinenda diadema regia.
Gavisa celeps dum ex hoc presisteret
Luenda penis sublimatur stipite
Dilaniatur flagris atque ungulis
Libenter perfert facies [faces] in lateribus
Ad palmas vultum properas illarum.
Atrocitatem supergressa presidis
Spiculatori perimenda traditur
Nubtura sponsum iam quoheres martirum
Sibi petenti Teufilo scolastico
Munere misso laureatur sanguine.
E paradiso destinata munera
Teufilus sumens admiratur stupidus
Trium melorum vel rosarum suabium
Quorum afflatus renovatur vivido
Credendo laudat Christum Dei Filium.
Quum esset olim crucis Christi derisor
Confessor factus repente potissimus
Diffuso ore crucifixum predicans
Simulacrorum imposturam in flammas
Funesta coram preside prenuntiat.
Tunc furens iudex hunc sistit eculeo
Afficiendum penis noxialibus
Quem ut advertit vultu imperterritum
Ac pertinacem in fide persistere
Perimit ense mox effecta martirem.
Ob hoc Redemptor supplice exposcimus
Ut quique horum congaudemus meritis
Et diem festum botibe excolimus
Ab his defensi careamus vitiis
Expiemurque cunctis a deliquiis.
Hii quoque nostris fabendo miseriam
Compatiendoque necessitatibus
Cunctis adsistant patroni assidui
Ut nunc ereptos ab adversitatibus
Victuros secum profean [provehant] ad premium.
Presta quesumus unitas potentia
Summa qui regis seculorum secula
Ut te fruamus sine fine tempora
Lux angelorum et dies perennius
Sol ipse nobis vigeas perpetuus.
℣. Justorum anime.

Ymnus in diem sancte Eulalie Barcinonensis

Fulget honor sepulcri martiris Eulalie. *Ut in ejus Festivitate, die* 12. *Februarii.*

Ymnus in catedra sancti Petri.
VIII Kalendas Martias.

O Petre petra ecclesie. *Ut in Festivitate, die* 22.
℣. Gloria et divitie.

Ymnus in diem sanctorum Emeterii et Celedoni.
V Nonas Martias.

Scripta sunt celo duorum. *Ut in eorum Festivitate, die* 3. *Martii.*

Ymnus dicendus Dominicos post Apparitione Domini ad Vesperum usque ad Dominicum ante Carnes tollendas.

Agni Genitor Domine. *Ut in Breviario, fol.* 65.

Ymnus in carnes tollendas.

Alleluia piis edite laudibus. *fol.* 137.
℣: Quam dulcia.

Ymnus de Quadragesima.

O Nazarene lux Bethlem Verbum Patris *fol.* 144 145, 146 147.

Item alius de mediante Quadragesima.

Fabens redemtis vota abstinentie,
B Occurre fessis Dux verus Emmanuel,
A quo dicata sanctius ieiunia
Forma futuri noscitur ad gloriam
Opus celeste regni esse ianuam.
Cui si consors clara sidus rutilans
Ignita lampas misceatur largitas,
Utraque libans celsa quisnam dextra
Riteque compos ut alis pinnigera
Velatu pernix poli adit intima.
[XCVIII] Insigne cuius Moises misterium
Dei amicus extitit oraculo;
Raptus Elias celi curro igneo,
Fulta tuetur Ninnibe cum civibus
Quod verbi claret veritatis nuntius.
Passim deinde tu magister celibum
C Quater dierum decies curriculo
Victor triumphas paradisi heremo,
Morsu delicti abluens ieiunio,
Prorsus resistens temtatori callido.
Quod nos sequentes usitatim decimas
Saltim dierum nunc litamur hostia :
Tu quoque mitis iugis indulgentia,
Ut holocausta effice pinguissima,
Qua expiemur cordium piacula.
Poculum esto vite sitientibus,
Fons aque vive regni sors denarius.
Guile qui gustus in Adam cecidimus,
Surgendo in te ieiunando dapibus
Reficiamus cum supernis civibus.
Qui contritorum usu sacrificio
D Ades latroni in crucis patibulo ;
Nobis adesto celitus tu Domine,
Nostri memento, nos de trono respice,
Quos redemisti tuo sacro sanguine.
Judex ut ipse quum tremendus veneris
Previa cruce angelorum humeris,
Terrore mundum tubeque concusseris,
Cum sanctis ipsi innobati gloriam,
Dextram tenentes evadamus tartara.
Prestaque summa Trinitas potentia,
Cuncta qui regis seculorum secula,
Ut te fruentes sine fine gloria,
Lux angelorum et dies perennius,
Sol ipse nobis vigeas perpetuus.
Amen.

Ymnus per dies Sabbatos dicendus in Quadragesima Ad Matutinum. A

Aurora iam spargit polum
Terris dies inlabitur
Lucis resultet spiculum
Discedat omne lubricum
Fantasma noctis decidat
Mentis reatum subruat
Quicquid tenebris orrida
Nox adtulit culpe cadat
Ut mane illut obtimum
Quod prestolamus cernui
In luce nobis effluat
Dum hoc canora concrepat
Gloria Patri ingenito
Gloria Unigenito B
Una cum Sancto Spiritu
In sempiterna secula.
Amen.

Ymnus in Quadragesimam per dies Sabbatos Ad Vesperum.

Altissimi Verbum Patris. *fol.* 94.

Ymnus dicendus in Quadragesima per dies Dominicos ad Matutinum.

Te lucis auctor personet.
Huius caterva carmina,
Quam tu replesti gratia,
Anastasis potentia.
Nobis dies hec innuit
Diem supremum sistere,
Quam mortuos resurgere C
Viteque fassis reddere.
Octaba prima redditur,
Dum mors habunda tollitur,
Dum mente circumcidimur,
Nobique demum nascimur.
Quum mane nostrum cernimus
Redisse victis hostibus,
Mundique luxum temnimus,
Panem salutis summimus.
Ieiuniorum victimis
Corpus litamur aridis,
Piisque parsimoniis
Sacris potimur hostiis.
Hec alma sit sollemnitas
Sit clara hec festivitas,
Sit feriata gaudiis D
Dies reducta ab inferis.
Gloria Patri ingenito,
Gloria Unigenito,
Una cum Sancto Spiritu
In sempiterna secula.
Amen.

Ymnus in medianti die festo sibe in Lazaro tam ad Vesperum quam ad Matutinum.

Verbum Patris quod prodiit factum caro. *fol.* 252.
℣. Eripe me Domine.

Ymnus in Ramos Palmarum.

Vocaris ad vitam sacrum Dei genus. *fol.* 334.
℣. Venite filii audite me.

Ymnus de Vespera in Cena Domini.

Iam legis umbra clauditur. *fol.* 354.

[XCIX] *Ymnus in Resurrectione Domini.*

Psallat altitudo celi. *fol.* 385.

II Feria.

Ecce quam [quem] Vates vetustis
Concinebant seculis,
Quem prophetarum fideles
Pagine spoponderant;
Emicat promissus olim,
Cuncta conlaudent eum.
Cantaris infusa limfa
Fit falernum mobile;
Nuntiat vinum minister
Esse promtum ex ydria;
Ipse Rex sapore tinctis
Obstupescit poculis.
Membra morbis ulcerosa,
Viscerum putredines,
Mando ut abluantur; inquid:
Fit ratum quod iusserat,
Turgidam cutem repugnans
Vulnerum piamina.
Tu perennibus tenebris
Iam sepulta lumina
Inlinis limo salubri,
Sacri odoris nectare,
Mox apertis ac medulla
Lux reducta est orbibus.
Increpans ventum furentem
Quod procellis tristibus
Vertat equor summo ab ymo,
Vexet et vagam ratem;
Ille iussit obsecundans
Mitis unda sternitur.

III Feria.

Extimum vestis sacrate
Furtim mulier adtigit,
Protinus salus secuta est,
Hora pallor deserit,
Sistitur rivus cruoris
Qui fluebat perpetim.
Exitu dulcis iubentus
Raptum abevum [*Forte,* ephebum] viderat
Orba quem mater supremis
Funerabat fletibus,
Surge dixit, ille surgit,
Matri et adstans retitur.
Sole iam quarto carentem,
Iam sepulcro absconditum
Lazarum iubet vivere
Reddito spiramine:
Fetidum iecur reductus
Rursus intrat alitus.
Ambulat per stagna ponti,
Summa calcat fluctuum.
Mobilis licor profundi
Pendulam prestat viam

Nec fatescit unda sanctis
Pressa sub vestigiis.

IV Feria.

Suetus antro bustualis
Sub catenis frendere,
Mentis inpos efferatis
Percitis [Percitus] furoribus
Prosilit ruitque supplex,
Christum adesse ut senserat.
Pulsa pestis lubricorum
Mille formis demonum
Corripit greges subilli [gregis suilli]
Sordida sporcamina,
Seque nigris mergit undis
Et pecus limphaticum.
Quinque panibus peresis
Et gemellis piscibus,
Affatim refecta iam sunt
Accubantum milia;
Fert equalis ter quaternis
Ferculorum fragmina.
Tu cibus panisque noster,
Tu perennis suabitas;
Nescit esurire in evum
Qui tuam summit dapem,
Nec lacuna ventris implet,
Set fobet vitalia.

V Feria.

Clausus aurium meatus
Et sonorum nescius,
Purgat ad precepta Christi
Grassa queque obstacula,
Vocibus capax fruendis
Ac susurris previus.
Omnis egritudo cedit,
Langor omnis pellitur,
Lingua vatur [fatur] quam veterna
Vinxerat silentia,
Gestat et suum per orbem
Letus eger lectulum.
Quin et ipsum ne salutis
Inferi expertes forent
Tartarum benignus intrat,
Facta [*Forte,* Fracta] cedit ianua
Vectibus cadit refulsis [revulsis]
Cardo dissolubilis.
Illa promta ad inruentes
Ac revertentes tenax
Obice extorsus recluso
Porta reddit mortuos,
[c] Lege vestra et limen atrum
Iam recalcandum patet.
Set Deus dum luce fulba
Mortis antra inluminat,
Dum stupentibus tenebris
Candidum prestat diem,
Tristia squalentis ethere
Polluerunt [Palluerunt] sidera.
Sol refulgit et lugubri
Sordidus ferrugine
A Igneum reliquid axem,
Seque merens abdidit,
Fertur orruisse mundum
Noctis eterne cahos.

VI Feria.

Solve vocem mens sonora,
Solbe linguam mobilem,
Dic tropeum passionis,
Dic triumfalem crucem;
Pange vexillum notatis
Quod refulget frontibus.
O novum cede stupenda
Vulneris miracula [miraculum],
Hinc cruoris fluxit unda,
Limfa parte ex altera;
B Limpha nempe dat labacrum,
Tunc corona ex sanguine est.
Vidit anguis immolatum [immolatam]
Corporis sacri hostiam;
Vidit et fellis perusti,
Vox venenum perdidit,
Saucius dolore multo
Colla fractus sivilat.
Quid tibi profane serpens
Profuit rebus novis
Plasma primum perculisse
Versipelli ortamine?
Diluit culpam recepto
Forma mortalis Deo.

Sabbato.

C Ad brebem se mortis usum
Dux salutis edidit,
Mortuos olim sepultosque
Ut redire insuescerent.
Dissolutis pristinorum
Vinculis peccaminum.
Tunc patres sanctique multi
Conditorem previum
Iam revertentem secuti
Tertio demum diem [die]
Carnis indumenta sumunt,
E que bustis prodeunt
Cerneres quoire membra
De fabilis aridis,
Frigidum venis resumtis
D Pulverem tepescere,
Ossa nervos ac medulla [medullas]
Glutino cutis tegi.

Ymnus post [Forte, *ante*] *Ascensione Domini.*

Post ut occasum resolbit
Vite et hominem reddidit
Arduum tribunal alti
Victor ascendit Patris;
Inclitam celo reportans
Passionis gloriam.
Macte iudex mortuorum,
Macte rex vibentium,
Dexter in Parentis arce,
Qui cluit virtutibus

Omnium venturus inde A
Iustus ultor criminum
Te senes et te iubentus,
Parvulorum te corus.
Turba matrum virginumque,
Simplices puellule
Voce concordes pudici
Perstrepent concentibus.
Fluminum lapsus et unde,
Litorum crepidines,
Imber, estus, nix, pruina,
Silva et aura, nox, dies;
Omnibus te concelebrent
Seculorum seculis.
Gloria Patri melodis
Personemus vocibus, B
Gloria Christo canamus,
Gloriam Paraclito:
Qui Deus Trinus et unus
Regnat ante secula.
Amen.

Ymnus de Resurrectione Domini infra et ebdomada ad Tertia

[℟ Certum tenentes.]

Ihesu Redemptor omnium
Qui morte mortem conterens
Ab inferorum abdito
Die resurgis tertio
Tu nos misellos quesumus
Pro quos fudisti sanguinem
Ceno piatos criminum C
Reduc polorum sedibus
Quo hii nobum qui canticum
Tibi obantes precinunt
Adiuncti in celestibus
Te perfruamur largius
Presta :::::

[CI] *In Resurrectione Domini Dominicalis ab octaba Pasce usque in Ascensione.*

Te centies mille legionum angeli. *fol.* 382.

Ymnus in diem sancte Engratie vel decem et octo martirum

Bis nobem noster populus sub uno
Martirum servat cineres sepulcro,
Cesaraugustum vocitamus urbem,
Res cui tanta est.
Plena magnorum domus angelorum D
Non timet mundi fragilis ruinam
Toth sinu gestans simul offerenda
Munera Christo.
Quem Dei dextram quatiens coruscam
Nube subdixus veniet rubentem,
Gentibus iustam possituros equo
Pondere libram.
Orbe de magno caput excitata
Obiam Christo properanter ibit,
Civitas quoque pretiosa portans
Dona canistris.
Tu decem sanctos revees et octo
Cesaragusta studiosa Christi.
Vertice flavis oleis revincta
Pacis honore.
Sola in occursum numerosiores
Martirum turbas Domino parasti,
Sola predives pietate multa
Luce fueris.
Vix parens orbis populosa Penis.
Ipsa vix Roma in solio locata,
Te decus nostrum superare in isto
Munere digna est.
Hinc et Engrati recubant tuarum
Ossa virtutum quibus efferati
Spiritu mundi violenta virgo
Dedecorasti.
Martirum nulli remeante vita
Contigit terris habitare nostris.
Solus tu morti proprie subprestes
Vibis in orbem.
Vibis, ac pene seriem retexis,
Carnis et cese spolium retemtas,
Terra quam sulcos habeat amaros
Vulnera narrans.
Barbarus tortor latus omne carpsit,
Sanguis inpensus, lacerata membra,
Pectus abscissa patuit papilla
Corde sub ipso.
Iam minus mortis pretium peracta est,
Qui venenatos abolens dolores
Concita membra tribuit quietem
Fine supremo.
Cruda te longum tenuit cicatrix,
Et diu venis dolor hesit ardens,
Dum putrescentes tenuat medullas
Tavidus humor.
Invidus quamvis obitum supremum
Persecutoris gladius negarit,
Plena te martir tamen ut peremta
Pena coronat.
Vidimus partem iecoris revulsam,
Ungulis longe iacuisset pressis.
Mors habet pellens aliquid tuorum
Te quoque viba.
Hunc novum nostre titulum fruendum
Cesaraguste dedit ipse Christus
Iuge vibentis domus ut dicata
Martiris esset.
Ergo ter senis sacra candidatis,
Dives obtato simul et Luperco
Perge conscriptum tibimet senatum
Pangere psalmis.
Ede Succesum, cane Martialem,
Mors et Urbani tibi concinatur,
Iulium cantus resonet, simulque
Quintilianum.
Publium pangat corus, et revolbat
Quale Frotonis fuerit tropeum,
Quid bonus Felix tulerit, quid acer
Cecilianus.
Quantus Euvoti tua bella sanguis

Tinxerit, quantus tua Primitive,
Dum tuos vivax recolat triumphos
Laus Apodemi.
Quatuor post hinc superest virorum
Nomen extolli, rennuente metro,
Quos Saturninos memorat vocatos
Prisca vetustas.
Hec sub altari sita sempiterno
Lapsisque nostris veniam precatur
Turba, quum servat procerum creatrix
Purpureorum.
Nos pio fletu date perluamus
Marmorum sulcos, quibus est operta
Spes, ut absolvat retinaculorum
Vincla meorum,
Sterne te toga generosa sanctis
Civitas mecum tumulis, deinde
Mox resurgentis animos et artus
Tota sequeris.
Gloriam psallat : : : : :
℣. Exultabunt sancti.

[CII] *Ymnus in diem sancti Torquati.*

Urbis Romulee iam toga candida. *Ut in ejus Festivitate, die* 1. *Maii*

℣. In omnem terram.

Ymnus in diem sancte Crucis. V. Nonas Maias.

Pange linguam gloriosi. *Ut in ejus Festivitate, die* 3 *Maii.*

℣. Dicite.

Ymnus in Ascensione Domini.

Eterne Rex Altissime. *fol.* 395.

℣. Ascendit Deus.

Ymnus de letanias.

Benignitatis fons Deus. *Ut in Breviario fol.* 69.

Ymnus in sanctum Pentecosten.

Beata nobis gaudia. *fol.* 422.

℣. Emitte spiritum tuum.

Ymnus in diem sancti Adriani.

Iherusalem gloriosa. *Ut in ejus Festevitate, die* 17. *Junii.*

℣. Justorum anime.

Ymnus in diem sanctorum Siriaci et Paule. XIII Kalendas Junias.

[℟ Laudem beate Eulalie.]

Sacrum tempus in calculo
Anni revolbit circulus
Resonet laus in coro
Ex ore plevis et clero.
Christum Deum imni dicent,
Qui siriaco martiri
Pauleque eius socie
Robur dedit constantie.
Preces namque Cartaginis
Illius erat temporis
Anolinus terribilis
Nomen gestabat inmanis.
Instat sanctos perquirere
Signato Christi nomine
Mox Siriacum et Paulam
Silvanus duxit in aulam
Tunc sciscitati martires
Fatentur Deum in celis
Nam non litare idolis
Almis professi sunt verbis.
Ex inc verba mulcentia
Sanctorum linit pectora
Set temnunt vana delubra
Et Christum credunt in astra.
Iudex repletus furia
Sacrata tundit corpora
Penarum mutat genera
Corda non mutat credula.
Iuxta beneque arbores
Palmarum cesi martires
B Latidum hictu anime
Migrant polorum in ede.
Moxque Silbanus corpora
Ignis proiecit in flammam
Sed imber ingens e celis
Extinxit impetum ignis.
Ob hoc precamur Domine
In horum festa martirum
Vota cunctorum accipe
Et que postcunt adtribue.
Quo dum vita peragimus
Eluas nos a vitiis
Et emendati moribus
Pollere fac virtutibus
Deo Patri.

C ℣. Justorum anime.

Ymnus in diem sancti Ihoannis. Nativitate.

Puer hic sonat Ihoannes. *Ut in ejus Festivitate, die* 24 *Junii.*

℣. Lucerna.

Alius ad Matutinum.

Clange liram Zaccarias. *Ibi.*

℣. Lucerna pedibus meis.

Ymnus in diem sancti Zoyli. V. Kalendas Julias.

[℟ Vocis audite.]

Martiris gesta Zoylique corona. *Ut in ejus Festivitate, die* 27.

Ymnus sanctorum Petri et Pauli.

Apostolorum passio. *Ut in eorum Festivitate, die* 29.

℣. In omnem terram.

[CIII] *Ymnus in diem sancti Christofori.*

D O beatæ mundi auctor. *Ut in ejus Festivitate.*

℣. Iustorum.

Ymnus in diem sanctarum Juste et Rufine.

Adsunt Punicea floscula virginum. *Ut in earum Festivitate.*

℣. Letetur mons Sion.

Ymnus in diem sancti Sperati.

Sperati sancti martiris. *Ut in ejus Festivitate.*

℣. Vox letitie.

Ymnus in diem sancti Cucufa.

Barcinon leto Cucufate vernans. *Ut in ejus Festivitate.*

℣. Justum deduxit.

Ymnus in diem sancte Cristine

Virginis sacre triumphum. *Ut in ejus Festivitate.*

Ymnus in diem sancti Felicis.

Fons vitæ Deus perennis. *Ut in ejus Festivitate.*

℣. In memoria eterna.

Ymnus in diem sanctorum Justi et Pastoris.

O dei perhenne Verbum. *Ut in eorum Festivitate. die* 6 *Augusti.*

℣. Ex ore infantium.

Ymnus in diem sancti Laurentii.

En martiris Laurentii. *Ut in ejus Festivitate, die* 10.

℣. Justorum anime.

Ymnus in diem sancti Genesi.

O Rerum Domine Conditor omnium. *Ut in ejus Festivitate, die* 25.

℣. Justus ut palma.

In diem sancti Ieonti.

[✠ Laudem beate.]

Sacratum Christi antestitem. *Ut in ejus Festivitate, die* 26.

Ymnus in diem sancti Agustii.

[✠ Christus est vita.]

Lux Deus Christe pietas redundans. *Die* 28.

Ymnus in diem sancti Cipriani episcopi.

Urbis magister Tascie. *Ut in ejus Festivitate.*

Ymnus in diem sancti Mattei.

[✠ Clementis festum.]

Christe tu rerum opifexque operum,
Olimpum regis, aridaque sustines,
Polum decoras lumine sidereo,
Arbaque reples hominis ex traduce,
Iube ne salum effluat ex limite.

Tu Protoplausto ejusque prosapie.
Legis que sensum naturale inserit,
Ut ea fratri quem vult sibi inroget;
Demum Moises bis a te in tabulis
Denis accepit preceptis almificis.

Ex hinc Prophete bis octoni veniunt,
Populi corda ad salutem instruunt,
Errorem vanum idolorum dextruunt,
Credere Deum te celestem predicunt,
Et prestolare incarnatum proferunt.

Milibus quinque ducentis in serie
Habens hic mundus annos ab origine.
Tunc verus Agnus, natusque ex virgine
Ter denis in te annos tue tempore
Sic a Iohannis tinctus est pabtismate.

Dehinc prescitos elegis Apostolos
Petrum, Andream, Iohannem, et Iacobum,
Bartholomæum, Iudamque, et Simonem,
Tomam, Filippum, et Alfei Jacobum,
Matteum vero vocans a toloneo [telonio].

Hinc post ascensum Christe tuum ad celos
Propere pergitque ad Eziopios;
Mox a Candacis Eunuco susceptus est,
Prestigiator liberavit a magos [magis],
In somno vertit dracones sevissimos.

Exortat cetum vanos deos temnere,
Et Deum verum Jesum Christum credere.
A Ut paradisi fruantur delicie:
Mox ab Eglippo est arcitus principe
Et prolem eius suscitat a funere.

[CIV] Rex vidit credit et plebs templum co.
In quo rex lotus coniuxque babtismate
Quum Eufranone plebs et Eugenia
Almam ducentes vitam in progenie
Usque dum cepit Irtacus regimine.

Convocat namque rex rudis Apostolum
Eique regnum spopondit dimidium,
Ut celeps illi detur Eugenia,
Cui bis centum alme in cenobia
Virgines erant sacra cum velamina.

Ad hec Matheus Irtaco exortus est
Fas non est servus Regis sponsam ducere,
B Nec Christi sponsam fas est tue copule
Iungi: Irtacus ob hoc mox Apostolum
Percuti iussit punctum ictu gladii.

Orans confossum migrat celi anima.
Aurum mox prebet virgo Eugenia,
Et Christo dignam construunt baselicam,
In qua Matheus requiescit in urnam,
Vigent virtutes per eterna tempora.

Virgines uri rex precepit; sed flamma
Ventus invergens cremat regis atria:
Mox est percussus totus elebantia
Prolis arreptus demonis sevitia,
Set pater cessus ense efflat animam.

Rex num mox cepit frater Eugenie,
Beor gestabat nomen ex babtismate,
C Que sanctus martir unxeratque crismate,
Provincie sunt idemque baselice,
Que canunt Deo dulci modulamine.

Vota rex plevis Christe ratam [rata] effice,
Languidis fabe, elisosque erige,
Mentis solamen, functis dona requiem,
Arce et pestem, bellum, litem remobe,
Fraterno pacem solida in pectore.

Supplices Christe vernuli exposcimus,
Adsistat fauctor nobis hic Apostolus
Impetret nostris veniam sceleribus,
Evulsis cunctis vitiisque funditus,
Vita dum instiat polleat virtutibus.

Gloria Patri personet Ingenito,
Gloria Christo semper Unigenito,
D Gloria Sancto Spiritui Paraclito,
Cuius eterna laus et potentia
Per infinita seculorum secula.

℣. In memoria.

Ymnus in Decollatione sancti Joannis Babtiste.

Hic Joannes mire natus. *Ut in hac Festivitate.*

℣. In memoria.

Ymnus in diem sancti Hieronimi presbiteri.

[✠ Insigne festum.]

Christus est virtus Patris sapientiam [sapientia]. *Ut in ejus Festivitate.*

Ymnus in diem sanctorum virissimi Maxime et Julie.

Iucundum nobis hunc diem
Sanguis sacravit martirum

Virissimi et Maxime
Julieque sororis fides
Exultat in his Trinitas
Impari leto numero,
Polum repletur gaudio
De martirum consortio.
Trauntur ad supplicium
Nati gente nobilium ;
Se nobiles esse credunt,
Mori si possent pro Domino.
Parari penas imperat
Dum fremit impius iudex,
Sanctos turbare nititur,
Quos conspicit immobiles.
Suspenduntur eculeo
Crucis armati vexillo
Pro rege vitam ponere
Morti fideles animas.
Merguntur equore vasto
Saxis colla prementibus
Veloces Christi milites
Ora tangunt quam remiges.
Vasca Caripdis reddidit
Olisipona meruit
Extrema terre finium
Cruore pollet martirum.
Inde grates persolvimus
Tibi Deo almifico
In trinitate unico,
Qui das sanctis auxilium.
Ob hoc precamur, Domine,
In horum festa martirum
Vota cunctorum accipe,
Et que poscunt adtribue.
Presta....

Ymnus in diem sanctorum Fausti Januarii et martialis.
[℣ Christe rex mundi Creator.]
Misticum melos persolvat,
Et adtollat laudibus
Plebs dicata Deo Patri,
Et honore debito
Ymnum dulciter decantent
[cv] Christo et Paraclito.
Pro triumphis beatorum
Fausti, Januarii,
Tertiusque Martialis;
In agone vicerunt
Trinitatem confitendo
Suscepti martirio.
Voce declamans fidelis
Beatorum titulis,
Qualiter vicerunt hostem
Suis cum suppliciis,
Trinitatem confitendo
Adepti sunt gaudio.
Manibus cruentus hostis
Cum atroci ungula
Consecrata beatorum
Laniari corpora,

A Tensos pariter cesosque
Urens flamma cruciat.
Inde oculis evulsis
Cutenorum capita
Nervorum conpage soluta
Serva hunc crudelitas,
Conteret piorum ossa
Et medulla penetrans.
Dextera protecti Christi
Non timent incendia,
Angelica medicina
Reformantur lumina,
Confractaque solidantur,
Et curantur vulnera.
Stupet tirannus valde
B Tanta in miracula
Cum incolomes videret,
Quos perire iusserat:
Qualiter vicissent cuncta
Tormentorum genera.
Illi patienter ferunt,
Quod furentes inferunt,
Scientes quod pro Christo
Tanta qui pertulerant,
Celitus adquirant lucra
Que fruuntnr iugiter.
Quidam cernebant venire
Missa celi munera,
Angelorum magna turba
Sursum expectantium,
Ut sanctorum coronaret
C Gloriosa capita.
Adestote sancti Dei
Supplicanti populo
Et petentibus prebete
Quesitum remedium,
Regnum ut participentur
Vestro in consortio.
Presta....

℣. Justorum.

Ymnus in diem sunctorum Cosme et Damiani.

Plebs Deo dicata pollens. *Ut in eorum Festivitate.*

℣. Pretiosa.

Ymnus in diem sanctorum Servandi et Germani.
[℣ Christe rex mundi.]

Christe verus Rex sanctorum. *Ut in eorum Festivitate.*

D ℣. Exultabunt.

Ymnus in diem sanctorum Vincenti Sabine et Christete.

Hunc vos gratifice plebs pia convocat. *Ut in eorum Festivitate.*

℣. Ut supra.

Ymnus in diem sancti Martini episcopi

Martine confessor Dei. *Ut in ejus Festivitate.*

Item Ymni de Sanctis

Sanctorum meritis inclita gaudia
Pangamus socii gestaque fortia
Nam gliscit animus promere cantibus
Victorum genus obtimum.
Hii sunt quos retinens mundus inorruit
Ipsum nam sterili flore per arduum

Sprevere penitus teque secuti sunt
Rex Christe bone celitus
Hii pro te furias adque ferocia
Calcarunt hominum sevaque verbera
Cessitis lacerans fortiter ungulas [Cessit iis... ungula]
Nec carpsit penetralia.
Ceduntur gladii more videntium
Non murmur resonat non querimonia
Set corde tacito mens bene conscia
Conservat patientia.
Que vox que poterit linguam retexere
Quod tu martiribus munera preparas
Rubri nam fluido sanguine laureis
Ditantur bene fulgidis
[cvi] Te Trina Deitas unaque poscimus
Ut culpas abluas noxia subtraas
Des pacem famulis nos quoque gloriam
Per cuncta tibi secula

Alius.

Rector Redemtor et Conditor
Quis tuis olim servulis
Huius dedisti seculis
Oblectamenta temnere
Nobis refunde celitus
Tuum Patrisque comparem
Quo corda nunc tepentia
Confraglent igne proprio
Illic relictis terreis
Te inspirante perciti
Strages secuti corporum
Regnum poli adepti sunt
Prostrati unde quesumus
Quo ob triunfos martires
Ymnum Deo persolvimus
Nunc annuis recursibus
Ipsorum interventibus
Cunctos ablutos sordibus
Sursum reduc ab infimis
Sacris reformans sedibus
Presta....

Alius.

Rex gloriose martirum
Corona confitentium
Qui dispuentes terrea
Perducis ad celestia
Aurem benignam protinus
Appone nostris vocibus
Tropeo sacro pangimus
Ignosce quod delinquimus
Tu vincis in martiribus
Parcendo confessoribus
Tu vincis nostra crimina
Donando indulgentia

Alius.

Eterna Christi munera
Et martirum victorias
Laudes canentes devitas
Letis canamus mentibus
A Ecclesiarum principes
Illic triumfales duces
Celestis aule milites
Et vera mundi lumina
Terrores [Terrore] victo seculi
Penisque spretis corporis
Mortis sacre compendio
Lucem beatam possident
Traduntur igne martires
Et bestiarum dentibus
Armata sevit vinculis
Tortoris insana manus
Nudata pendunt viscera
Sanguis sacrata funditur
Et permanet immobilis
Vite peremnis gratie
Devota sanctorum fides
Invicta spes credentium
Perfecta Christi caritas
Mundi triumfant principes
In his paterna gloria
In his voluntas Spiritus
Exultat in his Filius
Celum repletur gaudium
Te nunc Redemtor quesumus
Ut martirum consortio
Iungas precantes servulos
In sempiterna secula

Alius.

C Laudes sanctorum martyrum
Quos sacra fecit passio
Christi conformes glorie
Puris canamus mentibus
Quos de futuris prœmiis
Securos celi milites
Nec mundi vobit vanitas
Nec terror fregit impius
Non tenebrosi carceres
Honus cervicis ferreis
Non manices vel compede
Mentes mutarunt gaudia
Eterni fontis etiam
Semel rigati poculo
Sitim presentis corporis
D Refrigerabat spiritus
Negato pane fortius
Non fame sentit sanctitas
Quos pascit verbo solito
Fide videbant uberes
Cordis probato robore
Velcantes tot molestias
Agon suscepit publicus
Vitam putentes martires
Sic sancti quos non fregerant
Carcer famis et vincula
Alacres in supplicia
Mundi vicerunt principem
Suum Factorem Dominum
Christum sequentes martires

Post ignes truces gladios
Eternis florent peremiis

[CVII] *Ymni de uno Justo.*

Deus tuorum militum
Sors et corona premium
Laudes canentes martiris
Absolve nexu criminis
Hic nempe mundi gaudia
Et blandimenti noxia
Caduca rite deputans
Pervenit ad celestia
Penas cucurrit fortiter
Et sustulit viriliter
Pro te refundens sanguinem
Eterna dona possidet
Ob hoc precatu supplices
Te poscimus piissime
In hoc triumfo martiris
Dimitte noxiam servulis.

Alius.

Deus immensa Trinitas
Unitas semper gloria
Pater Christe Paraclite
Rerum invicte Domine
Qui largitate muneris
Tuo prestasti martiri
Cuius festa votissima
Quam celebramus odie
Tormentaque sevissima
Hac varia supplicia
Victrice tua dextera
Mente robusta pertulit
Cuius adclines Domine
Te deprecamur largius
Etherea consortia
Celsa dona fastigia
Qui princeps esse principum
Rex misticus agnosceris
Agnita nostra crimina
Larga dele clementia
Adventus ut cum fulgidus
Tuus Christe patuerit
Tuo ducante martiro
Leti pergamus obviam.

Alius.

Martir Dei qui unicum
Patris sequendo Filium
Vixtris triumfas hostibus
Victor fruens celestibus
Tui precatus munere
Nostrum reatum dilue
Arcens mali contagium
Vite remobens tedium
Soluta sunt iam vincula
Tui sacrati corporis
Nos solve vinclis seculi
Amore Filii Dei
Tua accedat pietas
Qui patri quo equalis ès

A Simul et Sanctum Spiritum
Vivens per omne seculum.
Amen.

Ymnus unius Confessoris.

Summe Confessor sacer et sacerdos
Temporum meta rota torquet anni
Tempus est nobis tibi consecratum
Pangere festum.
Presul insignis meritisque clare
Te sacra cleri populique turba
Corde prostrati pietate multa
Vernula Patrem
Vota cunctorum relegas in aula
Regis eterni fobeas utrumque
Ordinem cuius pius extitisti
B Pastor in urbe
Questibus cunctis referunt gementes
Gestis culparum lachrimisque pandunt
Pessime mentis animeque nigre
Crimine dira
Dignaque pena revocat in ora
Nostro cum duro miseros perurguet
Pendere mundo variante facta
Celitus ira
Tu procul casu proibe tonantis
Pelle peccata tenue furorem
Pestis et morbus petimus recedat
Sospite cibe
Moribus cultis moderare vitam
Confert et sudam placidaque mentem
C Corda virtutum meditentur arma
Munera Christi
Sancte tu prebe quotiens rogaris
Profluos fructos plubiasque largas
Credimus cuncta Domino favente
Te dare posse
Credimus Christum pretium laborum
Premium iustum studiis dedisse
A quibus artus etiam solutus
Morte bearis
Gloria Christo patulo canamus
Ore prestantis [prestanti] sibi servienti
Tanta qui pollet Deitate simplex
Trinus et Unus.

Alius

Deus immensa Trinitas
Corona confitentium
D [CVIII] Et magna laus martirum
Sume preces fidelium.
Huius sancti pontificis
Et confessoris merita
Prestes nobis solacia
Cunctaque purges noxia
Ut confitentes erigas
Et peccatores redimas
Donando indulgentia
Et conferendo gratia
Et ut vir hic confessus est
Tuum nomen mortalibus

Ita devotis mentibus A
Te fateamur omnibus

Ymnus de Virginibus.

Ihesu corona virginum
Quem mater illa concipit
Quem sola virgo parturit
Hec vota clemens accipe
Qui pascis inter lilia
Septus coreis virginum
Sponsus decorus glorie
Sponsisque reddens premia
Quocumque pergis virgines
Secuntur adque laudibus
Post te canentes cursitant
Imnosque dulces insonant
Te deprecamur largius B
Nostris adauge mentibus
Nescire prorsus omnia
Corruptionis vulnera.

Ymnus de una Virgine

Virgines proles opifexque matri
Virgo quem gessit peperitque Virgo
Virginis festum canimus tropeum
Accipe votum
Hec tua virgo duplici beata
Sortem dum gessit fragilem domare
Corporis sexum domuit cruentum
Corpore seclum
Inde nec mortem nec amica mortis
Seva penarum genera pavescens
Sanguine fuso meruit sacratum C
Scandere celum
Huius obtentu Deus alme nostris
Parce iam culpis vitia remittens
Quo tibi puris resonemus almum
Pectoris ymnum
Gloria Patri Genitoque proli
Et tibi compar utriusque semper
Spiritus alme Deus unus omnis
Tempore seclis.
Amen.

Ymnus in sacratione baselice.

Ecce te Christe tibi cara semper
Te Redemptorem omnium potentem
Supplici poscit pietate patrem
Turba precantum.
Hic sacra ut sedis tua sempiterna D
Perpetim constet maneatque nostris
Proxima culpis veniam perhactis
Corpore corde
Porta hic celi pateat sedentis
Clausa damnatis reserata iustis
Veritas vita via lux et ignis
Influe mitis.
Hic homo verus Deus et magister
Petra et pastor obis et sacerdos
Panis et vitis sator et creator
Respice plebem
Hic manet[*Forte,* manat] rupis latices beatos
Abluet noxas vitiis peremtis
Innobet mentes maculas remotis
Fonte perennis
Hic caput membra propria reviset
Lectio pascat populos aperta
Sponsus ut tradat animis amicis
Oscula sancta
Fraglet hic virtus species decora
Summat hic dogma doceatque corda
Inriget summa dubiam patentes
Pectora vita
Lapsus et mestus pariterque lugens
Fessus et languens simul omnis errans
Quippiam quisquis humilis precatur
Omnia præstat
Gloriam psallat : : : :

Ymnus in anniversario sacrationis baselice

Christe cunctorum dominator alme
Patris eterni genitus ab ore
Supplicum vota pariter et ymnum
Cerne benignus
Cerne quod puro Deus in honore
Plebs tua supplex resonet in aula
Annua cuius reveunt colendum
Tempore festum
He [Hæc] domus rite tibi dedicata
Noscitur in qua populos sacratum
Corpus adsumit bibit et beati
Sanguinis austum
Hii sacrosancti latices veternos
Diluunt culpas perimuntque noxas
Crismate vero genus ut creetur
Christicolarum
Hic salus egris medicina fessis
[CIX] Lumen orbatis veniamque nostris
Fertur offensis timor adque meror
Pelitur omnis
Demnis seva perit hic rapina
Pervicax monstrum pavet et retemta
Corpora linquens fugit hic remotus
Ocius umbras
Hic locus nempe vocitatur aula
Regis immensi niveaque celi
Portaque vite patriam petentes
Accipit omnes
Turbo quam nullus quatit aut vagantes
Diruunt venti penetrantque nimbi
Non tetrus ledit piceus tenebris
Tartarus orrens
Quesumus ergo Deus ut sereno
Annuas vultu famulos gubernans
Qui tui summo celebrant amore
Gaudia templi
Nulla nos vite cruciet molestas [molestiæ]
Sint dies leti placideque noctes
Nullus ex nobis pereunte mundo
Sentiat ignes
Hic dies in quo tibi consecratam
Conspicis aram tribuat perennem

Gaudium nobis vigeatque longo
Tempore husu
Gloriam summo resonet Parenti
Gloria Christo pariterque sancto
Spiritui dulci modulemur ymno
Omni per evo.

Ymnus in restauratione baselice.

O beata Iherusalem
Prædicanda civitas
Que tuis leta triumfis
In supernis civibus
Innobata regis amplo
Claritatis stigmate
Fulgidum gestans honorem
Plena mater filiis
Pacis alme gloriosis
Letabunda finibus
Rite restaurata claro
Sanctitatis lampade
Hic tui templi refulget
Sanctior memoria
Jure restaurationis
Lucido fundamine
Quum decoris pollet hacto
Dignitatis sidere
Te precamur hic adesse
Conditor sanctissime
Hicque promtus consecrandis
Sedibus inlabere
Adque consecrator ipse
Hic adesto iugiter
Iam templum tui honoris
Effice nos servulos
Non caro non corda nostra
Militent discrimini
Set tuo sacro dicati
Serviamus nomine
Hic tui altaris aram
Quum decoris gloriam
Rite rursus preparatam
Rex superne visita
Hic tua virtus redundet
Hic honor refulgeat
Regis hoc altare summi
Sit coruscum lumine
Sit honore mancipatum
Sit repletum munere
Sit beatum sit serenum
Sit placens Regi Deo
Hic tibi nostrorum alma
Cordium altaria
Consecra superne iudex
Innobans nos gratia
Sedibus inlapse donans
De supernis munera
Ut tibi per omnem seclum
Trinitas sanctissima
Sit honor inmensa virtus
Et perennis gloria

A Qui Deus in Trinitate
Permanes in secula.
Amen.

Ymnus in ordinatione episcopi.

Verus Redemptor Christe lumen luminis
Imago Patris splendor invisibilis
De Patre natus antecedens tempora
Ex matre vero prodiens in tempore
Promissionis fedus implens devite
Tu es sacerdos tu sacerdotes creas
Tu principatum sortis huius floride
Aaron dedisti consecrator inclite
Perfusione sacri sancti unguinis
Et veste sancta vultum eius predicans
Sublimen cuius in caput premittitur
B Nitens olivum mitra auri lammina
Stola decoris vestimento poderis
Ambitur idem quem sacratum nuntiat
Inpressa vesti et colorum dignitas
Cuius iacintus torto bissus purpura
Cuius dicati preferentes gloriam
Vestis sacrota ora tintinabulis
[cx] Erat corusca rite dependentibus
Ut templum intrans audiretur pontifex
Distincta gemmis pulcritudo temporis
Affigebatur sub figuris obtimis
Izmaracdus illic Sardius topatius
Onicimus carbunclus ligurius
Saffirus iapsis et nitens crisolitus
Berillus inde seu acates fulgidi
C Cum amitisto ordinis sui loco
Distinctionis iuris illic positi
Dabant future gratie signaculum
Quod hec figure nuntiarent te Deum
Cuius dicate sacramentum gratie
Temtum per umbras transiendo seculi
Pervenit ad te liberator obtime
Utque [quem] figure precinebant mistice
Completa in te veritas ostenderet
Hinc finis ipse legis ad iustitiam
Mundi reatum proximans detergere
Oblatus ipse tu oblator consecrans
In Patri aram conlocatam victimam
Hoc sacramento suscitans ecclesiam
Caput cui factus et ducator previus
Duces in illam presulesque conlocans
D Quorum regatur instruenda legibus
Ut erudita gratia pontificum
Vitare possit damna seva mortium
Hinc te corona Christe fratrum postulat
Successionis clara huius gratia
Descendat in his quo futuros preligis
Uni columbe preferentis principes
Apostolatus gloriam his conferens.

Ad Matutinum.

Adest diei Christe consecratio
Honoris illi suscitati Antestitem
Nostri recursu innovate temporis
Quahunc vel omnis personare convenit

Ecclesiarum deputatos principes
Sint sacrosancto consecrati unguine
Sint sanctitatis prenitentes lampade
Compunctionis compluantur munere
Confessionis innobentur cantico
Omni repulso criminum contagio
Sint carne puri sint et hore fulgidi
Sint ospitales sint amantes invicem
Signis coruscent sanitatum compotes
Virtute pellant spiritus demonia
Et veritatis convalescunt gratia
Retorta bissus castitatis fulgide
Et unitatis punice concordia
Indesinenter corda horum repleant
Que dum patenter mentibus insederint
Adstare possent Christi ad aram liberi
Sit his potestas et ligare et solbere
Episcopalis probra previlegio
Curare morbos corporum vel mentibus
Compassionis ferre testimonium
Portare motum litis orte scandalum
Ut de peractis sanctitatis cursibus
Vite coronam qua parasti omnibus
Te Christe vero corde diligentibus
Hic consequantur post triumphos seculi
Regno perenni consecrandi perpetim
Sit Trinitati sempiterna gloria
Honorque sumus et potestas inclita
Que Trinitas Pater Patrisque Filius
Cum spiritu unus Deus substantia
Per cuncta regnat in seculorum sæcula.

Ymnus in ordinatione regis.

Inclite Rex magne regum
Consecrator principum
Veritas signa Patris
Christe vero crismate
Quo fabente regna durant
Adque regem imperant
Provee regnum fidelis
Principis ad gloriam
Unguine sacro nitescat
Sanctitate floreat
Fulgeat vite corona
Polleat clementia
Gaudeat cum plebe totus
Tota plebs cum principe
Sit dies natalis huius
Feriata gaudio
Sit piis omnino votis
Plena exultatio
Ut pie tenendo regnum
Quum beatis moribus
In quibus nunc principatur
Sic modestus imperet
Quo simul cum his fruatur
Sempiterno munere

In natalicio regis.

Anni perhacto circulo
Ades dies celebrior
A Natale nobis principis
Noba recursi temporis
Quo matris alvo proditus
Diem petivit séculi
Lucisque huius pro die
Intravit ortum nesciens
Hunc tu creator obtime
Cunalibus infantie
Vectum per oras temporum
[cxi] Perfectum abtas in virum
Quem disciplinis erudis
Gratis peragens sensibus
Maturitate temporis
Honore ditas regio
Ob hoc Deus te poscimus
B Ut huius adsis questibus
Fabe rogantem munere
Poscentis audiens precem.

Ymnus de profectione exercitus qui usque in reversione dicendus est diebus letaniarum

O verum regimen Christe fidelium
Qui vita via es hac pia veritas
Lustrans conspicuo lumine credulos
Obscurans quoque perfidos
Tu es unigena alma redemtio
Tu verus genitor nosque clientuli
Tante lacrimis pectora tundimus
Intende pie supplices
Rectores humiles quesumus patrie
Cum cunctis sibimet plebibus creditis
C Directo itinere inclite ducito
Dans pacis bona omnibus
Moysi qui famulo ad precem intuens
Ponti purpurea equora dividens
Traducis cuneos Israheliticos
Siccato maris alveo
Et qui ad nicilum principis illius
Faraonis opus calle potissimo
Calcando rediens impium ilico
Mersis linfa superfluens
Eius quique pius questibus annuens
Frendens prevalide mox truculentior
Divinis Amalec plectitur hictibus
Consumtis suis omnibus
Dux esto placidus his tuis servulis
D Virtus angelica illis adereat
Custus invigilet his tua gloria
Qui es summa benignitas
Ut tamquam vituli plebs tua commeans
Ex grege fidei ausibus liberis
Gentes barbaricas cornibus ventilet
Ac planta terat impios
Hostiles acies telaque bellica
Que frustrat ministrat [*Forte*, frustra minitat] turba [satellitum]
In necem populi tendere acrius
Everte Deus funditus
Cuius presidio inclitus belliger
David opilio mente tirannidem

Goliam subigiens saxeo impetu
Letus munere redditur
Post hunc qui etiam tempore postero
Judam munificum efficis prelio
Clemens salvivica castra fidelium
Depellens cito tedium
Nostrorum gemitus aspice principum
Vulgi funerea murmura contuens
Ex iusto iugulo deseca emulos
Tu regum pater omnium
Non nostris nosceat pugio finibus
Set firmes animo principis incliti
In cunctis vigeat robore gratie
Facti undique compotes
Defende populum vindice dextera
Quem sacro pretio sanguinis emtus est
Hac vero labacri gurgite abluens
Toth sacras tibi militer [milites]
Victricem tribue Christe de hostibus
Palmam Christicolis celitus regibus
Ex totis viribus te redamantibus
Vota vita et actibus
Nunc cepta peragant gressibus prosperis
Cum pace redeant sedibus propriis
Pactumque recinant ymnum in etheris
Huiusce tibi vocibus
Sit trino Domino gloria Unico
Regnum perpetuum aucta perennitas
Qui semper famulis comta corona es
Regnans seculis omnibus. Amen.

Ymnus pro varia clade.

Rex eterne Deus fons pietatis
Spes tranquilla salus vera medella
Defesis requies pascua vite
Lux indeficiens parce redundans
Ad te mestificati murmura dantes
Adclines famuli adsumus omnes
Nollensque miseros morte punire
Conversos potius vivere magis
Tu es confugium illut opacum
Ad quod dum titubans conscia culpis
Mens tandem properat percipit idem
Pro fraglis veniam adque salutem
Nos unde nimium territi actum
Quos cladis valide plectitur hictu
Ad te confugimus alme Redemtor
Ut culpam pietas mox sequatur
Mortem quam minitans voce profecta
Olim vaticinat sic Iheremias
Videmus proprius percite nostras
Nunc intrare domos adque fenestras
Davitque gravius tempore fluxit
Urbem depopulans impia clades
Nostris pro meritis finibus instans
Iam quoque gladio vindice truncat
[CXII] Morbi ecce lues longius crosans
Ad nos proclivior pene vicinat
Ad nunc pro vitiis proxima nostris
Consistit perimens agmina plebis
A Quosdam mortificans durius partes
Mittit funereos fibrium ignes
Ex quibus putriflua reddita membra
Non flat spiritus nec pulmo anelat
Virtus nullat viget carnis humane
Subsistit facilis fessa dolore
Hac laudis facie cuncta tabescunt
Ut cera solito igne fugatur
Infantes iuvenes sexus utrisque
Etas ipse senum cignea iamque
Lactantes etiam ubera matrum
Prostratur pariter vulnere diro
Replet te nimium civibus urbes
Castella populis villule omnis
Effecte vacue sunt solitudo
B Cultore manet arida tellus
Hanc peccata plagam nostra merentur
Hoc nostrum facinus parturit ulcus
Hec funesta quoque nempe iumenta
Admissa tribuunt nostra luenda
Hac proinde pium cernui omnes
Sanctum Christe tuum quesumus vultum
Qui semper bonus es adque benignus
Contritos releba corde piatos

Ad Sexta.

[℟ Rex eterne]

Iram quam merito sternimur auctor
Iam suspende cito iure paterno
Mucronemque plage valde frementem
A nostris propitius partibus pelle
C Dele iam maculas mente patratas
Purga quidquid inest vulnus inicum
Nodos perfidie redde solutos
Hac sevum quoibe celitus hictum
Pro nobis pietas tua te poscat
Spiraque tuis inclite sanctis
Talem pro miseris summere vocem
Que intrare tuas possit ad aures
Iam vide gemitus aspice planctus
Rugitum populi presulum adque
Sacrorumque pius principum audi
Singultus lacrimas flebiles questus
Nobis immeritis commoda aurem
Ne quamvis gravidos ponderis mole
Consummas facili ulceris labe
Quas sacro redimis ipso cruore
D Fletum qui sceleris Ninevitarum
Commutans melius ethere repente
Mortem quam timidi iam metuebant
Clemens innocuam esse quivisti
Toth tantaque tuum murmura nostra
Scandat flammigerum calminis arcem
Ex quo salvivicum rite fomentum
Cunctis adveniat ocius abtum
Temtos magne plagam inguinum o
Incursis mortis varios acerve
Inpressum redige noxia queque
Dextera sancta tua parcitus arce
Celestis medice Christe tremende

Incursus varios mortis acerve
Inpensum redige tuque potenter
Languenti populo pande vigorem

Ad Nona.

[℟ Rex eterne]

Huius supplicium pestis amare
Depelle opifex crimine demto
Utmorvifuens[*Forte,* morbi fugiens] dira vetustas
Succedat populis aucta venustas
Mercedis proprie unguine sancto
Fauctor devilia membra fobeto
Nervos conglomera iam resolutos
Et vitam tribuens ablue nexus
Ad quamquam gravior culpa subinstet
Maior namque tua gratia polleat
Quo nostri honeris vincla resolvens
Concedes veniam devita laxes
Presta Ingenite gloria summa
Semper cum Genito omnia imples
Compar spiritui Trinitas una
Hac vera Deitas secla gubernans.

Ymnus de sterelitate pluvie.

Squalent arva soli pulbere multo
Pallet siccus aer terra fatescit
Nulla roris onus nulla venustas
Quando nulla vires gratia florum
Tellus dira sitit nescit aroris
Fons iam nescit aquas flumina cursus
Erbam nescit aratrum
Magnorum rupta patet turpis iatu
Estu ferbet humus igneus ardor
Ipsas urit abes frondea ramis
Fessis tecta negant pulbis arene
Sicco dispuitur ore viantis
Ventis ora fere bestie ventis
Captantesque viri flammina venti
Ventis et volucres ora recludunt
Hac mulcere sitim fraude volentes
Fetus cerba suos pignera cerba
Fetus cerba siti fessa recusat
Fetus cerba pios mesta relinquit
Quesitam quoniam non veit erbam
Venerunt iuvenes pocula noti
Querentes puteum limfaque fugit
[cxiii] Et vasis vacuis tecta revisunt
Fletu seu proprio ore vibentes
Bos presepe suum linquid inane
Pratorumque volens carpere gramen
Nudam versat humum sic pecus omne
Fraudatum moriens labitur erbis
Radices nemorum rustica plebs
Explorat miseros curba labore
Solarique famen cortice querit
Nec sucos teneros arida prestet
Hanc peccata famem nostra merentur
Set mercem propriam Christo fobeto
Quo culpa gravior gratia maior
Iusti supplicii vincla resolbat
Iam celum reseres arbaque laxes
A Secundo placidus imbre rogamus
Elie meritis impia secula
Donasti plubiam nos quoque dones
Eterne Genitor gloria Christo
Semper cum Genito sit tibi sancto
Compari Spiritui qui Deus unus
Pollens perpetuis inclite seculis. Amen.
℣. Rigans Deus montes.

Ymnus de ubertate publie.

Obduxere polum nubila celi
Absconduntque diem sol [sole] effugato,
Noctes continuas sidere nudas
Et lune viduas carpimus olim.
Ether dira micat igne corusco,
Concusoque tremit cardine mundus,
B Celi porta tonat, raptaque credas
Axis etherei vincla resolvi.
Excrescunt pluviis equora ponti,
Nec fines proprios iam freta norunt,
Terrarum tedio fluctuat unda,
Errabunda secat arva carina.
Portus nauta suos litora nauta
Secessusque suos nauta requirit
Ospes nauta satis vitibus ospes
Messes nauta supernavigat hostes.
Flentes agricole culta relinquunt,
Spectans naufragium triste laboris
Messi leta natat semina census
Nati tecta petunt arvaque migrant
Cernas alta domus culmina ferri,
C Et mutatis locis lumina poni,
Mestas inter abes ludere pisces
In tremulis ludere tectis.
Eversa videas arbore nidos
Pullis duum teneris per freta duci,
Nec matrem exilio ponere curas
Maioresque metu cogere fretas
Spectat turba virum turba fenestris,
Spectat feminei turba pudoris,
Deploratque famam turba precantium,
Victum navigiis nauta ministret.
Ihesu parce tua morte redemtis,
Prior dillubium pertulit etas,
Ut mundaret aqua crimina terras,
Set mundata tuo sanguine terra est.
D Ramum missa ferens hore columba
Ramum pacifere munus olibe,
Exutas liquido flumine terras
Leto significat lapsa volatu.

Ymnus de nubentibus.

Tuba clarifica plebs Christi revoca
Hoc in ecclesia votiva gaudia
Fide eximia celebra monita,
Confitere piacula.
Rite magnalia clange deifica,
Celicas ianuas patentes intona
Quos[Quas] dira truserat veneni invi
Iam Christus cuncta reserat,
Sit fera framea serpentis lancea

Adam protoplaustum primevum incolam
Eva feminea polluit labia,
Et expulit a patria.
Usurpant vetita ligni pomifera
Deceptis oculis cernunt squalida
Exusta corpora flamma anguifera
Dolendo gignunt pignera.
Epitalamia usque dum reddita
Voce paradica receptant gratiam,
Crescite clamitat replete aridam,
Ornate tori talama.
Pistis nardifica arba ambrosea
Cum Christum celicum virgo puerpera
Redimens miseros ad vitam invita
Plaudete evangelizat
Coreis timphanis exulto musica,
Et redde Domino vota perennia
Qui crucis gloriam [gloria] eruit animas,
Quas coluber momorderat.
Pusilla copula adsume fistulam,
Liram et tibiam, prestepe canticam
Voce organica carmen melodia
Gesta psalle divitica.
Fecunda Domino presentes nuptias
Prole dignissima, qui tibi serviant,
Et tuo nomini gratias referant,
Benedictique permaneant.
Cithara iubila, cimbala concrepa,
Cinara resona, nablum tripudia
Excelso Domino qui regit omnia
Per cuncta semper secula.
Amen.

[CXIV] *Ymnus generalis de infirmis*

Xpe celestis medicina patris. *Fol.* 105.

Ymnus generalis defunctis.

Christe Rex mundi creator. *Ut in officio defunctorum*

Ymnus in exequias defunctorum dicendus.

Deus igne fons animarum. *Ut in officio defunctorum.*

Ymnus unius defuncti.

Hinc functionis dies est
Credendi in te Rex Deus
Functi fidelis spiritus
Traduc coris celestium.
Huius tenebras discute,
Peccata huius dissice;
Locetur in celestibus
Iunctus polorum cibibus.
Serena huic micet dies,
Sidus perenne splendeat;
Nullus tenatur tediis,
Summis feratur gaudiis.
Ut inferorum carceres
Et claustra queque orrentia
Pertransiens, in ethera
Celi fruatur patria.
Hinc et recepto corpore
Resurgat hic ad gloriam

A Tementis aucte gratie
Laudans perennis incola
Presta ::::

Ymni Dominicales cotidiani.

Inventor rutilis dux bone luminis. *Fol.* 91.

Alius.

O lux Beata Trinitas. *Fol.* 113.

Alius.

Intende nostris precibus,
Intende iam propitius
O Christi mundi gloria,
Festumque lumen inriga.
Te vespertina oratio,
Te matutina concinat,
Tibi indefesse personet
B Ymnum cum dulci carmine.
Te vesperi laus congrua,
Te matutina vox canet:
Tibi omne tempus personet
Ymnum perennis glorie.

Alius.

Lux vera lucis claritas.
Lucis manens hereditas,
Laus in tenebris promitur,
Precantibus splendor detur.
Te tempus omnis temporis,
Te quicquid in nobis viget
Conlaudet in perpetuis
Eternitatis seculis.

Alius.

C Deus creator omnium
Polique rector, vestiens
Diem decora lumina,
Noctem sopora gratie.
Artus solutas ut quies
Recedet labores usui,
Mentesque fessas allebat,
Luctusque salbat anxios.
Gratos peccato iam dies
Et nocti exortu preces,
Voti reos ut adiubes
Ymnum canentes solbimus.
Exultare nostro lubrico,
Te cordi alta somniet,
Ne hostis invidi dolo
D Pabor quiete suscitet.
Christum rogemus et Patrem
Christi Patrisque Spiritu,
Unum potens per omnia
Fobe precantes Trinitas.

Alius.

Christe lux mundi salus et potestas. *Fol.* 110

Item Ymni cotidiani Vespertini
II Feria ad Vesperum.

Lucis Creator obtime,
Lucem dierum proferens,
Primordiis lucis nobe
Mundi parans originem;

Qui mane iunctum vesperi
Diem vocari precipis,
Tetrum cahos inlabitur,
[cxv] Audi preces cum fletibus.
Ne mens grabata crimine
Vite sit exul munere,
Dum nil perenne cogitat,
Seseque culpis intelligat.
Celorum pulset intimum,
Vitate tollat premium,
Vitemur omne noxium
Purgemus omne pessimum.
Præsta....

II Feria ad Vesperum

Immense celi Conditor,
Qui mixta ne confunderent
Aque fluenta dividens,
Celum dedisti limitem,
Firmans locum cœlestibus,
Simulque ferre rivulis,
Et unda flammas temperet,
Terre solum ne dissipet.
Infunde nunc Piissime
Donum perhennis gratie,
Fraudis nobe ne casibus
Nos error adterat vetus.
Lucem fides inveniat.
Sic luminis iubar ferat
Ut vana cuncta terreat
Et falsa nulla comprimat.
Presta....

III Feria.

Telluris ingens Conditor,
Mundi solum qui eruens
Pulsis aque molestiis
Terram dedisti mobilem:
Ut germen abtum preferens
Fulvis decora floribus
Fecunda fructum sisteret
Pastumque gratum redderet.
Mentis perusta vulnera
Munda virore gratie,
Et facta fletu diluat,
Motusque prabos adterat,
Iussis tui obtemperet,
Nullis malis obproximet
Bonis repleri gaudeat,
Et mortis actum nesciat.
Presta.....

IV Feria

Celi Deus sanctissime,
Qui iudicium centrum poli
Candore pingis igneo,
Augens decoram lumina.
Quarto die qui flammeam
Solis rotam constituens,
Lune ministrans ordini
Vagos recursus siderum.
Ut notibus vel luminis
A Direptionis terminum
Primordiis et mensuum
Signum dare notissimum,
Inlumina cor hominum,
Absterge sordes mentium,
Remobe culpe vinculum,
Everte moles criminum.

V Feria.

Magne Deus potentie,
Qui ex aquis ortum genus,
Partim remittis gurgiti,
Partim lebas in aere.
Dimersa limfis imprimens,
Subvecta ceiis ignorans,
Ut stirpe una prodita
B Diversa rapiant loca.
Largire cunctis servulis,
Quos mundat unda sanguinis,
Nescire lapsum criminum
Nec ferre mortis tedium.
Ut culpa nullum deprimat.
Nullum lebet iactantia,
Elisa mens ne concidat,
Elata mens ne corruat,

VI Feria.

Plasmator hominis Deus,
Qui cuncta solus ordinans
Humum iubes producere
Reptantis et ferre genus.
Qui magna rerum corpora
C Dictu iubentis vivida,
Ut serviant per ordinem
Subdens dedisti hominem.
Repelle a servis tuis
Quicquid per inmunditiam
Aut moribus se sugerit,
Aut actibus se interserit.
Da gaudiorum premia.
Da gratiarum munera,
Dissolbe litis vincula,
Adstringe pacis federa.

Sabbato.

Rerum Deus fons omnium,
Qui rebus actis omnibus,
D Totius orbis ambitu
Censu replesti munerum
Non actibus fessus manens,
Laboribus non saucius,
Cuncta quietem das egris,
Curis ruant me morvidis.
Concede nunc mortalibus
Uti malorum hostiis
[cxvi] Instare iam virtutibus
Et munerare prosperis.
Terroris ut cum iudicis
Orror supremus ceperit,
Letemus omnes invicem
Pacis repleti munere

Ymnus de duodecima

Te lucis ante terminum
Rerum Creator poscimus
Ut solita clementia
Sis presul ad custodiam
Procul recedant somnia
Et noctium fantasmata
Hostemque nostrum comprime
Ne polluantur corpora.

Ymnus ante completà

Civis [cibis] resumtis congruis,
Cene paractis usibus,
Ad te Redemptor inclite
Laudes venimus promere.
Occurre nobis ocius
Tollas civi [cibi] gravedinem
Corpus parandum ad precem
Confessionis dans fidem.
Ut quicquid ore promimus
Tuis sacris in laudibus,
Nobis coronam conferens
Soli Deo dans gloriam.
Presta.....

Ymni de completa

Sol angelorum respice
Quem concupiscit mentium
Intento visu castitas
Sursum manentem cernere.
Quo cuncta pollent celitus
Cursu recursu prospero,
Quo vita constat omnium,
Intende gratis supplicum.
Da servulis custodiam,
Quo temperentur commoda,
Adversa sint innoxia,
Corrupta ne sint pectora.
Frugalitas tu sensuum
Sator, salus, refectio,
Potus cibusque, gaudium,
Lux adque virtus cordium :
Repelle membris lubricam,
Ne polluat lasciviam.
Ne feda vexet passio,
Culpetque mentis actio.
Virtutis infer copiam,
Qua conferas clementiam,
Oblitis ut peccaminum
Dones quieti temporum
Votis rogamus affatim
Superna pax inlabere,
Quo cuncta tuta perpetim
Serves subactis scandalis.
Gloria....

Alius.

Cultor Dei memento
Te fontis et lavacri
Rorem subiisse sacrum
Te crismate innobatum
Fas cum vocante sommum
A Castum petens cubile
Frontem locumque cordis
Crucis figura signet.
Crux pellit omne crimen,
Fugiunt crucem tenebre,
Tales dicata signo
Mens fluctuare nescit.
Procul o procul vagantum
Portenta somniorum,
Procul esto pervicax
Prestigiator estu.
O tortuose serpens,
Qui mille per meandros,
Fraudesque flexuosas
Agitans quieta corda.
B Discede, Christus hic est,
Hic Christus est, liquesce :
Signum quod ipse nosti
Damnat tuam caterbam.
Corpus licet fatescens
Iacet reclinet paululum.
Christum tamen sub ipso
Meditabimur sopore.
Gloria Deo Patri,
Et Christo vibo regi,
Paraclitoque sancto
Et nunc et in eternum. Amen.

Ymni de prima vigilia.

Obsidiones obvias
Paremus omnes carminum
C Contra tenebrarum ducem,
Contra tetrum satellitem.
Manus perarmet spes, fides,
Lumbos valens crux obtegat,
Cingamur ense spiritus
Propter timores noctium.
Ihesu manu fortissima
Salva fideles per fidem,
Everte adversos crucem
In pace cuncta protege.

[cxvii] *Alius.*

Adsunt tenebre prime
Noctis tetre excursus,
Cum canticis et ymnis
Nunc dedicemur omnes.
Num tempus illut hoc est,
D Quod Iheremias dicit,
Surgendum esse nobis
Primordio in noctis.
Nos spiritu perarma,
Invicta radix David ;
Disrumpe vincla noctis,
Et da iubar salutis.
Somni quies sit grata,
Mens pervigil resurgat,
Non sordidemur actu,
Nec spiritu grabemur.
Set corpore et mente
Spiritu ferbente

Vestigio impigro
Te consequamur, Christe.

Alius.

Noctis tetre primordia
In laudibus transegimus,
Nunc te precamur Trinitas,
Ut precinentes audias.
Tu omnibus da gratiam,
Tu fessa quoque alleba,
Errata dele crimina,
Exclude iuge scandalum.
Lux vera nos inluminet,
Mentis tenebras effuget;
Ut pax habundet omnibus,
Qui te Creator credimus,

Alius.

Quieti tempus adest,
Quod fessa membra quies
Obtineat innocens,
Et Christo vigilet mens.
Pelle a nobis Deus,
Rogamus, omne tetrum :
Anguis piscis malignus
Virusque mortiferum
Ut sub umbra alarum
Tutissima tuarum
Protecti maneamus ;
Ad tuasque laudes surgamus ;
Sit gloria et honor
Deo Patri, et Proli,
Paraclito quoequali
In seculorum seculis.
Amen.

Item Dominicales.

Christe qui lux es et dies,
Noctis tenebras detege.
Lux ipse lumen preferens,
Vitam beatam predicans.
Precamur, sancte Domine,
Defende nos in hac nocte;
Sit nobis in te requiem,
Quietam noctem tribue.
Ne gravis somnus inruat,
Hostis nobis subripiat,
Caro illi consentiat,
Et nos reos statuat.
Oculi somnium capiant,
Cor ad te semper vigilet,
Dextera tua protegat
Famulos, qui te diligunt.
Defensor noster aspice,
Insidiantem reprime,
Guberna tuos famulos,
Quos sanguine mercatus es.
Memento nostri Domine
In gravi isto corpore ;
Qui es defensor anime
Adesto nobis Domine.
Tetre noctis insidias
A Huius timoris libera ;
Tue lucis magnalia
Totum clerum inlumina.
Gloria Patri ingenito,
Gloria unigenito,
Una cum Sancto Spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

Alius.

Lucis Auctor clemens, lumen immensum,
Lumen, cuius fulget sanctus eternus
Christus, cum quo regnat quum ipso in unum :
Et Sanctus Spiritus una potestas.
Tetre noctis huius caliginem pelle,
Serpentisque fraude, quæsumus, fuga,
B Nos armatos crucis signaculo salva :
Sacrosancto tuo nomine dita.
Quos peccati mole gravide pressos
Sua mille formis fraude decepit
Se victorem gaudens quoque se victum
Cognoscat virtutem Omnipotentis.
Pater immortalis omnium pastor
Invidentem hostem frange fuscantem;
Lumen nobis prebe perhenne de sancto
Tenebroso calle non pabeamus
Redemtor eterne Rex ommis terre,
[CXVIII] Delictorum pius gemitus adtende
Insidiantem hostem confringe salvator,
Nos eterne vite redde beatos.
Noctem nobis istam dona quietam :
C Inimicum hostem fuga a nobis :
Crucis signum vincat omne inimicum
Te, Christe, rogamus mane nobiscum.
Gloria, et honor, potestas, et virtus
Ingenito Deo, Genitoque Christo,
Spirituique simul Paraclito sancto;
Cuius verbo claret secula cuncta.

Ymnus ad quietem.

Tempus sopori congruum
Adest, quies sit temporum,
Stratum rigemus lacrimis,
Lectum labemus fletibus
Precelleamur simbolo
Succedat hinc oratio ;
Hinc osculantes invicem
D Armemur ipsi per crucem.
Sic fessa membra lectulo
Demus sub illo iudice,
Qui sic quiescentes excubat,
Ut dormientes protegat.
Discedat turba demonum,
Liquescet ars satellitum
Per nomen hoc crucis sacre,
Que te tuosque dissicet.
At tu Creator omnium
Procul repelle tedium,
Adversa cuncta dissices,
Tranquilla queque conferas.

A *Ymni de medium noctis.*

Quod convolutis artubus
Somno gravatis torpunt
Delumens in somnio
Turpique fluxu in semine :

Fusis Pater piissime
Expostulamus fletibus,
Ut iam recedant sordida
Libidinum fantasmata.

Laba quod hostis polluit,
Quod sordidabit innova ;
Mundemur omnes sordidis
Carnis grabate spiritus.

Presta...

Alius.

B Surgentes ad te Domine
Atre noctis silentio,
Vigiliis obsequiis
Patrum sequentes ordinem,

Quem nobis dereliquerunt
Iure hereditario,
Ministrantes excubiis
Tibi sancte Paraclite

Pari cum Patre clarus es
Quum Christo subtilissimus
Multismodus Spiritus
. . . .

Grex tuus tibi deditus
Nullo tenatur crimine,
Quem tuo Christe sanguine
C Voluisti redimere.

Obes errantes previde
Pastor bone piissime,
Ad aulam celsitudinis
Tuis reporta humeris.

Tabefactus est saucius,
Abscedat princeps demodum,
Perdat predam de faucibus
Insatiata rabies.

Exultet Christus Dominus,
Psallat corus angelicus,
Laudes sonent in organo
Ter Sanctus dicat Domino.

Alius.

Ihesu defensor omnium
D Protector et mirabilis,
Sueta noctis advenit
Et nos sopore dediti

In tuo Christe nomine
Qui custus et defensor es,
Et vigilemus spiritu,
Ut mereamur lampades.

Cantores tuos Domine,
Quos iubes nocte surgere
Ad invocandum tuum nomen,
Quod nobis est laudabile ;

Quem omnis terra metuit
Pro tanta magnitudine
Sequamur in laude tua,
Quod pie Sancte poscimus.

Ymnorum concors personet
De corde te canentium
Sequamur tanti gaudii
Promissa Sancti Spiritus.

Clamor in nocte factus est,
Ihesus ingressus ianuis
Et vigilantes provocat
Intrare sancta regia.

Gaudet sponsus virginum
Ingressus in cubilo,
Ubi coronas martirum
Refulgent ante Dominum.

[CXIX] Mercedem tante glorie
Daturus es credentibus,
Quod nobis sitit animus
Sic mereamur consequi.

Medium noctis tempore
Profetica vox admonet
Dicamus laudes Domino
Patri semper et Filio,

Sancto quoque Spiritui ;
Perfecta enim Trinitas
Uniusque substantie
Laudanda semper nobis est.

Medium noctis tempore
Pergens vastator angelus,
Egipto mortem inferens
Diluit primogenita,

Hec ora iustis salus est
In quo se victus angelus
Ausus punire non fuit.
Signum formidans sanguine.

Egiptus flebat fortiter
Tantarum dira funera,
Solus gaudebat Srahel
Agni protectus sanguine.

Nos vero Srahel sumus,
Letemur in te Domine,
Hostem prosternentes malum
Christi defensi sanguine.

Medium noctis tempore
Per voce evangelica
Venturus spossus creditur
Regni celestis Conditor,

Occurrent sancte virgines
Obviam tunc adventui,
Claras gestantes lampades,
Magno letantes gaudio.

Stulte foris remanent,
Qui extinctas habent lampades,
Frustra pulsantes ianuam
Clausam iam regni regiam.

Quare vigilemus sobrie
Stantes mente splendidi,
Ut adveniente Ihesu
Digni occurramus obviam.

Medium noctis tempore
Paulus quoque et Sileas

Pro Christo vincti in carcere
Laudantes resoluti sunt.
Nobis hic mundus carcer est
Christe resolve vincula,
Nostra relaxa crimina
In te sancte credentium.
Dignos nos fac Rex agie
Venturi regni glorie,
Eternis ut mereamur
Te laudibus concinere,
Presta...

Ymni de nocturnos.

Primo dierum omnium
Quo mundus exstat conditus,
Vel quo resurgens Conditor
Nos morte victa libera
Pulsis procul torporibus
Surgamus omnes ocius,
Et nocte queramus pium
Sicut Profetam novimus.
Nostras preces ut audiat.
Suamque dextram porrigat,
Et hic piatos sordibus
Reddat polorum sedibus.
Ut quique sacratissimo
Huius diei tempore
Horis quietis psallimus
Donis beatis muneret.
Iam nunc paterna claritas
Te postulamus affatim,
Absit libido sordidans
Omnesque actus noxius.
Ne feda sit vel lubrica
Compago nostri corporis,
Per que aberni ignibus
Ipsi crememur acrius.
Ob hoc Redemtor quesumus,
Ut probra nostra diluas,
Vite perhennis commoda
Nobis benignus conferas.
Quo carnis actu exules
Effecti ipsi celibes
Ut prestolantes cernui
Melos canamus glorie.
Presta....

V Feria.

Tu Trinitatis unitas
Orbem potenter qui regis,
Adtende laudum cantica,
Que excubantes psallimus.
Nam lectulo consurgimus
Noctis quieto tempore,
Quo flagitemus vulnerum
A te medellam omnium.
Ut quod suasi fraudibus
Satellitum deliquimus,
Abstergat illut celitus
Tua potestas glorie.
Ne corpus adsit sordidus,
Ne torpor instet cordium,
[cxx] Et criminis contagio
Tepescat ardor spiritus.
Ob hoc Redemptor quesumus
Reple tuo nos munere,
Per quod dierum circulis
Nullis ruamur actibus.

VI Feria.

Summe Deus clementie
Mundique factor macine,
Unus potentialiter
Trinusque personaliter
Nostros pius quum canticis
Fletus benigne suscipe,
Quo corda pura sordibus
Te perfruamur largius.
Lumbos iecurque morvidum
Adure igni congruo,
Accincti ut sint perpetim
Luxu remoto pessimo.
Ut quique oras noctium
Nunc concinendo rumpimus,
Donis beate patrie
Ditemur omnes affatim

Sabbato.

Tu rex redemtor omnium,
Qui cuncta que creata sunt,
Certis in evum legibus
Disponis adque ordinas.
Nocturnis oris surgimus,
Actus iniquos pandimus,
Nostrique oris organum
Te laudat ymnis dulcibus.
Ut turba quodque demonum
Corrupit astu proprio,
Parcendo cures omnia
Et dona vite conferas.
Ne ipsa plebs nequissima
Auctrique cuncti criminis
Nos ad perhenne incendium
Secum cremandos adtraat.
Ad nunc gementes poscimus
Tuam Deus potentiam,
Ut nos ab omni liberos
Reddas cito piaculo

II Feria.

Somno refectis artubus
Spreto cubili surgimus,
Nobis Pater canentibus
Adesse te deposcimus.
Te lingua primum concinat,
Te mentis ardor ambiat,
Ut actuum sequentium
Tu Sancte sis exordium.
Cedant tenebre lumini,
Et nox diurno sideri,
Ut culpa quam nox intulit,
Lucis labescat munere.
Precamur idem supplices,

Noxas ut omnes amputes, A
Et ora te canentium
Lauderis in perpetuum.

III Feria.

Consors paterni luminis,
Lux ipse lucis et dies,
Noctem canendo rumpimus,
Assiste postulantibus.
Aufer tenebras mentium,
Fuga caterbas demonum,
Expelle somnulentia,
Ne pigritantes obruat.
Sic Christe nobis omnibus
Indulgeas credentibus,
Ut prosis exorantibus,
Quod precinentes psallimus. B

IV Feria.

Rerum Creator obtime,
Rectorque noster aspice,
Nos a quiete noxia
Mersos sopore libera.
Te Christe sancte poscimus,
Ignosce tu criminibus,
Ad confitendum surgimus,
Morasque noctis rumpimus.
Mentes manusque tollimus
Profetam sic in noctibus
Nobis gerendum precipit,
Paulusque gestis censuit.
Vides malum quod gessimus,
Occulta nostra pandimus, C
Preces gementes fundimus,
Dimitte quod peccabimus.

Item allii ad galli cantum.

Noctis tempus iam preterit. *Fol.* 257.

Alius.

Gallo canente venimus. *Fol. eodem.*

Alius.

Hac noctis hora prescius. *Fol eodem.*

[cxxi] *Alius.*

In matutinis surgimus. *Fol.* 103.

Ymnus Dominicalis ad pullorum cantu.

Eterne rerum Conditor. *Fol.* 3.

Ymnus Dominicalis ad Matutinum.

Te Deum laudamus : Te Dominum confitemur, *fol.* cxxvi D

Incipiunt ymni Matutinarii cotidiam

Splendor paterne glorie
De luce lucem proferens
Dux lucis et fons luminis
Dies diem inluminans
Verusque sol inlabere
Micans nitore perpetim
Iurbaque Sancti Spiritus
Infunde nostris sensibus
Votis vocemus te Patrem
Patrem perhennis glorie
Patrem potentis gratie
Culpam relegit lubricam
Informet actus strenuos
Dentem retundat invidi
Casos secundet asperos

. . . .

Hic in Codice desiderantur saltim duæ, vel forsam plures paginæ:

Ore peractus circulus
Deo sacratum promere
Ymnum perennis glorie.
Exurge Ihesu, alleba
Cordis rei fastidia,
Ut lingua clare concinat
Laudis tue magnalia.
Infunde lumen spiritus,
Da caritatem cordibus,
Quo te Deum per omnia
Laudemus semper secula.
Amen.

Ymnus de Tertia.

Certum tenentes ordinem,
Pio poscamus pectore
Hora diei tertia
Virtutem Trini nominis.
Ut simus habitaculo
Illi Sancto Spiritui,
Qui condam in Apostolis
Hac ora distributus est.
Quo gradientes ordinem
Ornavit cuncta splendide
Regni celestis Conditor
Eterne vite premiis.

Alius.

Te magestatis Domine
Trino pollentes nomine
Precamur tui famuli.
Libens ut nos exaudias.
Errata nostra dilue.
Vocem clamoris accipe
Largire te fabentibus [fatentibus]
Regni celestis premia.

Alius.

Nunc Sancte nobis Spiritus,
Unus [Unum] Patri cum Filio,
Dignare promtus ingeri
Nostro refusus pectore.
Hos, lingua, mens, sensus, vigor
Confessionem personet,
Flammescat igne caritas,
Accendat ardor proximos.

Ymnus de Quarta.

Qui amne nunc quadrifluo
Evangelistarum rigas
Mundi quaternos cardines,
Audi precamur supplices.
Scelus dimitte proprium,
Aufer tepores mentium,
Omnesque dignos effice
Conpunctionis munere.
Corpus libido non terat,

Non ira mestis subrepat,
Informet actum veritas
Servet pudorem castitas.

Ymnus de Quinta.

Qui toth libri per Moysen
Evum ruentem intruis,
Quod sensibus nos corporis
Regis Redemptor precipis.
Fac nos tuis in legibus
Sic permanere perpetim,
[CXXII] Quo spiritu et corpore
Concinamus naviter.
ep elle quod pabescimus ;
Concede quod te poscimus :
Ut te pium mitissimum
Laudemus in perpetuum.

Ymnus de Sexta.

Rector potens verax Deus,
Qui temperas rerum vices,
Splendore mane instruis,
Et ignibus meridiem.
Extingue flammas litium,
Aufer calorem noxium,
Confer salutem corporum,
Veramque pacem cordium.

Alius.

Iam cursus ore sexies
Rotat diei tempore,
Nos admonet per omnia
Laudes deferre devitas.
Nunc Petrus orans, gentibus
Fidem futuram prospicit,
Nunc viba Christus femine
Instat fluenta tradere.
Hoc solus evo mistico
Tres Patriarcha ospitat
Carnis figure nuntios
Tub Trinitatis numine [numine],
Perfecta summi calculi
Hec prima constat partibus,
Que ducta sese perficit,
Tenetque mundi fabricam.
Hec nempe Christi conditam [condita]
Manet tua potentia ;
Cuius potestas glorie
Per cuncta regnat sæcula.

Ymnus de Septima.

Auctor perennis glorie,
Qui septiformis gratie
Das Spiritum credentibus
Adsiste mitis omnibus.
Expelle morbos corporum,
Mentes [Mentis] remobe scandalum,
Rescinde virus criminum,
Fuga dolores cordium.
Ut quum preces susceperis
Clemens tuarum plebium,
Redamus omnes gloriam
Trino Deo per sæcula.

Ymnus de Octava.

Octavus ore circulus
Iam vergit et nos instruit,
Diem futuri examinis
Deflere cum suspiriis.
Septem dierum cursibus
Nunc tempus omne ducitur
Octavus ille ultimus
Erit dies iudicii.
In quo Redemptor seculi
Non nos in ira arguas,
Set a sinixtris libera,
Ad dextram nos conloca.

Ymnùs de Nona.

Fundere preces tempus est,
Diei cursus admonet
Canere laudis canticum
Tibi Redemptor omnium.
Serenam mentem effice,
Opus honestum perfice,
Precem orantum accipe,
Vitam perennem tribue.

Alius.

Convexa solis orbita
Nobem voluta circulis,
Ore peracto tramite
Ter conficit ternario.
Hoc passionis tempore
Complevit Auctor omnium,
Nunc ad laborem vince
Misit vocatos servulos.
Hac Petrus ora mistica
Clodi resolvit vincula :
Nunc visionum conditor
Terno recursus terminat.
In hac canamus gloriam
Cum voce puris mentibus
Deo creanti prospera
Peracta iustis secula.

Ymnus de Decima.

Iam dena nos preceptio
Legis sacrate premonet;
Ut in tenebris seculi
[CXXIII] Non militemur crimini.
Ob hoc Deus te poscimus,
Ut nos placatus corrigas.
Offensa nostra diluas,
Adversa quoque arceas.
Tu esto nostrum gaudium,
Quis es futurum premium,
Sit nostra in te gloria
Per cuncta semper secula

Ymnus de Undecima.

Horis peractis undecim.
Ruit dies in vesperum,
Solbamus omnes devitum
Mentis benigne canticum,
Labor diurnus transit,

Quo Christe nos conduxeras.
Da iam colonis vinee
Promissa dono gratia.
Mercedem quoque advocas,
Quos ad futurum muneras.
Nos in labore adiuba.
Et post laborem recrea,

Ymnus de Duodecima.

Quodquod: diem determinant
Hore Deus piissime,
Laudes honores debitas
Persolbat iste grex tibi.
Iacet nunc dies in vesperum,
Transit supernus lucifer,
Exurge, mentes innoba
A Iam spirituali gratia.
Discedat umbra criminum
Pellatur ira demonum
Cubile nostrum visita
Tua Deus custodia.

Ad Vesperum.

Rerum Deus tenax vigor
Immotus in te permanens
Lucis diurna tempora
Succesibus determina.
Largire clarum vespere
Quo vita nusquam decidat,
Set premium mortis sacre
Perennis instet gloria.

INCIPIUNT HORÆ CANONICÆ

[CXXIV] INCIPIT AURORA,

QUÆ ANTE PRIMAM RECITATUR IN DIEBUS FERIIS PER TOTUM ANNUM.

Antiphona. Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.

Psalmus LXIX. Deus in ajutorium meum intende. *Folio* XXVIII. CXVIII. *Psalmus David.* Beati immaculati in via. In quo corrigit juvenior viam suam. Retribue servo tuo, vivam. *Fol.* LII.

Reiteretur Antiphona. Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lauda. Alleluia, alleluia, alleluia. Præveni in maturitate, et clamavi: quia in verbo tuo supersperavi. P. Alleluia. ℣. Prævenerunt oculi mei, Deus, ad te diluculo: ut meditarer eloquia tua. P. Alleluia.

Hymnus.

Jam meta noctis transiit,
Somni quies jam præteriit
Aurora surgit fulgida,
Spargit cœlum lux nova.
Sed cum diei speculum
Cernamus hinc nos omnes,
Ad te, superne Lucifer,
Preces necesse est fundere.
Te lucis Sancte Spiritus,
Et charitatis actibus
Ad instar illud gloriæ
Nos innovatos effice,
Præsta, Pater Piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.

℣. Exurge, Domine, adjuva nos; et libera nos propter nomen tuum.

B *Vel alius Vers.* A vigilia matutina usque ad noctem, Deus sancte, custodi nos.

Alius Vers. Adjutor, et liberator noster et tu Domine, ne tardaveris ad salvandum nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, qui es in cœlis: ℟. Amen. Sanctificetur nomen tuum: ℟. Amen. Adveniat regnum tuum: ℟. Amen. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra. ℟. Amen. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: ℟. Quia Deus es. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. ℟. Amen. Et ne nos inducas in tentationem: ℟. Sed libera nos a malo.

A malo nos libera, et in tuo timore, et opere bono nos confirma Trinitas Deus noster; tibique serviamus Deo, ac Domino nostro servitute perenni: Qui C vivis, et omnia regis nunc, et in æterna sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Preces. Deus miserere, Deus miserere: Deus miserere infirmis, oppresis, dispersis, captivis, itinerantibus, navigantibus, tribulantibus, pænitentibus: et defunctis fidelibus cito succurre. Pater Cœlestis.

Aliæ Preces. Deus miserere, Deus miserere, Deus miserere: Miserere nobis, Domine, miseris: Miserere famulis tuis; Miserere infirmis, miserere oppressis, miserere captivis, miserere peregrinis, miserere navigantibus, miserere itinerantibus, miserere pænitentibus, miserere lugentibus, miserere peccatoribus: Tu Christe parce Christianis viventibus cunctis; quoniam meritorum nostrorum diversis atterimur malis: et quia coram te propriam fatemur D miseriam, misericordiæ tuæ opem in nobis sentiamus; et operum medelam et requiem jubeto præstare omnibus fidelibus defunctis. Amen.

INCIPIT ORDO PRIMÆ,

QUÆ DEBET DICI PER TOTUM ANNUM

Antiphona. Prævenerunt oculi mei. Deus, ad te diluculo: ut meditarer eloquia tua. 2. Prævenerunt. Gloria, et honor. 3. Prævenerunt.

Psalmus LXVI. *Psalmus* CXLIV. *Psalmus* CXLIV. Regnum tuum, Domine, regnum, etc. *Psalmus* CXII. [CXXV] CXVIII. *Psalmus David.* Adhæsit pavimento anima mea. Legem pone mihi Domine. Veniat super nos misericordia tua, Domine. *Fol.* LII *et* LIII.

Antiphona. Prævenerunt oculi mei, Deus, ad te diluculo : ut meditarer eloquia tua.

Responsorium diebus ferialibus. Adjutor, et liberator noster es tu, Domine. ℣. Deus in nomine tuo salvum me fac : est in virtute tua judica me. *P.* Es tu, Domine. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto : et nunc, et semper in sæcula sæculorum. Amen. *P. Reiteretur Responsorium.* Adjutor et liberator.

Responsorium aliud feriale. Adjuva nos Deus salutaris noster : ℣. Et propter honorem nominis tui B Domine libera nos. *P.* Salutaris noster. ℣. Gloria, et honor. *P.* Adjuva nos, etc.

De Confessore Responsorium. in conspectu Angelorum psallam tibi, Domine Alleluia : ℣. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor tibi, Domine. *P.* Psallam. ℣. Gloria et honor.

Responsorium de uno justo sive Martyre. De ore justi procedit doctrina. Alleluia, alleluia: Favum mellis distillant labia ejus. ℣. Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium. P. Favum mellis. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur* ℟.

De Sanctis sive de Martyribus Responsorium. Vincula Sanctorum jam soluta sunt; et plagæ eorum jam sanatæ sunt : quasi navigantes de mundo ferebantur in cœlum. ℣. Qui sunt isti, qui ut C nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas ? *P.* Ferebantur. ℣. Gloria, et honor.

In Quadragesima diebus Feriis Responsorium. Quærite primum regnum Dei: et hæc omnia apponentur vobis. ℣. Quærite Dominum, et confortamini : quærite faciem ejus semper. *P.* Et hæc omnia. ℣. Gloria. *P.* Quærite.

In Quadragesima diebus Dominicis Responsorium. Servi Dei benedicite Dominum, et collaudate regem sæculorum. Quia oportet semper orare et numquam deficere. ℣. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. *P.* Quia oportet. ℣. Gloria.

De Adventu Domini Responsorium. Montes filiæ Sion ramos vestros extendite, et germinate, et fructum jocunditatis averte populo Dei Israel : quoniam veniet dies Domini. ℣. Laudate cœli, et exulta terra, jubilate montes laudem : ℣. Et fructum D jocunditatis. *P.* Gloria.

De Nativitate Domini Responsorium. Splendet hodie cœlum, et terra : quia Salvator nobis natus est ad redimendum peccata nostra. Ipse est Dominus Deus noster. ℣. Parvulus enim natus est nobis et filius datus est nobis : *P.* Ipse est Dominus. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur* ℟.

In diebus festivis per totum annum Responsorium. Lux tua, Domine, luceat super nos : et majestas tua illuminet nos Alleluia : Ut spiritu tuo repleti, non timeamus insidias inimici. Alleluia, alleluia. ℣. Illumina, Domine, vultum tuum super nos, et miserere nobis. *P.* Ut spiritu tuo repleti. ℣. Gloria, et honor. *P.* Lux tua. Domine, etc. *Vel dicatur istud Responsorium in Octivis Nativitatis.*

Lectio libri Zachariæ Prophetæ (*Cap.* VIII).

Hæc dicit Dominus : Reversus sum ad Sion, et habitabo in Hierusalem : et vocabitur Hierusalem Civitas veritatis, et mons Domini exercituum mons sanctificatus. ℟. Amen.

Epistola Pauli Apostoli ad Romanos (*Cap.* XIII).

Fratres, Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo a nobis opera tenebrarum, et induamus nos arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus : non in comessationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus, et impudicitiis, non in contentione, et æmulatione : sed induimini Dominum nostrum Jesum Christum. ℟. Amen.

Lauda. Alleluia. Cantabo Domino in vita mea. *P.* Alleluia : ℣. Psallam Deo meo quandiu ero. *P.* Aleluia.

Lauda. Alleluia, Dextera Domini fecit virtutem *P.* Alleluia : ℣. Dextera Domini exaltavit nos. *P.* Alleluia, alleluia.

Et nota, quod in tempore Quadragesimæ non dicitur Alleluia *in ista Lauda.*

Hymnus.

Jam lucis orto sidere
Deum precemur supplices,
Ut in diurnis actibus
Nos servet a nocentibus.

Linguam refrænans temperet,
Ne litis error insonet :
Visum fovendo contegat,
Ne vanitates hauriat.

Sint pura cordis intima,
Absistat et vecordia :
[CXXVI] Carnis terat superbiam
Potus cibique parcitas :

Ut, cum dies abscesserit,
Noctemque sors reduxerit,
Mundi per abstinentiam
Ipsi canamus gloriam.

Iam nos secundæ præmonet
Horæ peractus circulus,
Deo sacratum promere
Hmnum perennis gloriæ.

Exurge Jesu alleva
Cordis rei fastidia ;
Ut lingua clare concinat
Laudis tuæ magnalia.

Infunde lumen Spiritus
Da claritatem cordibus ;
Quo te Deum per omnia
Laudemus semper secula.

Amen.

℣. Bonum est confiteri Domino, *P.* Et psallere nomini tuo Altissime.

De Resurrectione Responsorium. Dicite in nationibus Alleluia : Dominus regnavit a ligno Alleluia, alleluia. ℣. Etenim correxit orbem terræ, quæ non

commovebitur. *P.* Dominus regnavit. ℣. Gloria, et A honor. *Reiteretur* Dicite.

Hymnus.

Aurora lucis rutilat:
Cœlum laudibus intonat:
Mundus exultans jubilat:
Gemens infernus ululat.
Cum rex ille fortissimus,
Mortis confractis viribus,
Pede conculcans tartara
Solvit a pœna miseros.
Ille, qui clausus lapide
Custoditur sub milite;
Triumphans pompa nobili,
Victor surgit de funere.
Solutis jam gemitibus,
Et inferni doloribus:
Quia surrexit Dominus,
Resplendens clamat Angelus
Tristes erant Apostoli
De nece sui Domini,
Quem pœna mortis crudeli
Servi damnarunt impii.
Sermone blando Angelus
Prædixit mulieribus:
In Galiæa Dominus
Videndus est quamtocius.
Illæ dum pergunt concitæ.
Apostolis hæc dicere:
Videntes eum vivere,
Osculant pedes Domini.
Quo agnito Discipuli
In Galilæam propere
Pergunt, videre faciem
Desideratam Domini.
Claro paschali gaudio
Sol mundo nitens radio,
Cum Christum jam Apostoli
Visu cernunt corporeo.
Ostensa sibi vulnera
In Christi carne fulgida,
Resurrexisse Dominum,
Voce fatentur publica.
Rex Christe clementissime,
Tu corda nostra posside;
Ut tibi laudes debitas
Reddamus omni tempore.
Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Cum Patre, Sancto Spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

℣. Bonum est confiteri Domino, *P.* Et psallere nomini tuo Altissime.

Et istud, quod sequitur, videlicet Canticum Benedictus Dominus Deus. *Et Psalmus* L *debet semper dici per totum annum in diebus Ferialibus, excepto tempore Resurrectionis.*

Canticum. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum. *Fol.* 6, *Psalmus* L.

Et nota, quod in diebus Dominicis, et festivis debet semper dici Canticum Te Deum laudamus. *Et Canticum* Gloria in excelsis. *Et Symbolum* Credimus in unum Deum.

Canticum.

Te Deum laudamus; te Dominum confitemur;
Te æternum Patrem omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli, tibi Cœli. et universæ potestates:
Tibi Cherubim ac Seraphim incessabili voce proclamant:
Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.
B Pleni sunt cœli et terra gloria majestatis tuæ,
Te gloriosus Apostolorum chorus;
Te prophetarum laudabilis numerus;
Te Martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia
Patrem immensæ majestatis,
Ad venerandum tuum verum unigenitum Filium,
Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.
[cxxvii] Tu es rex gloriæ Christe.
Tu Patris sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum:
Tu, devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus te regna cœlorum:
Tu ad dexteram Dei sedes in gloria Patris:
Judex crederis esse venturus.
Te ergo quæsumus; tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti:
Æterna fac cum sanctis tuis in gloria numerari.
Salvum fac populum tuum Domine; et benedic hereditati tuæ:
Et rege eos: et extolle illos usque in sæculum et in sæcula sæculorum. Amen.
Per singulos dies benedicimus te:
Et laudamus nomen tuum in æternum et in sæculum sæculi.
Dignare, Domine, die isto: sine tribulatione et peccato nos custodire.
Miserere nobis, Domine, miserere nobis.
D Fiat misericordia tua, Domine, super nos; sicut speravimus in te.
In te Domine speravi, non confundar in æternum.
Parce, Domine, parce populo tuo: et ne des in obprobrium hereditatem tuam.

Canticum Angelorum.

Gloria in excelsis Deo: Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te, Benedicimus te, Adoramus te, Glorificamus te: Hymnum dicimus tibi. Gratias tibi agimus propter gloriam tuam magnam, Domine Deus Rex cœlestis Deus Pater omnipotens, Domine Filii unigenite Jesu Christe Altissime. Domine Deus, agnus Dei, Filius Patris, Qui tollis pec-

cata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus, Tu solus Dominus, Tu solus Altissimus, Jesu Christe, Cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

Symbolum Apostolorum.

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, Factorem cœli et terræ, visibilium et invisibilium conditorem. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, Ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum ex Deo, Lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, Natum, non factum (Homousion Patri; hoc est, ejusdem cum Patre substantiæ :) per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo, et quæ in terra : Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis, * Et incarnatus est de Spiritu Sancto : natus ex Maria Virgine : homo factus est. Passus sub Pontio Pilatio : Sepultus : Tertia die resurrexit : Ascendit in cœlos : sedet ad dexteram Patris ; Iterum venturus est in gloria judicare vivos et mortuos : cujus regni non erit finis. Credimus in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, ex Patre et Filio procedentem, Cum patre, et Filio simul adorandum, et glorificandum : qui locutus est per Prophetas ; In unam sanctam catholicam atque Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum, Et vitam futuri sæculi. Amen·

℣. Satiati sumus mane misericordia tua : et exultavimus, et lætati sumus in omnibus diebus nostris.

Supplicatio. Oremus pium et exaudibilem Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus : ut nostri agonis cursum ad finem bonorum operum, et supernæ beatitudinis propitius perducere dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison. ℟. Christe eleison. Kyrie eleison.

Capitula 3 in diebus Festivis. Deus ad adjuvandum nos festina ; ne aut inimicus prævaleat, dum differs adjutorium ; aut desperatio succedat, dum retardas auxilium : utramque tuam opitulationem oppone et piam cautionem nobis et omnibus Christianis impende : ut qui fiduciam nostram in tua collocamus virtute, semper tua muniamur Divinitate.

Pater noster.

A malo nos libera. *Fol.* 10.

Benedictio. Benedicat Dominus rector æternus. ℟. Amen. Protegat, muniat, et ab omni malo defendat ; ℟. Amen. Ut ereptos a malis heredes constituat in cœlis. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius.

Capitula Ferialis. Deus, in adjutorium nostrum intende ; Domine, et ut nos adjuves, festinans aggredere : tribue itaque vires explendi quod novimus, et perfectioni deputa quod optamus.

Pater noster.

A malo nos libera. *Fol.* 10.

[CXXVIII] *Benedictio.* Sit veritas, et misericordia divina nobiscum ; ut superare valeamus in bonis actibus inimicum. ℟. Amen. Exultet in suo beneficio cor nostrum, ut decidant a nobis cuncta vulnera delictorum. ℟. Amen. Dextera ejus imbuat miseratoris triumphum, quo veternosi hostis, Christo gubernante, conteramus aculeum. ℟. Amen.

Capitula Dominicalis. Ad te, Domine, effundimus desiderium cordis nostri ; cum lachrymis precamur, ut audias vocem nostri clamoris, et effectum dona petitionibus nostris : Estoque nobis, Domine, in omnibus bonis adjutor promptissimus, in periculis liberator assiduus : pelle a nobis dolum, interime vitium. Præsta alternæ dulcedinis incrementum. Sit nobis correptio morum indulgentia criminum ; ut orationem nostram accipias ; peccata dimittas ; fide repleas ; indulgentia foveas ; misericordia protegas : adversa destruas ; prospera concedas ; habeamus in hoc sæculo bonæ actionis documentum ; castitatis donum : charitatis studium ; sancti amoris affectum ; et in futuro cum sanctis Angelis adipiscamur regnum : et propter magnam misericordiam tuam defunctis omnibus fidelibus Christianis sempiternam requiem dona.

Pater noster.

A malo nos libera. *Fol.* 10.

Benedictio. Benedicat nos omnipotens Dominus cœlestibus bonis, et repleat spiritualibus donis. ℟. Amen. Concedat nobis charitatem, gaudium, patientiam, mansuetudinem, spem, fidem et continentiam : ℟. Amen. Ut repleti omnes bonis ejus, ad C æternam vitam beatitudinis pervenire possimus. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

INCIPIT ORDO CANTANDUS VEL RECITANDUS AD TERTIAM.

Antiphona. Præoccupemus faciem eius in confessione : et in psalmis jubilemus ei. *Psalmus* XCIV. CXVIII. *Psalmus David.* Memento verbi tui servo tuo, Portio mea, Domine. Jucunditatem fecisti cum servo tuo. *Fol.* LIII.

Antiphona. Præoccupemus faciem ejus in confessione : et in psalmis jubilemus ei.

In diebus Festivis Responsorium. Defensor juste, defende nos : et libera nos de manu inimicorum nostrorum. ℣. Deus in nomine tuo salvos nos fac : et D in virtute tua. P. Libera nos de manu. ℣. Gloria. et honor. *Reiteretur Responsorium.*

In diebus Ferialibus Responsorium. Da nobis, Deus, auxilium in tribulatione : quia vana est salus hominis. ℣. In Deo faciemus virtutem : et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos. P. Quia vana est. ℣. Gloria, et honor.

In Quadragesima diebus Feriis Responsorium. Deprecemur Dominum : et placabilis erit nobis. Et exaudiet nos, et miserebitur nobis. ℣. Venite, exultemus Domino : jubilemus Deo salutari nostro. Et exaudiet nos. ℣. Gloria, et honor.

In diebus Dominicis carnalibus Responsorium. Mi-

sericordiam, et judicium cantabo tibi Domine: Alleluia, alleluia. ℣. Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus tuæ. P. Cantabo tibi, Domine. Alleluia, alleluia. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur Responsorium.* A

Lectio libri Levitici (*Cap.* XXVI).

Ɽ. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea. Habitabo inter vos, et ero vester Deus, vosque eritis populus meus, et ego Dominus Deus vester. Ɽ. Amen.

Epistola Pauli Apostoli ad Ephesios (*Cap.* V).

Ɽ. Deo gratias.

Fratres, Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi: et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis. Ɽ. Amen. B

Lauda. Alleluia, alleluia, Magnus Dominus noster et magna virtus ejus: P. Alleluia. ℣. Et sapientiæ ejus non est numerus. P. Alleluia.

Lauda. Alleluia, alleluia, alleluia. Deus exaudi orationem nostram. P. Alleluia, alleluia: ℣. Et clamor noster ad te perveniat. P. Alleluia, alleluia.

Et nota, quod in tempore Quadragesimæ non dicitur Alleluia *in ista Lauda.*

Hymnus.

Certum tenentes ordinem,
Pio poscamus pectore
Hora diei Tertia
Virtutem trini numinis. C
Ut simus habitaculum
[cxxix] Illi Sancto Spiritui.
Qui quondam in Apostolis
Hac hora distributus est:
Quo gradientes ordine,
Ornavit cuncta splendide
Regni cœlestis Conditor
Æternæ vitæ præmiis.
Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Clamores. 1. Non secundum peccata nostra facias nobis, Deus: neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. 2. Non secundum. 3. Non secundum peccata. ℣. Sed secundum multitudinem miserationum tuarum miserere nobis, Domine. D

Supplicatio. Oremus pium et exaudibilem Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut nobis gratiam misericordiæ suæ, et delictorum veniam propitius donare dignetur. Ɽ. Præsta æterne.

Kyrie eleison. Ɽ. Christe eleison. Kyrie eleison.

Capitula. Domine Jesu Christe, [Fili Dei Patris, qui hora diei tertia in Crucis suspensus patibulo, totius mundi delictum tuo abluisti supplicio, eodemque horæ curriculo super capita Apostolorum tuorum igne Sancti Spiritus dedisti donum: te quæsumus, et rogamus, ut eo munere corda nostra irradies, et animas benedicas.

Pater noster.

Benedictio. Benedicat nos trina majestas, et una Deitas: Ɽ. Amen. Pater et filius, et Spiritus Sanctus. Ɽ. Amen. Tales nos dies examinationis inveniat, quales fons regenerationis emisit. Ɽ. Amen.

De Adventu Domini Responsorium. Veniet Dominus, et apparebit in medio filiorum populi sui. De manu impiorum liberabit eos, et de morte redimet illos. ℣. Dominus omnipotens suscitabit justum nobis. Et ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum. P. Et de manu impiorum liberabit eos. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur Responsorium.*

Aliud. Ecce Dominus veniet, Redemptor noster sanctus Israel, Coronam regni habens in capite suo, ℣. Attendite ad me populus meus: et tribus mea me audite: quia prope est justus meus, et egressus est Salvator meus, P. Coronam regni habens in capite suo.

Aliud. ℣. Aspiciebam in nubibus Cœli; et quasi Filius hominis veniebat, P. Coronam regni. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur.*

Resposorium. Quare tardas, Deus? Veni: et libera populum tuum; te enim expectat omnis Israel. ℣. Veni, Domine, noli tardare: relaxa facinora plebis tuæ; P. Te enim expectat. ℣. Gloria, et honor.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* XXXV).

Ɽ. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: Lætabitur deserta et invita, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium. Germinans germinabit et exultabit lætabunda et laudans: gloria Libani data est ei: decor Carmeli, et Saron; ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri. Ɽ. Amen.

Epistola Pauli Apostoli ad Philippenses (*Cap.* IV).

Ɽ. Deo gratias.

Fratres, gaudete in Domino seмper: et iterum dico gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus prope est. Nihil soliciti sitis: sed in omni oratione, et obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. Et pax Christi, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda, et corpora vestra, et intelligentias vestras, per fidem, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Ɽ. Amen.

Lauda. Alleluia, alleluia. Veni, Domine, et appare populo tuo: P. Alleluia. ℣. Et relaxa facinora eorum. P. Alleluia.

Hymnus.

Te majestatis Domine,
Trino colentes nomine,
Precamur tui famuli;
Libens ut nos exaudias.
Errata nostra dilue;
Vocem clamoris accipe;
Largire te fatentibus
Regni cœlestis præmia.

A Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

In Tempore Spiritus Sancti. Gloria tibi Trinitas. *Fol.* 422.

[cxxx] *Supplicatio.* Oremus pium, et exaudibilem Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut nos gratia adventus sui nobis de die in diem cor novum, et spiritum rectum propitius innovare dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus.

Capitula. Tertia jam, Domine, diei surgit hora, in qua Spiritum Sanctum in Apostolorum cordibus infundere dignatus es; et ut variis loquerentur in lin- B guis, eorum faucibus resonasti: Præsta ergo, æterne omnipotens Deus, ut sicut in eodem tempore os eorum in tuis laudibus apperuisti, ita quoque nos in futuro tuam misericordiam consequi mereamur.

Pater noster.

Benedictio. Custodiat nos Dominus; ubique præcedat: et suorum mandatorum observatores efficiat; ℟. Amen. Quique ad exorandum eum in hac hora diei Tertia devota mente concurrimus, occursum, atque subsidium semper habere mereamur ineffabile Trinitatis; ℟. Amen. Ut ejus protectione salvati eum eodem Domino in æterna sæcula mereamur lætari. ℟. Amen.

In Quadragesima Responsorium. Ecce venient dies Domini magni, eleemosynæ, et jejunii: estote parati C benefacere oppressis, viduis, et orphanis; ut recipiatis mercedem in novissimis temporibus, dicit Dominus. Quiescite agere perverse: discite benefacere: quærite judicium: subvenite oppressis; *P.* Ut recipiatis. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur Responsorium.*

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* LV).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Locutus est Esaias dicens: Quærite Dominum, dum inveniri potest: invocate eum, dum prope est. Derelinquat impius vias suas, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Dominum Deum nostrum: quoniam multus est ad ignoscendum. ℟. Amen.

Epistola Pauli Apostoli ad Ephesios (*Cap.* IV).

℟. Deo gratias.

D Fratres, Omnis sermo malus de ore nostro non procedat: sed sicquid bonum est ad ædificationem opportunitatis, ut det gratiam audientibus. Et nolite contristari Spiritum Sanctum Dei: in quo signati estis in diem redemptionis. ℟. Amen.

Lauda. Laus tibi, laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ. Deus exaudi orationem nostram. *P.* Rex æternæ gloriæ. ℣. Et clamor noster ad te perveniat. *P.* Rex æternæ gloriæ.

Hymnus.

Benignitatis fons Deus,
Qui non habes finem boni,
Super malum scelestium
Semper pius, semper bonus.

Mœstum satis cor cædimus,
Et triste pectus tundimus:
Aquas pupillæ fundimus:
Mœstas genas inducimus.

Egisse multum pœnitet
Horrens tetrum, vel pessimum,
Turpissimumque sordidum;
Fatemur omne noxium.

Elata vox te postulat;
Tu parce, dicit, Conditor;
Jam parce, clamat obsecrans:
Ignosce quod commissimus.

Non ira mœstos sorbeat;
Non pœna fessos conterat:
Solare contritos cito,
Et gaudium nobis dato.

Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Clamores. 1. Non secundum peccata nostra facias nobis, Deus: neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. 2. Non secundum, 3. Non secundum, ℣. Sed secundum multitudinem miserationum.

Supplicatio. Oremus pium, et exaudibilem Dominum nostrum, *ut supra.*

Capitula. Exaudi orationem nostram, Domine; gemitusque nostros auribus percipe: nos enim iniquitates nostras agnoscimus; et delicta nostra coram te pandimus: tibi, Deus, peccavimus; tibique confitentes veniam exposcimus: Et quia recessimus à mandatis tuis, et legi tuæ minime paruimus; convertere Domine, super servos tuos, quos redemisti sanguine tuo: Indulge quæsumus nobis; et peccatis nostris veniam tribue: tuæque pietatis misericordiam in nobis largiri dignare.

Pater noster.

Benedictio. Deus, qui est fons indulgentiæ, suscipiat litationem abstinentiæ nostræ; [cxxxi] ℟. Amen. Quique est Omnipotens et substantia Divinitatis, det posse parere præceptis. ℟. Amen. Et quod non possumus carnali ex infirmitate perficere, ipsius Divinitate adjuti mereamur adimplere. ℟. Amen.

De Traditione Domini Responsorium. Miserere, quia Deus es: misericors, miserere; quia peccavimus tibi. ℣. Ad te levamus oculos nostros, qui habitas in cœlis. *P.* Misericors, miserere.

Aliud Responsorium. Quot sunt dies servi tui, Domine: quando facies de persequentibus me judicium? ℣. Posuerunt peccatores laqueos mihi: et a mandatis tuis non erravi. *P.* Domine, quando facies.

Lectio libri Hieremiæ Prophetæ (*Cap.* IX).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: Ecce ego conflabo, et comprobabo inimicos meos: quid enim aliud faciam a facie filii populi mei? Sagittæ vulnerantes lingua eorum; dolum locuta est in ore eorum; pacem cum

amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. A Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? Si quis est vir sapiens, qui intelligit hoc, ad quem verbum Domini fiat, annuntiet istud, ait Dominus omnipotens. ℟. Amen.

Epistola prima Joannis Apostoli ad Gentes (*Cap.* II).

℟. Deo gratias.

Charissimi, Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit hunc mundum, non est charitas Patris in eo : quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum est, et superbia vitæ : qui vero ex hoc mundo est, et mundus transit, et concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum, quomodo Deus manet in æternum. ℟. Amen. B

Lauda, Hymnus. Benignitatis fons. *ut supra* ℣. Eripe me Domine ab homine malo : a viro iniquo, et doloso libera me.

Supplicatio. Oremus pium, et exaudibilem Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus ; ut nos per stigmata passionis suæ propitius justificare dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus.

Capitula. Miserere nobis Domine, miserere nobis : et in te confidentes exaudi : adversantium arma confringe ; et laqueos nobis destrue præparatos : ut circumdati claritate cœlesti, non incidamus in foveam mortis : sed parato corde tuam in populis exaltemus misericordiam veritatis ; qui pro nobis sustulisti obprobrium Crucis. C

Pater noster.

Benedictio. Mors Christi admirabile sacramentum depellat a nobis omnium conluviones facinorum : ℟. Amen. Sanguis ejus ineffabile pretium extinguat in vos omnium deformitatem vitiorum : ℟. Amen. Crucis ejus insigne vexillum consortes vos efficiat Angelorum. ℟. Amen.

De Resurrectione Domini Responsorium. Hoc jam tertio manifestatus est Jesus Discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis. Alleluia, alleluia. ℣. Et undecim Discipuli abierunt in Galilæam, ubi constituerat illis Jesus. Et videntes eum adoraverunt. *P.* Cum resurrexisset. ℣. Gloria, et honor.

Apocalypsis Joannis Apostoli (*Cap.* I).

℟. Deo gratias.

Ego Joannes servus Jesu Christi fui in spiritu, et audivi vocem de cœlo dicentem mihi : Ego sum primus, et ego novissimus ; et vivus, et fui mortuus ; et ecce sum vivens in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Epistola Pauli Apostoli ad Colossenses (*Cap.* III).

℟. Deo gratias.

Fratres, Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. ℟. Amen.

Lauda. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Resurrexit Dominus Jesus Christus : *P.* Alleluia, alleluia. ℣. Sit gloria illi in sæcula sæculorum. Amen. *P.* Alleluia, alleluia, alleluia.

Hymnus

Jam surgit hora Tertia,
Et nos intenti currimus,
Psallendi opus implemus :
Christum laudemus Dominum.

[cxxxii] Hora quoque jam Tertia
Christus cruce suspensus est,
Voluntatem Patris implevit,
Mundi peccatum abstulit,

Conscendit sedem propriam,
Sedet ad Patris dexteram ;
Conlaudant throni Dominum.
Quem perfidi negaverant.

Nos Christum Deum colimus.
Judicemque speramus ;
Quem Prophetæ cecinerunt
Apostoli secuti sunt.

Egressus hora Tertia
Sanctus Pater familias
Per singulos denarios
Conduxit operarios.

In tua, Christe, vinea,
Quam præmio jam cernimus,
Sequimur opus mysticum
Propter promissum optimum.

Ecce præcessit jam hora,
In qua Sanctus Spiritus
Apostolorum vascula
De verbo fecit ebria.

Infunde sensum, Domine ;
Ut te canamus laudibus :
Christe, Redemtor omnium
Sanctifica nostrum chorum.

Gloria tibi Domine,
Qui surrexisti a mortuis
Cum Patre, Sancto Spiritu
In sempiterna sæcula.

Amen.

℣. Dominus regnavit a ligno. Alleluia. Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur.

Supplicatio. Oremus pium et exaudibilem Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus ; ut sicut in hac hora diei Tertia, D Apostolorum corda Spiritus Sanctus illuminavit, et docuit ; ita nos indignos, lumine vero propitius illuminare dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus.

Kyrie, eleison. ℟. Christe, eleison.

Capitula. Domine Jesu Christe, Fili Dei Patris, qui hora diei Tertia, propter redimendum populum tuum te tradi voluisti, et inimicorum colla per potentiam gloriæ ad nihilum reduxisti : concede nobis, atque familiæ tuæ de reatu conscientiæ veniam de morte vitam ; ut de merito inveniamus Redemptorem, quem nunc, et per omnia sæcula credimus esse judicem, et piissimum Salvatorem.

Pater noster.

Benedictio. Dominus Jesus Christus, qui hora diei Tertia misit ad Apostolos suos Spiritum Paraclitum; in visceribus nostris innovet Spiritum rectum; ℟. Amen. Et quia mirabile in æquitate permanet Sanctum, arcana pectoris nostri repleat Spiritus Sanctus: ℟. Amen. Unigenitus Christus Dominus, qui in faciem discipulorum suorum flatu vivifico insufflavit, ipse populum suum benedictionibus faciat abundare per Spiritum principalem. ℟. Amen. Per misericordiam. A

De Ascensione Responsorium. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, ut requiescam? ℣. Ecce elongavi fugiens: et mansi in solitudine. *P.* Et volabo, ut requiescam? ℣. Gloria, et honor.

Apocalypsis Joannis Apostoli (Cap. IV).

℟. Deo gratias. B

Ego Joannes servus Jesu Christi fui in Spiritu, et vidi: et ecce sedes Dei posita erat in cœlo, et supra sedem sedens: et qui sedebat, ipse vocabatur Testis fidelis, et immortalis in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Epistola Pauli Apostoli ad Ephesios (Cap. IV).

℟. Deo gratias.

Fratres: Qui descendit, ipse est qui ascendit super cœlos, ut adimpleret omnia. Ipsi gloria, et imperium in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Lauda. Alleluia, alleluia, alleluia. Ascendit Deus in jubilatione, P. Alleluia. ℣. Ascendit Dominus in voce tubæ. *P.* Alleluia, alleluia, alleluia.

Hymnus

Nunc sancte nobis Spiritus, C
Unum Patri cum Filio,
Dignare promptus ingeri
Nostro refusus pectori.
Os lingua, meus, sensus, vigor,
Confessionem personent.
Flammescat igne charitas,
Accendat ardor proximos.
Præsta, Pater piissime,
[CXXXIII] Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

℣. Veni Domine, noli tardare: et relaxa facinora plebis tuæ.

Supplicatio. Oremus pium et exaudibilem Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut nos gloria Ascensionis suæ propitius justificare dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus. D

Kyrie, eleison. ℟. Christe, eleison.

INCIPIT ORDO AD SEXTAM DICENDUS VEL RECITANDUS.

Antiphona. Deus in nomine tuo salvum me fac: et in virtute tua libera me. *Psalm.* LIII.

CXVIII. *Psalmus David.* Feci judicium et justitiam. Mirabilia testimonia tua. Justus es, Domine. *Fol.* LV.

Antiphona. Deus in nomine tuo salvum me fac: et in virtute tua libera me.

Diebus Festivis Responsorium. In omni loco, dominationes ejus: Benedic anima mea Dominum Alleluia, alleluia: ℣. Qui sanat omnes languores tuos: Qui redemit de interitu vitam tuam. *P.* Benedic anima mea. ℣. Gloria, et honor.

Diebus Ferialibus Responsorium. Miserere, miserator: miserere nobis. ℣. Ad te levamus oculos nostros, qui habitas in cœlis. *P.* Miserere nobis. ℣. Gloria, et honor.

Diebus Dominicis Responsorium. Da nobis Domine lætitiam cordis; et concede pacem in diebus nostris. Alleluia, alleluia. ℣. Deus in nomine tuo salvos nos fac: et in virtute tua libera nos. *P.* Et concede. ℣. Gloria, et honor.

De Adventu Domini Responsorium. Hierusalem lætare in Adventu Domini, quoniam ipse veniet tibi. Et auferet a te stolam luctus, et anxietates, et induet te pulchritudinem æquitatis in adventu suo. ℣. Et ponam visitationem tuam pacem, et præpositos tuos justitiam. *P.* Et auferet a te stolam. ℣. Gloria, et honor.

Lectio libri Michææ Prophetæ (Cap. VI).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: Locutus est Michæas, dicens; Indicabo tibi o homo quid sit bonum, et quid Dominus quærat a te: utique facere judicium et justitiam, et diligere misericordiam, et solicite ambulare cum Domino Deo tuo. ℟. Amen.

Epistola Pauli Apostoli ad Romanos (Cap. VII).

℟. Deo gratias.

Fratres, infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Lauda. Alleluia, alleluia. Salva, Domine Deus noster: et congrega nos de Gentibus Alleluia: ℣. Ut confiteamur nomini sancto tuo: et gloriemur in laude tua. *P.* Alleluia, alleluia.

De resurrectione Domini Responsorium. Videte magnalia Dei, quæ fecit Dominus; confortamini, et nolite timere; *P.* Quia Deus pro nobis pugnat. Alleluia, alleluia. ℣ Laudate Dominum omnes Gentes: conlaudate omnes populi: *P.* Quia Deus pro nobis. ℣. Gloria, et honor Patri.

Hymnus.

Rector potens, verax Deus,
Qui temperas rerum vices,
Splendore mane instruis,
Et ignibus meridiem.
Extingue flammas litium,
Aufer calorem noxium,
Confer salutem corporum,
Veramque pacem cordium.
Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paractito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

In Quadragesima Hymnus.

Dicamus laudes Domino
Ferventi valde spiritu;
Hora voluta sexies
Nos ad orandum provocat.
Quia in hoc fidelibus
Vera salutis 'gratia,
Beati Agni hostia
Virtute crucis redditur;
Cuius luce clarissima
Tenebrescit meridies:
Sumamus toto pectore
[CXXXIV] Tantum splendorem gratiæ.
Amen.

Alius.

Jam cursus horæ Sextæ
Rotat diei tempore,
Nos admonet per omnia
Laudes referre debitas.
Nunc Petrus orans, Gentibus
Fidem futuram prospicit:
Nunc viva Christus feminæ
Instat fluenta tradere.
Hoc solis ævo mystice
Tres Patriarcha hospitat
Carnis figuræ Nuntios
Sub Trinitatis numine.
Perfecta summi calculi
Hæc prima constat partibus;
Quæ ducta sese perficit,
Tenetque mundi fabricam.
Hæc nempe Christe condita
Manent tua potentia;
Cujus potestas gloriæ
Per cuncta regnat sæcula.
Amen.

Clamores 1. Ne projicias nos, Deus, a facie tua: et Spiritum sanctum tuum ne auferas a nobis. 2 Ne projicias. 3. Ne projicias nos. ℣. A ruina, et Dæmonio meridiano, Deus sancte custodi nos.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut nobis auxilium de cœlo, et misericordiam suam largam propitius tribuere dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus.

Capitula. Deus, qui horarum tempora consecras, Sextæ horæ curriculo pro mundi salvatione triumphasti in crucis patibulo; tibi et Ecclesia tua sub hujus sanctificatione temporis, et mentis obsequia defert, et confessionis precamina profert: Proinde rogamus, ut ita hujus celebritatis obsequia tibi depromamus, dum vivimus; ut ad te coronandi mereamur venire post transitum.

Pater noster.

Benedictio. Salutare tuum Domine, famulis tuis tribuere dignare; ℟. Amen. Orationes suscipe: petitiones supple: et peccata dimitte. ℟. Amen. A languoribus cura, et fidelium pectora a delictorum maculis purga. ℟. Amen.

A *Ad Sextam de Quadragesima Responsorium.* Averte, Domine, iram tuam a nobis. *P.* Ne in æternum irascaris nobis. ℣. Mitiga, Domine, omnem iram tuam: et averte ab ira indignationis tuæ. P. Ne in æternum. ℣. Gloria, et honor.

Lectio libri Joelis Prophetæ (Cap. II).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et fletu, et planctu. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus, et misericors est. ℟. Amen.

Epistola I. Joannis Apostoli ad Gentes (Cap. II).

℟. Deo gratias.

Charissimi: Mandatum novum scribo vobis, quod
B est verum et in ipso, et in vobis: quoniam tenebræ transierunt, et lumen verum jam lucet. Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. Nam qui diligit fratrem suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat: et nescit quo eat; quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus; cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Lauda. Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ. Salva nos, Domine, ℣. Ut confiteamur nomini sanrto tuo.

Hymnus. Dicamus laudes Domino. *Folio* CXXXII.

Capitula. Accipe, Domine, sacrificium confessionum nostrarum de manu linguæ nostrœ, quam formasti, et excitasti; ut confiteamur nomini sancto tuo: et sana vulnera animæ nostræ, me dicent: Domine, quis similis tibi? Pie enim docet nos, quomodo misereatur ei, qui sibi confitetur. Solve ergo a nobis miseram stridentem catenam vitiorum; et a jugo flagitiorum, quo demersi sumus, nos erue: atque ab intensa confusionis caligine, serenitatis tuæ pius illustra dilectione.

Pater noster.

A malo nos libera. *Fol.* 10.

Benedictio. Omnipotens Dominus, qui nos per abstinentiam fecit esse devotos, efficiat nos castitate mundissimos; ℟. Amen. Quique nobis inspiravit votum, habere tribuat apud se mercedam bea-
D titudinis invenire; ℟. Amen. Ut simus spiritu fructificantes, [CXXXV] qui carnales per jejunium cupimus extinguere voluptates. ℟. Amen.

De Traditione Domini Responsorium. Eripe me de inimicis meis Domine; quia tu es Deus meus. ℣, Eripe me Domine ab homine malo: et a viro iniquo libera me. *P.* Quia tu es. *Reiteretur.*

Aliud Responsorium. Placabilis esto Domine, et ostende te nobis in tempore tribulationis, et angustiæ nostræ. ℣. Deus in nomine tuo salvos nos fac: et in virtute tua libera nos. *P.* In tempore tribulationis. *Reiteretur* ℟.

Lectio libri Threnorum (Cap. I).

℟. Deo gratias.

in illis diebus: Dixit Hieremias: Misit inimicus A ignem in ossibus meis, et erudivit me: expandit rete pedibus meis, et convertit me retrorsum. Justus est Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavit: audite obsecro universi populi: Pars mea Dominus dixit ad animam meam: propterea expectabo eum. ℟. Amen.

Epistola I Joannis Apostoli ad Gentes (*Cap.* v).

℟. Deo gratias.

Charissimi: Hæc est annunciatio, quam audistis ab initio, ut diligamus alterutrum. Non sicut Cain, qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna: fratris autem erant justa. Omnis autem, qui odit fratrem suum, homicida est. Et scimus quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se ma- B nentem. In hoc cognovimus charitatem, quoniam pro nobis animam posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere. ℟. Amen.

Lauda. Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ. Salva nos, ℣. Ut confiteamur. *Hymnus.* Jam cursus. *Clamores.* Ne projicias *fol.* CXXXIII, CXXXIV.

Supplicatio. Oremus pium, et exaudibilem Dominum nostrum Jesum Christum cum omni supplicatione rogemus; ut nos per stigmata passionis suæ propitius justificare dignetur. ℟. Præsta æterne, omnipotens Deus.

Capitula. Dic animæ nostræ, Domine: Salus tua ego sum; Quamque cernis imbecillitatis suæ turbari contuitu, non sinas in æterno eloquio: nec deseras nostra intima, dum se iniquitas prodiderit viru- C lenta: Sed nocentes nos, tu judica; tuaque potestate, nos impugnantes expugna.

Pater noster.

Benedictio. Christus Dominus, qui innocens expansis manibus pependit in ligno, Crucis suæ nos salvificet sacramento. ℟. Amen. Appensione quoque sua sursum nos allevet, qui pro nobis dignatus est exaltari in Cruce; ℟. Amen. Ut vere lucrum sanguinis ejus simus, qui in illo confidentiam cordis nostri dirigimus. ℟. Amen.

INCIPIT ORDO AD HORAM NONÆ DICENDUS.

Antiphona. Dominus solvit compeditos: Dominus erigit elisos. Dominus illuminat cæcos, dirigit justos. *Psalmus.* CXLV.

Psalmus CXXI. *Psalmus.* CXXII. *Psalmus* CXXIII. D

Antiphona. Dominus solvit compeditos: Dominus erigit elisos. Dominus illuminat cæcos, dirigit justos.

Responsorium. Feriale. Salvus ero, Domine, si me consolatus fueris, quamvis indignus ego sum. Credo, quia salvabis me. ℣. Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo. P. Credo, quia. ℣. Gloria, et honor.

Aliud Responsorium. Vivit anima mea, Deus, et laudabit te. ℣. Erravi sicut ovis, quæ perierat: quære servum tuum, Deus; P. Et laudabit te. ℣. Gloria, et honor.

In Adventu Domini Responsorium. Lætamini Gentes, et exultate, quoniam veniet Dominus; P. Ut clarificet orbem terrarum; et fructus vester erit in jocunditatem. ℣. Nolite aute tempus judicare, quoadusque veniat Dominus: ℟. Ut clarificet.

De Resurrectione Domini Responsorium Dominicis diebus. Mane nobiscum Domine, quoniam jam declinat dies in vesperum. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Confirma super nos misericordiam tuam: et veritas tua maneat nobiscum; P. Quoniam jam declinat dies. ℣. Gloria, et honor.

In Ferialibus Resurrectionis Responsorium. Recordamini qualiter locutus est vobis Dominus: Quia oportet Filium hominis crucifigi, et die tertia resurgere. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Dixit Jesus discipulis suis: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, dum adhuc [CXXXVI] essem vobiscum. P. Quia oportet.

Responsorium in diebus estivis. Gloria magna est sequi Dominum, quia nihil melius, quam timere illum: nec dulcius, quam respicere in mandatis ejus. Alleluia, alleluia. ℣. Nobis adhærere Deo bonum est: et ponere in Deo spem nostram. P. Quia nihil melius. ℣. Gloria, et honor.

Aliud Responsorium. Auxilium meum a Domino, qui fecit cælum et terram. Alleluia. ℣. Levavi oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi. P. A Domino, qui fecit. ℣. Gloria, et honor.

Lectio libri Hieremiæ Prophetæ (*Cap.* IV).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: State super vias, et videte et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea: et invenietis requiem animabus vestris. ℟. Amen.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Colossenses (*Cap.* III).

℟. Deo gratias.

Fratres. Charitatem tenete, quod est vinculum perfectionis: et pax Christi exsultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore; grati estote per fidem, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. ℟. Amen.

Lauda. Alleluia, alleluia, alleluia. Vivit anima mea, Deus, et laudabit te: ℣. Et judicia tua adjuvabunt me. P. Alleluia, alleluia.

Hymnus per annum.

Fundere preces tempus est,
Diei cursus admonet
Canere laudis canticum
Tibi Redemptor omnium.
Serenam mentem effice;
Opus honestum perfice;
Preces orantum accipe;
Vitam perennem tribue.
Præsta, Pater piissime;
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

In quadragesima Hymnus. A

Convexa solis orbita,
Novem voluta circulis,
Horæ peracto tramite,
Ter conficit ternario.

Hoc passionis tempore
Complevit Auctor omnium :
Nunc ad laborem vineæ
Misit vocatos servulos.

Hac Petrus hora mystica
Claudi resolvit vincula ;
Nunc visionum cognitor
Terno recursu terminat.

In hac canamus gloriam
Cum voce, puris mentibus,
Deo creanti prospero B
Peracta justis sæcula.

Amen.

Clamor. 1. Propitius esto iniquitatibus nostris : et sana, Domine, languores nostros. 2. Propitius esto. 3. Propitius esto. Convertere Domine aliquantulum, et repropitiare super servos tuos.

Supplicatio. Oremus pium, et exaudibilem Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus : ut nobis pœnitendi votum et pœnitentiæ fructum, et vitæ æternæ remedium propitius tribuere dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus,

Capitula. Deus, qui pro mundi salvatione Nonæ horæ curriculo in Crucis stigmate glorioso triumphasti miraculo : et perempta morte Sanctorum C animas eruens ab infernali ergastulo, viam nobis reserasti, revertendo ad superos : quæsumus, ut ita nostro complacearis obsequio, quatenus illic post transitum properemus gressu perconcito, quo tu nostra præcessisti vera redemptio.

Pater noster.

Benedictio. Salva plebem tuam Domine, quam tu ipse creasti : ℟. Amen. Benedic hereditatem tuam, quam pretioso sanguine redemisti ; ℟. Amen. Rege eam, et extolle eam usque in sempiternum, et in sæculum sæculi. ℟. Amen.

Responsorium de Quadragesima. Spes nostra in Deo est, et ipse adjuvabit nos. ℣. Sperate in eum omnis conventus plebis meæ, et effundite coram illo corda vestra. P. Et ipse adjuvavit nos. ℣. Gloria, et honor. D

Aliud Responsorium. Miserere nobis, Domine : miserere nobis. ℣. Ad te levamus oculos nostros, qui habitas in cœlis, P. Miserere. ℣. Gloria, et honor.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* LV.)

℟. Deo gratias.

In diebus illis, Locutus est Esaias dicens : Quærite Dominum, dum inveniri potest : invocate eum, dum prope est. Derelinquat [cxxxviii] impius vias suas, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur eius, et ad Dominum Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. ℟ Amen.

Epistola I Joannis Apostoli ad Gentes (*Cap.* III).

℟. Deo gratias

Charissimi, Nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est : quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filio Dei, ut dissolvat opera diaboli. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit ; quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. ℟. Amen.

Lauda. Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ. ℣. Vivit anima. P. Et judicia tua. ℣. Rex æternæ.

Hymnus.

Perfecto trino numero,
Ternis horarum terminis,
Laudes canentes debitas,
Nonam dicentes psallimus.

Sacrum Dei mysterium
Puro canentes pectore :
Patris Magistri regulam
Signo salutis proditam.

Et nos surgamus spiritu
Adhærentes Apostolis :
Qui plantas habent debiles,
Christi virtutem diligunt.

Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.

Amen.

Clamores. Propitius esto iniquitatibus : Et sana, Domine. *Et omnia alia, ut supra præter Capitulam, quæ sit ista.*

Capitula. Miserere nobis, Domine, quia peccavimus tibi ; et propter duritiam cordis nostri in ipsa peccatorum morte duramus : nos ore, nos corde, nos opere, nos omnibus vitiis iniquinati veniam poscimus : quia crimen agnoscimus ; et ut peccati noxam indulgeas hujus, prostrati fidem commitantes rogamus.

Pater noster.

Benedictio. Benedicat nos Dominus, et propitius nos sanctificare dignetur : ℟. Amen. Fidem nostram roboret promissis donorum cœlestium, et spem nutriat incrementis præsentium gaudiorum. ℟. Amen. Ipse nos glorificet prœmio æternitatis, qui redimere dignatus est pretio passionis. ℟. Amen.

ORDO ANTE COMPLETORIA

DICENDUS VEL RECITANDUS IN QUADRAGESIMA.

Quam magnificata sunt opera tua Domine ! Omnia in sapientia fecisti : repleta est terra creatura tua Quam magnificata sunt opera tua, Domine ! Gloria, et honor Patri, et Filio, etc. Quam magnificata. Qui dat escam omni carni : quoniam in sæculum misericordia ejus. Gloria, et honor. Confitemini Deo cœli : quoniam in sæculum misericordia ejus. Gloria. Confitemini Domino quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus. Gloria.

Hymnus.

Cibis resumptis congruis,

Cœnæ peractis usibus,
Ad te Redemptor inclyte,
Laudes mus promere.
Occurre nobis ocyus,
Tollens cibi gravedinem,
Corpus parandum ad precem,
Confessionis dans fidem.
Ut quicquid ore promimus
Tuis sacris in laudibus,
Nobis coronam conferens,
Soli Deo dans gloriam.
Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.
B Amen.

HIC INCIPIUNT COMPLETORIA

IN HUNC MODUM, QUI SEQUITUR IN DIEBUS FESTIVIS.

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine : * dedisti lætitiam in corde meo.

A tempore frumenti, vini, et olei sui, * multiplicati sunt.

In pace in idipsum * dormiam, et requiescam :

Quoniam tu Domine singulariter in spe * constituisti me.

Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto in sæcula sæculorum. Amen. Alleluia, alleluia, alleluia.

In Quadragesima dicitur Laus tibi : laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

C Ecce nunc benedicite Dominum, * omnes servi Domini :

Qui statis in domo Domini, * in atriis domus Dei nostri.

In noctibus extollite manus vestras in sancta, * [cxxxviii] et benedicite Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion, * qui fecit cœlum et terram.

Gloria, et honor. Alleluia, alleluia, alleluia.

In Quadragesima. Laus tibi : laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum : et laudabilis, et gloriosus in sæcula.

Dignare, Domine, nocte ista, * sine tribulatione, et peccato nos custodire.

D Miserere nobis, Domine : * miserere nobis.

Quoniam tu es protector meus. * in manus tuas commendo spiritum meum.

Redemisti me Domine * Deus veritatis.

Custodi nos Domine ut pupillam oculi : * sub umbra alarum tuarum protege nos.

Hymnus.

Sol Angelorum respice,
Quem concupiscit mentium
Intento visu castitas,
Sursum manentem cernere.
Quo cuncta pollent cœlitus
Cursu recursu prospero :
Quo vita constat omnium.
Intende grates supplicum.
Da servulis custodiam,
Qua temperentur commoda :
Adversa sint innoxia ;
Corrupta ne sint pectora.
Frugalitas tu sensuum
Sator, salus, refectio,
Potus, cibique, gaudium,
Lux, atque virtus cordium.
Repelle membris lubricam,
Ne polluat lascivia ;
Ne fœda vexet passio,
Culpetque mentis actio.
Virtutis infer copiam,
Qua conferas clementiam ;
Oblitus ut peccaminum,
Dones quietem temporum.
Votis rogamus affatim
Superna pax inlabere,
Qua cuncta tuta perpetim,
Serves subactis scandalis.
Gloria Patri ingenito,
Gloria Unigenito,
Una cum Sancto Spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

℣. Respice, et exaudi me Domine Deus meus. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.

Psalm. xc *statim sequitur.*

Scuto circumdabit te veritas ejus : non timebis a timore nocturno.

Si ascendero in lectum strati mei : * memor esto mei, Domine.

Si dedero somnium oculis meis, aut palpebris meis dormitationem, aut requiem temporibus meis : * memor esto mei, Domine :

Donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob : * memor esto mei Domine.

Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. * Memor esto mei, Domine.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen ; * Memor esto mei, Domine.

Si ascendero in lectum strati mei : * memor esto mei, Domine.

℣. Te precor, Domine, auctor lucis, et diei, ne derelinquas me ; sed memor esto mei, Domine.

Hymnus

Cultor Dei memento,
Te fontis, et lavacri
Rorem subisse sacrum,
Te chrismate innovatum.
Fac cum vocante somno,
Castum petens cubile ;
Frontem, locumque cordis
Crucis figura signet.
Crux pellit omne crimen :
Fugiant crucem tenebræ ;

Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.
Procul procul vagantum
Potenta somniorum,
Procul esto pervicaci
Præstigiator astu.
O tortuose serpens,
Qui mille per mæandros,
Fraudesque flexuosas
Agitas quieta corda:
Discede; Christus hic est,
Hic Christus est, liquesce:
Signum, quod ipse nosti,
Damnat tuam catervam.
Corpus licet fatiscens,
Jacens reclinet paulum;
Christum tamen sub ipso
Meditabimur sopore.
Gloria Deo Patri,
Et Christo vivo regi,
Paraclitoque Sancto,
Et nunc, et in æternum.
Amen.

℣. Redimet Dominus animas servorum suorum: [CXXXIX] et non derelinquet omnes qui sperant in eum.

Supplicatio. Oremus pium, et exaudibilem Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut nos in hac nocte, et in omni tempore Angelica custodia tueatur; et hostem callidum, et cum actibus suis procul a cordibus, et a cubilibus nostris propitius expellere, et effugare dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison ℟. Christe eleison. Kyrie eleison.

Alia Supplicatio. Oremus Pium, et exaudibilem, etc., ut nos in hac nocte, et in omni tempore de insidiis inimici propitius liberare dignetur. ℟. Præsta.

Supplicatio. Oremus pium, et exaudibilem Redemptorem mundi Dominum nostrum, etc.; ut nos in hac nocte, et in omni tempore per Angelum suum sanctum ab omnibus adversitatibus inimici, et antiqui serpentis propitius protegere et conservare dignetur. ℟. Præsta æterne, etc.

Capitula. Respice, Domine, super nos, et vigila super oves gregis tui, ne fur nocturnus subripiat, et furetur. Tu es enim, Domine, qui non dormis, neque obdormitas ad custodiendum animas nostras: illumina cor nostrum lumine veritatis tuæ; ut tua misericordia semper fulgeat in cordibus nostris.

Pater noster.

A malo nos libera. *Fol.* 10.

Benedictio. Gregem tuum ne deseras, pastor bone, et visitator animarum. ℟. Amen. Fuga insidiantem lupum, ut nullum in nobis nocendi reperiat locum. ℟. Amen. Nocturnum furem interfice, Christe, ut oves gregis tui in lumine constituti, integro possint numero permanere. ℟. Amen. Per misericordiam

A tuam, Deus noster; qui vivis, et omnia regis in sæcula sæculorum. Amen.

Dominus sit. ℟. Et cum Spiritu tuo.

In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Amen.

Finitis Completoriis, omni tempore debent dici ista, quæ sequuntur.

℣. Custodi nos Domine ut pupillam oculi: sub umbra alarum tuarum protege nos.

Oratio. Salvati nos, Domine Jesu Christe, per diem vigilantes; custodi nos in hac nocte requiescentes: quod si nos obdormierimus, Spiritus tuus Sanctus vigilet super nos; et custodiat in hac nocte, et in omni tempore. Amen.

Per misericordiam tuam.

B Dominus sit. ℟. Et cum.

In nomine Domini nostri Jesu Christi in hac nocte dormiamus, et requiescamus cum pace. ℟. Deo gratias.

Pater noster.

In diebus vero Sabbatorum vel præcipuarum festivitatum, finitis in ordinem Psalmis Completorii secundum usum modernorum, ut dictum est, dicitur istud Responsorium, et alia quæ sequuntur.

Resposorium. Gregem tuum ne deseras, Pastor bone, qui dormire nescis in vigilia: ℣. Et ne nocturnis terroribus fatigemur, cœleste, super nos velamen prætende, *P.* Qui dormire nescis. ℣. Gloria, et honor. *Duplicatur Responsorium.*

Lectio libri Ezechielis Prophetæ (*Cap.* XXXIV).

C ℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: Salvabo gregem meum, et non erit ultra in rapinam; et ideo judicabo inter pecus, et pecus. Et cessare faciam bestias pessimas de terra. Et qui in desertis habitant, securi dormient, ait Dominus omnipotens. ℟. Amen.

Epistola Pauli Apostoli ad Philippenses (*Cap.* IV).

℟. Deo gratias.

Fratres: Petitiones vestræ innotescant apud Deum. Et pax Christi, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda, et corpora vestra, et intelligentias vestras, per fidem, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. ℟. Amen.

Lauda in Quadragesima. Laus tibi, laus tibi, Domine Jesu Christe: Illumina Domine oculos nostros, D ne unquam obdormiamus in morte: ℣. Confirma super nos, Deus, misericordiam tuam: et veritas tua manet nobiscum in æternum. *P.* Jesu Christe.

Lauda de Traditione Domini. Laus tibi, laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ. Salva plebem tuam, Domine Rex æternæ gloriæ; ℣. Rege eam Domine, Rex æternæ gloriæ: *P.* Quam redemisti tuo sanguine. ℣. Laus.

[CXL] *Hymnus.*

Obsidiones obvias.
Paremus omnes carminum,
Contra tenebrarum ducem,
Contra tetrum satellitem.
Manus perarmet spes, fides;

Lumbos, valens Crux obtegat:
Cingamur ense spiritus
Propter timorem noctium.
Jesu manu fortissima
Salva fideles per fidem,
Everte adversos Cruce,
In pace cuncta protege.

Hmnus.

Adsunt tenebræ primæ :
Noctis tetræ excursus
Cum canticis, et hymnis
Nunc dedicemus omnes.
Nam tempus illud hoc est ;
Quod Hieremias dicit :
Surgendum esse nobis
Primordio in noctis.
Nos spiritu per arma,
Invicta radix David ;
Disrumpe vincla noctis,
Et da jubar salutis.
Somni quies sit grata :
Mens pervigil resurgat :
Non sordidemur actu ;
Nec spiritu gravemur :
Sed corpore, et mente
Spiritu fervente,
Vestigio impigro
Te consequamur, Christe.

Hymnus.

Noctis tetræ primordia
In laudibus transegimus:
Nunc te precamur, Trinitas ;
Ut præcinentes audias.
Tu omnibus da gratiam ;
Tu fessa qnoque alleva,
Errata dele criminum,
Exclude juge scandalum.
Lux vera nos inluminet,
Mentis tenebras effuget;
Ut pax abundet omnibus.
Qui te, Creator, credimus.

Aliud Hymnus.

Quieti tempus adest,
Quod fessa membra quies
Obtineat innocens,
Et Christo vigilet mens.
Pelle a nobis, Deus,
Rogamus, omne tetrum:
Anguis prisci malignum,
Virusque mortiferum.
Ut sub umbra alarum
Tutissima tuarum
Protecti maneamus,
Ad tuasque laudes surgamus.
Sit gloria, et potestas
Deo Patri, et Proli,
Paraclito coæquali
In sæculorum sæcula.
Amen.

A *Psalmus*. L. Cum gloria, etc.

℣. Scuto circumdabit te veritas ejus : non timebis a timore nocturno.

Kyrie eleison. Christe eleison, Kyrie eleison,
Pater noster. Deus, miserere.

Hymnns in Quadragesima dicendus.

Lucis auctor clemens, lumen immensum :
Lumen, cujus fulget Sanctus æternus
Christus, cum quo regnat cum ipso in unum
Et Sanctus Spiritus, una potestas.
Tetræ noctis hujus caliginem pelle,
Serpentisque fraudes, quæsumus, fuga :
Nos armatos Crucis signaculo salva :
Sacrosancto tuo nomine dita.
Quos peccati mole gravide pressos,
B Sua milleformis fraude decepit,
Se victorem gaudens, quoque se victum
Cognoscat virtute Omnipotentis.
Pater immortalis, omnium Pastor,
Invidentem hostem frange fuscantem ;
Lumen nobis præbe perenne de Sancto :
Tenebroso calle non paveamus.
Redemptor æterne, Rex omnis terræ,
Delictorum pius gemitus adtende :
Insidiantem hostem confringe Salvator ;
Nos æternæ vitæ redde beatos.
Noctem nobis istam dona quietam :
Inimicum hostem fuga a nobis :
Crucis signum vincat omne iniquum :
Te, Christe, rogamus, mane nobiscum.
C Gloria, et honor, potestas, et virtus
Ingenito Deo, genitoque Christo,
Spirituique simul Paraclito Sancto ;
Cujus verbo clarent sæcula cuncta.
Amen.

Psalmus. L. ℣. Scuto.

Hymnus dicendus diebus Dominicis.

Christe, qui lux es, et dies,
Noctis tenebras detege :
Lux ipse lumen præferens,
Vitam beatam prædicans.
[CXLI] Precamur, Sancte Domine,
Defende nos in hac nocte:
Sit nobis in te requies :
Quietam noctem tribue.
D Ne gravis somnus inruat,
Nec hostis nos subrepat:
Nec caro illi consentiens,
Et nos reos statuat.
Oculi somnium capiant.
Cor ad te semper vigilet:
Dextera tua protegat
Famulos, qui te diligunt,
Defensor noster aspice,
Insidientam reprime :
Guberna tuos famulos,
Quos sanguine mercatus es.
Memento nostri Domine
In gravi isto corpore ;

Qui es defensor animæ,
Adesto nobis Domine.
Tetræ noctis insidias
Hujus timoris libera :
Tuæ lucis magnalibus
Totum Clerum inlumina.
Gloria Unigenito,
Gloria Unigenito,
Una cum Sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula.
Amen.

Psalmus. L.

℣. Scuto circumdabit te veritas ejus : non timebis a timore nocturno.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. Et ne nos. Sed libera nos a malo.

Deinde dicantur Miserationes in qualibet Feria, pro ut sequuntur per ordinem in secunda, et tertia et quarta, quinta, sexta, et sabbato Feria. Et quia capitulæ præcedunt Miserationes : ideo sic ordinantur, prout debent dici in qualibet Feria.

Secunda Feria, Capitula. Noctem nostram illumina, æterne omnipotens Deus, effice nos famulos tuos obdormire quietibus, et virtutibus sanctorum excitare ; ut ab omni inquietudine tenebrarum, te auxiliante, ad diem clarum pervenire mereamur.

Pater noster.

Benedictio. Crux Domini nostri Jesu Christi a timore nos defendat inimici. ℟. Amen. Lux veritatis expellat a nobis omnes tenebras cæcitatis ; ℟. Amen. Ut ejus illuminatione salvati, æternam benedictionem percipere mereamur. ℟. Amen.

Tertia Feria, Capitula. Deus, lumen æternum, splendor siderum, claritas noctium, illuminatio incomprehensa tenebrarum da nobis hanc noctem securam, tranquillam, ac quietam, et si qua hodie peccata contraximus, tu pius, et misericors indulge propitius : preces quoque famulorum libenter exaudi, et postulata concede.

Pater noster.

Benedictio. Manus Dei Patris omnipotentis auxilietur nobis ; ℟. Amen. Brachium sanctum ejus confortet nos. ℟. Amen. Nihil in nobis prævaleat inimicus : ℟. Amen. Sed in omnibus nobis aurem suam inclinet Dominus noster Jesus Christus. ℟. Amen.

Quarta Feria, Capitula. Si qua, Domine, in die peccata contraximus opere, sermone et cogitatione ; tu dimitte : et hanc nobis noctem tranquillam, pacificam, ac sine peccato concedere digneris.

Pater noster, qui es.

Benedictio. Dominus Jesus Christus, qui nos redemit : hac nocte custodiat : ℟. Amen. Sanctificet corda, et corpora nostra ; ℟. Amen. Et in bonis actibus compleat desideria nostra. ℟. Amen.

Quinta Feria, Capitula. Custodi, Domine, animas nostras, ac de manu tentatoris erue : elonga a nobis nocturnum furem, et insidias falsitatis ejus a nobis repelle ; quia milleformis in nocturnis tempo-

A ribus adest, quærens decipere dormientem, quem vigilantem superare non potest. Sed tu, Domine, ut bonus pastor, ac piissimus gubernator, gregem tuum ne deseras : animam tuam pro ovibus posuisti ; et quos tuo pretioso sanguine redemisti, salva nos.

Pater noster, qui es.

Benedictio. Gregem tuum, Pastor bone, placatus adtende : et hos famulos tuos de tuis benedictionibus reple. ℟. Amen. Columitatem mentis, et corporis tribue : et perpetuam salutem concede. ℟. Amen, Dona nobis tempora quieta, et pacifica, ut tibi serviamus mente devota. ℟. Amen

Sexta Feria, Capitula. Custodi nos quiescentes in hac nocte, et velociter exaudire digneris, quas coram te fundimus preces ; et ut in tenebris non
B [CXLIII] timeamus inimicum tentatorem, circumvalla nos fortitudinis Cruce.

Pater noster.

Benedictio. Benedictionum suarum super nos Dominus imbrem infundat ; et Trinitas inseparabilis a nobis numquam recedat. ℟. Amen. Angelica visitatione nos protegat, et nocturnum furem de cubilibus nostris expellat : ℟. Amen. Ut cingulo castitatis adstrictos, in nulla nos ludificationis suæ arte deterreat inimicus. ℟. Amen,

Sexta Feria, Capitula. Custodi nos, Domine, sicut exaudire, et custodire dignatus fuisti sanctum Danielem orantem in lacu leonum, et non tetigerunt illam bestiæ ; quia fortissima eum tua regebat dextera : feræ feroces ante eum se solvebant, et oderantes fu-
C giebant : Fulgeat in nobis, Domine, tuus Christus : et fugiat a cordibus, et a cubilibus nostris perfidus inimicus.

Pater noster.

Benedictio. Omnipotens Deus, qui es lumen æternum ; inlabere, quæsumus, sensibus famulorum tuorum : ℟. Amen. Custodi gregem tuum : et lupum insidiatorem repelle. ℟. Amen. Omnium corda, et pectora conserva ; et nocturnum furem cum Angelis suis ab eis procul effuga. ℟. Amen.

Sabbato, Capitula. Amove a nobis, Domine, scandalum noctis ; ut non timeamus ambulare in medio umbræ mortis : apprehendat nos virga tua, et baculus tuus : virga Jesse per Beatam Mariam : ipse nos perducat ad vigiliam matutinam, qui nos docuit
D orare, et dicere :

Pater noster, qui es.

Benedictio. Exaudiat nos Dominus, et benedicat ℟. Amen. Protegat ab hoste callido, et ab omni malo defendat : ℟. Amen. Et sub umbra alarum suarum, nos in hac nocte, et in omni tempore custodiat. ℟. Amen.

His peractis, qualibet die totius anni, finitis Completoriis in hunc modum, ante aspersionem aquæ benedictæ, debet dici iste Versiculus, qui sequitur, et Oratio, quæ sibi jungitur.

℣. Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi : sub umbra alarum tuarum protege nos.

Sequitur Oratio. Salvasti nos, Domine Jesu Christe,

per diem vigilantes; custodi nos in hac nocte requiescentes: quod si nos obdormierimus, Spiritus tuus Sanctus vigilet super nos; et custodiat in hac nocte, et in omni tempore, et maneat semper nobiscum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

In nomine Domini nostri Jesu Christi in hac nocte dormiamus, et quiescamus cum pace. ℟. Deo gratias.

Et quando spargitur Aqua benedicta super altare, dicat Presbyter: Benedicat vos Pater, et doceat Filius, et illuminet Spiritus Sanctus. ℟. Amen.

Et quando spargitur Aqua benedicta fidelibus Christianis, debet Presbyter dicere: Gratia Sancti Spiritus mundet vos à delictis omnibus. *Vel sic*: Filius Dei Patris omnipotentis purget vos omnibus inquinamentis.

Secunda Feria, Miserationes. Miserere nobis, Deus, miserere nobis. P. Miserere nobis, et esto placatus. ℣. Audi pie, Rex æterne, preces supplicantium, et averte iram. Facinus remitte cunctis, et quietem dona populo fideli. P. Miserere nobis Deus: ℣. Omnes simulte precamur, Jesu bone Deus, adtende misertus nostri, precibus exoratus: et quæsita præbe populo tuo fideli. P. Miserere nobis Deus. ℣. Præbe pacem, da quietem, et tranquillitatem temporum. Precamur: mitte Angelum salutis, et precantibus fave de tuis excelsis. P. Miserere nobis Deus. ℣. Esto nobis, Deus pie, jugiter defensor, simul et protector: sume arma, et exurge, et fer opem nobis, et adesto clemens. P. Miserere nobis Deus.

Tertia Feria, Miserationes. Miserere Miserator, et esto placatus: miserantem te ostende, et peccata dimitte: ex Maria natus homo, in natura Deus, P. Remitte iniquitates, quas tibi peccavimus: ℣. Per quem te semper in cœlis credimus regnantem; ita careamus malis, te auxiliante. P. Remitte iniquitates. ℣. Te rogamus, te precamur, Sancte pie Deus; ut nos respicias, Christe, miseros placatus. P. Remitte. ℣. Grex tuus tibi fatetur mala, quæ commisit: tu Pater Sancte, ab hostis voratu. ℣. Aggravati sumus: nostra peccata ploramus: non sinas, quod adquisisti, ab Angelis deleri. ℣. Ecclesiæ catholicæ totius conventus ad te proclamantes: præbe pietatis locum. ℣. Peregrinis, sive egenis patriam [CXLIII] redde: ægris pristinam salutem, defunctisque requiem.

Quarta Feria Miserationis. Miserere Domine, miserere nobis: tibi soli peccavimus. P. Indulge nobis, rogamus. ℣. Lapsi sumus graviter in peccatis magnis; mur. Christe parce nostris delictis. ℣. Scelus flemus admissum; non reddas, ut meremur. Pater pie, dele noxam, et peccata relaxa. ℣. Pœnitentibus conversis redde cor contritum et elisis jam succurre, Rex cœlestis. ℣. Pauperibus, egenis, itinerantibus, naufragis, lapsis, viduis, pupillis jam succurre, Rex cœlestis. ℣. Peregrinis, oppressis, dispersis, et captivis, vinctis, ægris, et defunctis jam succurre, Rex cœlestis. ℣. Si peccavimus in te, tui sumus, Deus, expectantes, Domine, misericordiam tuam. ℣. Quid est homo, Domine, ut ei indigneris: aut genus corruptibile, ut ita de ipso amare irascaris? ℣. Nemo de genitis est, qui non impie gessit; nec de confitentibus, qui tibi non deliquit. ℣. In hoc nuntiabitur bonitas tua, Deus, cum misertus fueris iniquitatibus nostris.

Quinta Feria. Miserationes. Miserere, miserere, P. Domine: nos peccavimus; tu dimitte, P. Domine. ℣. Nos erramus; tu emenda, P. Domine. ℣. Pro infirmis te precamur, P. Domine. ℣. Pro defunctis te rogamus, P. Domine. ℣. Pro captivis te rogamus, P. Domine. ℣. Pro itinerantibus te postulamus, P. Domine. ℣. Pro navigantibus te precamur, P. Domine. ℣. Pro pœnitentibus te exoramus, P. Domine. ℣. Indulgentiam postulamus P. Domine.

Sexta Feria, Miserationes. Domine, miserere nobis: Domine, miserere nobis; P. Et averte iram tuam a nobis. ℣. Domine, audi lachrymantes; Domine, veniam petentes; P. Et averte. ℣. Domine, pupillorum precibus subveni misertus, et clemens; P. Et averte. ℣. Domine, propter temetipsum suscipe singulorum preces; P. Et averte. ℣. Domine, ne spernas plebem; qui tuam pietatem exquirunt; P. Et averte iram.

Sabbato, Miserationes. Miserere, miserere, miserere, Jesu bone. P. Peccatis nostris finem pone: ℣. Audi pie, et intende, et gementes consolare, Pater pie, Rex æterne. ℣. Auctor noster, et Redemptor, plebis tuæ sis protector, peccatorumque indultor. ℣. Prostrati omnes rogamus: ut agnoscas, supplicamus; ut dimittas, exoramus; ℣. Qui pro nobis formam servi induere voluisti, pœnitentes jam exaudi; ℣. Qui latronem confitentem paradiso collocasti; et alium condemnasti; ℣. Qui pro nobis sustulisti passionem quoque Crucis, jam memento servis tuis. ℣. Cruce tua jam protege, quos per eam redemisti: dextera tua jam custodi; ℣. Qui Lazarum jam putentem de sepulchro suscitasti, oves tuas tu custodi. ℣. Rex æterne, Jesu bone, a macula nos absolve, et in bonis nos confirma; ℣. Defunctis dona requiem: dona paradisum: colloca vinctos Sanctorum catervæ.

In tempore Traditionis Domini, Miserationes. Deus miserere, Deus miserere, miserere Deus, miserere. P. Christe miserere: ℣. Tu cæcis lumen, surdis auditum, mutis eloquium, atque claudis gressum, virtus debilium: ℣. Tu pastor et ovis in via salutis; tu passus pro nobis: tu victor perennis: Christe, parce nobis. ℣. Audi viduas: rege pupillos: orphanis, et vinctis, fidelibus cunctis, solamen tribue. ℣. Adtende, et audi precantes: subveni: furorem remove: præsidium præbe, Redemptor æterne.

Oratio. Miserere nobis Domine, miserere nobis: et iniquitatum nostrarum clemens copiam digneris abolere: ut quicquid, suadente inimico, in hujus diei spatio, cogitatu, dicto, vel facto deliquimus, tu

qui pius es, et misericors, indulge propitius: ut nocturnam evadentes decipulam, ad constitutum ministeriorum ordinem exurgentes, laudationis tibi jubilum persolvamus indemnes. ℟. Amen.

Oratio. Miserere nobis Domine, miserere nobis: et pupillis, atque egenis, elisis, seu peregrinis, mœstis, ac lapsis solamen tribue clemens: oppressos releva, dispersos congrega, captivos revoca, infirmos visita, pœnitentibus, reisque dele crimina: et universis christianis congrua largire subsidia; itinerantibus, et vinctis, seu fidelibus cunctis sospitatem animarum et corporum, accumula: innumerosa nostra dele scelera; et propter magnam misericordiam tuam defunctis omnibus sempiternam requiem dona. ℟. Amen.

Et istæ duæ Orationes debent dici in tempore Quadragesimali post Miserationes; una ipsarum una die, et altera in alia die: et [CXLIV] *his finitis, Presbyter debet spargere Aquam benedictam, ut supra dictum est.*

Sequitur Benedictio mensæ

℣. Oculi hominum in te sperant Domine: et tu das escas illis in tempore opportuno. ℣. Gloria, et honor. ℣. Aperis tu manum tuam: et imples omnem animam benedictione. ℣. Gloria et honor. ℣. Edent pauperes, et saturabuntur: et laudabunt Dominum qui requirant eum; et vivet cor eorum in sæculum sæculi. *Et hic non dicitur* Gloria:

Et sic accedens Minister, qui panes mensæ intulit, et imponit hunc versum:

Qui dat escam omni carni: quoniam in sæculum misericordia ejus. Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, et nunc, etc.

Benedictio. Sanctifica, Domine, hanc escam et potum, quæ sumpturi sumus: ut per manus sancti Angeli tui sanctificata, utraque sumere mereamur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster; qui vivis, et omnia regis in omnia sæcula sæculorum. Amen.

In nomine Domini nostri Jesu Christi; sanctificatum, et benedictum: reficiamur cum pace. ℟. Deo gratias.

Et dum prandium, vel cœna fit, omnes silentium debent habere: et inter Regulares personas liber regulæ debet legi, ne fabulæ vulgares intermittantur: quo prandio peracto, vel cœna imponitur ista Lauda:

Vox lætitiæ et salutis Alleluia. P. In tabernaculis justorum. Alleluia, alleluia. Ecce quam bonum, et quam jocundum, habitare fratres in unum. P. In tabernaculis justorum. ℣. Gloria. et honor Patri. P. In tabernaculis.

Imponitur iste versiculus.

Refecisti nos Domine in factura tua: et in operibus manuum tuarum exultabimus. ℣. Gloria, et honor Patri.

Oratio. Tibi gratias agimus, et te benedicimus, Domine Jesu Christe: qui nos satire dignatus es esca et potu carnali; refice nos domo spirituali, et libera nos ab omni nexu peccati: ut tibi semper serviamus illæsi. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster; qui vivis, et omnia regis in sæcula sæculorum. Amen.

In nomine Domini nostri Jesu Christi: Dominus abundare faciat servis suis omni benedictione, et pace. Amen. ℣. Semper lætitia in domo ista cum fratribus istis. Amen.

INCIPIT COMMUNE.

INCIPIT
OFFICIUM UNIUS INFIRMI,
SIVE PLURIMORUM INFIRMORUM:

Et dicitur officium istud in sexta feria, quando non habuerit aliqua festa recitare, vel in alio tempore, quando sibi placuerit illud.

(CXLV) *Ad Vesperos.*

In nomine Domini nostri Jesu Christi lumen cum pace. ℟. Deo gratias.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo?

Dominus sit. ℟. Et cum.

Sonus. Sana, Domine, omnes languores nostros. Alleluia. ℣. Redime de interitu vitam nostram. Alleluia, alleluia.

Antiphona. Christe Domine, qui es medicus salutaris, P. Tribue languidis subsidium medicinæ cœlestis. ℣. O Domine salvos nos fac, o Domine bona prosperare. P. Tribue. ℣. Gloria, et honor. P. Tribue.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Salvos nos faciat dextera tua. Alleluia. P. Exaudi nos Domine Deus noster: Alleluia, alleluia, ℣. Ut confiteamur nomini sancto tuo: et gloriemur in laude tua. P. Exaudi. ℣. Gloria, et honor. P. Exaudi.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Salvos nos fac Domine Deus noster: Alleluia. P. Et congrega nos de nationibus: Alleluia, alleluia. ℣. Ut confiteamur nomini sancto tuo: et gloriemur in laude tua. P. Et congrega. ℣. Gloria. P. Alleluia, alleluia.

Hymnus.

Christe, cœlestis medicina Patris,
Verus humanæ medicus salutis,
Providæ plebis precibus potenter
Pande favorem.

En ob infirmos tibi supplicamus,
Quos nocens pestis valitudo quassat,
Ut pius morbum rèleves jacentum,
Qno quatiuntur.

Qui potestate manifestus extans,
Mox Petri socrum febribus jacentem,
Reguli prolem, puerumque salvans
Centurionis.

Ferto languenti populo vigorem :
Efflue largam in populis salutem :
Pristinis, more solito, reformans
Viribus ægros.

Corporum morbos, animæque sana :
Vulnerum causis adhibe medelam ;
Ne sine fructu cruciatus urat
Corpora nostra.

Omnis impulsus perimens recedat :
Omnis incursus crucians liquescat :
Vigor optatæ foveat salutis
Membra dolentis.

Jam, Deus, nostros miserere fletus
Sic quibus te nunc petimus mederi ;
Ut tuam omnis recubans medelam
Sentiat æger :

Quo, per inlata mala dum teruntur,
Eruditorum numero decori
Compotes intrent, sociante fructu,
Regna polorum.

Gloriam psallat chorus, et resultet :
Gloriam dicat, canat, et revolvat :
Nomini Trino, Deitati soli
Sidera clament.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi, Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus ; ut vulnera famulorum suorum, omnium fidelium infirmorum, propitius curare dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison. ℟. Christe eleison. Kyrie eleison.

Capitula. Precamur, Domine, ut nos in ira tua non arguas : ut furorem tuum in nos desævire non sinas : sed placidus correptor tolle peccandi usum ; ne nos arguendo durius, propellas ad nihilum : Miserere ergo [CXLVI] infirmitati nostræ : et famulorum tuorum, omnium fidelium infirmorum tuam imperti medelam : et quos cernis proprio turbari peccato, quietos deputa, misericorditer indulgendo.

Pater noster. A malo nos libera. *fol.* 10.

Benedictio. Omnipotens Dominus, qui fidelissimos famulos suos, omnes fideles infirmos, corporali corripit vulnere, ipse illos, et nos a corporis, mentisque ægritudinibus expiet. ℟. Amen. Quique nostram in se suscepit infirmitatem, ipse nobis, et illis tribuat tolerantiæ sine fine mercedem : ℟. Amen : Sicque omnes in communi, ejus pietas foveat, ut nec corrupta nostra salus desæviat ; nec desperationis infirmitas illata succumbat. ℟. Amen.

Lauda. Salvos nos fac Domine Deus noster : Alleluia. P. Ut confiteamur nomini sancto tuo, Alleluia : et gloriemur in laude tua. Alleluia, alleluia. ℣. Memento nostri Domine in beneplacito tuo : visita nos Deus in salute tua. *P.* Ut confiteamur. ℣. Gloria et honor. *P.* Ut confiteamur.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, inclina. *Ut hic infra.*

Per misericordiam.

Dominus sit. ℟. Et cum.

A In nomine Domini nostri Jesu Christi, salus infirmorum cum pace. ℟. Deo gratias.

Ad Matutinum.

Ne projicias nos Domine a facie tua : *P.* Et spiritum sanctum tuum ne auferas a nobis. *Psalm.* L. *P.* Et spiritum sanctum. Ne projicias.

Oratio. Ne projicias nos Domine a facie tua ; neque auferas misericordiam tuam a nobis : ut quos reatus facinoris tenet obnoxios ; miserationis tuæ clementia faciat absolutos. ℟. Amen.

Per.

Antiphona. Salvator noster, salva nos in dilectione tua ; *P.* Et indulgentia tua libera nos. ℣. Ad te levamus oculos nostros, qui habitas in cœlis. *P.* Et indulgentia. ℣. Gloria. *P.* Et indulgentia.

B *Oratio*. Omnipotens sempiterne Deus inclina aurem tuam supplicationibus nostris : et famulis tuis, omnibus fidelibus infirmis, adversa corporis valitudine laborantibus, cœlestis gratiæ medicinam concede.

Per. ℟. Amen.

Antiphona. Ostende nobis Domine misericordiam tuam : *P.* Et salutare tuum da nobis. ℣. Ut confiteamur nomini sancto tuo ; et gloriemur in laude tua. *P.* Et salutare. ℣. Gloria, et honor. *P.* Et salutare.

Oratio. Deus, qui confitentium tibi corda purificas ; et accusantem conscientiam ab omni vinculo iniquitatis absolvis : da indulgentiam famulis ; et cœlestis gratiæ synceram medicinam eorum tribue C corporibus. ℟. Amen.

Per.

Antiphona. Convertere Domine, et eripe animas nostras. *P.* Et salvos nos fac propter misericordiam tuam : quia non est in morte qui memor sit tui. ℣. Domine, ne in furore tuo arguas nos : neque in ira tua corripias nos. P. Et salvos. ℣. Gloria, et honor. *P.* Et salvos.

Oratio. Adesto quæsumus, Domine, supplicibus tuis : et quibus austeritatem justæ correptionis infligis, propitius adhibe auxilium misericordissimæ consolationis. ℟. Amen.

Per.

℟. Virtus nostra, Domine, esto firmamentum infirmis : *P.* Esto refugium, et liberator oppressis : D ℣. Esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis. P. Esto refugium. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur Responsorium.*

Antiphona. Ego occidam, et vivere faciam : percutiam, et ego sanabo.

Canticum Deuteronomii (*Cap.* XXXII).

Vidi enim eos fatigatos, * et defectos in obductione, et dissolutos.

Et dixi : Ubi sunt dii tui Israel, * in quibus confidebas in ipsis ?

Quorum adipe sacrificiorum edebatis, * et bibebatis vinum libationum eorum :

Exurgant nunc, et adjuvent vos, * et fiant vobis protectores,

Videte, videte, quoniam ego sum Dominus, * et non est alius præter me :

Ego sum qui occidam, et vivere faciam : * percutiam, et ego sanabo.

Matutinarium. Illumina Domine vultum tuum super nos, et miserere nobis : *P*. Ut cognoscamus in terra viam tuam. ℣. Deus misereatur nobis, et benedicat nos : *P*. Ut cognoscamus.

Lauda. Laudate Dominum omnes gentes Alleluia, alleluia :* et collaudate eum omnes populi. *P*. Quoniam confirmata est super nos [CXLVII] misericordia ejus : et veritas Domini manet in æternum, ℣. Gloria et honor.

Lectio libri Hieremiæ Prophetæ (*Cap*. XXIX).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Ecce ego visitabo vos : et suscitabo super vos verbum meum bonum, et reducam vos ad locum istum. Ego enim scio cogitationes, quas cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis, et non afflictionis, ut dem vobis fidem, salutem, et patientiam. Et invocabitis me, et timebitis : orabitis me, et ego exaudiam vos. Quæretis me, et invenietis : cum quæsieritis me in toto corde vestro, inveniar a vobis, ait Dominus omnipotens. ℟. Amen.

Hymnus. Christe cœlestis. *Ut supra in vesperis.*

Capitula. Respice, Domine, super famulos tuos, omnes fideles ægrotos, tui nominis invocatione gaudentes : tribue eis medicinam cœlestem : tutelam mentis infunde : et ab omni infirmitate, et languore eos liberare dignare.

Pater noster. A malo nos libera. *Vol*. 10.

Lauda. Salvos nos fac. *Ut supra in Vesperis.*

Ad Tertiam.

Lectio libri Proverbiorum Salomonis (*Cap*. VII).

℟. Deo gratias.

Fili, Custodi sermones meos, et præcepta mea reconde tibi. Serva mandata mea, et vives. ℟. Amen.

Antiphona. Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ. *Psalmus* XXIII.

Oratio. Domine fortis et potens, Domine virtutum, ipse es Rex gloriæ : ab omni peccato cor nostrum munda, et manus nostras innoxias serva ; et animas nostras a vanitate dissocia : ut in loco sancto tuo stare, et a te Domino Deo nostro benedictionem mereamur percipere. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Psalmus CXXIV.

Antiphona. Ad te Domine levavi animam meam : Deus meus in te confido, non erubescam : neque irrideant me inimici mei. *Reiteretur Antiphona*. Ad te Domine.

Domine. Ad te Domine formam animæ nostræ, spei adminiculo erigentes, precamur ; sic eam desideriis spiritualibus imbuas, ut carnaliter conversari desistat : ne inimici derideant promittendo terrena, quam spiritualis gratia pertrahit ad superna. Tu itaque Deus Omnipotens, id sapere concede, ut veritati potius, quam mendacio ambiat inhærere ; sic libeat humilitati insistere, ut per id et morbum superbiæ caveat, et tuorum præmia bonorum cum Sanctis participare suescat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Vide humilitatem meam, Domine, vide laborem meum : et dimitte peccata mea.

Psalmus XXIV.

Vide humilitatem meam, et laborem meum : * et dimitte mihi omnia peccata mea.

Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, * et odio iniquo oderunt me.

Custodi animam, et eripe me : * non confundar quoniam invocavi te.

Innocentes et recti adhæserunt mihi : * quia sustinui te, Domine.

Redime me Deus Israel, * ex omnibus angustiis meis.

Gloria, et honor. *Reiteretur Antiphona*. Vide humilitatem.

℟. Ad adjuvandum nos festina, Domine : ad liberandum nos, P. Ne tardaveris. ℣. Deus in nomine tuo salvos nos fac : et in virtute tua libera nos P. Ne tradaveris. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur Responsorium.*

Lauda Alleluia, Alleluia, Alleluia, Alleluia, Alleluia, Alleluia. Laus tibi, laus tibi, laus tibi, laus tibi, Jesu Christe. ℣. Gloria, et honor. P. Alleluia, alleluia.

Preces. Non est alius, P. Nisi tu Deus, ℣. Qui orari possit. P. Nisi, ℣ Qui misereri possit. P. Nisi. ℣. Qui contritos sanet, P Nisi, ℣. Qui infirmos visitet, P. Nisi, ℣. Qui captivos liberet, P. Nisi, *Reiteretur* Non est alius.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus : ut vulnera famulorum suorum omnium fidelium infirmorum propitius curare dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison. ℟. Christe eleison. Kyrie eleison.

[CXLVIII] *Capitula*. Ad te, Domine, levantes animas nostras, precamur ; ut eas spirituali sustollas desiderio, quœ carnali sæpius dimerguntur voto : dona humilitatem, quam ipse videas ; et perfice fructuosum laborem, ut peccata dimittas : simplicitas et æquitas nostris inhæreant animis ; dolus et injustitia procul recedant a nobis.

Pater noster. Sed libera nos.

A malo nos libera, et in tuo timore, et opere bonos confirma, Trinitas Deus noster ; qui es benedictus, et vivis, et omnia regis in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Benedictio dicatur, ut in tertia, quæ dicatur in diebus feriis per totum annum. Ad Sextam et Nonam, omnia dicantur, ut in alio tempore.

INCIPIT
OFFICIUM MORTUORUM.

Ad Vesperos.

Antiphona, Eripe Domine animas nostras de morte, ut placeamus tibi in lumine viventium.

Psalmus.

Eripe animam meam ab impio, * frameam tuam ab inimicis manus tuæ.

Eripe me de manu inimicorum nostrorum, * et a persequentibus me.

Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua : * Domine non confundar, quoniam invocavi te.

Eripe me de inimicis meis Deus meus : * et ab insurgentibus in me libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem : * et de viris sanguinum salva me.

Eripe me de luto ut non infigar : * libera me ab his qui oderunt me, et de profundis aquarum.

Eripe me, quia tu scis improperium meum, * et confusionem meam, et reverentiam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi : * doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Eripe me, et libera me de aquis multis; et de manu filiorum alienorum. * Quorum os locutum es vanitatem : et dextera eorum, dextera iniquitatis

Eripe me Domine ab homine malo : * a viro iniquo eripe me.

Eripies me de contradictionibus populi : * constitues me in caput gentium.

Eripiens inopem de manu fortiorum ejus : * egenum et pauperem a diripientibus eum.

Eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab his qui oderunt me : quoniam confortati sunt super me.

Gloria et honor.

Antiphona. Vivent mortui tui Domine, et interfecti mei resurgent. Alleluia, alleluia. ℣. Expergiscimini, qui dormitis in pulvere : et laudate Dominum Deum vestrum. Alleluia, alleluia.

Psalmus David.

Usquequo exaltabitur inimicus meus super me ? * respice, et exaudi me Domine Deus meus.

Usquequo Domine oblivisceris in finem * usquequo avertis faciem tuam a me ?

Usquequo improperabit me inimicus : * irritat adversarius nomen tuum in finem ?

Usquequo Domine irasceris in finem : * accendetur velut ignis zelus tuus ?

Usquequo Domine avertis in finem : * exardescet sicut ignis ira tua ?

Usquequo peccatores Domine, * usquequo peccatores gloriabuntur ?

Usquequo gravi corde ? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium ?

Usquequo judicatis iniquitatem : * et facies peccatorum sumitis ?

Gloria, et honor.

Antiphona. Redime Domine animas servorum tuorum. ℟. Alleluia. ℣. Custodi omnia ossa eorum ; et non derelinquas animas servorum tuorum. ℟. Alleluia. ℣. Gloria, e honor Patri.

A *Psalmus David.*

Redime me, et miserere mei : pes meus stetit in via recta : * in Ecclesiis benedicam te Domine.

Redimet Dominus animas servorum suorum : * et non derelinquet omnes qui sperant in eo.

Redemisti in brachio tuo populum tuum, * filios Jacob, et Joseph.

Redemptionem misit Dominus populo suo : * mandavit in æternum testamentum suum.

Gloria, et honor.

Antiphona. Non intres in judicio ℟. Cum servis tuis, Domine ; ℣. Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. ℟. Cum servis. ℣. Gloria, et honor. ℟. Cum servis.

Psalmus.

B Numquid in æternum projiciet Deus : * aut non apponet ut complacitior sit adhuc ?

Numquid in æternum irasceris nobis ? * aut [CXLIX] extendes iram tuam a generatione in generationem ?

Numquid irascetur per singulos dies ?

Numquid confitebitur tibi pulvis, * aut annuntiabit veritatem tuam ?

Numquid mortuis facies mirabilia : * aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi ?

Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, * aut veritatem tuam in perditione ?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, * et justitia tua in terra oblivionis ?

Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, * qui fingis laborem in præcepto ?

C Numquid in fluminibus iratus es Domine ? * aut in fluminibus furor tuus ? aut in mari indignatio tua ?

Numquid non Deus est pater tuus, * qui possedit et fecit, et creavit te ?

Numquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea : * et ipse fundavit eam Altissimus.

Numquid obliviscetur misereri Deus ? * aut continebit in ira sua misericordias suas ? Gloria, et honor.

Antiphona. Credimus, quia Redemptor noster resuscitabit nos : ℟. Et in carne nostra videbimus Dominum Deum. ℣. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis : et sanctus in omnibus operibus suis. ℟. Et in carne. ℣. Gloria, et honor. ℟. Et in carne nostra videbimus Dominum Deum.

D *Lauda.* Alleluia. Fac cum servis tuis Deus, ℟. Secundum misericordiam tuam. Alleluia, alleluia. ℣. Memento congregationis tuæ Domine, quam creasti ab initio. ℟. Secundum. ℣. Gloria, et honor. ℟. Secundum.

Lauda. Alleluia. Educ eos Domine de tenebris, et umbra mortis : ℟. Et vincula eorum disrumpe. Alleluia, alleluia. ℣. Memento congregationis tuæ Domine, quam creasti ab initio, ℟. Et vincula. ℣ Gloria, et honor. ℟. Et vincula.

Hymnus.

Deus ignee fons animarum,
Duo qui socias elementa :
Vivum simul, ac moribundum

Hominem, Pater effigiasti.
Tua sunt, tua Rector utraque :
Tibi copula jungitur horum ;
Tibi, dum vegetata cohærent
Spiritus simul et caro servit.
Rescissa sed ista seorsum,
Solvunt hominem perimuntque;
Humus excipit arida corpus,
Anima rapit auræ liquorem.
Quia cuncta creata necesse est
Labefacta senescere tandem,
Compactaque dissociari,
Et dissona texta retexi.
Hinc maxima cura sepulchris
Impenditur : hinc resolutos
Honor ultimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat.
Hoc provida Christicolarum
Pietas studet ; ut pote credens
Fore protinus omnia viva,
Quæ nunc gelidus sopor urget.
Qui jacta cadavera passim
Miserans tegit aggere terræ :
Opus exhibet ille benignum
Christo pius omnipotenti.
Quia lex eadem movet omnes
Gemitum dare sorte sub una :
Cognataque funera nobis
Aliena in morte dolore.
Sequimur tua dicta, Redemptor,
Quibus atra morte triumphans,
Tua per vestigia mandas,
Socium crucis ire latronem.
Patet ecce fidelibus ampli
Via lucida jam paradisi;
Licet et nemus illud adire
Homini, quod ademerat anguis.
Illic precor, Optime Ductor,
Famulam tibi præcipe mentem
Genitali in sede sacrari,
Quam liquerat exul, et errans.
Animas, non immemor ob hoc,
Quarum memores sumus ipsi,
Deus, sorde rogamus, piatas,
Erebi rogis fac alienas.
Sit honor tibi, fons pietatis :
Laus, gloria, summa potestas
Patri, Genito, sive Domino
Orbis Regi ; qui Deus unus.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus : ut spiritus, et animas famulorum suorum, omnium fidelium defunctorum, inter agmina Beatorum propitius collocare dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison. ℟. Christe eleison, Kyrie eleison.

Capitula. Deus, apud quem mortuorum spiritus vivunt, et in quo electorum animæ, [CL] seposito A carnis onere, plena felicitate lætantur ; præsta supplicantibus nobis, ut animæ famulorum tuorum, omnium fidelium defunctorum, quæ temporali caruerunt per corpus visionis hujus luminis usu, æternæ illius lucis solatio potiantur. Non eas tormentum mortis attingat ; non dolor horrendæ visionis afficiat ; non pœnalis timor excrutiet ; non reorum proxima catena constringat : sed concessa sibi delictorum venia, optata quietis mereantur consequi gaudia repromissa.

Pater noster : Et ne nos.

A malo nos libera, et in tuo timore, et opere bono nos confirma, Trinitas Deus noster ; qui es benedictus, et vivis, et omnia regis in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

B Humiliate vos benedictioni.

℟. Dominus sit. ℟. Et cum.

Benedictio. Christus Dominus, qui morte sua subvenit mortuis, orantes nos exaudiat pro fidelibus defunctis ; ℟. Amen. Ut nostris precibus, et nobis salutem optabilem, et illis impetremus quietem : ℟. Amen. Quo fides qua cum illis simul Domino credimus, et nos justificet a delictis, et illos liberet a suppliciis. ℟. Amen.

Lauda. Defunctorum animas. *P.* Non derelinquas in infernum Domine : Alleluia, alleluia. ℣. Quia tu Domine suavis, et mitis; et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te. *P.* Non derelinquas. ℣. Gloria, et honor. *P.* Non derelinquas.

Dominus sit. ℟. Et cum Spiritu tuo.

C *Oratio.* Commendamus tibi, Domine, animam famuli tui *N.*, et animas famulorum famularumque tuarum *N. N.* ; precamurque te, Christe Jesu Salvator mundi, ut propter quam ad terram misericorditer descendisti, Patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas. Agnosce Domine creaturam tuam, non ex diis alienis creatam, sed a te solo Deo vivo et vero ; quia non est Deus alius præter te, et non est secundum opera tua : lætifica Domine animam ejus in conspectu tuo, et ne memineris iniquitatum ejus antiquarum, et ebrietatum, quas suscitavit furor, sive fervor mali desiderii : licet enim peccaverit, tamen Patrem, et Eilium, et Spiritum Sanctum non negavit, sed credidit ; et zelum Dei habuit in se : et Deum, qui fecit omnia, adoravit.

D Per misericordiam. ℟. Amen.

Dominus sit. ℟. Et cum.

In nomine Domini nostri Jesu Christi omnes animæ fidelium defunctorum per misericordiam Dei sine fine requiescant in pace. ℟. Amen.

IN AGENDA MORTUORUM.

Antiphona. Requiem æternam. P*salmus* I. *Totus cum Gloria.*

Antiphona. Requiem æternam det tibi Dominus : et lux perpetua luceat tibi in æternum.

Responsorium. Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam illi : *P.* Pater, peccavi tibi, indulge mihi. ℣. Dum adhuc longe esset, vidit eum pater ejus, et

misericordia motus, cecidit super collum ejus, dixitque illi filius: *P.* Pater.

Abicidaria. Deus miserere, Deus miserere: heu me! *Reiteretur.* Deus miserere. *P.* Miser, infelix, malum quod gessi, non intellexi: heu me! ℣. Ad te Domine animam levo: heu me! occulta cordis jam reus pando: heu me! *P.* Miser, infelix. ℣. O vita omnis valde amara! heu me! in qua commisi plurima mala: heu me! P. Miser, infelix. ℣. Oculi mei, fundite aquas: heu me! forsitan Deus delet peccata: heu me! *P.* Miser, infelix.

Antiphona. Nunc reges intelligite. *Psalmus* II. *Totus cum Gloria.*

Antiphona. Nunc reges intelligite: erudimini omnes, qui judicatis terram. Servite Domino in timore.

Responsorium. Scio Domine, quia nihil in terra sine causa. *P.* Quia homo nascitur ad laborem, et avis ad volandum. ℣. Ego vero deprecabor Dominum; et ad eum ponam eloquium meum. *P.* Quia homo nascitur.

Abicidaria. Deus miserere, Deus miserere in peccatis ejus. *Reiteretur.* Deus miserere. ℣. Ecce nunc advenit diræ mortis dies, et hora extrema vitæ, ut cum eis patribus locatus, simul jam quiescat. *P.* Deus miserere. ℣. Vos amici mei, sorores, et matres super me dolentes, ad Dominum pie supplices fundite dignas pro me preces. *P.* Deus miserere

Antiphona. Confirma super nos. *Psalmus* CXVI. *Totus cum Gloria.*

Antiphona. Confirma super nos Deus misericordiam tuam.

[CLI] *Responsorium.* Peccantem me quotidie, nec pœnitentem Domine, timor mortis conturbat me: et quia in inferno nulla est confessio. *P.* Miserere mei Deus, miserere mei. ℣. Peccavi, Domine, peccavi; et iniquitates meas ego agnosco: peto obsecrans te: *P.* Miserere mei Deus.

Abicidaria. Miserere, miserere, miserere illi Deus. P. Miserator, miserere: veniam ei concede. ℣. Agnus Dei, qui ut ovis immolatus es pro nobis, et ut homo indignaris, Deus verus adoraris. *P.* Miserator. ℣. Jesu dulcis, Jesu pie, Fili virginis Mariæ, qui pro nobis ascendisti crucem; Pater, parce isti. P. Miserator. ℣. Terge mala, quæ commisit: dele noxam; quod deliquit: et concede locum lucis sempiternæ amœnitatis. *P.* Miserator.

Supplicatio. Oremus pium, et exaudibilem Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut et spiritum, et animam famuli sui in locum lucis inter agmina Beatorum propitius collocare dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison. ℟. Christe eleison. Kyrie eleison.

Oratio. Tibi Domine, commendamus animam famuli tui, ut defunctus sæculo tibi vivat: et quæ per fragilitatem mundanæ conversationis peccata comisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Dicat Sacerdos: In nomine Domini nostri Jesu A Christi omnes animæ fidelium defunctorum per misericordiam Dei sine fine requiescant in pace. ℟. Amen.

Ad Matutinum.

Lauda. Cor contritum et humilitaum Deus ne despicias. *Psalmus* L. *Totus cum Gloria.*

Oratio. Cordis nostri secreta, quæ quotidie curis carnalibus sordidantur, hyssopi verbi tui, omnipotens Deus, aspersione mundentur: ut recedat a nobis callidus seminator: et Christus Dominus in nobis maneat perpetuus consolator. ℟. Amen.

Antiphona. Memento Domine, quod terra sumus: Homo, sicut fœnum dies ejus, sicut flos fœni, ita spiritus pertransivit ab eo.

Psalmus David.

B Ad te levamus oculos nostros, * qui habitas in cœlis.

Ad te Domine clamabo: et ad Deum meum deprecabor. * Quœ utilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis, * aut annuntiabit veritatem tuam?

Ad te Domine clamabo, Deus meus ne sileas a me: * nequando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum.

Ad te clamaverunt patres nostri, et salvi facti sunt: * in te separevunt, et non sunt confusi.

Ad te clamavi: dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me. * Et deduxisti me, quia factus es spes mea: turris fortitudinis a facie inimici.

C Ad te orabo, Domine, mane: exaudies vocem meam. * Mane astabo tibi, et videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Ad te Domine levavi animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam: neque irrideant me inimici mei; * etenim universi, qui sustinent te, non confundentur.

Ad te confugi: * doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Ad te Domine levavi animam meam: * eripe me de inimicis meis.

Requiem æternam det tibi Dominus; * et lux perpetua luceat tibi in æternum.

Oratio. Petimus, Domine, misericordiam tuam; ut animas famulorum tuorum omnium fidelium de-D functorum pietatis tuæ rore perfundas: liberes eas de manibus terribilium ministrorum: de loco ardoris educas: ad paradisi studia jubeas pervenire; ut Abrahæ sinu collocatas, cum Sanctis tuis omnibus in prima anastasi suscitentur. ℟. Amen.

Antiphona. Memento Domine, quia ventus est vita nostra; anni nostri veloci cursu transierunt. Jam miserere nobis, quia pulvis sumus.

Psalmus David.

Miserere mei, et exaudi orationem meam. * Miserere mei Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum:

* sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Et anima mea turbata est valde. A

Miserere mei Domine: quoniam unicus et pauper sum ego. * Tribulationes cordis mei [CLII] multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me.

Miserere mei: pes meus stetit in via recta: * in ecclesiis benedicam te Domine.

Miserere mei, et exaudi me. Tibi dixit cor meum, * exquisivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram. Ne avertas faciem tuam a me.

Miserere mei Domine quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus: * quoniam defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus.

Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam: * et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. B

Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea. * Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.

Miserere mei, conculcavit me homo: tota die impugnans tribulavit me.* Conculcaverunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes adversum me.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die: * lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine levavi animam meam.

Miserere mei, et da imperium tuum puero tuo: * et salvum fac filium ancillæ tuæ. Fac mecum signum in bono.

Miserere nostri Domine, miserere nostri: * qui multum repleti sumus despectione. C

Requiem æternam, etc.

Oratio. Deus, qui humanarum animarum amator es; animas famulorum tuorum omnium fidelium defunctorum, quas vera, dum in corporibus manerent, tenuit fides: ab omni cruciatu inferorum redde extorres: ut segregatæ ab infernalibus claustris, Sanctorum mereantur adjuvari consortiis. ℟. Amen.

Antiphona. Memento Domine congregationis tuæ, quam creasti ab initio.

P*salmus David.*

Libera me, nequando rapiat ut leo animam meam. dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: * et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Llbera me ab his qui oderunt, * et de profundis aquarum. D

Libera me, quia egenus et pauper ego sum: * et cor meum conturbatum est intra me.

Libera me a persequentibus me: * quia confortati sunt super me.

Libera me de aquis multis; et de manu filiorum alienorum. * Quorum os locutum est vanitatem: et dextera eorum, dextera iniquitatis.

Libera me de operantibus iniquitatem; et de viris sanguinum salva me:

Libera animam meam Domine a labiis iniquis, * et a lingua dolosa,

Libera animam meam: * misericors Dominus et justus, et Deus noster miseretur.

Libera Deus Israel afflictos, * ex omnibus tribulationibus suis.

Liberasti virgam hereditatis tuæ: * mons Sion, in quo habitasti in eo.

Requiem æternam, etc.

Oratio. Fac, quæsumus Domine, hanc cum servis tuis misericordiam, ut factorum suorum in pœnis non recipiant vicem, qui tuam in votis tenuerunt fidei veritatem; ut sicut hic vera fides junxit eos fidelium turmis, ita eos illuc tua miseratio societ Angelicis choris. ℟. Amen.

Abicidaria. Miserere, miserere, miserere illi, Deus. P. Christe Redemptor, veniam ei concede. ℣. Mundi Rector, et Redemptor Jesu Christe, rerum Actor. P. Christe Redemptor. ℣. Qui exaudis obsecrantes, et gementes intueris. P. Christe Redemptor. ℣. Qui expectas pœnitentes, et peccata deplorantes. P. Christe. ℣. Sacerdotum audi preces, aures tuas implorantum. P. Christe Redemptor. ℣. Sepultura domus mea tenebrosa, et dolorosa. P. Christe.

Oratio. Delicta juventutis, et ignorantiæ ejus, quæsumus, ne memineris Domine; sed secundum magnam misericordiam tuam, memor esto illius in Gloria claritatis tuæ. Aperiantur ei cœli, collætentur illi Angeli, in regnum tuum Domine servum tuum suscipe. Suscipiat eum Sanctus Michael Archangelus Dei, qui militiæ cœlestis meruit principatum: Veniant illi obviam sancti Angeli, et perducant eum in cœlestem civitatem Hierusalem: Suscipiat eum Beatus Petrus Apostolus, cui a Deo claves cœlestis regni traditæ sunt: Adjuvet eum Sanctus Paulus, qui dignus fuit esse vas electionis: Intercedat pro eo Sanctus Joannes electus Dei Apostolus, [CLIII] cui revelata sunt secreta cœlestia: Orent pro illo omnes Sancti Apostoli, quibus a Domino data est potestas ligandi atque solvendi: Intercedant pro eo omnes Sancti Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc sæculo sustinuerunt; ut vinculis carnis exutus pervenire mereatur ad Gloriam regni cœlestis, præstante Domino nostro Jesu Christo: Qui cum Patre.

In secundo Nocturno.

Antiphona, Sedentes in tenebris, et umbra mortis: vinctos vinculis tu resolve Domine.

P*salmus David.*

Quia tu Domine suavis, ac mitis es; * et multum misericors invocantibus te.

Tu Domine Deus miserator et misericors, * patiens, et multæ misericordiæ, et verax.

Tu Domine adjuvisti me, * et consolatus me.

Tu Domine susceptor meus * gloria mea, et exaltans caput meum.

Tu Domine servabis et custodies nos * a generatione hac in æternum.

Tu Domine ne elongaveris auxilium tuum a me: * ad defensionem meam conspice.

Tu Domine, * benedixisti justo.

Tu Domine ne longe facias miserationes tuas

me: misericordia et veritas tua semper susceperunt me.

Tu Domine eruisti animam meam ut non periret. projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Tu Domine deridebis malos : et ad nihilum deduces omnes gentes.

Requiem, etc.

Oratio. Suscipe piissime Deus in sinu Abrahæ Patriarchæ animas famulorum tuorum, omnium fidelium defunctorum ; eosque cum Sanctis et electis adjunge: non eis culpa carnis ad pœnam ; sed prosit eis tuæ pietas miserationis ad veniam. ℟. Amen.

Antiphona. Animas pauperum tuorum, Domine ne obliviscaris in finem.

P*salmus David.*

Tui sunt cœli, et tua est terra * mare, et omnia quæ in eis sunt.

Tu fecisti omnes terminos terræ. æstatem et ver : tu plasmasti ea. * Tu eruisti animam meam ut non periret ; projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Tu fundasti orbem terræ : aquilonem, et mare tu creasti.

Tu illuminas lucernam meam Domine ; Deus meus illumina tenebras meas.

Tu cognovisti omnia novissima, et antiqua ; * tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.

Tu populum humilem salvum facies : et oculos superborum humiliabis.

Tu terribilis es, et quis resistet tibi ? * et ex tunc ira tua.

Requiem, etc.

Oratio. Petimus, Domine, misericordiam tuam; ut animæ famulorum tuorum, omnium fidelium defunctorum, mutata sorte tristium mansionum, felici perfruantur societate Justorum. ℟. Amen.

Antiphona. Parce nobis, Domine, quia animas amas.

P*samus David.*

Ad te levamus oculos nostros, * qui habitas in cœlis.

Ecce sicut oculi servorum, * in manibus dominorum suorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ : * ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Ad Dominum meum clamavi : et exaudivit de templo sancto suo vocem meam : * et clamor meus introivit in aures ejus.

Ad Dominum cum tribularer clamavi : et exaudivit me * Domine libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa.

Ad omnia mandata tua dirigebar : omnem viam niquam odio habui.

Requiem æternam, etc.

Oratio. Precamur te, Deus Omnipotens ; ut defunctorum animæ in te credentes; ac de tua pietate, misericordiaque tua sperantes, sic a delictis omnibus

A absolvantur, ut nulla in æterna confusione obnoxiæ teneantur. ℣. Amen.

Abicidaria. Miserere, miserere, Deus, miserere ; veniam ei concede, et peccata dele. ℣. Aurem tuæ pietatis pulsamus modo : tu requiem attribue famulo tuo. P. Miserere. ℣. O Jesu Redemptor, Bone, Sancte, Æterne, huic, pro quo te supplicamus, veniam dona. P. Miserere. ℣. Dimitte illi omnia ejus delicta : ejus facta non requiras in die illa. P. Miserere. ℣. Vos orate, Sacerdotes, pro me ad Deum, ut non inveniar reus jam ante eum. P. Miserere. ℣. Simul et omnes Levitæ gemitum date : qui ministratis Christi ante altare. P. Miserere.

[CLIV] *Oratio.* Deus, cui omnia vivunt, et cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in

B melius : Te supplices deprecamur, ut suscipi facias animam famuli tui per manus sanctorum Angelorum tuorum deducendam in sinum amici tui Abrahæ Patriarchæ resuscitandamque in novissimo magni judicii die : et quicquid vitiorum, fallente diaboli, contraxit, tu pius, et misericors abluas indulgendo. ℟. Amen.

In Tertio Nocturno.

Antiphona. Noli nos relinquere Domine : ne tradas animas nostras imperio inimicorum.

P*salmus David.*

Domine dilexi decorem domus tuæ, * et locum habitationis gloriæ tuæ.

Domine servabis nos : et custodies nos * a gene-

C ratione hac in æternum.

Domine a paucis divide eos, in vita eorum * de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.

Domine, Domine virtus salutis meæ : * obumbrasti super caput meum in die belli.

Domine recessisti longe, despicis in opportunitatibus, in tribulatione ? Dum superbit impius, incenditur pauper : comprehenduntur in consilis quibus cogitant.

Domine Deus clamavi ad te, * et sanasti me.

Domine eduxisti ab inferno animam meam : * salvasti me a descendentibus in lacum.

Domine in voluntate tua, prætitisti decori meo virtutem : * Avertisti faciem tuam a me, factus sum conturbatus.

D Domine quando respicies ? * restitue animam. meam a malignitate eorum, a leonibus unicam meam

Domine Domine Rex deorum, cælorum, * ne extermines populum tuum, et hereditatem tuam, quam liberasti de imperio inimicorum.

Requiem æternam.

Oratio. Suscipe, Domine, animam famuli tui N. quam hodie de ergastulo hujus sæculi vocare dignatus es ; et libera eam de locis pœnarum. quietis, ac lucis æternæ beatitudine perfruatur ; et inter Sanctos et electos tuos in resurrectionis gloria resuscitari mereatur. ℟. Amen.

Antiphona. Resurgunt mortui tui, Deus : resurgunt qui in monumentis sunt, et lætabuntur coram te.

Psalmus David. Respice in me, et miserere mei : A
* quia unicus, et pauper sum ego,

Respice in me, et miserere mei, * da imperium tuum puero tuo : et salvum fac filium ancillæ tuæ,

Respice inimicos meos quoniam multiplicati sunt * et odio iniquo oderunt me.

Respice in servos tuos, et in opera tua :* dirige filios eorum.

Respice in testamentum tuum :* quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum.

Respice, et exaudi me Domine Deus meus. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte * nequando dicat inimicus meus : Prævalui adversus eum.

Requiem æternam.

Oratio. Non intres in judicium cum servo tuo, B
Domine ; quoniam nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium tribuatur ei remissio peccatorum. Non ergo eum, quæsumus, tua judicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei christianæ commendat : sed gratia tua illi succurente, mereatur evadere judicium ultionis, qui dum viveret, insignitus est signaculo sanctæ Trinitatis. ℟. Amen.

Antiphona. Vivent mortui tui Deus ; interfecti mei resurgent.

Psalmus David.

Lætabitur justus cum viderit vindictam : * manus suas lavabit in sanguine peccatoris.

Lætabitur justus in Domino et sperabit in eo, et laudabuntur omnes recti corde. * Lætabor et exul- C
tabo in te : psallam nomini tuo Altissime.

Lætabimur in salutari tuo : * et in nomine Dei nostri magnificabimus.

Lætamini in Domino, et exultate justi : * et gloriamini omnes recti corde.

Lætamini justi in Domino ; et confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

Lætentur omnes, qui sperant in te, in æternum exultabunt : et habitabis in eis.

Lætetur cor quærentium Dominum.* Quærite Domiuum, et confirmamini.

Requiem.

Oratio. Clementissime Domine, audi servorum tuorum preces : et animam famuli tui N. inter victricium turmarum catervas facito [CLV] collocari : a D
dextris quoque Filii tui Domini nostri misericordiam inventurus adsistat ; et Sanctorum tuorum consortio deputatus, regnum cœleste sine fine possideat. ℟. Amen.

Abicidaria. Miserere, miserere, miserere illi Deus: malis ejus finem pone pone, et dolentes consolare P. Jam Domine miserere. ℣. Audite me, omnes fratres, seu defunctorum matres ; ordo fratrum, et sorores pia voce ejulantes : P. Jam Domine miserere. ℣. Libera me de inferno, tu Filii Dei Patris : propter temetipsum, Christe, pone finem malis meis : P. Jam Domine. ℣. Bona umbra nos tegebat, quando arbor hic adstabat : intus foris nos ornabat, et nos omnes gubernabat. P. Jam Domine.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui mortem moriens devicisti : et vitam mortuis reddidisti : quæsumus potentiam tuam : ut servus tuus, cujus hodie commemorationem facimus, sinistræ partis contagione exutus, dexteram teneat : ut sine metu, sine corruptione, sine mortalitate, quam diutius concupivit productus ad patriam, ibi sit, ubi omnis turba Justorum in æqualitate permanet Angelorum. ℟. Amen.

In laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Exortum est in tenebris lumen rectis corde : misericors, et miserator, et justus Dominus.

Canticum. Matthæi (*Cap.* XXII).

Accesserunt ad Jesum Saducæi, qui dicunt non esse resurrectionem : * et interrogaverunt eum, dicentes :

Magister, Moyses dixit, Si quis mortuus fuerit, non habens filium,* frater ejus ducat uxorem illius, et suscitet semen fratri suo.

Erant autem apud nos septem fratres : et primus uxore ducta, defunctus est :* et non habens semen reliquit uxorem suam fratri suo.

Similiter secundus, et tertius usque ad septimum * Novissime autem omnium, et mulier defuncta est,

In resurrectione ergo, cujus erit de septem uxor ! * omnes enim habuerunt eam.

Respondens autem Jesus ait illis : Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.

In resurrectione enim, nec nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in cælo.

De resurrectione autem mortuorum, * non legistis, quod dictum est a Domino dicente nobis ;

Ego sum Deus Abraham,* et Deus Isaac, et Deus Jacob ?

Non est Deus mortuorum, * sed viventium.

Requiem æternam.

Reiteretur. Antiphona. Exortum est.

Ad Benedictus Antiphona. Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te : miserere ei, et exaudi me.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6.

Reiteretur. Antiphona. Exaudi Domine.

Sono. Vivent mortui tui Deus : P. Interfecti mei resurgent : ℣. Et lætabuntur omnes, qui sunt super terram. P. Interfecti mei.

Lauda. Omnis spiritus laudet Dominum Alleluia : Et conlaudet eum. Alleluia, alleluia. *Psalmus.* CL.

Reiteretur. Lauda. Omnis spiritus.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* LVIII).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Orietur in tenebris lumen vobis, et tenebræ vestræ erunt sicut meridies. Et requiem dabit vobis Dominus semper, et replebit splendoribus animas vestras, et ossa vestra liberabit, et eritis quasi hortus irriguus, et sicut fons

aquarum, cui non deficiunt aquæ, ait Dominus A Omnipotens. ℟. Amen.

Hymnus

Christe Rex, mundi Creator,
Et Redemptor inclyte,
Vota plebis obsecrantis,
Tu benigne suscipe :
Supplici voce precamur,
Postulatus adveni.
Mortis olim tu potenter
Vincens ut princeps,
Tartara sæva petisti
Dira claustra diruens,
Ferrea vincla resolvens,
[CLVI] Et retrusos eximens.
Hoc triumpho confitentes,
Mente prona quæsumus ;
Mortis ut tu des quietem,
Cum quiete gaudium :
Dexteræ Patris trophæo
Cum beatis omnibus.
Non eos flamma perurat :
Non catena vinciat :
Vermis illius pavendi
Nemo pœnam sentiat ;
Sed tuo dono beati,
Absque fine gaudeant.
Præstet hæc Unitas semper,
Atque summa Trinitas ;
Cujus est perenne nomen
Sempiterna claritas ;
Ac Deus trinus, et unus
Regnat ante sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus : ut spiritus et animas famulorum suorum, omnium fidelium defunctorum, inter agmina beatorum propitius collocare dignetur, ℟. Præsta æternæ omnipotens Deus.

Kyrie eleison. ℟. Christe eleison. Kyrie eleison.

Capitula. Rogamus sanctam clementiam tuam, Pater omnipotens Deus, propter animas famulorum tuorum, omnium fidelium defunctorum, quas ex hujus vitæ confractibus, et terreni corporis conluvione subtrahere voluisti : ut eas supernæ congregationi adsocies, atque ab inferorum sedibus erectas cœlestibus habitaculis alliges : ita ut eorum caro, quæ nunc jacet exanimata, evigilet gloriosa. Non sint pœnarum obnoxiæ ; sed spiritu gratiæ copulatæ ; omnia facta eorum, dicta, et cogitata pia benignitate indulgeas : ut per Unigeniti tui gratiam, et partem accipiant Gloriæ, et plenitudinem resurrectionis in futuro cum Sanctis omnibus valeant obtinere.

Pater noster. A malo nos libera. *Fol.* 10.

Benedictio. Christus Dominus, qui morte. *Lauda.* Defunctorum animas. *Oratio.* Commendamus tibi Domine. *Et omnia alia ut supra. Fol.* 149.

INCIPIT
OFFICIUM UNIUS MARTYRIS PRÆCIPUI.

SEX CAPPARUM, VEL QUATUOR CAPPARUM.

Ad Vesperos.

Lauda. Speravit anima mea in Domino. A custodia matutina. P. Usque ad noctem. ℣. Sustinuit anima mea in verbo tuo Domine. Fiant aures tuæ intendentes, in orationem servi tui. P. Usque ad noctem.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Sonus. Deus præcinxit me virtutem ; P. Et posuit immaculatam viam meam. Alleluia, ℣. Dextera tua Domine suscepit me : et disciplina tua ipsa me docuit. Alleluia. P. Et posuit immaculatam.

B *Dicat Presbyter.* Dominus sit ℟. Et cum.

Antiphona. Hic vir justus et fidelis in vita sua multa fecit bona ; P. Et post mortem laudabilia opera ejus : ℣. Hic accipiet benedictionem a Domino : et misericordiam a Deo salutari suo. P. E post mortem. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto in sæcula sæculorum. Amen. P. Et post mortem.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Diligam eum ex toto corde meo, dicit Dominus : P. Et erit sicut ros, Israel : germinabit sicut lilium, et florebit. Alleluia, alleluia. ℣. Et ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ. P. Et erit sicut ros. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto in sæcula sæculo- C rum. Amen. P. Et florebit. Alleluia, alleluia.

Hymnus

Insignem Christi Martyrem
Laudemus ore et pectore,
Quem clara mortis gloria
Cœlestem fecit incolam.
Hic testis namque fidei
Auctorem Christum prædicans,
Litare Sacris Gentium
Contempsit imperterritus.
Non illum pœna carceris,
Non rigor sævus gladii,
Non ferri, non incendia
Fide certantem exasperant.
Sepulchro corpus redditum
D Mortis piato vulnere :
[CLVII] Emicans in cœlum volat
Christum secutus spiritus.
Quem cingit corona Deus,
Claro coruscat lumine ;
Lætum victorem choris
Consociat Angelicis.
Mors ista pretiosa est
Cum Sanctis : et Beata gens,
Qua cœlum justis panditur,
Qua regnum lucis traditur.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito

In sempiterna sæcula.

Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut per gratiam ipsius, et per intercessionem Sanctæ Mariæ Virginis, et genitricis suæ, et per intercessionem Sancti Martyris sui N. nobis remissionem peccatorum, et pacem propitius donare dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison. ℟. Christe eleison. Kyrie eleison.

Capitula. Beatissimi Martyris tui N. Domine natalitia honore debito venerantes dexteræ tuæ opem exquirimus; et gravati delictorum nostrorum pondere divinam potentiam exposcere non metuimus; quantoque fragilitas nostra vitiorum obice verberetur perpendere non valemus; qui recedendo a te, et per tot abrupta gradiendo facinorum, cæcitatis peccatum incurrimus, et te, qui verum justitiæ lumen es, contemnendo caruimus: assiste, quæsumus nunc, Trinitas incommutabilis Deus, familiæ tuæ precibus exoratus; cunctorumque in hac hora vespertina suscipe vota, cunctorumque pius crimina laxa: et omnium facinorum labe detersa, cœlestis patriæ cunctis præmia tribuere promissa digneris.

Pater noster. Liberati a malo. *Vol.* 2.

Benedictio. Petitiones nostras superna Divinitas suppleat, et desideria nostra beatissimi Martyris sui N. intercessione proficiat. ℟. Amen. Omnium precibus clemens auditor assistat, et cunctorum piacula bonitate propitia absolvat. ℟. Amen. Sensus nostros nunc in bonis sibi adhærere faciat, et in futuro suorum nos gaudiis jungat. ℟. Amen.

Per.

Lauda. Statuit Dominus supra petram pedes meos: et direxit gressus meos; P. Et immisit in os meum alleluia: Hymnum Deo nostro. Alleluia. ℣. Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi. P. Et immisit. ℣. Gloria, et honor. P. Et immisit.

Oratio. Præsta. *Hic infra.*

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea, Domine, aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam. *Psalmus* L.

Reiteretur Antiphona. Labia.

Oratio. Exultent Domine. *Fol.* 60.

Antiphona 1. Coronavit eum Dominus, et benedixit. ℟. Dilexit illum, P. Et supra multa munera constituet illum. ℣, Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupiet nimis. P. Et dilexit illum. ℣. Gloria, et honor. P. Et supra.

Oratio. Concede, omnipotens Deus, ut sicut gloriosissimus Martyr tuus N., per Christum Dominum in Ecclesia devicit viriliter adversarium, in Christo Ecclesia destruat inimicum: ut populus fidelium æternam pacem et gaudium obtineat, dum ad te quoque securitatis conquirit proventum. ℟. Amen. Per misericordiam.

Antiphona 2. Coronam gloriæ ponam super caput ejus, dicit Dominus: P. Et induam illum stolam candidam; quia servavit mandata mea; P. Et pro-

A pter nomen meum effusus est sanguis ejus in terra. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur. P. Et induam illum. ℣. Gloria, et honor. P. Et propter nomen meum.

Oratio. Præsta nobis, Deus, ut beatissimus Martyr tuus N. assiduum det patrocinium: ut ejus quoque præclarum assequi mereamur exemplum; quem protectorem sentientes impensissime, sequamur fortissime præliantem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. In paradiso deliciarum constituam illium, dicit Dominus; P. Quia servavit mandata mea, et legem meam dilexit. ℣. Manus enim mea auxiliabitur ei: et brachium meum confortabit eum: P. Quia servavit. ℣. Gloria, et honor. P.

B Quia servavit.

Oratio. Domine Deus, qui beatissimo Martyri tuo N., post patratam victoriam, concessisti regni potentiam: circa nos, Omnipotens, [CLVIII] defensionis tuæ pone custodiam; ut quibus regnandi felicitas non debetur, delinquendi ferocitate sublata, in te requiescendi securitas conferatur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Responsorium. Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris. P. Sed habebit lucem vitæ, dicit Dominus. ℣. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum: et tollat crucem suam, et sequatur me. P. Sed habebit. ℣. Gloria, et honor Patri.

Reiteretur Responsorium. Ego sum lux.

C *In Laudibus.*

Ad Canticum. Antiphona. Lætor in sanctitate tua, quoniam non est alius Deus quomodo Deus noster.

Canticum. Confirmatum est cor meum. *Folio* 86.

Reiteretur Antiphona. Lætor.

℣. Gloria, et honor. P. Quoniam non est.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedictio Domini in mercedem justi festinat.

Canticum. Benedictus es Domine. *Fol.* 6.

P. In mercedem justi. ℣. Gloria, et honor. P. In mercedem.

Benedicamus Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum; hymnum dicamus, et superexaltemus eum in sæcula sæculorum. Amen.

D *Reiteretur Antiphona.* Benedictio Domini.

Sonus. Fac mecum Deus signum in bono, Alleluia, ℣. Ut videant qui me oderunt, et confundantur: quoniam tu Deus adjuvisti me, et consolatus es me. Alleluia.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis Alleluia: laudate eum in excelsis, Alleluia.

P*salmus*, 148. P*salmus* 149. P*salmus* 150.

P. Fac mecum Deus. ℣. Gloria, et honor. P. Signum in bono. Alleluia.

Lectio libri Sapientiæ Salomonis (*Cap.* 18).

℟. Deo gratias.

Tetigit justum tentatio mortis, et commotio in ere-

mo facta est multitudinis : sed non diu permansit ira tua. Properans enim homo sine querela propugnavit, proferens servitutis suæ scutum, orationem, et per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, et finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus. Vicit autem turbas, non virtute corporis, nec armatura potentiæ, sed verbo Dei vexatorem projecit, juramenta parentum commemorans. Cum enim jam catervatim cecidissent super alterutrum mortui, inter stetit, et amputavit impetum, et divisit illam quæ ad vivos ducebat viam. In veste enim poderis, quam habebat, totus orbis terrarum, et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta, et magnificentia tua in diademate capitis illus erat inscripta. ℟. Amen.

Hymnus.

Deus tuorum militum
Sors, et corona, præmium,
Laudes canentes Martyris
Absolve nexum criminis.

Hic nempe mundi gaudia,
Et blandimenta noxia
Canduca rite deputans,
Pervenit ad cœlestia :

Pœnas cucurrit fortiter,
Et sustulit viriliter,
Pro te effundens sanguinem
Æterna dona possidet.

Ob hoc paccatu supplici
Te poscimus piissime;
In hoc triumpho Martyris,
Dimitte noxam servulis.

Deo Patri sit gloria.
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
In sempiterna sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi.

Quære retro in Vesperis præcedentibus.

Capitula. Acceptabile Deo, nobis quoque conveniens est, ut alacres ac solemnes ad celebrandum tabernaculi gloriam conveniamus, dilectissimi fratres : ut dum ultricis manus reverenter dependimus obsequelam, copiosam hauriamus divinæ gratiæ opulentiam.

Pater noster. Liberati a malo. *Vol.* 2

Lauda. In psalterio, et cithara dicam : Alleluia. P. In psalterio decem chordarum dulcis sonus est. Alleluia, alleluia. ℣. Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit. P. In psalterio decem chordarum. ℣. Gloria, et honor Patri. P. In psalterio decem chordarum.

Dicat Presbyter. Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit semper. ℣. Et cum Spiritu tuo.

Benedictio. Petitiones nostras superna Divinitas supleat, et desideria nostra beatissimi [CLIX] Martyris sui N. intercessione perficiat. ℟. Amen. Omnium precibus clemens auditor adsistat, et cunctorum piacula bonitate propitia abluat. ℟. Amen. Sensus

A nostros nunc in bonis sibi adhærere faciat, et in futuro suorum nos gaudiis jungat. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius et, etc.

In nomine Domini, *Fiat commemoratio.*

Lauda Ad annuntiandum mane misericordiam tuam : et veritatem tuam per noctem.

Oratio. Mane, Domine, oratio nostra perveniat ad te, quia suscepisti confractionem fragilitatis nostræ; concede nobis diem istum jocundum, et pacificum, sine scandalo, sine macula, sine ulla tentatione ; ut advenientes, ad vesperum te collaudemus Regem æternum. ℟. Amen.

Per misericordiam. Fidelium animæ, omnium defunctorum, per misericordiam Dei cum Christo line fine requiescant in pace. ℟. Deo gratias.

B

ALIUD OFFICIUM

UNIUS MARTYRIS PONTIFICIS.

Ad Vesperos.

Lauda. Gloria, et honore coronasti eum Domine : ℣. Gloriam, et magnum decorem imposuisti super eum. *P.* Domine.

Sonus. Fac mecum Deus signum in bono Alleluia; ℣. Ut videant qui me oderunt, et confundantur : quoniam tu Deus adjuvisti me et consolatus es me. P. Alleluia.

Antiphona. Oculus Dei aspexit justum in bono, et elegit illum ab humilitate sua. Audivit eum, et vocem ipsius. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsius ; et non supplantabuntur gressus ejus. P. Et elegit illum ab humilitate sua. Audivit eum et vocem ipsius. ℣.

C *Lauda*. Justus ut palma florebit Alleluia : Sicut cedrus Libani multiplicabitur. Alleluia, alleluia. P. Potens in terra erit semen sanctum ejus : ℣. Gloria, et honor. P. Audivit eum, et vocem ipsius. Generatio rectorum benedicetur. P. Sicut cedrus Libani. ℣. Gloria, et honor. P. Sicut cedrus Libani.

Hymnus. Insignem Christi Martyrem. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi, *fol.* 156 *et* 157.

Capitula. Adesto, Domine, celebrantibus Ecclesiæ tuæ mysteria, quæ dependunt in laudem *N.* Martyris tui atque Pontificis : sint grato in oculis tuis ; neque frustremur in nocturnis actibus, qui gloriosum Martyrem tuum vespertinis officiis frequentamus : sitque vita nostra devotioni sacræ non dissona ; et qui honorifice recolimus Martyrem, ipsius vitæ teneamus sanctissimæ dignitatem.

D Pater noster. Liberati a malo. *Fol.* 2.

Benedictio. Patrocinio sancti sui *N.* atque Pontificis preces nostras, et holocausta Christus Dominus clementer custodiat. ℟. Amen. Ejus intercessu postulationes nostras adtendat, et ab omnibus peccatis purificatos custodiat; ℟. Amen. Ut passio, quæ affuit ad Gloriam, comitetur nobis ad veniam. ℟. Amen.

Per misericordiam,

Lauda. Statuit Dominus supra. *fol.* 157.

Oratio. Interveniente beatissimo Martyre tuo *N.* atque Pontifice custodi nos, Domine ab inimicis ; dum aut certandi instantiam sumimus, aut periculi foveam evitamus : ostende mendaces, qui nos odiis

malignis infestant: et dum maculas infigunt, tu A benigne emundes. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea, Domine, aperies : et os meum annuntiabit laudem tuam. *Psal.* L.

Reiteretur Antiphona. Labia mea Domine.

Oratio. Exultent Domine labia nostra. *Vol.* 60.

℟. Iste sanctus clamavit, et Dominus exaudivit eum: *P.* Et ex omnibus : tribulationibus ejus liberavit eum. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generatio rectorum benedicetur. *P.* Et ex omnibus.

Oratio. Interveniente beatissimo Martyre tuo, *ut hic supra.*

Antiphona 2. Ego clamavi, quia exaudisti me B Deus : inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea. *P.* Custodi me, ut pupillam oculi. Sub umbra alarum tuarum protege me. ℣. Exaudi Deus orationem meam cum tribulor : a timore inimici libera animam meam. P. Custodi me. ℣. Gloria, et honor. P. Custodi.

Oratio. Christe, qui es Ecclesiæ tuæ caput, præsta : ut beatus Martyr tuus *N.* in corpore Ecclesiæ constitutus, qui tunc membra pro capite dedit, nunc caput pro membris adhibere non cesset: capiti proximus [CLX] regat totum, et protegat corpus, adimpendens uberius, quo se exultat obtinuisse felicius. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Homo justus erit quasi flos agri, et C redolebit gratus odor ejus : *P.* Et omnis qui sperat in Deum laudabit eum. ℣. Beatus qui intelligit super egenum, et pauperem : in die mala liberabit eum Dominus. P. Et omnis qui sperat. ℣. Gloria, et honor. *P.* Et omnis qui sperat.

Oratio. Domine Deus, beatus Martyr tuus N. vincat suis meritis nostra flagitia ; qui non suis, sed divinis virtutibus sævientium potuit superare supplicia : et qui dudum in illis vicit attrocitatibus impietatem, in nobis ipsa manu tua malæ cupiditatis superet voluntatem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Justus justificetur, et sanctus sanctificetur P. Adhuc. Beatus, qui lavit stolam suam : ut sit potestas ejus in ligno vitæ. ℣. Et quicumque vicerit, sic vestietur candida veste, et non delebo nomen D ejus de libro vitæ. P. Adhuc. Beatus. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur* ℟. Justus justificetur.

In Laudibus.

Antiphona. Thronum gloriæ hereditans illi : dat votum optanti, et benedicat annos justi.

Canticum. Confirmatum est cor meum. *Folio* 86. *Reiteretur Antiphona.* Thronum.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedictio Domini mercedem justi festinat.

Canticum. Benedictus es Domine. *Vol.* 6.

Reiteretur Antiphona. Benedictio Domini.

Sonus. Septies in die laudem dixi tibi, Domine Alleluia, alleluia. ℣. Super judicia justitiæ tuæ. Alleluia, alleluia.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis Alleluia : Laudate eum in excelsis. Alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Prophetia. Justus si morte præoccupatus. *Folio* 53.

Hymnus. Deus tuorum militum. *Folio* 158.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus ; ut nos gratia ipsius, et per intercessionem sanctæ Mariæ Virginis et Genitricis suæ, et per intercessionem sancti N. Martyris sui atque Pontificis, nobis salutem animæ, et corporis, et remissionem omnium nostrorum peccatorum propitius, et pacem nobis donare dignetur. ℟. Præsta omnipotens Deus.

Kyrie eleison. ℟. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Capitula. Omnipotens Deus, qui Martyrem tuum N. atque Pontificem de hostibus triumphare fecisti; eodem intercedente, remove Ecclesiæ hostes ; in Ecclesia auge credentes : illi virtute assidua repellantur ; isti gratia indefessa multiplicentur : ut tuam in Martyre fortitudinem adversi sentiant, et favorem subjecti cognoscant.

Pater noster. Liberati a malo. *Fol.* 2.

Lauda. In psalterio, et cithara dicam : Alleluia. P. In psalterio decem chordarum dulcis sonus est. Alleluia, alleluia. ℣. Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit. P. In psalterio decem chordarum. ℣. Gloria, et honor. P. In psalterio decem chordarum.

Benedictio. Patrocinio sancti sui N. Martyris. *Fol.* 119.

In nomine Domini. *Fiat commemoratio. Lauda.* Ad annuntiandum mane.

Oratio. Mane Domine oratio nostra. *Fol.* 159.

SEQUUNTUR ALII VESPERTINI UNIUS MARTYRIS SIMPLICIS NOVEN LECTIONUM

Ad Vesperos.

Lauda. Lucerna pedibus meis verbum tuum, P. Domine, lumen semitis meis. ℣. Voluntaria oris mei comproba Deus: et judicia tua doce me. P. Domine, et lumen semitis meis.

Sonus. Benedic anima mea Dominum : qui sanat omnes languores tuos ; P. Et de interitu vitam tuam. Alleluia. Qui coronat te in miseratione et misericordia : et renovabit sicut aquilæ juventutem tuam. P. Et de interitu.

Antiphona. Bene nuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna, P. Ecce labia mea non prohibui : Domine, tu cognovisti. ℣. Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi. P. Ecce labia mea. ℣. Gloria et honor. P. Ecce labia mea.

Lauda. Beatus vir. Alleluia. P. Qui implevit. Alleluia [CLXI] desiderium suum Alleluia. ℣. Benignus vir qui miseretur et commodat, disponit sermones suos in judicio : quia in æternum non commovebitur. P. Qui implevit. Alleiuia. ℣. Gloria, et honor. P. Desiderium suum. Alleluia.

Hymnus. Deus tuorum militum. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi. *Fol.* 146.

Capitula. Gratias tibi agimus, omnipotens Deus, in quo noviter ostenduntur spei fructus, quibus promerendi fiduciam tam fortissimi Martyris tui N. præstatur infatigabilis intercessus : quo invictus Christi tui miles officii sui non immemor, qui tradit animam suam pro Christo, non cesset preces offerre pro populo Christiano.

Pater noster. Liberati a malo. *Fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui Martyri suo N. patiendi contulit votum, patientiam nobis tribuat contra omnes inlecebras vitiorum : ℟. Amen. Et qui illi donavit, peracta passione, coronam ; nobis conferat, peracto luctamine mundi, gaudia promissa. ℟. Amen. Ut qui hac die tanti Matyris solemnia celebratis, cum eodem post transitum conlocati, in cœlestibus sedibus gaudeatis. Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui est benedictus, et vivit, et omnia regit in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Beneficit Dominus cum anima ejus. P. Et aperuit illi januam fidei. Alleluia, alleluia. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsius : et non supplantabuntur gressus ejus. P. Et aperuit illi. ℣. Cloria, et honor. P. Et aperuit.

Oratio. Præsta nobis, omnipotens Deus ; ut beatus N. Martyr tuus assiduum det patrocinium : ut ejus quoque præclarum assequi mereamur exemplum, et sentientes inpensissime suffragantem, sequamur fortissime præliantem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

Ad Matutinum.

Antiphona. Laudabit lingua mea justitias tuas, Deus meus. *Psalmus* L.

Oratio. Laudet te, Domine, lingua nostra annuntiando justitias tuas : et exultent labia nostra præconio veritatis : ut non dissolvantur vaniloquio falsitatis : Sicque tibi confitendo, remissis criminibus in te exultemus : ut in congregatione justorum sacro agmine decantantes, vitæ beatæ efficiamur heredes. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. 1. Iste homo in certamine fortis factus est ; P. Et a persequentibus liberatus est : quoniam perseveravit in innocentia sua. ℣. Maxima est gloria ejus in salutari tuo : gloriam et magnum decorem impones super eum. P. Et a persequentibus. ℣. Gloria, et honor. P. Et a persequentibus.

Oratio. Præsta nobis omnipotens Deus. *Ut hic supra.*

Antiphona. 2. Ecce intelliget puer meus, excelsus erit et sublimis ; P. Et ego suscipiam eum. ℣. Manus enim mea auxiliabitur ei : et brachium meum confortabit eum. *P.* Et ego. ℣. Gloria, et honor. P. Et ego.

Oratio. Fac nos, Domine, beati N. Martyris tui sequi pedes : ut ejus muniti suffragio, respuamus

A falacias dæmonum ; cujus instructi patrocinio, videamus bona Domini in regione vivorum. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Ecce servus meus suscipiam eum : P. Electus meus complacuit sibi in illo anima mea. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generatio rectorum benedicetur. P. Electus meus. ℣. Gloria, et honor. P. Complacuit sibi.

Oratio. Æternum nomen virtutis tuæ, omnipotens Deus, oramus : ut nos Martyris tui. N. et omnium. Sanctorum meritis socios fide pares, devotione strenuos, passione consimiles ; et in resurrectione felicium facias coæquari. ℟. Amen.

Per.

℟. Justus si morte præoccupatus fuerit. P. Anima ejus in refrigerio erit. ℣. In memoria æterna B erit justus : obauditu malo non timebit. P. Anima ejus. ℣. Gloria. et honor. P. Anima ejus.

In Laudibus.

Antiphona. Thronum gloriæ hereditans illi : dat votum optanti.

Canticum. Confirmatum est cor meum. *Fol.* 76. P. Thronum gloriæ. ℣. Gloria, et honor. P. Dat vofum optanti.

[CLXII] *Ad Benedictus. Antiphona.* Benedictio Domini in mercedem justi festinat.

Canticum. Benedictus es Domine. *Fol.* 6.

Sonus. Septies in die laudem dixi tibi Domine alleluia, alleluia, super judicia justitiæ tuæ. Alleluia, alleluia.

C *Lauda.* Laudate Dominum de cælis Alleluia. Laudate eum in excelsis. Alleluia. *Psalmus.* 148.

Prophetia. Justus si morte præoccupatus. *Fol.* 53. *Hymnus.* Deus tuorum militum. *Supplicatio.* Oremus Redemptor. *fol.* 156. *Capitula.* Omnipotens Deus, qui Martyrem tuum. *Lauda.* In psalterio, et cithara. *Benedictio.* Christus Dominus, qui Martyri suo. *Fol.* 191.

INCIPIT OFFICIUM.

SIVE HISTORIA

PLURIMORIUM MARTYRUM.

SEX CAPPARUM.

Ad Vesperos.

D *Lauda.* Exortum est in tenebris lumen rectis corde : P. Misericors, et miserator, et justus Dominus. ℣. Directam fecit via justorum, et præparavit iter Sanctorum. P. Misericors.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Sonus. Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis, Alleluia. ℣. Visi sunt in oculis insipientium mori : et æstimata est malitia exitus illorum : illi autem sunt in pace. Alleluia.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Viri justi, germinate sicut rosæ germinant sub umbra montis : P. Et quasi lilium odorem suavitatis habete. ℣. Gaudete justi in Domino :

rectos decet collaudatio. P. Et quasi lilium. ℣. Gloria, et honor. P. Et quasi lilium.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Sanguinem Sanctorum requiram, dicit Dominus : P. Et habitabo cum eis in regno meo. Alleluia, alleluia. ℣. Fidelis Dominus in verbis suis: et sanctus in omnibus operibus suis. P. Et habitabo. ℣. Gloria, et honor. P. Et habitabo.

Hymnus.

Sanctorum meritis inclyta gaudia
Pangamus socii, gestaque fortia :
Nam gliscit animus promere cantibus
Victorum genus optimum.

Hi sunt quos retinens mundus inhorruit :
Ipsum nam sterili flore per aridum
Sprevere penitus, teque secuti sunt.
Rex Christe bone cœlitus.

Hi pro te furias, atque ferocia
Calcarunt hominum, sævaque verbera :
Cessit his lacerans fortiter ungula
Nec carpsit penetralia.

Cæduntur gladiis more bidentium:
Non murmur resonat, non quærimonia ;
Sed corde tacito mens bene conscia.
Conservat patientiam.

Quæ vox, quæ poterit lingua retexere,
Quæ tu Martyribus munera præparas ?
Rubri nam fluido sanguine laureis
Ditantur bene fulgidis.

Te summa Deitas, unaque poscimus,
Ut culpas abluas, noxia subtrahas,
Des pacem famulis, nobisque gloriam
Per cuncta tibi sæcula.

Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus ; ut per gratiam ipsius, et per intercessionem Sanctæ Mariæ Virginis, et Genitricis suæ, et per intercessionem sanctorum Martyrum suorum. *NN.* nobis remissionem peccatorum, et pacem propitius donare dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus.

Kyrie, eleison. ℟. Christe, eleison, Kyrie, eleison.

Capitula. Christe, qui es Dei Patris indeficiens lumen, tibi hoc diei vergentis occiduo, et advenientis primordio, in commemorationem sanctorum Martyrum tuorum *NN.* votivas fundimus preces ; fideliter exorantés : ut iisdem suffragantibus, famulorum tuorum concordes, et pacificas orationes ad vocem sacrificii vespertini hymnis oblatas et canticis, misericors et placatus acceptare digneris.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Meritis Sanctorum suorum *NN.* divina pietas benedictionem nobis impertiat. ℟. Amen. Preces nostras propitiatus exaudiat. ℟. Amen. Ira sua ocurrat nobis in veniam, et mortem nostram commoveat in vitam. ℟. Amen.

Lauda. Gaudium sempiternum super caput Sanctorum ; P. Laus et jocunditas apprehendet [CLXIII]

A eos. Alleluia, alleluia. ℣. Beati, qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore. P. Laus et jocunditas. ℣. Gloria, et honor. P. Laus et jocunditas.

Oratio. Memento nostri, Domine, et sicut beatissimis sanctis tuis *N. N.* digna præmia reddis : ita nostris parce, et miserere peccatis : ut absoluti de præteritis, mereamur custodiam de futuris. ℟. Amen.

Per.

In nomine Domini.

SEQUUNTUR MATUTINI DE SANCTIS, VEL PLURIMORUM MARTYRUM PRÆCIPUIS, VEL SOLEMNIBUS

Antiphona. Da nobis lætitiam salutaris tui : spiritu

B principali confirma nos Domine. *Psalmus.* L.

Oratio. Redde nobis, Domine, lætitiam salutaris tui, quam amisimus inique gerendo, et prætermisimus negligendo : Tu ad eam nos revoca, et eam nobis restaura : ut peccato expulso, succedat justitia, et, mœstitia, repulsa, adsit lætitia : Da, quæsumus, hanc jocunditatem, ut pervenire mereamur ad æternam salutem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Justi epulentur, et exultent in conspectu Domini : P. Et delectentur in lætitia. ℣. Salus autem justorum a Domino Deo est : in tempore opportuno, et in tempore tribulationis. P. Et delectentur in lætitia. ℣. Gloria, et honor. P. Et delectentur.

C *Oratio.* Memento nostri, Domine. *Ut hic supra.*

Antiphona. Qui persequebantur justos, dimersisti, Domine, in profundum ; P. Et in columma nubis dux eorum fuisti. ℣. Quia tu Domine suavis et mitis ; et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te. P. Et in columna. ℣. Gloria, et honor. P. Et in columna nubis.

Oratio. Gaudium nostrum, et salus nostra, virtus, atque justitia, Domine Deus omnipotens, fac nos, quæsumus, placida tibi Sanctorum sorte gaudere : et illic laudes tuas rectorum munere perpetim decantare. ℟. Amen.

Antiphona. Prope timentes Deum, salutare ipsius, et super sanctos suos, P. Et in eos qui convertuntur ad ipsum. ℣. Fidelis Dominus in omnibus verbis

D suis : et sanctus in omnibus operibus suis. P. Et in eos. ℣. Gloria, et honor. P. Et in eos.

Oratio. Beatissimorum Martyrum *N.N.* præsidiis animati, fida ad Dominum nostrum pergat oratio : ut quorum in hoc sæculo gloriosum celebramus triumphum, eorum in æternum, precibus adjuvemur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Sancti, qui certamen habuerunt pro fide, inimicus in eis potestatem non habebit : quia clamaverunt una voce, dicentes : P. Sanctus Deus, Sanctus fortis, excelsus, Sanctus, et immortalis, miserere nobis. ℣. Vidi in cœlo turbam magnam, quam dinumerare nullus poterat : clamabant voce magna

dicentes :V. Sanctus Deus, Sanctus fortis. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur Responsorium* Sancti.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Diligentes te, Domine, sicut sol in ortu suo resplendens, ita rutilant.

Canticum Judicum (*Cap.* 5).

Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, * benedicite Dominum.

Audite reges, percipite auribus principes : * Ego sum, ego sum quæ Domino canam, et psallam Domino Deo Israel.

Domine, cum exires de Seir, * et transires per regiones Edom,

Terra mota est, * cœlique ac nubes stillaverunt aquis.

Montes fluxerunt a facie Domini, * et Sinai a facie Domini Dei Israel.

In diebus Samgar filii Anath, in diebus Jahel, quieverunt semitæ : * et ingrediebantur per eas, ambulaverunt per calles devios.

Cessaverunt fortes in Israel, et quieverunt : * donec surgeret Debbora, surgeret mater in Israel.

Nova bella elegit Dominus, * et portas hostium ipse subvertit

Clypeus et hasta si apparuerint in quadraginta millibus Israel. * Cor meum diligit principes Israel.

Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, * benedicite Dominum.

Qui ascenditis super nitentes asinos, et sedetis in iudicio, et ambulatis in via, * loquimini. Ubi collisi sunt currus hostium, et suffocatus est exercitus,

[CLXIV] Ibi narrentur justitiæ Domini * et clementia in fortes Israel.

Tunc descendit populus Domini ad portas, * et obtinuit principatum.

Surge, surge Debbora, surge, surge, loquere canticum : * surge Barac, et apprehende captivos tuos, fili Abinoem

Salvatæ sunt reliquiæ populi, * Dominus in fortibus dimicavit.

Ex Ephraim delebo eos in Amalec, * et post eum Benjamin.

In populos tuos, o Amalec : de Machir principes descenderunt, * et de Zabulon qui exercitum ducerent ad bellandum.

Duces Issachar fuere cum Debbora, et Barach vestigia sunt secuti, * qui quasi in præceps ac in barathrum se discrimini dedit :

Diviso contra se Ruben, * magnanimorum reperta contentio est.

Quare habitas inter duos terminos, * ut audias sibilos gregum?

Gath trans Jordanem quiescebat, * et Dan vacabat navibus :

Aser habitabit in littore maris, * et in portibus morabatur.

Zabulon vero et Nephtalim obtulerunt animas suas morti * in regione Cane.

Venerunt reges et pugnaverunt, pugnaverunt reges Chanaan in Tanach juxta aquas Mageddo, * et tamen nihil tulerunt prædantes.

De cœlo dimicatum est contra eos : stellæ manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt.

Torrens Cison traxit cadavera eorum, * torrens Cadumim, torrens Cison :

Conculca animam robustorum : * ungulæ equorum ceciderunt, fugientibus impetum, et per præceps rugientibus fortissimis hostium.

Maledicite terræ Meroz, dicit Angelus Domini : maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt in auxilium Domini, in adjutorium fortissimorum ejus.

Benedicta inter mulieres Jahel uxor Haber Cinæi, * benedicatur in tabernaculo suo.

Aquam petenti lac dedit, * et in phiala principum obtulit butyrum.

Sinistram manum misit ad clavum, et dexteram ad fabrorum malleos, * percussitque Sisaram quærens in capite vulneris locum, et tempus valide perforans.

Inter pedes ejus ruit : defecit, et mortuus est : ante pedes illius volvebatur, et jacebat exanimis et miserabilis.

Per fenestram respiciens, ululabat mater ; * et de cœnaculo loquebatur, dicens :

Cur morantur regredi currus ejus? * Quare tardaverunt pedes quadrigarum illius?

Una sapientior cæteris uxoribus ejus, * hæc socrui verba respondit :

Forsitan nunc dividet spolia, * et pulcherrima feminarum eligitur ei :

Vestes quoque diversorum colorum Sisaræ tradentur in prædam, * et supellex varia ad ornanda colla congeruntur.

Sic pereant omnes inimici tui, Domine : * qui autem te diligunt, sicut sol in ortu resplendens, ita rutilent.

Gloria, et honor Patri.

P. Diligentes te, Domine, sicut sol in ortu suo resplendens, ita rutilant.

Ad Benedictus. Antiphona. Sancti, et humiles corde, spiritus et animæ justorum, benedicite Dominum.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6.

Reiteretur Antiphona. Sancti.

Sonus. Salus justorum a Domino est : et salvabit eos Alleluia, alleluia; ℣. Quia speraverunt in Deum vivum. P. Et salvabit eos. Alleluia, alleluia.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis Alleluia : Laudate eum in excelsis. Alleluia. P*salmus* CXLVIII.

Lectio libri Sapientiæ Salomonis (*Cap.* V).

℟. Deo gratias.

Justi in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum. Ideo susceperunt regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini : quoniam dextera sua teges

eos, et brachio suo defendit illos. Tunc stabunt justi A in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores illorum. Videntes turbabuntur terrore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes inter se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes : Hi sunt quos aliquando habuimus in risu, et in simititudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore : quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum inventa est. ℟. Amen.

[CLXV] *Hymnus.*

Laudes sanctorum Martyrum,
Quos sacra fecit passio
Christi conformes gloriæ,
Puris canamus cordibus :
Quos de futuris præmiis
Securos cœli milites,
Nec mundi movit vanitas,
Nec terror fregit impius.
Non tenebrosi carceres,
Onus cervicis ferreum,
Non manicæ, vel compedes
Mentium mutarunt gaudia.
Æterni fontis etiam
Semel rigati poculo,
Sitim præsentis temporis
Refrigerabat Spiritus.
Negato pane fortius,
Non famem sentit sanctitas ;
Quos pascit verbo solito
Fide bibebant uberes.
Cordis probato robore,
Velantes tot molestias
Agon suscepit publicus
Vitam petentes Martyres.
Sic Sancti, quos non fregerant
Carcer, fames, et vincula,
Alacres in supplicia
Mundi vicerunt Principem.
Suum factorem Dominum
Christum secuti Martyres,
Post ignes, cruces, gladios,
Æternis florent præmiis.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
In sempiterna sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus. *fol.* CLXII.

Capitula. Deus, qui in omnium Sanctorum protectione mirabilis, hunc diem præcipuorum Martyrum tuorum *N.N.* consecrasti : quæsumus potentiam tuam : et da Ecclesiæ tuæ catholicæ de tantis gaudere principibus : ut illorum sequi mereamur pia devotione doctrinam ; qui dilectos tibi greges tuo pane paverunt : et qui tibi de tuo munere placuerunt, eorum precibus adjuti, mereamur de præsentibus angustiis liberari.

Pater noster. Liberati. *fol.* 2.

Lauda. Respexit eos cum tribularentur : Alleluia ; P. Cum exaudiret orationes eorum. Alleluia, alleluia. ℣. Et clamaverunt justi ad Dominum cum tribularentur : et de necessitatibus eorum liberavit eos. P. Cum exaudiret. ℣. Gloria. P. Cum exaudiret.

Benedictio. Meritis sanctorum. *fol.* CLXII.

In nomine Domini.

Fiat commemoratio. Lauda. Ad annuntiandum.

Oratio. Mane Domine. *fol.* CLIX.

OFFICIUM PLURIMORUM MARTYRUM

QUATUOR CAPPARUM.

Ad Vesperos.

Lauda. Exortum est. *fol.* CLXII.

C *Sonus.* Gaudete justi in Domino : rectos decet collaudatio. Alleluia. ℣. Confitemini Domino in cithara : in psalterio decem chordarum psallite Deo. Alleluia, alleluia.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Sancti sicut rosæ germinant per diem, P. Et velut germen olivæ per totam noctem. ℣. Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus ; populus, quem elegit in hereditatem sibi. P. Et velut. ℣. Gloria, et honor. P. Et velut.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Beati mundo corde ; P. Quoniam ipsi Deum videbunt. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Beati, qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore. P. Quoniam ipsi. ℣. Gloria, et honor. P. Quoniam.

Hymnus. Sanctorum meritis. *Supplicatio.* Oremus. *fol.* CLXII.

Capitula. Deus, Sanctorum omnium gloriosa, et copiosa misericordia, exaudi supplicem tibi plebem, per sanctorum Martyrum tuorum *N.N.* a te suffragia postulantem : rege nos per alternas temporum vices, et dispares dierum, ac noctium successiones pari protectione custodi : ut adjuti sanctorum præcipuorum Martyrum tuorum N. N. precibus ; qui diem hunc per misericordiam tuam prosperum duximus ; noctem quoque hanc placidam tibi, animarum, et corporum puritate ducamus.,

Pater noster. Liberati. *fol.* 2.

Benedictio. Sanctorum præcipuorum Martyrum suorum *N.N.* nos Dominus muniat patrocinio, et D expiet a peccato. ℟. Amen. Illorum nos efficiat suffragatione felices ; quorum [CLXVI] nunc sumus solemnitatibus obsequentes. ℟. Amen. Et cum illis pariter mereamur ingredi cœlum ; quorum nunc in terra celebramus triumphum. ℟. Amen. Per.

Lauda. Gaudium sempiternum. *fol.* CLXII.

Oratio. Deus, qui sanctorum Martyrum tuorum *N.N.* meritis agnosceris esse mirabilis : esto placabilis excessibus nostris, et auxiliator in omnibus opportunis : sitque honor virtutis tuæ, quod glorificas sanctos, et gratia, quod justificas impios. ℟. Amen.

Per.

In nomine Domini.

Ad *Matutinum.*

Antiphona. Da nobis lætitiam salutaris tui : et spiritu principali confirma nos Domine, *Psalmus* L. *Reiteretur*. Da nobis.

Oratio. Redde nobis. *fol.* CLXIII.

Antiphona 1. Sanctis tuis, Domine magna erat lux ; P. Eo quod ignem urentem, columnam lucis habuerunt in nocte. ℣. Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos : in columna nubis loquebatur ad eos. P. Eo quod. ℣. Gloria, et honor. P. Eo quod.

Oratio. Deus, qui Sanctorum. *Ut hic supra.*

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona 2. Quanta malignatus est inimicus in B sanctis tuis. Et gloriati sunt omnes qui te oderunt, in medio atrii tui. P. Eleva manum tuam, Domine, in superbia eorum in fine. ℣. Incenderunt igni sanctuarium tuum : in terra polluerunt tabernaculum nominis tui. P. Et gloriati sunt. ℣. Gloria, et honor, P. Eleva manum.

Oratio. Deus, qui virtutem Sanctis, et sanctimoniæ ornamenta largiris : hanc Ecclesiam honores Martyribus tuis *N. N.* exhibentem, sanctitatis perorna insignibus : ut qui gloriantur victores triumpho extare Martyres, sic æternis Sanctorum tuorum felicitatibus copulentur. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Sancti tui Domine. P. Quasi oves exultaverunt. glorificantes te : ℣. Quia liberasti C eos. P. Domine, in lumine vultus tui ambulabunt et in nomine tuo exaltabuntur. P. Quasi. ℣. Gloria, etc. P. Quia liberasti.

Oratio. Sanctos tuos, Domine, Martyres *N.N.* virtute tuæ dexteræ fultos, invicto agone certasse recolimus ; unde eorum memorias veneramur pariter et oramus : ut sicut illustres eos tui nominis confessio præbuit, ita nostri sedulitate obsequii, dignentur jugiter nobis adesse patroni. ℟. Amen.

Per.

℟. Beati, qui habent partem in prima resurrectione : in eis secunda mors non habebit potestatem. ℣. Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam : quoniam ipsorum est regnum cælorum. P. In eis secunda mors. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur Responsorium.* Beati. D

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Omnes sancti in manu Dei sunt : et qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina ipsius.

Canticum Deuteronomii. (*Cap.* XXXIII).

Dominus de Sina venit, * et de Seir ortus est nobis :

Apparuit de monte Pharan, * et cum eo sanctorum millia.

In dextera ejus lex. * Dilexit populos.

Omnes sancti in manu ejus sunt : * et qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina ipsius.

A Legem præcepit nobis Moyses * hereditatem multitudinis Jacob.

Erit apud rectissimum rex, * congregatis principibus populi cum tribubus Israel.

Vivat Ruben, et non moriatur. * et sit parvus in numero.

Audi Domine vocem Judæ, * et ad populum suum introduc eum :

Manus ejus pugnaverunt pro eo, * et adjutor illius contra adversarios ejus erit.

Perfectio tua, et doctrina tua * Levi viro sancto tuo.

Quem probasti in tentatione, * et judicasti ad aquas contradictionis.

Qui dixit patri suo, et matri : Nescio vos * : et fratribus suis : Ignoro illos : et nescierunt filios suos.

Hi custodierunt eloquium tuum, et præceptum servaverunt, * judicia tua o Jacob, et legem tuam o Israel :

Ponent thymiama in furore tuo, et holocaustum super altare tuum.

Benedic Domine fortitudini ejus, * et opera manuum illius suscipe.

Percute dorsa inimicorum ejus, * et qui oderunt eum, non consurgant.

Amantissimus Domini Benjamin habitabit confidenter in eo : * et quasi in thalamo tota die morabitur, inter humeros illius requiescet.

[CLXVII.] Benedicat Dominus terram Joseph, * de pomis cœli, et rore, atque abysso subjacente. De pomis fructuum solis ac lunæ.

Vertice antiquorum montium, de pomis polorum æternorum : * et de fructibus terræ, et plenitudine ejus.

Benedictio illius qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph, * et super verticem nazaræi inter fratres suos.

Quasi primogenita tauri pulchritudo ejus, cornua rhinocerotis cornua ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ :

Hæc sunt multitudines Ephraim. * et hæc millia Hanasse.

Lætare Zabulon in exitu tuo, * et Issachar in tabernaculo tuo.

Populos ad montem vocabunt : * ibi immolabunt victimas justitiæ.

Qui inundationem maris quasi lac sugent, * et thesauros absconditos arenarum.

Benedictus ille in latitudine Gad : * quasi leo requievit, cepit brachium ac verticem.

Et vidit principatum suum, quod in parte doctorum esset repositus :

Qui fuit cum principibus populi, * et fecit justitias Domini, et judicium suum cum Israel.

Dan catulus leonis, * fluet largiter de Basan.

Nephtalim abundantia perfruetur, et plenus erit benedictione Domini : mare et meridiem possidebit.

Benedictus in filiis Aser, * sit placens in fratribus A suis,

Tingat in oleo pedem suum : * ferrum et æs calceamentum ejus.

Sicut dies juventutis tuæ, * ita et senectus tua

Non est alius ut Deus fortissimus : accensor cœli auxiliator tuus.

Magnificentiæ ejus discurrunt nubes, habitacula ejus sursum, * et subter brachia sempiterna : ejiciet a facie tua inimicum, dicetque : Conterere.

Habitabit Israel confidenter, et solus : * oculi Jacob in terra frumenti et vini, cœlique caligabunt rore.

Beatus tu Israel : * quis similis tibi popule, qui salvaris a Domino ?

Scutum auxilii tui : * et gladius gloriæ tuæ. B

Negabunt te inimici tui, * et tu eorum colla calcabis.

P. Et qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina ipsius. Gloria, et honor.

P. Et qui appropinquant.

Oratio. Venisse te Dominum cum Sanctorum millibus, et venturum Prophetarum vaticiniis audientes, exposcimus : ut, qui te ad redemptionem mundi venisse jam credimus, venturum quoque ad judicium, purgatis cordibus præstolemur : ut, quia in manu tua sanctorum multitudo consistit, in remedio pietatis tuæ reditus a te peccantium cumuletur : qualiter adpropinquantes pedibus tuis, satiemur semper doctrina intimæ visionis. ℟. Amen. Per. C

Ad Benedictus. Antiphona. Sancti et humiles corde, spiritus et animæ justorum, benedicite Dominum.

Canticum. Benedictus es. *fol* 6.

Sonus. Via justorum regia facta est Alleluia. Iter sanctorum preparatum est. Alleluia, alleluia. alleluia. ℣. Hic est civitas, salvatio justorum. Pone murum, et juxta murum congregationes Sanctorum. Alleluia.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis Alleluia : Laudate eum in excelsis. Alleluia. P*salmus* CXLVIII.

Lectio libri Sapientiæ Salomonis (*Cap.* III)

℟. Deo gratias.

Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori : et æstimata est malitia exitus illorum : et ab itinere justo abierunt in exterminium : et quod a nobis est iter exterminii : illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, et in multis bene disponentur : quoniam Deus tentavit illos, et invenit eos dignos se. Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrunt. Judicabunt nationes, et dominabuntur populis, et regnabit illorum Dominus in perpetuum. ℟. Amen.

Hymnus.

Rex gloriose Martyrum,
Corona confitentium ;
Qui respuentes terrea
Perducis ad Cœlestia.

Aurem benignam protinus
Appone nostris vocibus :
Trophea sacra pangimus :
Ignosce quod delinquimus.

[CLXVIII] Tu vincis in Martyribus,
Parcendo confessoribus :
Tu vince nostra crimina,
Donando indulgentiam.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
In sempiterna sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus. *fol.* CLXII.

Capitula. Deus, qui beatorum tuorum *N. N.* Martyrum solicitus custos, et amplificus remunerator existis : hanc plebem nostram agonibus congaudentem, intende clemens, et da singulis quod poscunt, qui Sanctis tribuisti de hoste triumphum : ut quos per carnis mortem tibi placuisse meminimus, patronos apud te semper strenuos habeamus.

Pater noster. Liberati. *fol.* 2.

Lauda. Gaudium sempiternum super caput Sanctorum : *P.* Laus. et jocunditas apprehendit eos. Alleluia, alleluia. ℣. Beati, qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore. P. Laus. ℣. Gloria, et honor. *P.* Laus.

Benedictio. Sanctorum præcipuorum. *fol.* CLXV. In nomine.

Commemoratio.Lauda. Ad annuntiandum. *Oratio.* Mane Domine. *fol.* CLIX.

OFFICIUM PLURIMORUM MARTYRUM

DUARUM CAPPARUM VEL NOVEM LECTIONUM.

Ad Vesperos.

Lauda. Exortum est, *fol.* CLXII.

Sonus. Alleluia. Justi in perpetuum vivent Alleluia, ℣. Et apud Dominum est merces eorum. Alleluia, alleluia.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Sanctorum ossa germinabunt de loco suo ; P. Et nomina eorum sicut lilia munda florebunt. ℣. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. P. Et nomina. ℣. Gloria. P. Et nomina.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos : P. in columna nubis loquebatur ad eos. Alleluia, alleluia. ℣. Et clamaverunt justi ad Dominum cum tribularentur : et de necessitatibus eorum liberavit eos. P. In columna. ℣. Gloria, etc. P. In columna.

Hymnus. Sanctorum meritis.

Supplicatio. Oremus. *fol.* CLXII.

Capitula. Sancte Domine, in cujus honore Martyrum tuorum *N. N.* pia confessione lætamur, oramus te, et quæsumus ; ut qui propter David servum tuum

Christi tui faciem non avertis, propter nos famulos tuos, Sanctorum Martyrum tuorum *N.N*, suffragia non retardes

Pater noster. Liberati. *fol.* 2.

Benedictio. Benedicat vos Dominus intercessu sanctorum Martyrum suorum *N.N.*, et dextera sua protectos custodire dignetur. ℟. Amen. Liberet vos eorum meritis a cunctis vitæ præsentis illecebris; et gratiam Sancti Spiritus infundat in cordibus vestris. ℟. Amen. Auferat a vobis omnes maculas delictorum; et perducat vos ad splendorem omnium Sanctorum suorum. ℟. Amen.

Per.

Lauda. Respexit eos cum tribularentur Alleluia. P. Cum exaudiret orationes eorum. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Et clamaverunt justi ad Dominum cum tribularentur: et de necessitatibus eorum liberavit eos. P. Cum. ℣. Gloria, et honor. P. Cum.

Oratio. Confitentes tibi, Domine, in omnibus operibus tuis, te benedicent in Sanctis: Te quæsumus, ut nos Martyrum tuorum N.N. intercessione sanctifices, et perfectione corones. ℟. Amen.

Per.

In nomine.

Ad Matutinum.

Da nobis lætitiam. *Psalmus* L.

Oratio. Redde nobis Domine. *fol.* CLXIII.

Antiphona 1. Palmæ fuerunt in manibus Sanctorum: et magno clamore dicebant: P. Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno. ℣. Et adjuvabit eos Dominus, et liberabit eos: qui speraverunt in eo. P. Et magno clamore. ℣. Gloria, et honor. P. Salus Deo nostro.

Oratio. Confitentes tibi Domine. *Quære retro hic in Vesperis præcedentibus.*

Antiphona 2. Florete Sancti sicut rosa plantata super aquas, P. Et quasi lilium date odorem suavitatis. ℣. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri, P. Et quasi lilium. ℣. Gloria, et honor. P. Et quasi lilium.

(CLXIX) *Oratio.* Exultatio sanctorum tuorum *N, N.* Martyrum, Domine Deus Sancte, quæsumus, te requirentes, et invocantes exaudi; et hæc nobis munere pietatis attribue: ut dum litamus triumphis Martyrum, salvemur suffragiis Sanctorum. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Filius Dei lætatus est super justos; et in paradiso delitiarum constituit illos. ℣. Et clamaverunt justi ad Dominum cum tribularentur: et de necessitatibus eorum liberavit eos. P. Et in paradiso. ℣. Gloria, et honor. P. Et in.

Oratio. Redime, Domine, in te sperantium animas nostras: et quia servos tuos nos esse confidimus, Amicorum tuorum suffragiis commendamur: nec unquam eorum auxilio deseramur; quorum nunc te precibus annuere feliciter gratulamur. ℟. Amen.

Per.

℟. Sancti qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, extinxerunt impetum ignis, fugaverunt aciem gladii, fortes facti sunt in bello, ℣. Obturaverunt ora leonum, convaluerunt de infirmitate sua. P. Et fortes. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur Responsorium.* Sancti.

In laudibus.

Ad Canticum· Antiphona. Gloriosus Dominus in Sanctis, gloriosus, et mirabilis.

Canticum. Cantemus Domino. *fol.* LXXXIII.

Antiphona. Gloriosus Dominus in Sanctis ejus.

Ad Benedictus. Antiphona. Sancti et humiles corde, spiritus et animæ justorum, benedicite Dominum.

Canticum. Benedictus. *fol.* 6.

Antiphona. Sancti et humiles corde.

Sonus. Via justorum facta est, allleluia: Iter Sanctorum præparatum est, Alleluia, alleluia. ℣. Hic est civitas, et salvatio justorum. Pone murum, et juxta murum congregationes Sanctorum. Iter Sanctorum præparatum est. Alleluia, alleluia.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis Alleluia: laudate eum in excelsis. Alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

P. Iter Sanctorum præparatum est. Alleluia.

Prophetia. Justorum animæ.

Hymnus. Rex gloriose.

Supplicatio. Oremus Redemptorem.

Capitula. Deus, qui beatorum Martyrum.

Benedictio. Benedicat vos Dominus. *folio* CLXV, LXVI, LXVII, LXVIII.

In nomine Domini.

Fiat commemoratio. Antiphona. Ad annuntiandum

Oratio. Mane Domine. *fol.* CLIX.

INCIPIT HISTORIA

UNIUS CONFESSORIS PONTIFICIS PRÆCIPUI.

Ad Vesperos.

Lauda. Confessionem, et decorem induisti: P. Amictus sicut lumen vestimentum. ℣. Confessio et spes in conspectu ejus: sanctitas et magnificentia in sanctitate ejus. P. Amictus sicut lumen.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Sonus. Confitebor tibi Domine in toto corde meo: narrabo mirabilia tua. Alleluia. ℣. Lætabor et exultabo in te Domine: psallam nomini tuo Altissime. Alleluia.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Confitebor tibi Domine in toto corde meo: P. In consilio justorum, et congregatione. ℣. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. P. In consilio. ℣. Gloria, et honor. P. In consilio.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Confitebor tibi Domine rex Alleluia: P. Et collaudabo Deum salvatorem meum. Alleluia, alleluia. ℣. In conspectu Angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. P. Et collaudabo. ℣. Gloria, et honor. P. Et collaudabo.

Hymnus.

Summe Confessor, sacer, et sacerdos,
Temporum metas rota torquet anni;
Tempus est nobis tibi consecratum
Plangere festum.

Præsul insignis, meritisque clare,
Te sacra Cleri, populique turba
Corde prostrati, pietate multa
Vernula Patrem.

Vota cunctorum relegas in aula
Regis æterni: foveas utrumque
Ordinem; cujus pius extitisti
Pastor in urbe

Questubus cunctis referunt gementes;
Gestis culparum, lachrymisque pandunt
[CLXX] Pessimæ mentis, animæque nigræ
Crimina dira

Dignaque pœna revocat in ora
Nostra, cum dira miseros perurget
Pendere mundo, variante facta
Cœlitus ira.

Tu procul casus prohibe tonantis:
Pelle peccata, tenua furorem:
Pestis et morbus, petimus, recedant,
Sospite cive.

Moribus cultis moderare vitam,
Conferque sudam, placidamque mentem:
Corda virtutum meditentur alma
Munera Christi.

Sancte, tu præbe, quotiens rogaris,
Profluos fructus, pluviasque largas:
Credimus, cuncta, Domino favente,
Te dare posse.

Credimus Christum pretium laborum,
Præmium justum studiis dedisse;
A quibus per artus etiam solutos
Morte, bearis,

Gloriam Christo patulo canamus
Ore præstanti sibi servienti;
Tanta qui pollet Deitate simplex,
Trinus et Unus. Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut per gratiam ipsius, et per intercessionem Sanctæ Mariæ virginis et genitricis suæ, et sancti *N.* Episcopi et Confessoris, nobis salutem animæ, et corporis, et remissionem peccatorum, et pacem propitius donare dignetur. ℟. Prœsta æterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison. ℟. Christe eleison. Kyrie eleison.

Capitula. Tu Paternæ Divinitatis consors, et Unigeniti connexe Sancte Spiritus, tuam quæsumus, in hæc sacrificia vespertina appone clementiam: Ut plebs, quæ tuum honorat Confessorem, famulanter te quæsumus, sentiat in beneficiis largitorem, sua quisque vota se obtinuisse congaudeat; dum Confessoris sui atque Pontificis *N.* recursis festivitatibus celebrat Natalem.

Pater noster. Liberati *fol.* 2.

A *Benedictio.* Per interventum beatissimi Antistitis et Confessoris sui *N.* benedictio Domini largissima veniat super vos. ℟. Amen. Orationibus vestris accommodet aurem, et petitionum vestrarum propitius exaudiat precem. ℟. Amen. Viam salutis, ipso intercedente, in hujus vitæ cursu præambulemus; ut ad culmen regni cœlestis omnes illæsi perveniamus. ℟. Amen.

Per.

Lauda. Germinabunt ossa tua quasi salices Alleluia, P. Juxta fluentes aquas. Alleluia alleluia. ℣. Et erit tamquam lignum, quod transplantatum est P. Quasi salices. ℣. Gloria, et honor. P. Juxta.

Oratio. Domine Deus, qui beatissimo Confessori tuo atque Pontifici *N.* dedisti, ut caro ejus requiesceret, et pro nominis confessione coronam justitiæ
B consequi posset: da nobis miseris, ut qui confessionis meritum non habemus, ejus precibus et meritis vindictam scelerum evadamus: et sicut caro ejus in inferno non est derelicta, sed a corruptione criminum libera, spiritui post sociata cum Sanctis erit in gloria; ita nos peccatores, ut ad te veniamus, Redemptor criminum jube. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine. *Fiat commemoratio.*

Antiphona. Vespere, mane, et meridie te laudamus Domine.

Oratio. Domine Deus omnipotens, qui vespere et mane et meridie unum diem vocari jussisti; et ut sol agnosceret occasum suum imperasti: aperi,
C quæsumus, tenebras cordium nostrorum, ut, te radiante, cognoscamus te Deum verum lumen æternum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

Sequitur Matutinum unius præcipui confessoris et pontificis.

Antiphona. Labia mea Domine aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam. *Psalm.* L.

Reiteretur. Labia mea Domine.

Oratio. Laudet te, Domine, lingua nostra, annuntiando justitias tuas: et exultent labia nostra præconio veritatis, ut non dissolvantur vaniloquio falsitatis: Ut qui tibi confitendo, remissis criminibus, in te exultamus: in congregatione justorum, sacro agmine decantantes, vitæ beatæ efficiamur
D heredes. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 1. Caro me requiescet in spe. P. Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre [CLXXI] corruptionem. ℣. Notas mihi fecisti vias vitæ, et implebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem: P. Quoniam non derelinques ℣. Gloria, et honor. P. Nec dabis sanctum tuum.

Oratio. Domine Deus, qui beatissimo Confessori tuo atque Pontifici *N.* dedisti, ut caro ejus requiesceret, et pro nominis confessione coronam justitiæ consequi posset: da nobis miseris, ut qui confessio-

nis meritum non habemus, ejus precibus et meri- A tis vindictam scelerum evadamus : et sicut caro ejus in inferno non est derelicta, sed a corruptione criminum libera, spiritui post sociata cum Sanctis erit in gloria ; ita nos peccatores, ut ad te veniamus, Redemptor criminum jube. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Custodisti corpus meam ab omni pollutione : P. Odor tuus, Domine, concupiscentias in me excitavit æternas. ℣. Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine : et dixi : Illumina tenebras meas. P. Odor tuus Domine. ℣. Gloria, et honor. P. Odor tuus.

Oratio. Christe Jesu Dei Filius, qui custodisti corpus beatissimi Confessoris tui atque Pontificis *N.* ab omni pollutione; in quo odor tui muneris B concupiscentias excitavit æternas : excita in nos talem charitatis tuæ amorem, quo voluptates superemus carnales ; et sic vivamus, ut non futuras veniamus in pœnas : ut qui ultionem meremur promeritam; beatitudinis regnum consequamur intercessionibus sanctis. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Facies tua tamquam aqua munda illuminabitur : P. Vultus autem tuus sicut lucifer orietur a meridiana parte ; germinabit tibi vitam. ℣. Non det in commotionem pedem tuum : neque obdormiet, qui custodit te. P. Vultus. ℣. Gloria. P. Vultus.

Oratio. Æterne omnipotens Deus, qui sanctum Pontificem et Confessorem tuum *N.*, cujus nunc præsenti festivitate gaudemus, ita pro nomine tuo B fortiter mundi fallacias repugnare fecisti, ut nihil præsenti sæculo, tuo magno præferret amori ; nobis quoque peccatoribus famulis tuis, ejus concede precibus ; ut nullis impediti adversitatibus inimici, ad te Dominum properare festinemus invicti. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

[CLXXI] *Responsorium.* Ecce Domine in toto corde suo te solum Confessor tuus *N.* confitetur et credit ; dum conceptum amorem tuæ fidei confitendo narrat, et mirabilia tua de toto corde pronuntiat; ut credentes vitam habeamus in illo, P. In quo ille per confessionem meruit invenire mercedem. ℣. Lætare ergo, et exultare nos fac in te jugiter, et evidenter : ut in te habeamus post discrimina requiem. P. In quo ille. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur Responsorium* Ecce. D

Oratio. Mirabilis in Sanctis tuis, Domine virtutum, exaudi supplices tuos, et peccatoribus nobis beatissimi Confessoris tui atque Pontificis *N.* patrocinia largire, et charitatis perpetuæ ubertatem attribue. Ille coronam virtutis meruit ; nos ejus suffragiis, te donante, veniam criminum, et pacem perpetuæ charitatis consequi mereamur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Confitebor tibi Domine quia liberasti me a rugientibus, paratis ad escam, et de manu quærentium animam meam.

Canticum Ecclesiastici (*cap.* LI).

Confitebor tibi Domine Rex, * et collaudabo te Deum salvatorem meum.

Confitebor nomini tuo magno : * quoniam adjutor et protector factus es mihi,

Et liberasti animam meam a perditione, * et a laqueo linguæ iniquæ, et a labiis operantium mendacium,

Et contra assistentes factus es mihi adjutor. * Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui

A rugientibus, paratis ad escam, * et de manu quærentium animam, et de portis tribulationis quæ circumdedit me :

A pressura flammæ quæ circumdedit me, * et in medio ignis non æstuavi :

De altitudine ventris inferi, et lingua iniqua, et a verbo mendacii, * a rege injusto, et a lingua injusta :

Laudabit usque ad mortem anima Dominum, et vita mea in inferno appropinquans erat in inferno deorsum.

Circumdederunt me undique et non erat qui adjuvaret. * Respiciens eram ad adjutorium meum, et non erat.

[CLXXII] Memoratus sum misericordiæ tuæ Domine, * et operationis tuæ, quæ a sæculo sunt :

Quoniam eruis sustinentes te, * et liberas eos de manibus gentium.

Exaltasti in terra habitationem meam, et pro mortuo deflendo deprecatus sum.

Invocavi Dominum patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis, * et in tempore superborum sine adjutorio.

Laudabo nomen tuum assidue, * et in tempore superborum sine adjutorio.

Exaudita est oratio mea. * Liberasti animam meam

A perditione, * et eripuisti me de tempore iniquo.

Propterea confitebor, et laudem dicam tibi, * et benedicam nomini Domini.

Cum adhuc junior sum, priusquam errarem, * quæsivi sapientiam palam in oratione mea.

Ante tempus postulabam pro illa, * et usque in novissimo inquiram eam. Et deflui tamquam præcox uva,

Lætatum est cor meum in ea. * Ambulavit pes meus iter rectum,

A juventute mea investigabam illam. * Inclinavi modice aurem meam, et excepi illam.

Multam inveni mihimetipsi sapientiam, * multum profeci in ea.

Danti mihi sapientiam, dabo gloriam. * Consiliatus enim ut facerem illam : zelatus sum, ut non confundar.

Colluctata est anima mea in illa, * et in faciendo eam confirmatus sum.

Manus meas extcsdi in altum;* et insipientiam ejus luxi.

Viam meam direxi ad illam, * et in magnitudinem inveni eam.

Possedi cum ipsa cor ab initio : * propter hoc non relinquar.

Venter meus conturbatus est quærendo eam : * propterea possidebo bonam possessionem.

Dedit enim mihi Dominus linguam mercedem meam : * et in ipsa laudabo eam.

Appropinquate ad me indocti, * et congregate vos in domum disciplinæ :

Quid adhuc retardatis? et quid dicitis? * animæ vestræ sitiunt vehementer.

Aperui os meum, et locutus sum : * comparate vobis sine argento,

Et collum vestrum subjicite jugo, et suscipiat anima vestra disciplinam : in proximo est enim invenire eam.

Videte oculis vestris, quoniam modicum laboravi, * et inveni multam requiem.

Assumite disciplinam in multo numero argenti, * et copiosum aurum possidete in ea.

Lætetur anima vestra in misericordia ejus, * et non confundemini in laude ipsius.

Operamini opus vestrum ante tempus, * et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo.

Antiphona. Confitebor tibi Domine : quia liberasti, *ut supra.*

Ad Benedictus. Antiphona. Benedictio Domini in mercedem justi festinat.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6.

Sonus. In conspectu Angelorum psallam tibi Domine Alleluia : ℣. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor tibi, Domine. Alleluia.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Alleluia, Confessio ejus super cœlum et terram Alleluia : Exaltavit cornu populi sui. Alleluia. Hymnus est omnibus sanctis ejus. Alleluia, alleluia. *Psalmus* CXLVIII. *Reiteretur Antiphona.* Alleluia. Confessio ejus super cœlum et terram. ℣. Gloria, et honor. P. Exaltavit cornu populi sui. Alleluia. *Ut supra.*

Lectio libri Esaie Prophetæ (*cap.* XLII).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Ecce servus meus, suscipiam eum : electus meus, complacuit sibi in illo anima mea : dedit spiritum meum, judicium super gentibus profert. Non clamabit, neque accipiet personam, neque audietur foris vox ejus. Calamum quassatum non conteret, et lignum fumigans non extinguet: in veritate educet judicium. Non erit tristis, nec turbulentus, donec ponat in terra judicium : et legem ejus insulæ expectabunt. ℟. Amen.

Hymnus.

Deus immensa Trinitas,
Corona confitentium,
Et magna laus Martyrum,
Sume preces fidelium.
Hujus sancti Pontificis
Et Confessoris merito
Præstes nobis solatia;
Cunctaque purges noxia :
Ut confitentes erigas,
Et peccatores redimas,
Donando indulgentiam,
Et conferendo gratiam.
Et ut vir hic confessus est
Tuum nomen mortalibus ;
[CLXXIII] Ita devotis mentibus
Te fateamur omnibus.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
In sempiterna sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem, *f.* CLXX.

Capitula. Christe Deus, qui per Apostolum tuum oris confessionem ad salutem prodesse dixisti; Confessoris tui atque Pontificis *N.* precibus consule nostræ saluti : ut ea, quæ corde credimus, ore autem professi fuerimus, a te exaudiri ocyus mereamur, quo jubente; dicamus :

Pater noster. A malo nos libera. *fol.* 10.

Dicat Presbyter. Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Germinabunt ossa tua.

Benedictio. Per interventum beatissimi. *folio* CLXX.

In nomine Domini. *Fiat commemoratio.*

Lauda. Ad annuntiandum mane misericordiam tuam. *Oratio.* Mane Domine oratio nostra. *folio* CLIX.

INCIPIT OFFICIUM

UNIUS CONFESSORIS PRÆCIPUI NON PONTIFICIS.

Ad Vesperos.

Lauda. Confessionem, et decorem. *folio* CLXIX.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Sonus. In conspectu Angelorum psallam tibi Domine Alleluia : Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor tibi, Domine. Alleluia.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Confitebor tibi Domine, quoniam exaudisti me : P. Et factus es mihi in salutem. ℣. Deus canticum novum cantabo tibi : in psalterio decachordo psallam tibi. P. Et factus es. ℣. Gloria, et honor. P. Et factus.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Confitebor Domino Alleluia. P. Secundum justitiam ejus. Alleluia. Et psallam. Alleluia. ℣. Lætabor et exsultabo in te Domine : et psallam nomini tuo Altissime. P. Secundum justitiam. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et psallam. Alleluia.

Hymnus.

Iste Confessor Domini sacratus,
Festa plebs cujus celebrat per orbem,
Hodie lætus meruit secreta
Scandere cœli.
Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobrius, castus fuit, et quietus ;

Vita dum præsens vegetavit ejus
Corporis artus.
Ad sacrum cujus tumulum frequenter
Membra languentum modo sanitati,
Quolibet morbo fuerint gravata,
Restituuntur.
Unde nunc noster Chorus in honorem
Ipsius, hymnum canit hunc libenter :
Ut piis ejus meritis juvemur
Omne per ævum.
Si salus illi, decus, atque virtus,
Qui supra cœli residens cacumen,
Totius mundi machinam gubernat
Trinus, et unus.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut per gratiam ipsius, et per intercessionem Sanctæ Mariæ Virginis et Genitricis suæ, et sancti Confessoris sui N. nobis salutem animæ et corporis, et remissionem peccatorum, et pacem propitius donare dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison. ℟. Christe eleison. Kyrie eleison.

Capitula. Æterne omnipotens Deus, a quo omne bonum exoritur, et meliori cursu progreditur : qui fidem roboras confessorum, præsta tolerantiam bonorum, dum sævit acerbitas persequentium. Omnipotentiam tuam Domine poscimus; ut preces nostras dignanter attendas, et clementer accipias, quas in honorem placiti beatissimi Confessoris tui N. adhibemus : ut ejus interventu, cooperante misericordia tua, quod fide postulant, indubitanter obtineant; et ab omnibus absoluti delictis, cœleste regnum possideant.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui beatissimum Confessorem suum N. se digne coram hominibus confiteri fecit in terris, confiteatur nos coram Patre suo, qui est in cœlis. ℟. Amen. [CLXXIV] Et qui in ore suo accepta sibi confessionis contulit cantica, ipse confessionem nostram remunerandam suscipiat; ℟. Amen. Ut exemplo beatissimi Confessoris sui N. confitendo, et laudando nomen Jesu Christi in sæculum, participes ejus, quem confessi sumus, mereamur esse in cœlo. ℟. Amen.

Per.

Lauda. Germinabunt ossa. *fol.* CLXX.

Oratio. Tuam, Clementissime Pater, supplices exoramus clementiam; ut hodierna solemnitas, quam pro beatissimi Confessoris tui N. veneratione suscepimus, ipsa nos tibi commendet : et sicut illi coronam sanctæ perfectionis tribuisti; ita nobis ejus intercessione omnium delictorum veniam et indulgentiam largiaris. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini. *Fiat commemoratio. folio* 170.

Ad Matutinum.

Labia mea Domine. *Psalmus* L. P. Et os meum. *Oratio.* Laudet te Domine. *fol.* CLXX.

Antiphona 1. Confitebor tibi Domine in vasis psal-
A morum : veritatem tuam psallam tibi Deus meus. ℣. Gaudebunt labia mea dum cantavero tibi : et anima mea, quam redemisti. *P.* Veritatem. ℣. Gloria, et honor. *P.* Veritatem tuam.

Oratio. Exemplis, ac meritis sanctissimi Confessoris sui N. instituti, æterno Regi, ac Patri Deo preces, fratres charissimi, cum omni humilitate fundamus : ut sicut illum pro nostræ eruditionis exemplo, diversarum colluctationum fecit exempla subire; ita intercedendi pro nobis apud pietatis suæ clementiam et tribuat plenissimam facultatem. ℟. Amen.

Antiphona 2. Habebis fiduciam, reposita tibi spe, et depositus in terram securus dormies : et requiesces, et non erit qui exterreat te. ℣. Non det in commotionem pedem tuum : neque obdormiet, qui cu-
B stodit te. *P.* Securus dormies. ℣. Gloria et honor. P. Et requiesces.

Oratio. Intenta, fratres charissimi, Dominum oratione poscamus; ut hunc diem, quem sancti sui N. confessio illustrat, triumphum celebre nobis ac posteris in rebus et actionibus propitiatus concedat : ut cujus veneratores meremur esse in sæculo, ejus meritis nostrorum consequi mereamur veniam delictorum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. 3. In pace dormiam, et requiescam : quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. ℣. Confitebor tibi Domine in toto corde meo : in consilio justorum, et congregatione. P. Quoniam tu Domine. ℣. Gloria, et honor. P. Quoniam tu.

C *Oratio.* Tuam, clementissime Pater, supplices exoramus clementiam; ut hodierna solemnitas, quam pro beatissimi Confessoris tui N. veneratione suscepimus, ipsa nos tibi commendet : et sicut illi coronam sanctæ perfectionis tribuisti; ita nobis ejus intercesssione omnium delictorum veniam et indulgentiam largiaris. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Ecce quomodo moritur justus, et nemo considerat; et viri justi tolluntur, et nemo conspicit corde; a facie iniquitatis sublatus est justus : erit pax sepulturæ ejus. ℣. Justus, si morte præoccupatus fuerit, anima ejus in refrigerio erit pax. ℣. Gloria, et honor. P. Ecce quomodo.

Oratio. Confessoris tui beatissimi N. annua recur-
D sione, Domine, memoriam solemniter recolentes, supernæ gratiæ aspersione locupleta : ut cujus nunc festa devoto prosequuntur adnisu, ejus quoque perpetim clementi regantur, et protegantur intuitu. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Confitebor tibi Domine. *folio* CLXXI. *Canticum.* Confitebor tibi Domine. P. Quia liberasti. ℣. Gloria, et honor. P. Et de manu.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedictio Domini. *Canticum.* Benedictus. *fol.* 6. P. In mercedem justi. ℣. Gloria, et honor. P. In mercedem justi. ℣. Benedicamus Patrem. P. In mercedem justi. *Sono.* In conspectu Angelorum. *fol.* CLXXII.

Lauda. Alleluia. Confessio ejus super cælum et A terram Alleluia : P. Exaltavit cornu populi sui. Alleluia. ℣. Hymnus est omnibus sanctis ejus. Alleluia, alleluia. *Psalmus* 148.

Antequam dicatur. Gloria, et honor Patri. [CLXXV] P. Exaltavit cornu. ℣. Gloria, et honor. P. Alleluia. Confessio ejus. *Totum.*

Prophetia. Hæc dicit Dominus. *Hymnus.* Deus immensa. *fol.* CLXXII. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *Capitula.* Æterne omnipotens Deus. *folio* CLXXI. *Lauda.* Germinabunt ossa *fol.* 170. *Benedictio.* Christus Dominus, qui beatissimum. *fol.* CXXIII. In nomine Domini.

Fiat commemoratio. fol. CLIX.

INCIPIT OFFICIUM.

UNIUS CONFESSORIS SIMPLICIS DUARUM CAPPARUM, VEL NOVEM LECTIONUM.

Ad Vesperos.

Lauda, Confessionem, et decorem. *Sonus.* Confitebor tibi Domine. *fol.* CLXIX.

Antiphona. Confitebor tibi Domine in toto corde meo : P. Quoniam exaudisti verba oris mei. In conspectu Angelorum psallam tibi : ℣. Deus meus es tu, confitebor tibi : Deus meus es tu, et exaltabo te. P. Quia exaudisti. ℣. Gloria, et honor. P. In conspectu.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Confitebor Domino. *Hymnus.* Iste Confessor. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *folio* CLXXIII.

Capitula. Gloriose, ac misericors Domine, qui beato Confessori tuo N. tibi nimis in ore suo confiteri dedisti : teque in medio Justorum, ejus confessione laudari voluisti : idem Confessor tuus in hoc vespertino tempore cognoscis esse prolatus : At tu Domine, qui largitus es pro tui nominis confessione coronam ; nobis quoque peccatoribus misericordiam, et confitentibus delicta nostra, impetrandi quæ poscimus, præsta efficaciam.

Pater noster. Liberati a malo. *Quære fol* 2.

Benedictio. Dominus Jesus Christus, qui est Confessorum remuneratio, Confessoris sui N. suffragio, nos sanctæ confessionis magnificet dono ; ℟. Amen. Ut tanti Confessoris sui veraciter imitando exemplum, ad cœleste mereamur pervenire promissum : ℟. Amen. Detque nobis se confitendi votum, qui eidem confessionis contulit præmium. ℟. Amen. Per.

Lauda. Germinabunt. *fol.* CLXX.

Oratio. Deus Dei Filius, quem ille Confessor tuus N. in toto corde confessus, nomen tuum honorificando, perductus est ad coronam ; da in ore nostro confessionem, quæ nos expurget a crimine : ut quicquid in tuæ laudis honore depremimus, in lucro nobis prodesse æterni muneris sentiamus ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

Fiat commemoratio.

Antiphona. Vespere, et mane.

Oratio. Domine Deus. *fol.* CLXX.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea Domine. *Psalm.* L.

Oratio. Laudet te, Domine. *fol.* CLXX.

Antiphona. Confitebor tibi in populis Domine : psalmum dicam nomini tuo inter gentes. ℣. O Domine ego servus tuus : ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ P. Psalmum dicam. ℣. Gloria, et honor. P. Psalmum dicam.

Oratio. Deus Dei Filius. *Ut hic supra.*

Antiphona. Confitebor Domino nimis in ore meo : B P. Et in medio multorum laudabo eum. ℣. Quoniam astitit a dextris pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam. P. Et in medio. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et in medio.

Oratio. Beatum satis, Domine, *N.* Confessorem tuum esse fecisti : qui in tote corde suo tibi confessus, in concilio Justorum, et congregatione probatur esse conspicuus : Da ergo nos meritis ejusdem, ut confessione simpliciori mundari a crimine, et Sanctorum mereamur congregationi, et cœtibus interesse. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. In pace dormiam et requiescam : P. Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. ℣. Confitebor tibi Domine in toto corde meo : C narrabo omnia mirabilia tua. P. Quoniam tu Domine. ℣. Gloria, et honor. P. Quoniam tu Domine.

Oratio. Deus, qui beatissimi N. confessionem acceptans, ita omnia verba oris ejus plenissime exaudisti, ut participem eum efficeres [CLXXVII] regni tui, quo in conspectu Angelorum tibi psalleret : accipe nunc per eum confessionis nostræ votum, qui illum produxisti ad præmium : et qui illum per confessionem voluisti esse beatum, nos post lapsum in hoc mundo, demum ad æternam coronandos pertrahas patriam. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Iste homo in professione sua non est prævaricatus ; et in tempore oppressionis suæ fidelis inventus est : ideo dilectus factus est a Domino Deo D suo. ℣. Homo iste conservavit legem Dei excelsi in angustia, et tentatione. *P.* Fidelis inventus est. ℣. Gloria, et honor. ℟. Iste homo.

Antiphona ad Canticum. Confitebor Domine. *Canticum.* Confitebor tibi Domine. *Ad Benedictus. Antiphona.* Benedictio Domini. *Canticum.* Benedictus es *Cum sono.* In conspectu. *Et lauda.* Alleluia Confessio. *Psalm.* CXLVIII. *Prophetia.* Hæc dicit Dominus : Ecce servus meus. *Hymnus.* Deus immensa. *fol.* CLXXII. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi. *Capitula.* Gloriose, ac misericors. *Quære retro folio præcedenti. Lauda.* Germinabunt ossa. *fol.* CLXX. *Benedictio.* Dominus Jesus Christus. *Hic supra.* In nomine Domini, etc.

INCIPIUNT HORÆ

SIVE HISTORIA

PLURIMORUM CONFESSORUM.

Ad Vesperos.

Lauda. Exortum est in tenebris lumen rectis corde : misericors,et miserator, et justus Dominus ℣.Directam fecit viam justorum, et præparavit iter Sanctorum. P. Misericors, et miserator, et justus Dominus.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Sono. Salus justorum a Domino est : et salvabit eos. Alleluia, alleluia. ℣. Qui speraverunt in Deum P. Et salvavit eos. Alleluia, alleluia.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Juste, Confessorum opera multa reposita apud te sunt.P. Domine,ex propriis operibus mercedem recipiunt. ℣. Justi vero in perpetuum vivent et apud Dominum est merces eorum. ℣. Gloria, et honor. P. Domine, ex propiis.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Invocabant Dominum,et ipse exaudiebat eos : in columna nubis loquebatur ad eos.Alleluia. alleluia. ℣. Et clamaverunt justi ad Dominum cum tribularentur : et de necessitatibus eorum liberavit eos, P. In columna nubis. ℣. Gloria, et honor, P. In columna.

Hymnus. Sanctorum meritis.*fol.* CXLI.

*Supplicatio.*Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, omni supplicatione rogemus ; ut per gratiam ipsius, et per intercessionem sanctæ Mariæ Virginis ejus genitricis,et sanctorum confessorum suorum *N.N.*nobis salutem animæ et corporis, et remissionem peccatorum,et pacem propitius tribuere dignetur.℟.Præsta æterne omnipotens Deus.

Kyrie, eleison. ℟. Christe, eleison. Kyrie eleison.

Capitula. Deus,qui sanctorum confessorum tuorum providentia mirabili hunc diem solemnitate consecrasti : da Ecclesiæ tuæ Catholicæ, quæsumus potentiam tuam, de tantis gaudere principibus ;ut illorum regi mereamur pia devotione,doctrinarique, qui dilectos tibi greges tuo pane paverunt : ut qui tibi de tuo munere placuerunt,eorum precibus adjuti mereamur de præsentibus angustiis liberari.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Benedicat vos,omnipotens Deus sanctorum Confessorum suorum N.N. gratia gratulantes.℟. Amen. Donet vobis firmitatem fidei, expectationem spei, et dulcedinem charitatis ; ℟. Amen. Ut talibus suæ gratiæ muniti præsidiis, eorum festa celebrantes fieri etiam participes mereamini.℟.Amen.

Per misericordiam.

*Lauda.*Gaudium sempiternum super caput sanctorum confessorum : P.Laus,et jocunditas apprehendit eos. Alleluia, alleluia. ℣. Beati quicustodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore.P.

A Laus, et jocunditas. ℣. Gloria, et honor. P. Laus.

Oratio. Propitiare, Domine supplicationibus nostris , et exemplo sanctorum Confessorum tuorum *N. N.* [CLXXVII]. flammam in nobis accende charitatis : et quorum nos jubes esse imitatores,præsta esse participes, ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

Fiat commemoratio.

*Antiphona.*Vespere, et mane.

Oratio. Domine Deus omnipotens. *fol.* CLXX.

Ad Matutinum.

Antiphona. Da nobis lætitiam salutaris tui : et spiritu principali confirma nos Domine. P*salmus* L.

Oratio. Redde nobis lætitiam. *fol.* CLXIII.

B *Antiphona* 1. Hi sunt qui mortales tunicas deposuerunt, et immortalem viam sumpserunt : P.Modo coronantur, et accipiunt psalmam ; ℣.Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi : et bene patientes erunt, ut annuntient. P. Modo. ℣. Gloria, et honor. P. Modo.

Oratio. Deus, exultatio et palma sanctorum Confessorum *N.N.*exaudi nos supplices tuos : et præsta, ut quorum in tuo amore reliquias veneramur, et emolumenta recolimus,eorum meritis ab omnibus malis liberari, et conservari mereamur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Venite ad me omnes sancti mei dicit Dominus, Qui laboratis, et onerati estis, et ego

C reficiam vos. ℣. Venite filii, audite me : timorem Domini docebo vos. P. Qui laboratis. ℣. Gloria, et honor. P. Qui laboratis.

Oratio. Propitiare, Domine. *Hic supra.*

Antiphona 3. Venite benedicti patris mei, dicit Dominus : Percipite regnum,quod vobis paratum est ab origine mundi. ℣. Accedite ad me, et illuminamini : vultus vestri non erubescent. P. Percipite. ℣. Gloria, et honor. P. Percipite.

Oratio. Beatissimorum memoriam Confessorum suorum honorantes,Deum omnipotentem supplices deprecemur ; ut nos eorum orationibus circumsepti, cruamur a cunctis infestationibus inimici. ℟.Amen.

Per misericordiam.

D ℟. Viri sancti, vobis apertus est paradisus, plantata est arbor vitæ, præparata est abundantia,ædificata est civitas, inventa est requies, perfecta est charitas. Infirmitas a vobis extincta est : dolores transierunt. ℣. Ecce quam bonum, et quam jocundum, habitare fratres in unum. P. Perfecta est chatas. ℣. Gloria, et honor. ℟. Viri sancti.

In Laudibus.

Ad Canticum.Antiphona. Domine,qui te diligunt sicut sol splendens in ortu suo, ita rutilent.

Canticum. Qui sponte obtulisti. *f.* CLXIII.

Ad Benedictus. Antiphona. Justi, et sacerdotes sancti et humiles corde, benedicite Dominum.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6.

Sono. Via justorum facta est, Alleluia : iter Sanctorum præparatum est. Alleluia, alleluia. ℣. Hic est civitas, et salvatio justorum : pone murum, et juxta murum congregationem Sanctorum. P. Iter Sanctorum. Psalmus CXLVIII

Prophetia. Justorum animæ in manu. *Hymnus.* Rex gloriose Martyrum. *fol.* CLXVII. *Supplicatio.* Oremus. *fol.* CLXII. *Capitula.* Deus, qui sanctorum Confessorum. *fol.* CLXXVI. *Lauda.* Gaudium sempiternum. *Benedictio.* Benedicat vos omnipotens. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

INCIPIT OFFICIUM.

PLURIMORUM EPISCOPORUM ET CONFESSORUM

Ad Vesperum.

Lauda. Exortum est in tenebris.

Sono. Alleluia. In omnem terram exivit sonus Sanctorum : P. Et in fines orbis terræ verba illorum. Alleluia. Alleluia. ℣. Non sunt loquelæ, neque sermones, quibus non audiantur voces eorum. P. Et in fines.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Isti sunt viri nominati in virtute. P. Doctores populi, facientes judicium in doctrina sua. ℣. Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. P. Doctores populi. ℣. Gloria, et honor. P. Doctores.

Dominus sit. ℟. Et cum. P. Disciplina, et sapientia replevit illos Dominus. Alleluia.

Lauda. Creavit in illis gratiam spiritus sui, et intellectu replevit corda eorum. Alleluia, alleluia. ℣. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur : et de necessitatibus eorum liberavit eos. P. Creavit in illis. ℣. Gloria, et honor. P. Creavit in illis.

[CLXXVIII] *Hymnus.* Rex gloriose. *fol.* CLXVII.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus, ut nos gratia ipsius, et per intercessionem sanctorem Episcoporum et Confessorum nobis remissionem peccatorum, et pacem propitius donare dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison. ℟. Christe eleison. Kyrie eleison.

Capitula. Omnipotens Deus, qui diversitates gratiarum in Ecclesia tua distribuens, alios Martyriali excellentia consecras, alios gratia Confessionis exornas : da nobis, ut qui Confessorum tuorum *N.N.* hodie solemnia celebramus, tibi placere ex confessione nostrorum actuum mereamur : ut rogaturi ea, quæ, Filio tuo docente, didicimus, exaudiamur, cum clamaverimus :

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui justificatorum decore, et pœnitentium confessione induitur ; Confessorum suorum *N. N.* precedet vobis ita per confessionem male gesta deflere, ut justificationis fulgeatis decore. ℟. Amen. Quique se confitentes justificat, nos per pœnitentiam provehat ad coronam ; ℟. Amen. Ut qui nunc in Confessorum *N.N.* recordatione et vota promittis, et lamenta, in retribu-

A tione cum eis gaudia obtineatis perpetua. ℟. Amen. Per misericordiam.

Lauda. Vos estis vasa sancta Domini, auro fulgentia. Alleluia ; P. Quia sponte obtulistis Domino Deo animas vestras. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Benedicti vos a Domino, qui fecit cœlum, et terram. P. Quia sponte. ℣. Gloria, et honor. P. Quia.

Oratio. Deus Dei Filius, lumen astrorum, fulgor syderum, stella splendida et matutina, claritas sempiterna, et Sanctorum eruditio copiosa, erudiat nos, quæsumus, justitiæ suæ virga per sanctorum suorum *N. N.* intercessionem assiduam : Sicque quod prædicaverunt splendide inluminati, agendo existamus corde ; ut ad illud, quod apud te repositum est (quod oculus non vidit, nec auris audivit) post obi-
B tum accedamus indemnes, et a nexu peccaminum liberi. ℟. Amen.

Per.

In nomine Domini.

Ad Matutinum. Antiphona. Da nobis lætitiam. Psalmus L.

Oratio. Redde nobis. Domine. *fol.* CLXIII.

Antiphona 1. Hi sunt qui misi sunt per orbem terrarum, et prostraverunt se ante Agnum, P. Habentes phialas aureas plenas incensu, quæ sunt memoriæ sanctorum cantantes canticum novum. ℣. In omnem terram exivit sonus eorum : et in fines orbis terræ verba illorum. P. Habentes phialas aureas. ℣. Gloria, et honor. P. Habentes.

Oratio. Beatissimorum Episcoporum memoriam,
C et sanctorum Confessorum *N. N.* tolerantiam honorantes, Deum omnipotentem supplices deprecemur : ut nos eorum orationibus circumsepti, eruamur a cunctis infestationibus inimici. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Beati, et multo honore digni, quorum portio Deus est ; P. Quibus a principio præparatum est regnum ; quorum animæ in manu Dei sunt. ℣. Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos : et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. P. Quibus a principio. ℣. Gloria, et honor. P. Quibus.

Oratio. Beati vere, Domine, et nimio honore digni sunt quorum tu portio esse dignatus es : ideoque interventu sanctorum tuorum *N.N.* et Sociorum, quicquid tibi ex nobis non militat, amor cœ-
D lestis Patriæ in nobis flagrans usquequaque interimat : et post cum his Sanctis, quorum animæ in manu tua sunt, nos pietas tua cœlesti in regno adjungat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Legem tuam splendide docuerunt ; P. Quorum sunt opera multa reposita apud te, Domine. ℣. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion : non commovebuntur in æternum, qui habitant in Hierusalem. P. Quorum sunt opera. ℣. Gloria, et honor. P. Quorum.

Oratio. Deus Dei Filius. *Quære retro in Vesperis præcedentibus.*

℟. Sancti, qui in justitia erudierunt multos, ful-

gebunt sicut splendor firmamenti : P. Et sicut stellæ cœli in perpetua æternitate. ℣. Isti sunt viri sancti, quos elegit Dominus [CLXXIX] in charitate non ficta, et eorum doctrina fulget Ecclesia, ut sole luna. P. Et sicut. ℣. Gloria, et honor. P. Et sicut.

Oratio. Christe Dei Filius, qui Sanctos tuos *N. N.* præsciens, ante mundi constitutionem eos eligis et in exemplum nostrum hic eos constituis : fac ita nos sanctorum *N.N.* Episcoporum et Confessorum prædicamento obedientes existere ; ut adoptionem filiorum post nostrum obitum mereamur. ℟. Amen. Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Dominum, narrantes justitias ejus et clementiam in fortes Israel. *Canticum.* Qui sponte obtulistis. *f.* CLXIII.

Ad *Benedictus. Antiphona.* Sancti, et humiles corde, spiritus et animæ justorum, benedicite Dominum.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6.

Sono. Alleluia. In omnem terram. *Quære retro in Vesperis præcedentibus.*

Lauda. Laudate Dominum de cœlis Alleluia : laudate eum in excelsis. Alleluia. P*salmus* CXLVIII.

Lectio libri Sapientiæ Salomonis (Cap. XLIV).

℟. Deo gratias.

Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua a sæculo. Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute, et prudentia sua præditi, nuntiantes in dignitate prophetarum, et imperantes in præsenti sæculo, et virtute prudentiæ populis sanctissima verba. In pueriia sua requirentes modos musicos, et narrantes carmina scripturarum. Omnes divites in virtute, pulchritudinis studium habentes : pacificantes in domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrantes laudes eorum : et sunt quorum non est memoria : perierunt quasi non fuerint : et nati sunt quasi non nati, et filii ipsorum cum ipsis. Sed illi viri misericordes sunt, quorum pietas non defuit : et cum semine ipsorum perseverant bona, hereditas nepotum illorum, et in testamentis stetit semen illorum ; et filii illorum propter illos : usque in æternum manebit semen eorum : et gloria eorum non derelinquetur. Corpora eorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum manebit in generatione et generatione. Sapientiam ipsorum narrant populi, et laudem eorum nuntiat Ecclesia. ℟. Amen.

Hymnus. Rex gloriose Martyrum. *folio* CLXVII. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *folio* CLXII. *Capitula..* Omnipotens Deus, qui diversitates. *Lauda.* Vos estis vasa sancta Domini. *Benedictio.* Christus Dominus, qui justificatorum. *fol.* CLXXVIII.

INCIPIT OFFICIUM

DE UNA VIRGINE PRÆCIPUA.

Ad Vesperos.

Lauda. Speravit anima mea in Domino, a custodia matutina usque ad noctem. ℣. Sustinuit anima mea in verbo tuo, Domine. Fiant aures tuæ intendentes in orationes ancillæ tuæ. P. Usque ad noctem.

Sonus. Alleluia. Psallam nomini tuo, Deus, in sæcula ; P. Ut reddam vota mea de die in diem. Alleluia. ℣. Deduxisti me Domine, quia factus es fiducia mea : turris fortitudinis a facie inimici. Habitabo in sanctuario tuo Deus in sæcula. P. Ut reddam vota.

Antiphona. Ostende mihi faciem tuam Sion, et vox tua in auribus meis : dulcis est enim mihi vox tua, et facies tua decora. ℣. Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam : et obliviscere domum patris tui. P. Dulcis est. ℣. Gloria, et honor. P. Dulcis est.

Antiphona. Virgo prudentissima, quo progrederis quasi aurora valde rutilans ? Filia Sion, tota formosa et suavis es. Pulchra ut luna, et electa ut sol. ℣. Per diem sol non uret te, neque luna per noctem. P. Tota formosa. ℣. Gloria, et honor. P. Pulchra ut luna.

Lauda. Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis : Alleluia. Pulchritudo tua similis est palmæ indesinentis in plenitudine claritatis. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Lauda Hierusalem Dominum : et conlauda Deum tuum Sion. P. Pulchritudo. ℣. Gloria et honor. P. Pulchritudo tua.

Lauda. Specie et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna, Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Propter veritatem et mansuetudinem, et justitiam : et deducet te [CLXXX] mirabiliter dextera tua. P. Intende, prospere. ℣. Gloria, et honor. P. Alleluia, alleluia, alleluia.

Hymnus.

Virginis Proles, Opifexque Matris,
Virgo quem gessit, peperitque Virgo ;
Virginis festum canimus, trophæum,
Accipe votum.

Hæc tua Virgo duplici beata
Sorte, dum gessit fragilem domare
Corporis sexum, domuit cruentum
Corpore sæclum.

Inde nec mortem, nec amica mortis
Sæva pœnarum genera pavescens,
Sanguine fuso meruit sacratum
Scandere cœlum.

Hujus obtentu, Deus alme, nostris
Parce jam culpis, vitia remittens ;
Quo tibi puri resonemus almum
Pectoris hymnum.

Gloria Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriusque semper
Spiritus alme, Deus unus omni
Tempore sæcli.

Amen.

Supplicatio. Oremus redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus ; ut per gratiam ipsius, et per intercessionem intemeratæ gloriosæ beatissimæ Virginis Mariæ genitricis suæ, et sanctæ *N.* virginis et martyris, nobis salutem animæ et corporis, et remissio-

nem peccatorum, et pacem propitius tribuere dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison. ℟. Christe eleison. Kyrie eleison.

Capitula. Domine Jesu Christe, qui carnis virginitatem servantibus, fructum promittis sperare centesimum ; intercessu virginis tuæ nostrorum vincula solve peccatorum : ut qui carnea fragilitate dejicimur, ejus patrocinio sublevemur.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Dominus Jesus Christus, qui virginem suam *N.* casto servavit pudore ; castitatis nos dono munificet : ℟. Amen. Et qui illam subarrhavit sibi annulo fidei, nos suæ connectat indissolubili charitati ; ℟. Amen. Ut eam pro nobis apud se suffragatricem admittat, quam ipse sibi incorrupto amore assumpsit sponsam. ℟. Amen.

Per.

Lauda. Sicut palma exaltata sum in Cades Alleluia : et sicut oliva speciosa in campis. Alleluia. Sicit vitis fructificavi suavitatem odoris, Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Domini sperabo et in misericordia Dei mei in æternum, et in sæculum sæculi. P. Sicut vitis. ℣. Gloria, et honor. P. Alleluia, alleluia, alleluia.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui castimoniam diligis, et virginitatem amplecteris, sancta virgine tua *N.* intercedente pro nobis, nostris ignosce piaculis : et nobis ita in præsenti donum tribue castitatis, ut lætemur in futuro cum Angelis sanctis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

Fiat commemoratio.

Antiphona. Vespere, mane, et meridie. *Oratio.* Domine Deus Omnipotens. *folio* CLXX.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea Domine aperies et os meum annuntiabit laudem tuam. *Psalmus* L.

Oratio. Exultent Domine labia nostra præconio veritatis : ut non resolvantur vaniloquio falsitatis : sicque lingua nostra judicium veritatis loquatur, ut Christum tuum verum judicem promptissima devotione laudet : atque ita præcepta tua assidue in nostro corde versentur ; ut gressus nostri ab insidiosis decipulis minime supplantentur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 1. Dilectione æterna Dominus dilexit te ; propterea attraxit te ad misericordiam. P. Adhuc ædificavit te Dominus Deus tuus, virgo Israel. ℣. Non det in commotionem pedem tuum ; neque obdormiet qui custodit Israel. P. Adhuc ædificavit te. ℣. Gloria, et honor. P. Adhuc ædificavit te.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui et meritis beatissimam *N.* dotare jussisti, ut te sequendo, qui justus es, particeps tuæ justitiæ [CLXXXI] efficeretur ; nec deficeret inquirendo, donec potiretur Martyri præmio : præsta nobis ejus intercessione ; ut sicut illa pro tuo nomine dimicavit, et vicit ; ita nos justitiæ sequaces effecti, pietatis tuæ intuitu justificemur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Una es proxima mea, una es columba mea, P. Et macula non est in te. ℣. Per diem sol non uret te, neque luna per noctem. P. Et macula. ℣. Gloria, et honor. P. Et macula.

Oratio. Deus largitor divitiarum cœlestium, et mirabilis peractor munerum æternorum, qui beatissimam *N.* in sæculo pauperem elegisti ; sed pro te certando æternis opibus sublimasti : paupertatem spiritus nos sequi semper attribue, per quam possimus tuæ majestati per omnia complacere. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Veni sponsa a Libano, veni a montibus pascuæ. P. Curramus in odorem unguentorum tuorum. ℣. Non det in commotionem pedem tuum , nec obdormiet qui custodit Israel. P. Curramus. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Curramus.

Oratio. Christe Domine, qui sacris virginibus tantam tribuis fortitudinem, ut sæculum vincentes et carnem, pro te mori festinant : intercessu virginis tuæ *N.* et martyris, flammam in nos tuæ charitatis accende ; ut nec titillationes nos carnis illiciant, nec sæculi blandimenta decipiant. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Gaude filia Sion, dicit Dominus : Spiritus meus, qui est in te, et verba mea quæ posui in corde tuo, non recedant de ore tuo, nec de ore seminis tui. P. Usque in sempiternum. ℣. Lauda Hierusalem Dominum : lauda Deum tuum Sion. P. Usque in. ℣. Gloria, et honor. P. Gaude filia.

Oratio. Domine Jesu Christe. *Require retro in superioribus Vesperis.*

In Laudibus

Ad Canticum. Antiphona. Benedictus Dominus, quia induit me vestimentum salutaris : et indumentum jocunditatis circumdedit me : tamquam sponsam decoravit me corona.

Canticum Esaiæ (*Cap.* LXI, LXII). ℟. Deo gratias. Gaudens gaudebo in Domino, etc., *fol.* 81.

Repetitur Antiphona.

Ad Benedictus. Antiphona. Filia Sion, benedic Domino de excelso in omni benedictione et laude.

Canticum. Benedictus es Domine Deus patrum. *fol.* 6.

Sonus. Dominus Deus cœli benedicat tibi : honor regni dabitur in manu tua, et adorabunt coram te filii multarum gentium. Alleluia. ℣. Audi filia Sion, quia exaltata es, et facies tua fulget in templo Dei : sol justitiæ ingressu tuo orietur. Alleluia, alleluia.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis Alleluia : laudate eum in excelsis. Alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Hieremiæ Prophetæ (*Cap.* XXXI). ℟. Deo gratias.

Longe Dominus apparuit mihi, et dixit : In charitate perpetua dilexi te : ideo attraxi te, miserans. Rursum ædificabo te, et ædificaberis virgo Israel : adhuc ornaberis tympanis tuis, et egredieris in

choro psallentium. Adhuc plantabis vineam in montibus Samariæ: plantabunt plantantes, et donec tempus veniat, non vindemiabunt: quia erit dies, in qua clamabunt custodes in monte Ephraim: Surgite, ascendamus in Sion ad Dominum Deum nostrum. Quia hæc dicit Dominus: Exultate in lætitia Jacob, et hinnite contra caput gentium: personate, canite, et dicite: Salva Domine populum tuum, reliquias Israel. ℟. Amen.

Hymnus. Virginis Proles. *Supplicatio.* Oremus. *Quære. fol.* CLXXX.

Capitula. Deus, qui Sanctos tuos unica dilectione complecteris, et gemina ad te charitate tendentes sæcularibus evellis ærumnis; accipe Ecclesiæ tuæ votiva congratulatione obsequia: ut, qui dilectione memores Virginis meritum prædicamus honorem; proficiente in nobis bonitatis augmento, per charitatem proximi, tuæ quoque mereamur dilectioni connecti.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Sicut palma, *fol.* CLXXX. *Benedictio.* Dominus Jesus Christus, qui virginem suam *N. Quære in Matutinis præcedentibus.*

[CLXXXII] In nomine Domini nostri Jesu Christi, etc.

Fiat commemoratio ut in folio CLIX.

INCIPIT OFFICIUM

SIVE HISTORIA

PLURIMARUM VIRGINUM.

Ad Vesperas.

Lauda. Laudaverunt te, Domine, omnes Angeli tui, et hymnum dixerunt, dum perficeres fabricam cœli. Tuus est dies, et tua est nox: P. Tu fecisti solem et lunam. ℣. Tu confirmasti in virtute tua mare: contribulasti capita draconum super aquas. P. Tu fecisti.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Sonus. Alleluia. Justitia plena est dextera tua. Lætetur mons Sion et exultent filiæ Judæ P. Propter judicia tua. Alleluia, alleluia. ℣. Alleluia. Magnus Dominus, et laudabilis valde in civitate Dei nostri in monte sancto ejus. Dilatans exultationes universæ terræ. P. Propter judicia.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Ecce istæ religiosæ feminæ patientes et castæ, curam domus suæ gerentes: P. Nihil habentes, et omnia possidentes. ℟. Hæc est generatio quærentium Dominum, requirentium faciem Dei Jabob. P. Curam domus. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Nihil habentes.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Filiæ tuæ, Hierusalem, in latere surgent. ℣. Tunc videbis, et afflues, P. Et dilatabitur cor tuum. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Lauda Hierusalem Dominum: et collauda Deum tuum Sion. P. Tunc videbis. ℣. Gloria, et honor. P. Et dilatabitur.

Hymnus.

Jesu, corona Virginum,
Quem mater illa concipit,
Quem sola Virgo parturit;
Hæc vota clemens accipe.

Qui pascis inter lilia.
Septus choreis Virginum,
Sponsus decorus gloria,
Sponsisque reddens præmia.

Quocumque pergis, Virgines
Sequntur, atque laubibus
Post te canentes cursitant.
Hymnosque dulces insonant.

Te deprecamur largius,
Nostris adauge mentibus,
Nescire prorsus omnia
Corruptionis vulnera.

Deo patri sit gloria,
Ejusque soli Filio.
Cum Spiritu Paraclito,
In sempiterna sæcula.

Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut per gratiam ipsius, et per intercessionem intemeratæ, et gloriosæ, semperque Virginis Mariæ genitricis ejus, et sanctarum virginum, et martyrum suarum *N. N.* nobis salutem animæ et corporis, et remissionem peccatorum, et pacem tribuere dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus Kyrie eleison. ℟. Christe eleison. Kyrie eleison.

Capitula. Omnipotens sempiterne Deus, qui bonitate inenarrabili redimis omnia; interventu sanctarum *N. N.* virginum et martyrum orationi nostræ aurem tuæ pietatis inclina; et contra invisibilis hostis amarissima tela tentationis, victricia nobis fidei porrige arma: ut qui altitudinem cordis nostri ad excelsa solii tui dirigimus, a conventu malignantium in hac humilitate terrarum veræ fidei protectione salvemur.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Dominus Jesus Christus, qui virgines suas *N. N.* casto sibi servavit pudore, castitatis nos dono munificet: ℟. Amen. Et qui illas subarrhavit sibi annulo fidei, nos suæ connectat indissolubili charitati: ℣. Amen. Ut eas pro nobis apud se suffragatrices admittat, quas sibi indisrupto amore assumpsit sponsas. ℟. Amen.

Per.

Lauda. Exaltatæ sunt filiæ Hierusalem, et processerunt in gloria. Alleluia, alleluia. ℣. Lætetur mons Sion, et exultent filiæ Judæ, propter judicia tua Domine. P. et processerunt. ℣. Gloria et honor Patri, etc. P. et processerunt.

Oratio. Adesto Domine. *Quære infra in istis Matutinis.*

Ad Matutinum.

Da nobis lætitiam salutaris tui. *Psalmus* L. *Oratio.* Redde nobis lætitiam *Quære folio* CLXIII.

[CLXXXIII] *Antiphona* 1. Ut columbæ mansuetæ plaudebant sibi alis suis, et gloriabantur in itinere suo : populus autem gaudebat gaudio magno in lætitia earum. ℣. Lætetur mons Sion, et exultent filiæ Judæ, propter judicia tua Domine. P. Et gloriabantur. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Populus autem.

Oratio. Gloriose Rex Christe, cui Virginitas florida nitet : dum sanctitate perspicuos clarificas, et Virgines beatitudine claritatis glorificas ; dum Virgines te sequentur, tibique gloriose martyrio conjunguntur : Te supplices deprecamur, ut pietatis tuæ medelam impertias criminibus omnium, quorum non debetur gloria meritorum ; et quibus dignitas non est ex merito, ex indulgentia pietatis Virginum dona. ℟. Amen. Per.

Antiphona 2. Offerentur Regi virgines post eam : proximæ ejus adducentur nobis in lætitia et exultatione. ℣. Memores erunt nominis tui, Domine, in omni progenie et generatione. ℣. Gloria. P. Proximæ.

Oratio. Virga æquitatis, virga regni tui Domine : ipsa nos corrigat, a plagaque eruat ; atque eandem correctionem et ingerat pœna, et instruat disciplina: Sit ergo nobis hæc virginitas non perditio, sed doctrina : fac et nos diligere justitiam ; et odire iniquitatem : ac per speciem tuam pulchritudinemque currentes, deducat nos mirabiliter dextera tua ; et mortificato in nobis incentivæ libidinis ardore, accinge lumbos nostros custodia castitatis. ℟. Amen. Per.

Antiphona 3. Omnis gloria filiæ Regis ab intus, Virgines sequuntur eum : P. Ducentur in lætitia et exultatione : ducentur in templo Regis. ℣. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii : constitues eos principes super omnem terram. P. Ducentur in lætitia. ℣. Gloria. P. Ducentur.

Oratio. Deus, cujus sedes manet in sæculum sæculi ; fulgeat Ecclesia tua varietate virtutum, sceptrum tuum perornetur disciplina officiorum ; quodque ejus ornamentis affigitur, separari ab ea nullatenus patiaris. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Dominus sit. ℟. Et cum.

℟. Simile est regnum cœlorum decem virginibus : quæ accipientes lampades suas exierunt sponso obviam. P. Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. ℣. Media autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite obviam ei. P. Et quæ paratæ. ℣. Gloria, etc. *Reiteretur Responsorium.*

Oratio. Adesto, Domine tibi supplicantibus ; et invocantibus nomen sanctum tuum placatus intende: atque interventu sanctarum virginum *N. N*erectos nos, ac redemptos in sæculo gaudere concede : ut calicis permixtione, cujus nos fusione redemptos fatemur, ipsius transformatione ab hac ignobilitate ad æternam gloriam perducamur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

In Laudibus.

Ad Canticum Antiphona. Diligentes te, Domine sicut sol in ortu suo resplendens, ita rutilant.

Canticum. Qui sponte obtulistis. *fol.* CLXIII.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedicamus te, Domine, qui sedes super Cherubim, rex Israel.

Canticum. Benedictus es Deus. *fol.* 6.

Sono. Alleluia. Justitia plena est. *Require retro in Vesperis.*

Lauda. Laudate Dominum de cœlis Alleluia : laudate eum in excelsis. Alleluia. *Psalmus.* 148.

Lectio libri Ecclesiastici (*Cap.* XXXIX)

℟. Deo gratias.

Audite me divini fructus, et quasi rosa plantata super rivum aquarum fructificate. Quasi Libanus odorem suavitatis habete. Florete flores, quasi lilium, date odorem, et frondete in gratiam, et conlaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis. Date nomini ejus magnificentiam, et confitemini illi in voce labiorum vestrorum, in canticis labiorum, et citharis, et sic dicetis in confessione: Opera Domini universa valde bona. ℟. Amen.

Hymnus. Jesu, corona Virginum. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi. *Require retro in Vesperis.*

[CLXXXIV] *Capitula.* Deus, cujus sunt eloquia casta et judicia recta ; tribue nobis intercessione sanctarum virginum et martyrum tuarum N. N. casto ore verba tua depromere, et corde purissimo judiciorum tuorum mandata servare : ut in te lætetur copia redemptorum, qui es corona justorum : tibi decantemus psalmum lætitiæ ; cujus munere perveniamus ad fructum justitiæ.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Exaltatæ sunt filiæ Hierusalem. *Benedictio* Dominus Jesus Christus, qui virgines. *Quære ut supra.*

INCIPIT SANCTORALE

[CLXXXV] DIE IX JANUARII.

IN SOLEMNITATE SANCTORUM JULIANI ET BASILISSÆ, VEL COMITUM EJUS.

Ad Vesperos.

In nomine Domini nostri Jesu Christi lumen cum pace. ℟. Deo gratias.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Exortum est in tenebris. *Sono.* Justorum animæ. *Require in communi. fol.* CLXII.

Antiphona. Isti sunt Sancti pleni innocentia, quos et virginitas decoravit, P. Et Martyrii palma participes fecit in regno Dei. ℣. Gaudete justi in Do-

mino rectos decet collaudatio. P. Et Martyrii. ℣. Gloria. P. Et Martyrii.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Isti sunt Sancti, qui in isto sæculo non sunt polluti : Virgines enim sunt ; P. Ideo laverunt stolas suas, et dealbaverunt illas. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates : et quorum tecta sunt peccata. P. Ideo. ℣. Gloria. P. Ideo.

Hymnus.

Insigne festum Juliani martyris,
Quo cara stringens Virginis consortia,
Cœlos adeptus fit supernus incola :
Plebis dicatæ multitudo personet,
Fidesque plena singulorum nunciat.
Hic Julianus sorte claro germine,
Civis togatæ urbis Antiochiæ,
Imbutus omni disciplina artium,
Inlustre pignus unicum parentibus,
Vitam gerebat consecratam moribus.
Qui bis novenis annuis recursibus,
Spem cum serendæ prolis in se ostenderet,
Adsunt parentes : Jure nuptum suggerunt,
Quo liberorum casta procreatio
Avos perenni consecraret nomine.
Sed ecce, Christi servus ad Deum fugit
Septem diebus, noctibusque pervigil :
Quid ipse dicat, quid velit, jam consulit.
Adest Deus, docet fidelem servulum :
Jubens, salutis appetit connubium.
Firmatus idem gratiæ oraculis,
Surgit, parenti lætior consentiens :
Ex more virgo tunc puella quæritur ;
Mox Basilissa sorte huic desponditur,
Decus decori compar hic adjungitur.
Adest et ipse nuptiarum jam dies :
Urbis vocata multitudo convenit :
Plebes vicinæ civitatum confluunt ;
Urbana lætæ concinentes cantica,
Amore carnis perstrepentes cymbala.
Sparsis sonorum musicis conventibus,
Melos per omnem civitatem personat,
Cantu sonora concrepabant organa,
Lyræ strepentes tinniebant chordulæ.
Clavis plateæ perstrepebant citharis.
Sed hæc Beatus gestiens contemnere.
Mentem futuræ præparat victoriæ :
At ipse victor, tradita cum Virgine,
Intra sacratum jam thori cubiculum,
Illic reclines contuentur mox Deum.
Sed prima Virgo dona sentit munerum,
Quibus, beato mox odoris nectare
Thoris refusa, jam sacrata horresceret ;
Hinc fundamenta contremescunt lectuli,
Et luce clara innovantur cœlibes.
Fulgore jam post hinc præeunte lampadum,
Rex Christus illis luce clara ostenditur,
Chori Angelorum, vel sacrarum Virginum
Visu salutis intuentur cernuo ;

A Jam tunc foventur, tunc docentur amplius.
Hoc sacrosancto provocati munere,
Junguntur ambo junctione spiritus,
Et carnis actum nescientes lubricum,
Tenent beatum cælibes connubium,
Quo spirituales proferant partus Deo.
Functis deinde protinus parentibus,
Claro superstites liberorum nomine,
[CLXXXVI] Fundos, domosque prædiorum dividunt
Quibus virorum, virginumque fulgida
Dicanda Christo consecrant cænobia.
Sed palma florens Juliani martyris,
Decem virorum millibus prætenditur,
Isdem paterno quos regebat ambitu.
Hinc et choreis Basilissa Virginum
B Stipata floret gratia charismatum.
Erat futuro Martyri hoc proprium,
Cum sacrosancta Basilissa conjuge,
Ut oris ejus igne tactus quispiam,
Statim supernam consecutus gratiam,
Terrena linquens, stringeret cœlestia.
Sic sic docentes Plebium frequentiam,
Sic multa Christo consecrantes millia,
Duæ lucernæ candelabro impositæ,
Lucent sereno claritatis lumine,
Fulgent perenni gratiarum lampade.
Hinc, Basilissa cammonente virgines,
Columna lucis eminens apparuit,
Styli beatam scriptionem præferens,
Quæ deputatam Virginum frequentiam,
C Deo placente, prædicaret fulgidam.
Sui precatus Virgo vota obtinens,
Præmittit omnes jam locandas Virgines
Cœlestis aulæ in beato sidere,
Quas ipse claro fine mortis adsequens,
Orationi incubans, defungitur.
Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honorque summus, et potestas inclyta :
Quæ Trinitas Pater, Patrisque Filius,
Cum Spiritu, unus Deus substantia
Per cuncta regnat sæculorum sæcula.
Amen.

Hymnus.

Jam passionis inchoandæ gloria
Fidem beati Juliani provocat.
D Quam Marcianus nuntiatam non ferens,
Omnes fideles, Martyrum sacrichoros
Flammis peruri per satellem præcipit.
Ast Julianum, quem rebellem pertulit,
Jubet stupendis verbari fustibus :
Sed unus ex his cæsor ausu pestifer,
Sacrata diris membra tundens ictibus,
Carens ocelli ultus est mox lumine ;
Quem Julianus carne, corde illuminans,
Christo futurum præparabat Martyrem :
Ast ipse tractus per plateas ducitur,
Torquendus omni sævitatum pondere,
Pœnisque duris vulnerandus acriter.
Jam turbulenta Præsidalis optio

Sanctum cruentis vinxerat doloribus;
Et ecce tractus Martyr ad locum venit,
Quo dulce pignus educatur Præsidis,
Celso vocatus, Celsius vocabulo:
Qui visionis glorioso lumine
Christi fidelem cominus mox intuens,
Fixosque vultus dirigens in Martyrem,
Stupet polorum legiones candidas
Blandis Beatum consolari affatibus.
Hoc rursus idem cernit aucta gloria;
Caputque supra Martyris coronulam,
Gemmis coruscam, ponderantes, auream,
Trium virorum aureolis vultibus
Melos supernum concrepabant suavius.
Talique visu, ipse, quippe cantica,
Quæ harmonia concinebat suavior,
Miratur idem: vestibus depositis,
Cursu petivit Martyrem Dei, celer
Se christianum corde et ore profitens.
Subtractus ex hinc, Martyris vestigia
Calore Christi jam sacer, deosculat,
Plagas relambit, sacra lingit vulnera,
Se Juliani profitens asseclam;
Nomen parentum, vel honorem abnegans.
Mox nuntiorum contabescunt tædio
Mater, paterque: hinc dolore tabidi
Funebre factum non ferentes filii,
Clamore terras luctuoso compluunt
Plangunt gemuntque: consolari nequeunt.
Sed ecce rursus Præsidis fremens furor
Prolem jubet disgregari a Martyre;
Frustatur actus jussionis: immo
Videns quod quisque, vellet proficere,
Contrahit vultum; ejulat, brachiis plodens.
Hinc noxiali claudit ambos carcere,
Quo furva essent tota, cæca, et fœtida:
Sed sidus illic lucis almæ splenduit,
Et luminoso nectar addit carceri;
Locusque horrens fit Beatis clarior.
Quo rite factum pertremescunt milites,
Et lumen hujus contuentes gratiæ,
Conversa Christo corda votis offerunt;
Sternuntur almis Martyris vestigiis:
Christum honorant, nomen ejus prædicant.
His convocatis ad fidem custodibus,
Bis dena eorum conflagrarunt pectora,
Septem fideles stirpe clara proditi,
Quos sacra Christo vinxerat germanitas:
Claro utebantur hi Magistro Antonio.
Ductore tali præeunte Angelo,
Petunt ovantes claustra dira carceris,
Quibus beati consedebant Martyres;
Statimque florens Celsius, vel milites
Baptisma Christi consequuntur candidum.
Hinc agmen unum Christiani dogmatis
Facti, magistro Juliano, Antonio,
Uno tenentur mancipati vinculo,
[CLXXXVII] Unius acti carceris custodiam
Finire vitam cum triumpho, exæstuant.

A Fides probata Juliani martyris
Probanda signis rursus et virtutibus,
Corpus sepulchro mancipandum suscitat:
Plebe obstupente, vel tremente insignia,
Terrena vincens, vincit et mox tartara.
Sed ecce surgens, voce clamans intonat:
Accepta esse vota Christo Martyris,
Cujus precatu, glorioso munere
Infernus omnis contremescens palluit,
Vivum reportans, quem tenebat mortuum.
Truces ministros inferorum viderat,
Quorum ducatu pronior per tartara
Deductus ipse, hinc abysso hæserat:
Hinc sorte mortis liberatus exiens,
B Christum fatetur, Juliano nectitur:
Qui consecutus gratiam baptismatis,
Athleta Christi fortis idem factus est:
Fide novatus, charitate fervidus,
Ex sacramento dic Anatasius.
Agonis arce cum beatis utitur.
Aurora fulgens jam diem reduxerat:
Paratæ pœnæ nuntiantur Præsidi:
Cupæ minaces jam repletæ sulphure.
Picisque, stuppæ, copia bituminum
Suscepta membra non perurunt Martyrum.
Nam his cremendi Martyres depositi,
Adstante vulgo, Plebis et frequentia,
Probantur igne: mox, ut aurum fulgidum,
Clamore uno concrepantes singuli
Melos ab igne, carminis Davidici.
C Consumptus ignis gloriosos Martyres
Ostendit, aucta dignitatis gloria;
Tantæque rei comprobans miraculum,
Præses (quod ante Marcianus spoponderat
Matrem beato tradit idem Celsio.
Hæc commorata promptior cum filio,
Gratos odorum nare fructus excipit:
Hinc suavitatis jam refecta nectare,
Oblivionem mox dolorum sustinet,
Confessa Christum læta corde et corpore.
Quæ tincta fontis sacrosancti gurgite,
Et prole nata sua, a patre filio,
Calore fervens Christiani nominis,
Se persequentes cæcitate percutit,
Thorumque casta conjugale abnuit.
D Tunc Marcianus, hoc suorum funere
Percussus, adstans excipit vulnus novum:
Nam voce clara imprecatu Martyrum
Submersa templi pulchritudo deperit;
Templumque ipsum terræ hiatus absorbuit.
Ab hinc atrox jam Præsidis minax furor,
Sanctis crematis, et peremptis cæteris,
Mox Juliano, et beato Celsio
Cutem revulsit gloriosi verticis;
Quos et ferarum mox subegit morsibus.
Hinc jam theatro intromissi Martyres
Cum noxiali perditorum agmine
Mixto, mucronis enecantur verbere;
Sed candidato adprobantur sanguine

Munus piorum massa rubra corporum.
Nam quisque supra corporis sui thecam
Apparuere Christiano cœtui,
In virginali dedicato stigmate;
Quorum cruor late respersus, probat
Hæc ipsa terra, quo operire nesciat.
Horum beata jam sepulta corpora
Fundunt perennem de sepulchris gurgitem;
Ex cujus undis fons sacratus gratiæ
Impletur amplis cursibus lymphaticis,
Quibus stupenda prodeunt miracula.
Illic sacrato functionis tempore
Natalis horum, baptizandi confluunt;
Decem leprosi mox salutem perferunt:
Hinc vox tremenda de supernis intonat:
Fides meretur Juliani hæc omnia.
Jam jam, beate Martyr, audi supplices;
Jam Juliane confoveto servulos;
Et advocatus Martyrum consortio,
Fave redemptis; languidis jam subveni,
Adversa pellens, et secunda impertiens.
Tui sequaces adprobati, sæculum
Discamus omnes moribus contemnere;
Iram domare; fluxa carnis spernere:
Nullo tenacis blandimento corporis
Usi, polorum perfruamur gaudiis.
Nullis gravati criminum contagiis,
Semper supernis concrememur ignibus;
Semper superna charitate fervidi,
Compunctionis innovemur munere;
Christum sequentes præstolemur Judicem.
Dies ut illa cum tremenda venerit,
Mundumque terror judicandis presserit,
Sponsore sacro te patrono vernulo
Dextram tenentes, evadamus tartara;
Regno potiti vestiamur gloria.
Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honorque summus, et potestas inclyta:
Quæ Trinitas Pater, Patrisque Filius,
Cum Spiritu, unus Deus substantia
Per cuncta regnat sæculorum sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut per intercessionem [CLXXXVIII] sancti Juliani et Basilissæ et Comitum ejus martyrum, remissionem peccatorum, et pacem nobis donare dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison. ℟. Christe eleison. Kyrie eleison.

Capitula. Domine Jesu Christe, qui beatissimis Juliano et Basilissæ fida sibi charitate conjugibus, cœlestis connubii consortia tribuisti, dans illis, et corruptionis nescire contagia, et sanctitatis perficere vota: dum in utroque sexu, et per Julianum virorum tibi multiplex numerus adgregatur, et per Basilissam sanctarum virginum multitudo conquiritur: dum et illa per confessionem suscipitur, et hic per passionem glorificatur: dum et illa in virginibus floret, et hic in passionibus gaudet, dans utrisque ad te
A glorioso transitu evocari: dum et illa ad te post insultationem criminum evocatur, et hic post decisam cutem sui capitis glorioso passionis fine concluditur; horum precibus atque suffragiis junge nos tibi indisrupto fœdere charitatis: ut, qui per eos tunc tibi consecrasti vasa mundissima, per te nos sanctificatos corpora et spiritu perducas ad cœlestia regna.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui inter Julianum, et Basilissam spirituale jussit esse connubium, spirituali vos faciat florere dono virtutum: ℟. Amen. Et qui beatum Celsium a latere Martyris non passus est dividi, in nullo vos patiatur a suo corpore segregari; ℟. Amen. Atque per eos capiatis æternæ vitæ præsidia, per quos sibi Christus multiplicia sa-
B cravit vasa mundissima. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Gaudium sempiternum. *Quære fol.* CLXII.

Oratio. Sancti tui, Domine, Julianus et Socii ejus, ut palma in conspectu tuo florent; plantati radicatique assistunt tuis in atriis sanctis; qui in martyrii certamine constituti, adquisierunt de supplicio palmam victoriæ; et de morte in domo tua perpetuam gloriam: Oramus ergo inclyte Deus, ut eorum inlustribus meritis, nobis ob facinora peccatorum veniam condonare digneris. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

In nomine Domini nostri.

Ad Matutinum.

Antiphona. Da nobis lætitiam. P*salmus* L. *Oratio.*
C Redde nobis Domine lætitiam. *Fol.* CLXIII.

Antiphona 1. Sancti sicut rosæ germinant per diem, P. Et velut germen olivæ per totam noctem. ℣. Beata gens, cujus est Dominus, Deus ejus: populus, quem elegit Dominus in hereditatem sibi. P. Et velut germen. ℣. Gloria, et honor. P. Et velut germen.

Oratio. Sancti tui itaque, Domine, Julianus et Basilissa ut rosa germinaverunt in te, qui es verus dies, et ut germen olivæ per noctem meruerunt in certamine adipisci præmium salvationis æternæ; eorumque labor fuit in pœna, quorum manet merces in gloria: fac ut nos qui Sanctorum tuorum meritis impares sumus, illorum intercessione, te juvante, tuo in regno mereamur esse consortes. ℟. Amen.
D Per misericordiam.

Antiphona 2. Palmæ fuerunt in manibus sanctorum: et magno clamore dicebant: P. Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno. ℣. Et adjuvabit eos Dominus, et liberabit eos: et salvos faciet eos: quoniam speraverunt in eum. P. Salus Deo nostro. ℣. Gloria, et honor. P. Salus.

Oratio. Sancti tui itaque Domine, Julianus. *Require in superioribus Vesperis.*

Antiphona 3. Isti sunt viri sancti, qui adpropinquant Domino: P. Isti sunt viri justi, pleni justitia, et palmæ in manibus eorum. ℣. Hæc est generatio quærentium Dominum, requirentium faciem Dei

Jacob. P. Isti sunt. ℣. Gloria, et honor. P. Isti sunt.

Oratio. Cognoscitur, Domine, manus tua in sanctis tuis, dum ad illustris pugnæ certamen sublimat sanctum Julianum, Sociosque ejus; sicut herba germinare fecit inter fallacias, et mundi minas, fortissimaque congressione superando hostes iniquissimos : annue precibus Sanctorum misericors et clementissime Deus; ut exemplo tuorum martyrum Juliani et Basilissæ nos facias, tuis inhærendo vestigiis, coronari superno in regno. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Audi vocem de cœlo dicentem : Julianus dilectus meus, P. Qui pro me Mundum contempsit, deputetur in numero Sanctorum : Basilissa nominis sui digna, quæ orabat : Hæc me implere delectat. ℣. Propter dilectum meum [CLXXXIX] Julianum reddatur anima. P. Qui pro me. ℣. Gloria, et honor. P. Qui pro me.

Oratio. Ecce, Domine, dilecti tui Juliani et Sociorum ejus miraculorum insignia prædicamus; illi etenim prædicti Martyres in te credendo atque sequendo, ardentibus demersi in cupis, inlæsi, post ignis rutilante claritate, resplendent; e quibus vox e supernis intonat : Juliani dilecti mei fides hæc omnia meruit, et majora horum meretur; cum et oculum cuidam credendi in nomine tuo reformat, corpus et animam suscitat, idolorum vanissima simulacra in pulvere redigit : obsecramus te Clementissime per hujus Martyris intercessionem : ut inluminentur tenebræ cordis nostri, et resurgamus a sepulchris vitiorum, et templum corporis nostri inlæsum conservemus : ut in æternum tecum, et cum Sanctis tuis sine fine vivamus. ℟. Amen.

Per.

Amtiphona 1. Justorum animæ in manu Dei sunt, P. Et non tanget illos tormentum mortis. ℣. Justi vero hereditate possidebunt terram : et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam. P. Et non tanget illos. ℣. Gloria. P. Et non.

Oratio. Domine Jesu Christe, cœlestis gratiæ largitor, qui sanctis tuis Juliano et Basilissæ tantam gratiam præstitisti, ut abnegantes omnia, quæ hujus mundi sunt, in numero Sanctorum, vel in congregatione electorum eos consortes efficeres : oramus ergo te, inclyte Deus, obsequiis Sanctorum, ut nostris mentibus spiritale lumen insinues : ut omni cupiditate hujus mundi a nobis detersa, eorum inlustribus meritis, nobis ob facinora peccatorum veniam condonare digneris. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Filius Dei lætatus est super justos : P. Et in paradiso deliciarum constituet illos. ℣. Quoniam Dominus amat judicium, et non derelinquet sanctos suos : in æternum conservabuntur. P. Et in paradiso. ℣. Gloria. P. Et in paradiso.

Oratio. Christe Dei Filius, qui es gloriosus in Sanctis, et admirabilis in majestate; cujus potentia

A virtutis, pro nomine tuo certantibus Juliano athletæ tuo et Sociis ejus, tantum doni attribuisti laudis, ut coronam acciperent pretiosam, auro, et gemmis ornatam; et omnia quæ vellent fiducialiter a te facere possent : Horum intercessione nos quoque famulos tuos in commilitonum tuorum fideli promissione adjunge; ut, si delicta nostra male vivendo non merentur coronam, vel saltim misericordiæ mercede nos pertrahas ad superna : ut eorum sanctis meritis nobis dona gratiæ condere, et donare digneris. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Florete sancti sicut rosæ plantatæ super aquas, P. Et quasi lilium date odorem suavitatis. ℣. Plantati in domo Domini, in atriis domus
B Dei nostri florebunt. P. Et quasi lilium. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et quasi.

Oratio. Gloriose omnium Rex Christe, cui justitia placet, et sanctitas florida nitet; qui tantam gratiam sanctitatis famulæ tuæ Basilissæ præstitisti, ut, dum illa Virgines admoneret, columna lucis illi appareret, quæ eas illuminaret, odorque suavissimus, qui eam confortaret, ut illa sic responderet : Insulto tibi diabole, quia ex grege mihi credito nullus est qui tecum pereat : tu solus de tua pœna lætare : Horum intercessione rogamus te, piissime Deus, ut pietatis tuæ medelam impertiaris criminibus omnium, qui non meremur gloria meritorum, ut nobis sit indulgentia pietatis ex dono. ℟. Amen.

Per misericordiam.

C ℟. Hæc dicit Dominus : Visitabo Sanctos meos in medio ignis, et e medio flammæ liberabo eos; et dabo eis regnum P. In æternum, et in sæculum sæculi. ℣. Exultabunt Sancti in gloria : lætabuntur in cubilibus suis. P. In æternum, ℣. Gloria, et honor. P. In æternum.

Oratio. Deus omnipotens æterne Christe Jesu, quo adjuvante, athleta tuus Julianus super oculum evulsum signum Crucis imposuit, et statim eum inluminare promeruit, invocato nomine Trinitatis : Tu pietate solita, et orantium suscipe vota, et cœcitatis nostræ tenebras inlumina : tribue quoque nobis obtentu sanctorum Martyrum largam tuæ benedictionis impensionem; quo et tenebræ a caligine nostri cordis inluminentur, et peccatorum nostrorum vincula dissolvantur. ℟. Amen.

D Per misericordiam.

Antiphona 1. Prope timentes Deum salutare ipsius : P. Et super sanctos, et in eos qui convertuntur ad ipsum. ℣. Fidelis Dominus in verbis suis : et sanctus in omnibus [CXC] operibus suis. P. Et super sanctos. ℣. Gloria. P. Et super.

Oratio. Beatissimorem martyrum Juliani et Basilissæ et ejus Comitum præsidiis animati, fida ad Dominum nostrum pergat oratio : ut quorum in hoc sæculo gloriosum celebramus triumphum, eorum in æternum precibus adjuvemur. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Justi epulentur, et exultent in con-

spectu Domini : P. Et delectentur in lætitia. ℣. Salus autem justorum a Domino : et protector eorum est in tempore tribulationis. P. Et delectentur. ℣. Gloria. P. Et delectentur.

Oratio. Memento nostri, Domine ; et sicut sanctis tuis Juliano et Basilissæ et Comitibus ejus martyrii digna præmia reddis ; ita nostris parce et miserere peccatis : ut absoluti de præteritis, mereamur custodiam de futuris. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Justi susceperunt mortem, ut non confunderentur, sed confortati sunt, ut non prævaricarent testamentum sanctum : P. Et loquebantur omnes propter regnum Domini, et propter testamentum patrum nostrorum. ℣. Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi : et bene patientes erunt. P. Et loquebantur. ℣. Gloria, et honor. P. Et loquebantur.

Oratio. Ecce, Domine, clara est vox, quæ nos invitat ad convivium, vel ad gaudium Sanctorum, ubi epulantur omnes amici tui : concede nobis famulis tuis, quæsumus, affectum tuæ dilectionis, qui nos ad superna adtrahat ; atque interventu martyrum tuorum Juliani et Comitum ejus, superno munere conquisiti, per ipsos introduci ad Sanctorum æterna tabernacula mereamur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Viri sancti, vobis apertus est paradisus, plantata est arbor vitæ, præparata est abundantia, ædificata est civitas, inventa est requies, P. Perfecta est charitas, infirmitas a vobis extincta est. Dolores transierunt. ℣. Ecce quam bonum, et quam jocundum habitare fratres in unum. P. Perfecta est. ℣. Gloria, et honor. P. Perfecta est.

Oratio. Trinitas vera indivisa, Deus summe et une, et trine, qui per parvi temporis tribulationem, vel ad requiem æternam ire promittis ; præsta nobis per intercessum sanctorum Juliani et Sociorum ejus martyrum, ut spiritu ambulemus, et desideria carnis non perficiamus ; et sic parentes nostros renuntiemus, ut a te non recedamus ; ut, dum charitas tua, quæ data est per Spiritum Sanctum, et in nostris diffuderit cordibus, tuis inhærendo vestigiis, coronemur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad *Canticum.* *Antiphona.* Diligentes te, Domine, sicut sol in orte suo resplendens, ita rutilant.

Canticum. Qui sponte obtulistis. *Quære fol.* CLXIII.

Ad *Benedictus.* *Antiphona.* Sancti et humiles corde, Spiritus et animæ Justorum, benedicite Dominum.

Canticum. Benedictus es Domine. *Fol.* 6. *Sono.* Via justorum facta est. *Lauda.* Laudate Dominum de cœlis Alleluia. *Psalmus* CXLVIII. *Prophetia,* Justorum animæ in manu Dei sunt, *Quære fol.* CLXVII.

Hymnus.

Juliani vita martyris
Amore Christi nobilis
Excelsa mundi respuens,
Arcem tenere vult cœli.
Jubetur a Parentibus
Accipere conjugium :
Nec patri fuit obvius,
Nec Deo mente perfidus.
Consulto lucis Auctore,
Jussa complere suggerit :
Lætus pater inducitur,
Basilissaque poscitur.
Junguntur fide compares :
Agunt cœlestes nuptias :
Sed illi cordis organo
Renibus uri postulant.
Intrantes in cubiculo
Odor rosarum infunditur :
Consentit virgo integrum
Servare contubernium.
Qui captus Antiochiæ
Sub Marciano præside.
Torquetur membris omnibus,
Extinctum novat oculum.
Quo deprecante, perfida
Eversa sunt et idola.
[CXCI] Resurgit Anastasius,
Conversus est et Celsius.
Cupas implent incendii,
Stuppa, pice, et bitumine :
Inlæsi et hinc exeunt
Ac templa eversa diluunt.
Adquirit Matrem Puer :
Fit Filius Pater Matris :
Secundæ Nativitatis
Filius Matrem regenerat.
Missus in Amphiteatro
Bestiis, pardus leo blanditur :
Et percussus inde vulnere ;
Raptus arce est in gloria.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul Paraclyto
In sempiterna sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus. *fol.* CLXXXVII.

Capitula. Domine Jesu Christe, qui Julianum et Basilissam ita gratiæ tuæ opibus præmunisti, ut sic spiritualis conjugii copula necterentur, ne carnis commixtione ullatenus miscerentur : tu nos ad eorum exemplum efficias castimoniæ sublimes, et in diligendo te, fervore Sancti Spiritus coæquales : et sicut illos effecisti tibi vasa mundissima, sic carnali in nobis voluptate devicta, plurimos exemplo eorum accendas ad cœlestia regna.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Gaudium sempiternum. *Quære fol.* CLXII.

Benedictio. Christus Dominus, qui inter Julianum. *Quære fol.* CLXXXVIII.

In nomine Domini etc.

DIE XIII JANUARII.

IN FESTO SANCTORUM QUADRAGINTA MARTYRUM.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum, fol. CLXVIII *præter Officium de Vesperis et Capitula; et Benedictiones et Capitula de Matutinis, quæ ut sequuntur.*

Ad Vesperum.

Lauda. Lux orta est justis, P. Et rectis corde lætitia. ℣. Gaudebunt justi cum omnibus sanctis. P. Et rectis corde.

Sono. Gaudete justi in Domino : rectos decet collaudatio. Alleluia. ℣. Confitemini Domino in cithara : in psalterio decem chordarum psallite Deo. Alleluia.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Elevaverunt ad Dominum manus suas, P. Et dixerunt : Domine, Quadraginta sumus, quadraginta coronentur. ℣. Lauda Hierusalem Domi- B num : conlauda Deum tuum Sion. P. Et dixerunt. ℣. Gloria. et honor Patri. P. Et dixerunt.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Sanguinem Sanctorum requiram ego, dicit Dominus; P. Et habitabo cum eis in regno meo. Alleluia, alleluia. ℣. Fidelis Dominus in verbis suis : et sanctus in omnibus operibus suis. P. Et habitabo cum eis. ℣. Gloria, et honor. P. Et habitabo.

Hymnus. Sanctorum meritis. *Supplicatio.* Oremus. *fol.* CLXII.

Capitula. Tolle, Deus, gladium de manu diaboli persequentis; ut pax tua abundet in Sanctis : non sinatur amplius vulnerare tentator, quibus talia remedia voluit providere Salvator ; ut in domo pacis C inter filios pacis exclamemus e terris :

Pater noster. Liberati a malo.

Benedictio. Sanctorum suorum Quadraginta Martyrum vos Dominus muniat patrocinio, et expiet a peccato ; ℟. Amen. Illorum vos efficiat suffragatione felices, quorum nunc estis solemnitatibus obsequentes : ℟. Amen. Quo cum illis pariter mereamini cœlum, quorum in terra nunc celebratis triumphum. ℟. Amen.

Per.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Gaudium sempiternum. *fol.* CLXII.

DIE XIX JANUARII.

IN FESTO SANCTORUM SEBASTIANI, ET EJUS COMITUM.

Ad Vesperum.

D *Lauda.* Exortum est in tenebris lumen rectis corde : P. Misericors, et miserator, et justus Dominus. ℣. Directam fecit viam justorum : et præparavit iter Sanctorum. P. Misericors, etc.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

[CXCII] *Sono.* Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Alleluia. ℣. Visi sunt in oculis insipientium mori : et extimata est malitia exitus illorum : illi autem sunt in pace. Alleluia.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Justi epulentur, et exultent in conspectu Domini : P. Et delectentur in lætitia. ℣. Salus A autem justorum a Domino : et protector eorum est tempore tribulationis. *P.* Et delectentur. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et delectentur.

Dominus sit semper. P. Et cum.

Lauda Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos Alleluia : P. Et ex omnibus pressuris eorum liberavit eos. Alleluia, alleluia . ℣. Multæ tribulationes justorum : et de his omnibus liberavit eos Dominus. P. Et ex omnibus. ℣. Gloria, et honor. P. Et ex omnibus.

Hymnus.

Solemne festum ples benigna promite
Sebastiani martyris Sanctissimi,
Quo mundum linquens regna cœli possidet :
Omnes sonoro jubilo concinite,
Christoque vota corde puro reddite.

Hic litterarum clarus, et Christicola,
Et Mediolani indolis indigena,
Charus Tyranno erat : nam Principibus
Sub veste ad hoc mundiali militans,
Fidei ut digna mulceret alloquia.

Duo gemelli ac fideles milites
Marcelianus frater et Marcus pius,
Christi dum prona nomen mente colerent,
Multantur diro carcerali vinculo ;
Mox audiendi optimo Præsidi.

Ad hæc parentes, vel modestæ conjuges,
Mugitum dantes, ac petentes carcerem,
Cum blandimentis amicorum noxiis,
Natos demonstrant, ejulando flagitant ;
Non ut obire appetant, sed degere.

Inter parentum lachrymas vel conjugum,
Christi cœperunt milites mollescere,
Mentesque pœnæ ad dolores flectere :
Sed tunc eorum coram erat cœtibus
Sebastianus belliger fortissimus.

Mox quibus sese objiciens in medio,
Consulto cunctos instruens alloquio,
Mundique falsa esse lucra indicat ;
Cœlestis regni prædicans insignia,
Vitam finiri propter Christum imperat.

His dum Beatus aptius discerneret
Chorus, cum lumen radians ab æthere,
Sebastinaum afficit mox lucidum,
Et palliatus juvenis sub lumine,
Quo fertur eum imbui plenissime.

Ædes sunt intra acta hæc Nicostrati,
Cujusque prior Zoe uxor credidit,
Annos elingnis quæ bis ternos duxerat,
Effecta jussu eloquens tunc Martyris
Ejusque dicta rite prorsus insequi.

Nam se notabat Angelum prospicere
Sacrum tenere ante ipsium codicem,
Per quem digesta hauriebat singula :
Confestim omnes ad hoc credit clamitant,
Ablutionemque ocyus expostulant.

Sed semper cautus, atque dignus præsagus
Sebastianus, imperat Nicostratum,
Ut vinclis tenti traditi carceribus

Forent coacti; cum jam tunc credentibus
Baptisma cuncti consequantur aptius.
Quod rite factum credidit et Claudius
Natis cum charis, et cum chara conjuge:
Cum Polycarpus advocatus Presbyter,
Qui persequentum erat metu latitans,
Hic baptizandis nomen dare imperat.
Runc nomen dantes universi proprium,
Sexdena et octo utrorumque sexuum
Per eum tincti sunt pio in gurgite:
Et jam renati sub divina gratia,
Dies per decem læta psallunt cantica.
Romæ Præfectus urbis sed Cromatius
Ad sciscitandum vocat sic Tranquillinum.
Qui de natorum diceret arbitrio;
Fidemque Christi illi plene intimans,
Ipsum credendo sese natum indicat.
Cujus edoctus sospitate arbiter,
Venire Sanctos illico clam præcipit:
Venalem pensans esse Christi gratiam,
Despondet auri infinita pondera,
Artus mederi languidos expostulat.
Non hoc potiri distragendo opines,
Nisi Christum credas prius, Sancti inquiunt:
Tuo medela erit nulla corpori;
Adest ipse, vocet statim Præses credere,
Adempta omni pectoris formidine.
Sed mox beatior cernit eum commode,
Deorum ficta prius monstra frangere,
Culturam nempe noxiam omnem pellere,
Cunctis delictis abnuere protinus:
Quod ut agatur, optat ille promptior.
At tunc cœperunt Martyres conterere
Delubra vana operis mechanici:
Decorus adstat juvenis Cromatio,
Qui cuncta curat, solvit, et podagricos
Nodos superno protinus calathico.
Sebastiani provido consilio
Tunc ægrotari æmulat Cromatius:
[CXCIII] Præfectus rei alter ait publicæ;
Abjecta mundi istius ut dispendia,
Futura vitæ rudimenta capiant.
Credit cum patre dulcis et Tiburtius,
Omnisque credit propria familia,
Quater et dena centies promiscua
Sacro abluta lavacro discrimina,
Charismatumque consequuntur gratiam.
Antestari magnum galustum potissimum,
Sanctos tuendo qui colligit Cromaticos
Sacris præceptis, propriis in ædibus;
Quos ille omnes sic fovet et commovet.
Ut pompa nullum sæcularis occupet.
Furor sed quia ingruit tyrannidis.
Hoc nulla potest ratione contegi,
Ex sacro scripto jussus et Cromatius,
Causa ut medendi jongius ab oppido
Suo, adiret cum suis commercio.
Sanctos utrosque tunc monet intentio
Sebastianum, Polycarpum sanctumque,
A Ut quis de illis iret cum euntibus;
Sed ambo quærunt passionis bravium:
In urbe ambo residere ambiunt.
Sumus sed Papas Polycarpus commonet,
Ut adquisitam plebem nollet linquere,
Novellam Christi rore ubi inriget:
Mox conticescens sacer ad hoc senior,
Blandumque vatis annuit imperium:
Tunc apud Papam remanere Martyres
Marcellianum, Marcum, Tranquillinumque,
Tiburtium, Castolium, Nicostratum;
Cum fratre vero Claudio, vel filio
Sebastianum et Zoe sanctissimam:
Hos autem ipse sancta in Ecclesia
Christo ministros rite omnes consecrat,
B Explentque sacra vegeti mysteria:
Pollent diverse singuli officiis,
Et prærogata sanitatum gratia.
Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honorque summus et potestas inclyta;
Quæ Trinitas Pater, Patrisque Filius
Cum Spiritu, unus Deus substantia
Per cuncta regnat sæculorum sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus. *mutatis nominibus. folio* CLXVII.

Capitula. Alumni tui, Christe, solemne adest Sebastiani festum militis almi; qui nobis recuperandæ spei suffragia præbet, et cœlestis vitæ alimonia fovet; qui dum format devios, perlustrat dogmate in C doctos sublimis aulæ terrenæ; sublimi curiæ cœli attrahat nos illuc prece, ubi tecum perpetim gaudet: et quibus agonizantibus palmiferum de hoste tulit triumphum, cum eis nos apud te foveat patrocinio indefeso; quem nos orare, et dicere:

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Sebastiani martyris nos Dominus suffragio servet, qui illum cum sociis evehit poli ad sedem: ℟. Amen. Et qui, illo orante, os quondam obstructum reseravit Zoe, aperiat os vestrum in confessionibus laudis suæ; ℟. Amen. Ut flagrantes fide, et fulti bonorum opere, ovantes mereamini regna cœlestia obtinere. ℟. Amen.

Per.

Lauda. Gaudium sempiternum. *fol.* CLXXVI. *Oratio.* Ecce lætatur in te Domine. *Antiphona.* Da nobis D lætitiam salutaris tui. *Psalmus* L. *Require infra in Matutinis de isto festo Oratio.* Redde nobis Domine lætitiam. *Require fol.* CLXIII.

Antiphona. 1. Exultabunt Sancti in gloria: P. Lætabuntur in cubilibus suis. ℣. Beata gens, cujus est Dominus, Deus ejus; populus, quem elegit Dominus in hereditatem sibi. P. et lætabuntur. ℣. Gloria. et honor. P. Et lætabuntur.

Oratio. Exultare Sanctos in gloria, et lætari in cubilibus suis, divino Spiritu ac prophetica voce prædictum est: Nos igitur sancti Sebastiani patrocinio cohærentes, in laudem beatissimi hujus Martyris matutina oratione vota solvamus; quos divino

munere coronatos, tenebrosa morte desertos, filios A lucis eloquia Divinitatis testantur. ℟. Amen.

Per.

Antiphona. 2. Lætamini in Domino, et exultate justi, P. Et gloriamini omnes recti corde. ℣. Gaudete justi in Domino : rectos decet conlaudatio. P. Et gloriamini. ℣. Gloria. P. Et gloriamini.

Oratio. Ecce lætatur in te, Domine, martyr tuus Sebastianus ; et in te gloriatur, quia a te coronatur : Petimus ergo te, Domine Deus, quantis possumus precibus : ut quia ejus hodierna die festa solemnia celebramus, nostrorum veniam delictorum consequi mereamur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. 3. Exultationes Dei in faucibus Sanctorum. P. Gloria hæc est omnibus Sanctis [CXCIV] B Alleluia, alleluia. ℣. Vox lætitiæ et salutaris in tabernaculis justorum. P. Gloria hæc est. ℣. Gloria, et honor. P. Gloria hæc.

Oratio. Exultationes tuæ, Domine, in faucibus famuli tui Sebastiani martyris; dum in te gloriatur, in te quoque lætatur : ut, qui pro Domino mirificus extitit triumphator, pro servis existat magnificus intercessor. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Exultabunt Sancti cum fiducia ; P. et gaudentes, festinabunt videre faciem Dei, cui servierunt, et a quo incipiunt gloriosi mercedem recipere. ℣. Exultabunt Sancti in gloria : et lætabuntur in cubilibus suis. P. Et gaudentes. ℣. Gloria, et honor. P. Et gaudentes.

C *Oratio.* Charitas inclyta, spes certa, fides integra, Domine Deus noster ; præsta, ut dum tibi novum canticum decantamus, veteris malitiæ a fermento purgemur : ut, dum in tua laude gloriamur, peccatorum nostrorum onere non premamur : atque ita suffragantibus sanctis tuis Sebastiano et ejus Comitibus martyribus, potentiam tuam pio concinamus affectu, ut clementiæ tuæ assiduum mereamur adipisci præsidium. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum Antiphona. Diligentes te Domine. *Canticum.* Qui sponte obtulistis. *Ad Benedictus Antiphona.* Sancti et humiles corde. *Canticum.* Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum. *Fol.* 6. D *Sono.* Via justorum. *fol.* CLXVII. *Lauda.* Laudate Dominum de cœlis : Alleluia *Psalmus.* CXVIII. *Prophetia.* Justorum animæ in manu Dei sunt. *Require fol.* CLXVII.

Hymnus.

Jam nunc ad illum properare convenit.
Quia passionis tempus arguet inmane
Apostolorum namque natalitio
Zoe beata dum oraret, promptior
Celso per sontem tradidit spiritum.
Dies deductos octo post, Tranquillinus
Pauli ad aulam orans, nihilominus
Diro est hic tunc dilapidatus saxo,
Vasto dimersum corpus et in flumine ;
Mens vero efflat arduo in sidere :
Horum protinus requirentes corpora
Nicostratus et Claudius cum sobole
Diebus tenti decem, cum Castorio
Mersi marinis amnibus in fluctibus,
Explerunt dignum passionis præmium.
Torquatus Sanctis fraudulenter nectitur,
Commento cujus capitur Tiburtius
Affectu sævo, atque diro vindice ;
Quem et mucrone imperavit plectere,
Christoque fortem consecravit Martyrem.
Sanctorum hospes Castulus Zetarius
Captus est; Christi Martyr mox efficitur :
Postquam deinde verberati lanceis
Marcellianus sanctus et Marcus probus,
Sic laureati fundunt cœlo spiritum.
Togam Deo post acquisitam candidam,
Pulcer ut gregem pastor Christo traditum
Sebastianus, pædagogus optimus
Insidiatur ; per crudeles vincitur,
Ac servis ductus principum obtutibus :
Quem jam, Tyrannus imperat mox impius
Duci in campum, et sagittis insui :
Sed Christi postea sanatus gratia,
Inter flagella demum vitam terminans,
Arcem sacratam evolat in æthera.
Adesto nunc beate jam precantibus
Sebastiane ; jam tuere servulos
Sancto cum illo comitatu proprio :
Dimitte culpam, atque præsta veniam ;
Quo omnes fruamur gaudio cœlesti.
Fraterna Clerum charitas conglutinet :
Nullum simultas a caterva disgreget :
Fucus, rubigo, luxus, avaritia
Abscedat ; omnis impia conventio :
Christum ut mente semper pure ambiant.
Jugum, quo gens impie nunc nos comprimit,
Tuo depelle adjumento gratiæ ;
Hostis nec morbus adsit, vel penuria :
Adversa cuncta ocyus effugiant :
Pax sit perennis, functis quies placita.
Non nos in ira Judex tunc corripiat,
Cum terror ejus fulserit in gloria :
Nec ignis vorax mancipandos adprobet ;
Sed te sequentes prævium potissimum
Sanctorum simus compotes consortio.
Præsta, oramus, Trinitas indifferens
Desiderata tibi confitentibus ;
Qui solus nomen Deitatis obtinens
Pater cum Verbo, atque Sancto Spiritu,
In Trinitate regnans in perpetuum.
Amen.

Supplicatio. Oremus. *Mutatis nominibus. folio.* CLXII.

[CXCV] *Capitula.* Gloriosa est palma victoriæ sanctorum tuorum Sebastiani et ejus Comitum martyrum Domine ; quia quanta virtus est in meritis, tanta patienta probatur in factis : caro cecidit, mundus

erubuit, persecutor expavit; et quibus fuit in pœna vitæ, facta est in morte victoria. Te igitur, omnipotens Deus, rogamus, ut interventu eorum nobis non negetur omnium peccatorum.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Gaudium sempiternum. *fol.* CLXII.

Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Benedictio. Benedicat vos omnipotens Dominus sanctorum martyrum Sebastiani et ejus Comitum passione lætantes. ℟. Amen. Tribuat vobis omnimodæ benedictionis plenitudinem, quibus condere dignatus est legem; ℟. Amen. Ut et omnipotenti Deo laudis sacrificium offeratis, et vos indesinentes invicem exhibeatis officium charitatis. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius et, etc.

In festo S. Luciani Prœsbyteri et Martyris omnia dicantur unius Martyris novem lectionum, folio CLX, *prœter Capitula, et Benedictiones de Vesperis; et Capitula de Matutinis, quæ ut sequuntur.*

Capitula. Beatissimi martyris sui Luciani Præsbyteri agonem, divina virtute perfectum, votis solemnibus, fratres dilectissimi, celebremus, ut qui triumphalem palmam per fidei munimenta, Christo opitulante, promeruit obtinere, patrocinii sui nobis intercessum apud eum, cujus jam præsentia gratultur, dignetur impendere: et ipse nobis peccatorum tribuat veniam, qui eidem contulit immortalitatis coronam.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui martyri suo Luciano Presbytero patiendi contulit votum, patientiam vobis tribuat contra omnes inlæcebras vitiorum: ℟. Amen. Et qui illi donavit, peracta passione, coronam, vobis conferat, peracto luctamine mundi, gaudia repromissa: ℟. Amen. Ut qui in hoc die tanti Martyris ovantes solemnia celebratis, cum eodem post transitum conlocari in cœlestibus sedibus gaudeatis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Matutinum, Capitula. Cum ex lege tua, Domine, noverimus in memoria æterna esse justum, non pro illius, sed pro nostri commendatione hoc tibi offerimus holocaustum; petentes, ut qui ejus animam fecisti in passione victricem, nostrum votum efficias in confessione victorem; quo, eodem suffragante, clamorem nostræ accipias vocis:

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

DIE XX JANUARII.

IN FESTO SANCTARUM AGNETIS ET EMERENTIANÆ VIRGINUM.

Ad Vesperum.

Lauda. Laudaverunt te Domine omnes Angeli tui.

Sono. Alleluia. Justitia plena et dextera tua.

Antiphona. Ecce istæ religiosæ feminæ. *Lauda.* Filiæ tuæ Hierusalem in latere surgent. *Quœre folio* CLXXXII.

Hymnus.

Agnæ sepulchrum est Romulea in domo
Fortis puellæ, Martyris inclytæ:
Conspectu in ipso condita turrium
Servat salutem Virgo Quiritium.

Duplex corona est præstita Martyri,
Intacta ab omni crimine Virgo:
Mortis deinde gloriosa libera,
Ultro offerens se, nec renuens mori.

Ut vidit Agnes stare trucem virum
Mucrone nudo, lætior hæc ait:
Jam te sequentem, Christe, animam voca
Cum virginali tunc Patris hostia.

Sic fata Christum vertice cernuo
Supplex adorat; vulnus ut imminens
Cervix subiret prona paratius,
Ast ille tantam spem peragit manu.

Cœlestis arcis nobilis incola,
Intende nostris conluvionibus
Vultu, gemello cum diademate;
Cui posse soli cuncti Parens dedit.

Sit Trinitati gloria unicæ,
Virtus, potestas, summa potentia,
Regnum retentans; qui Deus unus est
Per cuncta semper sæcula sæculis.

Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi. *fol.* CLXXXII. *Mutatis nominibus.*

[CXCVI) *Capitula.* Adesto, Domine, tibi supplicantibus; et invocantibus nomen sanctum tuum, occurre placatus: atque interventu sanctarum Agnetis et Emerentianæ virginum et martyrum erectos, ac redemptos, in sæcula gaudere concede: ut calicis permixti, cujus nos effusione redemptos fatemur, ipsius transformatione ab hac ignobilitate ad æternam gloriam perducas.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui virgines suas Agnetem et Emerentianam casto sibi desponsavit amore, indissolubiliter vos sibi suam charitatem adsociet; ℟. Amen. Quique in illis virginitatis contulit donum, conferat in vobis suæ gratiæ complementum. ℟. Amen. Ut qui virginitatis decore non claretis, ex meritis Virginum potiamini gaudiis. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri, etc.

Lauda. Exaltatæ sunt filiæ Hierusalem; P. Et proccesserunt in gloria. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Lætetur mons Syon, et exultent filiæ Judæ, propter judicia tua Domine. P. Et processerunt. ℣. Gloria, et honor. P. Et processerunt.

Oratio. Deus, qui harum virginum tuarum Agnetis et Emerentianæ non terrenos, sed divinos esse fructus enuncias; fac nos harum obtentu, non terrena sapere, sed mundato corde cœlestia præstolari: ut qui harum Virginum devote incolimus festum, a nostrorum criminum sordibus expiemur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

In nomine Domini nostri.

Ad Matutinum. A

*Antiphona.*Da nobis lætitiam.*Psalmus* L. *Oratio*. Redde nobis Domine lætitiam. *folio* CLXIII.

Antiphona 1. Inluxit in cordibus nostri Dominus, qui dixit de tenebris lumen P. Splendescere, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei,in faciem Jesu Christi. ℣. Præoccupemus faciem ejus in confessione : et in psalmis jubilemus ei. P. Splendescere. ℣. Gloria, et honor. P. Splendescere.

Oratio. Deus, qui in cordibus harum virginum Agnetis et Emerentianæ martyrum inlucescens,fecisti de tenebris lumen splendescere : ut quæ vitiatæ fuerant per naturam,essent illuminatæ per gratiam ; inlucesce in cordibus nostris ad emolumentum æternæ salutis: ut caligine nostrorum vitiorum detersa, sola nos lucis tuæ claritas sempiterna possideat, B
℞. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Nos omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes,in ejusdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam Domini spiritu. Non ambulamus P. In astutia, neque adulteremur verbum Dei, sed in manifestatione veritatis.℣.Cantate Domino canticum novum: bene psallite in jubilatione. P. In astutia. ℣. Gloria, et honor Patri. P. In astutia.

Oratio. Revelata facie, tuam, Christe Domine, gloriam speculantes, rogamus, atque exposcimus, ut a claritate spei in claritatem illius perfectæ rei, mereamur perfectius transformari : ut sicut hæ virgines tuæ Agnes et Emerentiana de virtute passio- C
nis in virtutem æternitatis proficientes,tamquam a claritate in claritatem translatæ sunt ; ita nos et in hac spe,qua consistimus, beate vivamus : et dum de hac vita ad illam pervenerimus, tecum sine fine regnemus. ℞. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Audite me divini fructus, et benedicite Domino, P. Et confitemini illi in voce labiorum nostrorum, et dicite. Alleluia, alleluia. ℣. Cantate, et psallite illi : narrate omnia mirabilia ejus. P. Et confitemini illi. ℣. Gloria et honor Patri. P. Et confitemini illi.

Oratio. Deus qui harum virginum tuorum Agnetis, etc. *Quære retro in Vesperis de isto festo.*

℞.Simile est regnum cælorum decem virginibus, D
quæ accipientes lampades suas, exierunt sponso in obviam. P. Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias : et clausa est janua. ℣. Media nocte clamor factus est : onsus venit,exite obviam ei. P. Et quæ paratæ erant. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et quæ paratæ.

Oratio. Fac nos, Domine Jesu Christe, ut oleum lætitiæ in vasis conscientiæ pura mentis integritate servemus : quo,dum clamor factus fuerit,tibi sponso venienti ad judicium obviam exeamus, non cum fatuis, sed cum prudentibus Virginibus, coronanti [CXCVII] adnumeremur. ℞. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster, et, etc.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Diligentes te Domine, sicut sol in ortu suo resplendens : ita rutilant.

Canticum. Qui sponte obtulistis. *fol.* CLXIII.

Ad Benedictus.Antiphona. Benedicimus te Domine,qui sedes super Cherubim,Rex Israel.*Canticum.* Benedictus es Domine. *fol.* 6 *Sono.* Alleluia. Justitia est plena. *Lauda.* Laudate Dominum de cælis *Prophetia.* Audite me divini fructus. *fol.* CLXXXIII.

Hymnus.

Necnon et ipsos protegit advenas
Puro ac fideli pectore supplices ;
Duplex corona est præstita Martyri.
Intactum ab omni crimine virginali
Mortis deinde gloria liberæ.
Ajunt maritali vix habilem thoro
Primis in annis fore puellulam
Christi calentem fortiter Impii
Jussis renisam : quominus idolis
Addicta, sacram desereret fidem.
Tentata binis nam prius artibus,
Nunc ore blandi judicis inlici :
Nunc sævientis carnificis minis
Stabat feroci robore pertinax ;
Corpusque duris excruciatibus
Ultro offerebat, non renuens mori.
Tunc atrox tyrannus, si facile est, ait,
Pœnam subactis ferre doloribus,
Et vita vilis spernitur : at pudor ejus
Dicatæ virginitatis impetendus est.
Hanc in lupanar tradere publicum
Certum est : ad aram ni caput applicet,
Ac de Minerva jam veniam roget ;
Quam virgo pergit temnere virginem :
Omnis juventus irruet, et novum
Ludibriorum mancipium petet.
Haud (inquit Agnes) immemor est ita
Christus suorum, perdat, ut aureum
Nobis pudorem ? nos quoque deserat ?
Præsto et pudicis ; nec patitur sacræ
Integritatis munera pollui.
Ferro, impia soboles, potes servire :
Non inquinabis membra libidine.
Sic elocutam publicitus jubet,
Flexam in plateas sistere virginem :
Stantem refugit mœsta frequentia
Aversa vultus, ne petulantius
Quisquam verendum conspiceret locum.
Intendit unus, forte procaciter.
Os in puellam, nec trepidat sacram.
Spectare formam lumine lubrico.
Gehennalis ignis flaminis in modum
Vibratur ardens, atque oculo ferit :
Cœcus corusco lumine corruit,
Atque in plateæ pulvere palpitat.
Tollunt sodales seminecem solo,
Verbisque deflent exequialibus :
Ibat triumphans virgo, Deum Patrem
Christumque sacro carmine concinens,

Quod sub profani labe periculi
Castum lupanar nec violabile
Aspecta victrix virginitas foret.
Sunt qui rogatam retulerint preces,
Fudisse Christo, redderet ut reo
Lucem jacenti ; tum invenit halitum.
Vitæ innovatum usibus integris
Primum : sed Agnes hunc habuit gradum :
Cœlestis aulæ mox alius datur.
Accensus iram, non furor incitat,
Hostis cruentus, vincor, ait, gemens :
Stringe ferrum miles, et exere
Præcepta summi regia Principis.
Ut vidit Agnes, stare trucem virum :
Mucrone nudo, lætitior hæc ait :
Exulto talis quod potius venit,
Vesanus, atrox, turbidus armiger,
Quam si veniret languidus ac tener,
Mollisque Ephœbus tinctus aromate,
Qui me pudoris funere perderet.
Hic hic amator, jam fateor, placet :
Ibo irruentis gressibus obviam,
Nec demorabor vota calentia,
Ferrum in papillas omne recepero,
Pectusque adimet vim, gladii traham ;
Sic nupta Christo transiliam poli :
Omnes tenebras, æthere celsior.
Æterne Rector divide januas
Cœli obseratas terrigenis prius,
Ac te sequentem, Christe, animam voca
Cum virginali tunc Patris hostia.
Sic fata, Christum vertice cernuo
Supplex adorat ; vulnus ut imminens
Cervix subiret prona paratius.
Ast ille tantam spem peragit manu.
Uno sub ictu, nam caput amputat,
Sensum doloris mors cita prævenit :
Exutus inde spiritus emicat ;
Liberque in auras exilit, Angeli
Sepsere euntem tramite candido.
Miratur orbem sub pedibus situm :
Spectat tenebras ardua subditas ;
Ridetque solis quod rota circuit ;
[cxcviii] Quod mundus omnis volvit et im- [plicat
Rerum quod atro turbine vivitur,
Quod vana sæcli mobilitas rapit
Reges, tyrannos, imperia, et gradus,
Pompasque honorum stulte tumentium,
Argenti et auri vim rabidam sitim,
Cunctis petitam per varium nefas,
Splendore multo structa habitacula,
Illusa pictæ vestis inania,
Irati, mortem, vota, pericula,
Nunc triste longum, nunc breve gaudium,
Livoris atri fumificas faces,
Nigrescit unde spes hominum et decus :
Et quod malorum tetrius omnium est,
Gentilitatis sordida nubila
Hæc calcat Agnes, ac pede proculcat,
A Stans, et draconis calce premens caput ;
Terrena mundi, qui ferus omnia
Spargit venenis, mergit et inferis.
Nunc virginali perdomitus solo
Cristas Cerberi deprimit ignei ;
Nec victus audet tollere verticem :
Cingit coronis interea Deus
Frontem duabus Martyris innubæ ;
Una decemplex edita sexies
Merces perenni lumine conficit ;
Centenus extat fructus in altera.
O virgo felix, o nova gloria
Castum vel ipsum redde fornicem :
Purga jam corda propitiabili
Fulgore, nostrum si jecur impleas,
B Nil non pudicum est, quam pia viscera.
Digneris almo vel pede tangere
Quæ tibi vota plebs pia dedicat ;
Et a delictis servulos expia,
Quos tua cernis gaudia psallere.
Sursum volatu pernici volitans,
Mitte deorsum gaudia populis,
Qui tui psallunt munere cives,
Dans nobis cunctis vivere sæculis.
Sit Trinitati gloriæ unicæ,
Virtus, potestas, summa potentia ;
Regnum retentans, qui Deus unus est
Per cuncta semper sæcula sæclorum.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem. *Matutinis* C *nominibus. fol.* CLXXXII.

Capitula. Omnipotens Deus, qui bonitate inenarrabili redimis omnia ; interventu sanctarum virginum Agnetis et Emerentianæ orationi nostræ aurem tuæ pietatis inclina ; et contra invisibilis hostis amarissima tela, victricia nobis protectionis, ac fidelia porrige arma : ut qui altitudinem cordis nostri ad excelsa solii tui dirigimus, a conventu malignantium in hac humilitate terrarum veræ fidei protectione salvemur, piissime.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Exaltatæ sunt filiæ Hierusalem ; P. Et processerunt in gloria. Alleluia, alleluia. ℣. Lætetur mons Sion, exultent filiæ Judæ, propter judicia tua Domine. P. Et processerunt. ℣. Gloria, et honor. P. Et processerunt.

D *Benedictio*. Dominus Jesus Christus, qui virgines suas Agnetem et Emerentianam casto sibi servavit pudore, castitatis nos dono munificet: ℣. Amen. El qui illas subarrhavit sibi annulo fidei, nos suæ connectet indissolubiliter charitati ; ℟. Amen. Ut eas pro nobis suffragatrices admittat quas sibi incorrupto amore assumpsit sponsas. ℟. Amen.

Per misericordiam.

DIE XXI JANUARII.

IN SANCTORUM FRUCTUOSI, AUGURII, ET EULOGII.

Ad Vesperum. Lauda. Exortum est. *Quære fol.* CLXII.

Sono. Dum succenderetur fornax, præparati sunt

Ananias, Azarias, et Misael ad comburendum : et ingressi in ignem sic, satiabuntur ardore flammæ: Angelus enim Dei stetit in medio, vento roris flante: intelligite, arguite, ℣. Tunc pueri lætantes canebant : P. Deus omnipotens, terribilis, et metuendus in sæcula. Amen : alleluia. ℣. Tres pueri jussu regis in fornacem missi sunt : non verentes flammam ignis tamquam ex uno rore canebant : Deus omnipotens, terribilis, et metuendus in sæcula amen: alleluia. ℣. Tunc illi tres tamquam ex uno ore hymnum canebant, et benedicebant, et magnificabant Dominum de camino ignis ardentis, dicebantque : Deus omnipotens, terribilis, et metuendus in sæcula amen : alleluia.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Ut aurum igne probati Sancti, P. Et quasi hostia holocausti accepti sunt in conspectu Dei sui. ℣. Justi vero hereditate possidebunt terram : et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam. P. Et quasi hostia . [CXCIX] ℣. Gloria, et honor P. Et quasi hostia.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Columnam ignis ducem habuerunt itineris Alleluia, *P.* Per quam ostendit Deus lucem eis : Alleluia, alleluia : ℣. Expandit nubem in protectiodem eorum, et ignem ut luceret eis per noctem. P. Per quam ostendit. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Per quam ostendit.

Hymnus.

O triplex honor, o triforme culmen,
Quo nostræ caput excitatur urbis,
Cunctis urbibus eminens Iberis,
Quorum præsidio fovemur omnes.
Circumstans Chorus ex utroque sexu,
Vestrum psallite rite Fructuosum :
Laudans Augurium resultet hymnus,
Mixtis Eulogium modis coæquans.
Ii inter rapidos focos crepantes
Intrant passibus, et minantur ipsi
Flammarum crepitantibus caminis ;
Quos olim fugiet perennis ignis.
Felices animæ, quibus per ignem
Celsa scandere contigit Tonantis !
Cunctis pro populis rogate Christum,
Ut nos Tartareo tegat ab igne.
Æterno Genitori Gloria, Christo
Semper genito, sit tibi semper
Compar Spiritui ; qui Deus unus
Polles perpetuis inclyte sæculis.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem. *Mutatis nominibus. Quære fol.* CLXII.

Capitula. Probata satis est, Domine, tuorum trium vita et festa Sanctorum, ut auri fulgidum radiantis metallum : quorum fidem, dum probabili camino examinas, laudabili judicio tibi placituram adsignas; Habes ergo in tribus bis manipulis Sacerdotum, quos ad te mater nostra misit Ecclesia, discreta quidem ordinum, sed veneranda officia Sacerdotum : In

A Fructuoso siquidem Pontificalis gratia fulgens ; In Augurio, et Eulogio Leviticæ dignitatis ministerium clarens : Nostra ergo vota ii tuis obtutibus sanctificanda insinuent : ille, ut pro te more Sacerdotii consecranda perornet ; horum ministerio calicem salutarem sumamus ad vitam ; illius invocatione sanctificati perducamur ad gloriam.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus, Dei Filius, qui tribus Pueris in camino positis, quartum se dignatus est demonstrare, gratia vos suæ visionis inluminet ; ℟. Amen. Et qui Fructuosum cum suis Diaconibus sacerdotem inter crepantes ignes calore amoris sui non est passus extingui, nullo vos tentationum igne patiatur aduri : ℟. Amen, ut refectionem, quam illi post

B ignes sæculi præcipere meruerunt, et vos post vitæ hujus excursum capiatis in regione viventium. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius.

Lauda. Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos Alleluia : *P.* Et ex omnibus pressuris eorum liberavit eos. Alleluia, alleluia. ℣. Multæ tribulationes justorum : et de his omnibus liberavit eos Dominus. *P.* Et ex omnibus. ℣. Gloria, et honor. *P.* Et ex omnibus.

Oratio. Mira satis, Domine, tuorum trium est constantia Sacerdotum, Fructuosi videlicet Episcopi, Augurii et Eulogii Levitarum : quorum unita, nec divisa devotio, dum succensione fornacis præparantur ad comburendum, constanter persistunt in com-

C bustione viriliter, plus calentes amore tuo, quam devicti incendio alieno : cum, etsi corpora cedunt flammis, victrices animæ rapiuntur in æthera ; Da ergo nobis, eorum meritis a tentationum igne non tangi, ab æternis ardoribus erui, et post excursum sæculi, ignitis tibi desideriis copulari. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

In nomine Domini nostri Jesu Christi.

Ad Matutinum.

Antiphona. Da nobis lætitiam salutaris. *Psalmus* L. *Oratio.* Redde nobis, Domine, lætitiam. *Quære. fol.* CLXIII.

Antiphona 1. Dum succenderetur fornax, præparati sunt Ananias, Azarias, Misael ad comburendum : et ingressi in ignem, tunc deambulabant per medium

D flammæ : Angelus enim Dei stetit in medio, vento roris flante non tetigit eos ignis : sic pueri lætantes canebant : P. Deus omnipotens, terribilis, et metuendus in sæcula amen, benedicimus te. ℣. Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. P. Deus omnipotens. ℣. Gloria, et honor. P. Deus omnipotens.

[CC] *Oratio.* Mira satis, Domine, tuorum. *Quære retro in Vesperis præcedentibus.*

Antiphona. 2. Hi tres missi sunt in medium fornacis conligati, et deambulabant per medium flammæ, P. Et odor ignis non fuit in illis, et aspectus quarti similis Filio Dei. ℣. Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus : populus, quem elegit Dominus, in here-

ditatem sibi. P. Et odor ignis. ℣. Gloria. P. Et odor.

Oratio. Hi tres pro tuo nomine in fornacis medio constituti, quæsumus, Domine, mereamur pro nobis in camino sæculi consistentibus exaudiri ; ut odor ignis, qui vitiorum fomento nutritur, nullo modo se nobis adtigisse lætemur : qualiter aspectus tui gloria inter flammas sæculi recreati, a lapsu criminum et absoluti reperiamur, et liberi. ℟. Amen.

Per misericordiam, etc.

Antiphona 3. Tres pueri jussu regis in fornace missi sunt : non verentes flammam ignis dicebant : Benedictus es. P. Hi tres, quasi ex uno ore laudabant de camino ignis, dicebant : Alleluia. ℣. Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur : et de necessitatibus eorum liberavit eos. P. Hi tres. ℣. Gloria. P. Hi tres.

Oratio. Tres pueri, Babylonico camino probati, laudis tibi hostiam, Christe Domine, inter ignes positi cecinerunt, quibus plus virtute tua calentibus non potuit nocere ignis admotus : Erue ergo nos de ignibus vitiorum, et succende vapore virtutum : ut, præcalidi charitatis tuæ incendio, victoriam mereamur ferre de mundo. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Hæc dicit Dominus : Visitabo sanctos meos in medio ignis, et e medio flammæ liberabo eos, et dabo eis regnum P. In æternum et in sæculum sæculi. ℣. Exultabunt sancti in gloria : lætabuntur in cubilibus suis. P. In æternum. ℣. Et dabo opus eorum in veritate, et fœdus perpetuum feciam eis. P. In æternum. ℣. Gloria, et honor. P. In æternum.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui Sanctos tuos in medio ignis visitare dignatus es, dum de medio flammæ eos coronandos adsumis, quos viriliter pro te certantes martyrium peregisse cognoscis ; erue vitam nostram a camino facinorum, et visita nos consolationibus gratiarum : ut cum his tribus Martyribus mereamur habere in cœlestibus partem, quibus non passione, sed fide dignoscimur consortes effici. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 1. Ananias, Azarias, Misael, benedicite Deo, P. Qui vos liberavit de camino ignis ardentis. ℣. Exultate Deo adjutori nostro : jubilate Deo Jacob. P. Qui vos liberavit. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Qui vos liberavit.

Oratio. Ananias, Azarias, Misael, tres illi pueri Babylonico igne probati, magnum specimen Sanctis, Domine, martyribus præbuerunt, quibus exemplum præbuit eorum veneranda victoria : In illis quidem ignis aufugit, ne morerentur ; in istis admissus est, ut coronarentur : dum et in illis, nec dum tempore passionis alto, pœnalis ignis non potuit corpora sacrata contingere ; et in istis, tempore accepto, quo Christo moriente via jam paradisi aperta consisteret, applicita igni tunc corpora extingueret, quando jam Beatis aperta paradisi janua esset : Benedicimus ergo te Deum, qui et illos liberasti a flammis, et istos coronasti post flammas : qui et pro liberandis illis ignes adspargis ; et pro adsumendis istis ignes admittis : Da ergo nobis, utrorumque exemplis atque suffragiis, ut sic liberemur a vitiorum carnalium igne ; ut ignita eloquiorum tuorum concremati dulcedine, ad te mereamur pervenire in pace. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Ananias, Azarias et Misael servi Dei excelsi. P. Magnus est Dominus, qui de igne liberavit nos. ℣. Confitemini Domino, quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus. P. Magnus est. ℣. Gloria, et honor. P. Magnus.

Oratio. O beatissimi Martyres Christi, servi Dei excelsi : magnus est Dominus, qui de igne non vos ad hoc liberare voluit, ut vita in nobis sæculi permaneret : Qui ergo inter calores ignium vitam meruisti perpetuam, nos inter vapores sæculi prece operite continua. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. 3. Ananias, Azarias, et Misael timentes Dominum, qui eruit eos de medio ardentis flammæ, P. Canebant : Alleluia de excelso.[CCI] ℣. Exaltent eum in Ecclesia plebis : et in catedra seniorum laudent eum. P. Canebant alleluia. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Canebant alleluia.

Oratio. Ecce, ad instar trium illorum Puerorum, hi quoque Martyres tui, in ignes sæculi positi, et in camino pro tuo nomine constituti, simili te, Domine, devotionis more conlaudant ; et illi quidem, timentes te Dominum, canticum tibi concinunt gloriæ, qui erueras eos de medio ardentis flammæ : hi vero, non ut ab igne non contingantur, concinentes laudum offerunt precem, sed ut a te per ignis supplicia coronentur, hymnum tibi defecerunt conscientiæ libertate : Da ergo nobis, ut cursum vitæ nostræ in pace ducentes, et ab ardoribus libidinum liberi, et a futuris mereamur suppliciis liberari. ℟. Amen.

Per.

℟. Sancti, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, extinxerunt impetum ignis, fugaverunt aciem gladii, P. Fortes facti sunt in bello, ℣. Steterunt contra hostes, et de inimicis se vindicaverunt. P. Fortes. ℣. Gloria, etc. P. Fortes.

Oratio. Admirabile satis est, Domine, Christianæ Fidei sacramentum, per quod Martyres tui regna vicerunt, justitiam operati sunt, ignisque impetum extinxerunt : Fac nos ergo, ad instar illorum simili fidei calore fervescere : ut dum fortes extiterimus mundano in bello, æterno mereamr munerari de præmio. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 1. Notum tibi facimus, rex, quia non colimus deos tuos, et simulacra, quæ constituisti, non adoramus. P. Habemus enim in cœlis Deum, qui de manibus tuis, rex, potens est liberare nos. ℣. Da nobis auxilium, Deus, in tribulatione : et

vana salus hominis. P. Habemus. ℣. Gloria. P. Habemus.

Oratio. Domine Jesu Christe, quem Martyres tui in Cœlis se habere Deum professi sunt, qui de manibus persecutoris eos posses eripere, dum falsorum deorum simulacra contemnerent adorare : fac, nos te semper in veritate diligere, teque etiam fideliter adorare; ut, omnimoda simulacrorum superstitione devicta, placita tibi Martyrum tuorum imitantes sequamur vestigia. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Ignem, quem tu rex minaris nobis, Deus in cœlo potens est liberare nos ex eo. P. Quod si noluerit, scito, quia non sacrificamus idolis. ℣. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion : non commovebuntur in æternum, qui habitantin Hierusalem. P. Quod si noluerit. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Quod si noluerit.

Oratio. Ignis, qui Sanctis tuis, Domine, a persequentibus non solum minatus, sed et præparatus est ad comburendum, mirabile illis adtulit vincendi compendium : dum ipsa acceleratio pœnæ citatim eos dirigit ad consummationem victoriæ : ut per hoc quod cito flammis adusti sunt, per hoc quamtotius gradum coronæ scandere promerentur : Quæsumus ergo, ut meritis Martyrum tuorum futurus ille ignis, impiorum cruciatibus præparatus, in nullo nos adtingere audeat; sed, Deitatis tuæ vexillo potentia liberati, sceptrum mereamur cœlestis percipere regni. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Tamquam aurum in fornace probavit justos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos : P. Et invenit dignos se. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Et eduxit eos in viam rectam; ut irent in civitatem habitationis. P. Et invenit. ℣. Gloria, etc. P. Et invenit.

Oratio. Unigenitus Dei Filius, qui Justos tuos tamquam aurum fornacis igne examinas; cordium nostrorum, quæsumus, vires inspicias : et juxta posse nostrum, si placet tibi, ita nos igne tribulationum tentari permitte; ut de bono patientiæ hereditatem mereamur in cœlestibus obtinere. ℟. Amen.

Per misericordiam, etc.

℟. Isti sunt sancti, qui pro testamento Dei ad mortem animas tradiderunt : quos lima justitiæ, velut aurum purissimum probavit : P. Regnant in perpetuum, nec ab invicem segregabuntur. ℣. Sancti amabiles et decori, quomodo in vita sua dilexerunt se invicem; ita et in morte non sunt divisi. P. Regnant. ℣. Gloria, et honor. P. Regnant.

Oratio. Domine Jesu Christe, pro cujus testamento Sancti tui ad mortem suas animas tradiderunt, tenti catenis, macerati carceribus, [ccii] perusti incendiis; eorum meritis, justitiæ nos lima compone, et velut aurum purissimum in omni sanctitatis opere effice : ut, qui tibi devotis cordibus famulamur, nullo modo in perpetuum a Deitatis tuæ consortio segregemur. ℟. Amen.

A Per misericordiam.

Antiphona 1. Ut aurum igni probati sunt Sancti, P. Et tamquam hostiam holocausti accepti sunt in conspectu Dei sui. ℣. Quoniam Dominus amat judicium, et non derelinquet Sanctos suos : in æternum conservabuntur. P. Et tamquam. ℣. Gloria, etc. P. Et tamquam.

Oratio. Christe, Filius Dei, qui Martyres tuos, ut aurum probatum igni, ita tibi in holocausti hostiam acceptos esse fecisti; annue precibus nostris, ut ignitis resultantes voluptatibus carnis, proventum mereamur obtinere æternæ felicitatis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Descendit Angelus de cœlo, et excussit flammam, et fecit medium fornacis quasi B ventum roris flantem. P. Et non tetigit justos ignis, neque molestus eis fuit. ℣. Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos : in columna nubis loquebatur ad eos. P. Et non tetigit. ℣. Gloria, et honor. P. Et non tetigit.

Oratio. Deus, qui ministerio descendéntis e cœlo Angeli tui, trium Puerorum flammas mirifice dispersisti : ut vim naturæ suæ in illis urens ignis amitteret, qui tuis obtutibus placuissent : redde nos a concrematione victiorum extraneos : a diaboli laqueis facito esse nos liberos; et tuis nos Martyribus post transitum adsocia coronandos. ℟. Amen.

Per misericordiam, etc.

Antiphona 3. Sanctis tuis, Domine, magna erat lux; P. Propter quod igni ardentem columnam du- C cem habuerunt. Alleluia, alleluia. ℣. Beati immaculati in via : qui ambulant in lege Domini. P. Propter quod. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Propter quod.

Oratio. Magna, Domine, Sanctis tuis est lux, dum te in nocte hujus sæculi ignem ardentem columnam habere merentur, qua et inluminantur, quid faciant; et adjuvantur, ut intellecta perficiant : Præsta ergo nobis obtentu Martyrum tuorum; ut luminis tui ducatu tenebrosum sæculi hujus iter agentes, ad æthereas mansiones perveniamus felices. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Probasti nos Deus : igne nos examinasti, sicut examinatur argentum : Posuisti tribulationes in dorso nostro. Transivimus per ignem et aquam : P. D Et induxisti nos in refrigerium. ℣. Salvasti enim nos, Deus, ex affligentibus nos : et eos, qui nos oderunt confudisti. P. Et induxisti. ℣. Gloria, et honor, P. Et induxisti.

Oratio. Deus, qui probatione solita pietatis probare Sanctos tuos voluisti in terris : nec plus eos tentari permittis, quam quod in eis donum tolerantiæ adesse conlatum tuo munere præspicis : erue nos ab omni tentatione, quæ nostram possit obruere mentem : ut placito tibi famulatu fideliter servientes, sic nos tentari permittas, ut tentatio ipsa non nos in confusionem erroris, sed in amplexum veritatis valenter adstringat. ℟. Amen.

Per.

Mecum state viri : vocat cruentus
[CCIV] Ad pænam coluber Dei ministros :
Ne mors terreat, en parata palma.
Carcer Christicolis gradus coronæ est,
Carcer provehit ad superna cæli,
Carcer conciliat Deum beatis :
His dictis, adeunt specum reorum.
Exercent tibi mysticum lavacrum,
Et purgamen aquæ : stupent tenebræ.
Sex hic continuis latent diebus,
Tandem stant trucis ad tribunal hostis.
Fratres tergeminos tremunt castatæi.
Judex Æmilianus imminebat,
Atrox, furbidus, insolens, profanus
Aras dæmonicas coli jubebat.
Tu, qui Doctor, ait, seris novellum
Commenti genus, ut leve puellæ
Lucos destituant, Jovem relinquant :
Damnes, si sapias, Augusti dogma.
Jussum est Cæsaris ore Galiæni,
Quod princeps colit, ut colamus omnes.
Hæc fanti, placidus refert Sacerdos :
Æternum colo principem, dierum
Factorem, Dominumque Galiæni,
Et Christum Patre prosatum perenni,
Cujus sum famulus, gregisque Pastor.
Subridens ait ille : Jam fuisti.
Nec differt furor, aut refrenat iram,
Sævis destinat ignibus cremandos :
Exsultant, prohibentque flere vulgum.
Quosdam de populo videt sacerdos
Libandum sibi poculum offerentes :
Jejunamus, ait, recuso potum ;
Nondum nona diem resignat hora :
Numquam conviolabo ejus dicatum,
Nec mors ipsa meum sacrum resolvet ;
Sic Christus sitiens Crucis sub hora
Oblatum sibi poculum recursans
Nec libare volens, sitim peregit.
Intrant interea locum rotunda
Conclusum cavea, madens ferarum
Multo sanguine, quem furor frequentat,
Cum spectacula perstrepunt cruenta.
Ac vilis gladiator, ense duro,
Percussus cadit, et fremit voluptas,
Hic flammante pyra, niger minister
Ardens supplicium parare jussus,
Construxit fascibus rogum supremis :
Qui cum corpora concremenda solvit,
Ferventes animas amore lucis,
Fracto carceris expediret antro.
Certant officiis pii sodales :
Plantis calciamenta dissolutis,
Pronus detrahere sudebat unus.
Sed sanctus vetat ora Fructuosus
Inclinata præmi : facessite, inquit,
Ne nostram gravet obsequela mortem.
At quin ipse meos pedes resolvam,
Ne vestigia præpedita vinclis

A Tardis gressibus intruant in ignem.
Cur lamenta rigant genas madentes ?
Cur vestri memor, ut fiam, rogatis ?
Cunctis pro populis rogabo Christum.
Vix hæc ediderat, relaxat ipse
Indumenta pedum, velut Moyses,
Quemdam fecerat ad rubum propinquans ;
Non calcare sacram cremationem,
Aut adstare Deo prius licebat,
Quam vestigia pura figerentur.
Stabat calce mera : resultat ecce
Cœlo spiritus, et serit loquelam,
Quæ cunctos tremefecit audientes.
Non est, credite, pæna, quam videtis,
Quæ puncto tenui citatat ransit ;
B Nec vitam rapit illa, sed reformat.
Felices animæ, quibus per ignem
Celsa scandare, contigit Tonantis !
Quas olim fugiet perennis ignis.
Hæc inter rapidis focos crepantes
Intrant passibus, et minantur ipsi
Flammarum crepitantibus caminis.
Nexus denique, qui manus retrorsum
In tergum renovaverant revinctas,
Intacta cute decidunt adusti.
Non ausa est cohibere pœna palmas
In morem Crucis ad Patrem levandas :
Solvit brachia, quæ Deum precentur.
Priscorum specimen trium putares,
Quos olim Babylonicum per ignem
Cantantes stupuit tremens Tyrannus,
C Illis sed pia flamma tunc pepercit.
Nondum tempore passionis apto.
Nec mortis decus inchoante Christo.
Hos, cum diffugeret vaporeus ardor,
Orant, ut celer ignis advolaret,
Et finem daret anxiis periculis.
Exorata suos obire tandem
Majestas famulos, jubet caducis
Missos corporibus, sibique reddi.
Vidit Præsidis ex domo Satelles
Cœlum Martyribus patere apertum,
Insignesque viros per astra ferri.
Quin, et filiolæ monens herili
Ostendit sceleris notam paterni,
Cœlo vivere, quos ferus peremit.
D Hæc tum virginitatis palam videre
Pérfidum meruit parentem cæcum,
Ut crimen Domini domus timeret.
Tunc corporibus sacris favillæ,
[CCV] Et perfusa mero leguntur ossa,
Quæ raptim sibi quisque vendicabat.
Fratrum tantus amor domum referre
Sanctorum cinerum dicata dona,
Aut gestare sinu fidele pignus.
Sed et reliquias resuscitandas,
Et mox cum Domino simul futuros,
Discretis loco dividant sepulchris :
Cernui niveis stolis amicti

Antiphona 1. Sanctis tuis, Domine, magna erat A
lux. P. Eo quod ignem urentem columnam ducem habuerunt in nocte. ℣. Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos: in columna nubis loquebatur ad eos. P. Eo quod. ℣. Gloria, etc. P. Eo quod.

Oratio. Deus, qui Sanctos tuos multiplicibus tormentis hominum subdere voluisti, ut haberent de patientia lucrum, de passione trophæum; erue nos a suppliciis inferorum, ut et hic nos devotio tibi beneplacita jungat, et in futuro fides, qua te credimus, in æternis sedibus introducat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Quanta malignatus est inimicus in Sanctis tuis: et gloriati sunt qui te oderunt in medio atrio tuo. P. Eleva manum tuam, Domine, in superbia eorum in finem. ℣. Incenderunt igni sanctua- B
rium tuum: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui. P. Elevaverunt. ℣. Gloria. P. Elevaverunt.

Oratio. Domine Jesu Christe, cujus potentia sancti Martyres tui rotantem ignis impetum extinxerunt, et justitiam operati sunt; peccatoribus nobis favorem tuæ pietatis, indulge: ut per fidem, qua Sancti regna vicerunt per eam nos peccatores cœleste mereamur obtinere consortium. ℟. Amen.

Per.

[CCII] *Antiphona* 3. Sancti tui, Domine, quasi oves exultaverunt, P. Glorificantes te: liberasti eos. ℣. Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exaltabunt tota die et in justitia exultabuntur. P. Glorificantes. ℣. Gloria, et honor C
Patri. P. Glorificantes.

Oratio. Deus, qui ineffabili splendore pia tuorum martyrum pectora replevisti, coronas tuo munere refulgentes, quasi ut hic ex passione spei gratia mercaverunt, illic a te percipere in munere mererentur: fac, nos splendere et luce de beneplacita tibi dulcedine proximorum, dignitate operum perfectorum: ut, etsi effusione sanguinis coronas non meremur accipere, ex fructu dilectionis veræ perpetuam mereamur apud te obtinere hereditatem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis; et aures, quæ audiunt, quæ audistis, quia in multis tribulationibus mecum permansistis, dicit Dominus. P. Amen dico vobis, quia vobis datum est nosse myste- D
rium regni cœlorum, et nomina vestra scripta sunt in cœlo. Alleluia. ℣. Venite benedicti Patris mei, possidete vobis regnum paratum a constitutione mundi. P. Amen dico vobis. ℣. Gloria. P. Amen.

Oratio. Adesto nobis, Omnipotens Deus, sanctorum tuorum Fructuosi Agurii, et Eulogii triumphalem celebrantibus diem, et lætitiam spiritualium tribue gaudiorum concedens eorum intercessione sepultis requiem, offerentiumque tibi corporibus sospitatem: quorum sic fides membris igne decidentibus arsit, ut sentirent corruptibilis naturæ defectum, et nescirent cœlestis animi mutare propositum, ℟. Amen.

Per.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Diligentes te, Domine. sicut sol in ortu suo resplendens, ita rutilant.

Canticum. Qui sponte. *fol.* CLXIII.

Ad Benedictus Antiphona. Tres pueri jussu regis in fornacem missi sunt; non verentes flammam igni, dicebant: Benedictus es. ℣. Hi tres, quasi ex uno ore decantabant regi magno, dicebantque: Benedictus es.

Canticum. Benedictus es, Domine. *fol.* 6.

Sono. Dum succenderetur fornax. *Quære retro in istis Vesperis præcedentibus.*

Lauda. Laudate Dominum de cœlis Alleluia, alleluia: laudate eum in excelsis. Alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Prophetia.

Lectio libri Sapientiæ Salomonis (*cap,* XVI).

℟. Deo gratias.

Passi sunt justi digna tormenta, et per multitudinem bestiarum exterminati sunt. Pro quibus tormentis bene disposuisti populum tuum, quibus dedisti concupiscentiàm delectamenti sui, novum saporem, escam parans eis ortygometram: ut illi quidem concupiscentiam escam propter ea, quæ illis ostensa et missa sunt, etiam a necessaria concupiscentia averterentur. Hi autem in brevi inopes facti, novam gustaverunt escam. Oportebat enim illis quidem sine excusatione supervenire interitum exercentibus tyrannidem: his autem tantum ostendere, quemadmodum inimici illorum exterminarentur. Etenim dum pervenit illis sæva bestiarum ira, morsibus pervesorum serpentium exterminabantur. Non in perpetuum permansit ira tua, sed ad correptionem in brevi turbati sunt, signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ. Qui enim conversus est, non per hoc, quod videbat, sanabatur. sed per te omnium Salvatorem. ℟. Amen.

Hymnus.

Felix Tarraco, Fructuoso vestiris
Adtolit caput ignibus chorus
Cum Levitis geminis procul relucens:
His piis nos Deus adspicit benignus.
Arcem quandoquidem potens Iberam
Trino Martyre Trinitas coronat:
Ardens Agurius capescit æthera;
Necnon Eulogius, simul supernum
Christi lucidus ad sedilet tendit.
Dux et prævius, et magister illis
Ad tantum decus, ex Episcopali
Clarus nomine Fructuosus ibat.
Accitus quia Præsidis repente
Jussu, venerat ad forum Sacerdos,
Levitis comitantibus duobus:
Inde ad carceream viros catenam
Pastus sanguine carnifex trahebat;
Gaudet currere Fructuosus ultro.
Ac, ne quis socios timor feriret,
Præceptor vehemens eundo firmat,
Incenditque fidem calore Christi.

Mandant restitui, cadaveraque claudi,
Mixto marmori pulvere sacranda.
O triplex honor, o triforme culmen,
Quo nostræ caput excitatur urbis,
Cunctis urbibus eminens Iberis,
Exultare tribus libet Patronis :
Quorum præsidio fovemur omnes
Terrarum populi Pyrinæarum.
Circumstet chorus ex utroque sexu,
Heros, virgo, puer, senex, anicla :
Vestrum psallite rite Fructuosum,
Laudans Agurium resultet hymnus,
Mixtis Eulogium modis coæquans,
Reddamus paribus pares Camænas.
Hinc aurata sonent in arce tecta,
Blandum littoris extet inde murmur,
Et carmen freta feriata pangant.
Olim tempus erit ruente mundo,
Quum te Tarraco Fructuosus acri
Solvet supplicio tegens ab igne.
Fors dignabitur, et meis medelam
Tormentis dare, prosperante Christo,
Dulces Hendecasyllabos revolvens,
Atque tripudians cœlo admixtus Chorus
Per sæcula vivens in æthera.
Æterno Genitori gloria, Christo
Semper genito sit tibi semper,
Compar Spiritui ; qui Deus unus
Polles perpetuis inclyte sæculis.
Amen.

Supplicatio. Oremus, *mutatis nominibus*, *f*. CLXII.

Capitula. Christe, Dei Filius, qui et tribus in camino positis pueris liberator mirificus adfuisti ; et tribus his martyribus Fructuoso, Agurio, et Eulogio, probatis ignibus claruisti : dum et illis paratam camino mortem evadere, et istis coronas invenire, flammis corpora extinguentibus, concessisti : præbens in utrisque discreta gratiarum officia, dum et illos ignis non tangeret, et istos adtingens facilius coronaret : suspendens ab illis mortem, consumens in istis laudabilem passionem ; utrorumque votis obsequenti famulatu ignis ipse deserviens, dum et ab illis, ne morerentur, recederet ; et ad istos, ut corona præoptata veniret : da nobis, ut in utrorumque sanctitate lætantes, sic victorias Martyrum celebremus, ut infinita cum eis lætitia gaudeamus.

Pater noster. Liberati a malo.

Lauda. Columnam ignis. *Fol*. CXCIX.

Benedictio. Christus Dominus, qui Fructuosum Episcopum cum suis Diaconibus examinatos igne perduxit ad regnum, liberatos vos a camino libidinum heredes efficiat regni Cœlorum. ℟. Amen. Et qui corporum illorum cineres, usurpatos a fratribus, uno in loco tumulandos voluit congregare, ab unitate vos non dividat sanctæ matris Ecclesiæ : ℟. Amen. Ut eum inter flammas concupiscentiæ liberatorem mereamini invenire, in quo illi post esuriem meruerunt invenire refectionem. ℟. Amen.

A Per misericordiam.
In nomine Domini.

DIE XXII JANUARII.

IN FESTO SANCTI VINCENTII LEVITÆ ET MARTYRIS.

Ad Vesperum.

Lauda. Speravit anima mea. *Fol*. CLVI.

Sono. Spes mea tu es, partio meâ in terra vivorum. P. Respice Deus ad orationem meam. Alleluia. ℣. In conspectu Domini effundam orationem meam, tribulationem meam ante ipsum pronuntiabo. Cum defecerit a me spiritus meus, et tu cognovisti Domine. P. Respice. ℣. Domine in via ista, per quam ambulabam, absconderunt muscipulam mihi. Intendebam in dexteram, et videbam : et non erat, qui recognosceret me. P. Respice Deus. ℣. Fuga mea a me periit, nec B est qui quærat animam meam. Domine clamavi ad te : P. Respice Deus.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona 1. Libera me Domine de luto, ut non inhæream : eruar ex his qui oderunt me. P. Et de profundo aquarum. Non me dimergat tempestas aquæ, nec obsorbeat me [CCVI] profundum. ℣. Salvum me fac Deus : quoniam introierunt aquæ usque ad animam meam. P. Et de profundo. ℣. Gloria et honor. P. Et de profundo.

Oratio. Deus, qui multis passionum generibus mirifice vincentem Vincentium coronasti, liberans illum ab omni exitio tormentorum, ut vestigia ejus quæ luto non inhæserant vitiorum, mirifice calcarent omne crudelitatis supplicium ; ne aquarum obsorbe-C retur profundo, qui mente sæculum calcans, jam heres esset proximus cœlo : præbe nobis precibus tanti Martyris, nec luto vitiorum adtingi, nec profunda desperationis voragine operiri : sed candida conscientiæ libertate decori tibi præsentemur in die judicii. ℟. Amen.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Ego in laboribus multis fui, et in carcere. Ter virgis cæsus sum, nocte et die in profundo maris fui ; P. Et ex his omnibus liberavit me Deus, qui est benedictus in sæcula. ℣. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. P. Et ex his omnibus. ℣. Gloria, et honor. P. Et ex his omnibus.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Circumdederunt me aquæ usque ad animam : D Alleluia. P. Pelagus undique me vallavit ; in medio mare novissime liberasti me Domine. Alleluia, alleluia. ℣. De profundis clamavi ad te Domine : Domine exaudi vocem meam. P. Pelagus undique. ℣. Gloria, et honor. P. Pelagus.

Hymnus

Adest miranda passio
Levitæ Sancti martyris,
Cui clara virtute flagrans
Corona Vincenti datur.
Beatus ille spiritus,
Quem post triumphum prælii,
Post vincla dira carceris,

Cœlestis aula suscipit.
Omnes mirantur perpetim
Post factum cruorem Martyrem,
Quem testularum fragmina
Mucrone acuto vulnerant.
Dolore nullo frangitur
Nullaque pœna vincitur,
Flammas ferens per ungulas
Robusta permansit fides.
Ex hinc reponunt mollibus
Christi fidelem militem
Carnis relicto pondere,
Ad astra migrat Spiritus.
Vesanus Imperator feris
Jactum cadaver mandat:
Custode Corvo, corpore
Fames lupina pellitur.
Gravis Tyrannum excitat
Furor, jubetque Martyrem
Insutum parvo eculeo
Ponti profundo immergere.
Honor summus tunc redditur,
Jubente Christo, littori;
Refectis undis levibus
Prævenit omnes remiges.
Tu solus o bis inclyte,
Solus bravii duplicis
Palmam tulisti, tu duas
Simul parasti laureas.
Adesto nunc, et percipe
Voces precantum supplices,
Nostri reatus efficax
Orator ad Thronum Patris.
Per te, per illum carcerem
Honoris augmentum tui,
Per vincla, flammas, ungulas,
Per carceralem stipitem,
Per fragmen illud testeum,
Quo parta crevit gloria,
Per quem trementes posteri
Exosculamur lectulum.
Miserere nostrarum precum,
Placatus ut Christus suis
Inclinet aurem prosperam;
Noxas nec omnes imputet.
Si rite solemnem diem
Veneremur ore, et pectore
Si sub tuorum gaudio
Vestigiorum sternimur:
Paulisper huc inlabere,
Christi favorem deferens,
Sensu gravati ut sentiant
Levamen indulgentiæ.
Sic nulla jam restat mora,
Quum excitatam nobilis
Carnem resumat spiritus,
Virtute perfunctam pari.
Ut quæ laborum particeps,
Commune discrimen tulit,
A Sit et coheres gloriæ
Cunctis in ævum sæculis.
Præsta Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito,
Regnans per omne sæculum.
Amen.

[CCVII] *Supplicatio.* Oremus. *mutato nomine, folio* CLXVII.

Capitula.

Adest, Domine, testis tui solemne illud, atque famosissimum festum, quod annuis recursibus mortalium obtutibus præsentatur, in quo hic Vincentius martyr tuus mirabiliter vincens, et solo probatus et pelago, nec terrenis suppliciis vincitur, nec marinis B gurgitibus compeditur, vincens, et tenebras pariter et catenas: dum prædicator luminis nec vinculorum vincitur pœnis, nec tenebrosis remoti carceris superatur angustiis; sed potius, qui vere confessus nomen fuerat veritatis, in veritate famulantia sibi videret cœlestis obsequia lucis: Qui ergo devoti annua devotione tanti Martyris solemne festum suscipimus, quæsumus, ut susceptionis hujus apud te præmio muneremur, quo memorati Martyris interventu removeas a nostris finibus plagam, et totius nocibilitatis incommoda: quo et proventus frugum placidos terra parturiat, et animæ nostræ divinis fonte virtutibus concalescant: ut expulsis tenebrarum operibus in tuo Christe lumine cuncta superantes adversa, et hic et in futuro gaudia nobis in commune exoptata C proveniant qui nos orare præstas, et dicere:

Pater. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui viriliter vincenti Vincentio, tenebroso adsistenti in carcere, et lumine est infusus et munere, sic luce sua nos visitet, ut æterni muneris conlatione ditificet; ℟. Amen. Quique illi refulsit inter tenebras carceris, inlucescat in cordibus vestris ad evadenda futuræ supplicia ultionis: ℟. Amen. Ut, qui ipso vocabulo sui nominis victor comprobatus est, passionis suæ nos precibus consortes efficiat in cœlestibus regnis. ℟. Amen.

Per.

Lauda. Dilectio tua sicut fons vitæ permanet: P. Et sapientia tua velut ornamentum aureum. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Non det in commotio- D nem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te. P. Et sapientia. ℣. Gloria, et honor. P. Et sapientia.

Oratio. Deus, qui mirabiliter vincenti Vincentio daturum te manna absconditum promissisti, ut qui mortalium devicerat genera tormentorum, immortalitatis utique munere ditaretur; concede nobis meritis ejus, qui te fide nomine et passione secutus est, ut nomen novum, quod nobis in Christianitatis titulo est conlatum, et in hac vita possessionem bonorum operum novam nobis adcumulet, et in futuro æternum nobis regnum, et gaudium præparet sine fine. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea Domine, aperies : et os meum annuntiabit laudem tuam. *Psalmus.* L.

Oratio. Exultent Domine *fol.* CLXXX.

Antiphona 1.Probasti me Domine. quasi aurum. Posuisti tribulationes in dorso meo.P. Transivi per ignem et aquam : et induxisti me in requiem. ℣. Introibo in domum tuam cum holocaustis : reddam tibi vota mea,quæ distinxerunt labia mea. P. Transivi. ℣. Gloria, et honor, P. Transivi.

Oratio. Benedicimus te, omnipotens Deus, qui beatissimum Vicentium martyrem tuum,sicut quondam tres pueros, ab ignis incendio liberasti : cum ejus utique membris adhibita flamma, et si esset quæ exureret, non tamen esset quæ vinceret; ejus ergo precibus rorem misericordiæ tuæ nostris infunde visceribus, ut madefacto igne carnalis incendii, flamma in nobis tepescat peccati : quæ et si a nobis naturaliter non desistat,quæsumus,ne fragilitatem nostram materialiter succensam comburat ; sed ita gratia naturæ subveniat,ut quod origine caremus, munere restinguere valeamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2.Protector tuus ego sum, noli timere, dicit Dominus. Si transieris per ignem,non comburet te. P. Flumina non concludent te, quia tenebo manum tuam. ℣. Per diem sol non uret te ; neque luna per noctem.P. Flumina. ℣. Gloria, et honor. P. Flumina.

Oratio. Christe Filius Dei, protector beatissimi Vincenti martyris gloriosi,qui ejus manum mirabiliter auxilii vice sustentans, nec flammis aduri,nec aquis passus es superari ; da nobis, ut nec ignes libidinum nos in quocumque contaminent, nec flamina odiorum in quocumque conturbent : sed [CCVIII] protectionis tuæ dextera,qua testis tuus adjutus est,ut marina superaret discrimina ; nos quoque adjuvemur,ne futuram veniamus in pœnam. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3.Tamquam unum ex principibus elegit me Dominus, et ut virum fortem constituit me in prælium. P. Dedit mihi Dominus stolam candidam, et ornavit me corona.℣.Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad bellum,digitos meos ad prælium. *P.* Dedit mihi Dominus. ℣. Gloria, et honor. P. Dedit mihi.

Oratio. Omnipotens Deus, qui Martyrem tuum æterno nomine munerasti, et eum ex principibus in passione elegisti ; ut qui causa nominis tui blasphemantem sustinuisset invidiam, in tuo nomine laudantium sumeret obsequelam, et ornares illum corona : tribue ergo exultantibus famulis indefessum triumphantis auxilium, ut intercessione sedula reformet male scissa indumenta baptismatis,quem pro te dimicantem martyrii cruore respersa stola induisti decoris. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Probasti me, Domine, sicut probatur argen- A tum. Posuisti tribulationes in dorso meo : transivi per ignem et aquam : et induxisti me in requiem. Introibo in domum Domini,P.Qui exaudivit deprecationem meam. ℣. Venite, et audite, et narrabo vobis,omnes qui timetis Deum,quanta fecit animæ meæ. P. Qui exaudivit. ℣.Gloria, et honor. P. Qui.

Oratio. Deus, qui probatione solita pietatis probari Sanctum tuum voluisti in terris, nec plus eum tentari permittis, quam quod in eum donum tolerantiæ adesse conlatum tuo munere præspicis; erue nos ab omni tentatione,quæ nostram possit obruere mentem ; ut placito tibi famulatu fideliter servientes, sic nos tentari permittas, ut tentatio ipsa non nos in confusione mœroris,sed in amplexu veritatis valenter adstringat. ℟. Amen.

B Per misericordiam.

Antiphona 1.Vocavi te nomine tuo,dicit Dominus. Si transfretaveris aquas,flumina te non concludent, P. Et si per ignem transire cœperis, flamma non ardebit in te, ℣.Labores fructuum tuorum manducabis : beatus es, et bene tibi erit. P. Et si per ignem. ℣. Gloria, et honor. P. Et si per ignem.

Oratio, Domine Jesu Christe, qui tuum esse Vincentium martyrem ex nomine ipso pronuncias,dum tibi utique vicit, pro tuo nomine militans, et in transfretatione aquarum, et combustione ignium : dum illi adesse dignaris, insuperabilem illum in ipsis passionibus tuo reddis auxilio ; quæsumus pietatem tuam, protegas supplicationibus nostris, ut qui in illo vicisti pondus aquæ, et flammas a C nobis æternorum ignium extinguas. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Perfectio, et doctrina viro sancto tuo, quem probasti, Domine in tentatione. Ponent tymiama in conspectu tuo : P. Et adolebit incensum super altare tuum. ℣. Desiderium animæ ejus tribuisti ei : et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. P.Et adolebit. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et adolebit.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui es Ecclesiæ tuæ caput, præsta, ut Vincentius beatissimus martyr tuus in corpore Ecclesiæ constitutus, qui tunc membra pro capite dedit, nunc Caput pro membris adire non cesset ; Capitique proximus regat totum, et protegat corpus : id impendens uberius, quo se D exultat obtinuisse felicius. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Qui habet aurem audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis : P. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. ℣. Manus enim mea auxiliabitur ei : et brachium meum confortabit eum. P. Vincenti. ℣. Gloria, et honor. P. Vincenti.

*Oratio.*Domine Jesu Christe, qui beatissimo martyri tuo Vincentio obedientiæ aurem tribuere dignatus es, qua salubri cordis intellectu agnosceret, quid sibi Spiritus diceret ; da nobis meritis ejus. edere de ligno vitæ, et fructum capere hereditatis perpetuæ : ut cives Paradisi tui mereamur existere,

qui tui nunc Martyris incolimus devotissime passionem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Vocavi te nomine tuo: meus es tu. Si transfretaveris aquas, ego tecum sum, nec flumina te concludent: P. Per ignem si transire cœperis, flamma non contaminabit. ℣. Et dedi homines pro te, et populos pro anima tua. Noli timere, serve meus rectissime, [CCIX] quem elegi. P. Per ignem. ℣. Gloria, et honor. P. Per. ignem.

Oratio. Omnipotens Dominus, qui beatissimum Vincentium martyrem tuum passionis stimulis, quasi minantium fluctuum cumulis, probari, non obrui, permisisti: cum eum dimicantem nec pœna superaret, nec immersum unda supprimeret: quia ei et illic adfuisti, ne cruciatibus vinceretur, et hic præstitisti, ut contra naturam fluctibus portaretur; miraculis tantis fidem omnibus præsta, ut vota celebrantibus devotissime conferantur. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 1. Qui vicerit, et servaverit usque in finem opera mea, P. Dabo illi potestatem super Gentes, et reget eas in virga ferrea. ℣. Et ponam in mari manum ejus: et in fluminibus dexteram ejus. P. Dabo illi. ℣. Gloria, et honor. P. Dabo illi.

Oratio. Domine Deus, præsta propitius: ut beatissimus Vincentius martyr tuus vincat suis meritis nostra flagitia, qui non suis, sed divinis viribus sævientium potuit superare supplicia: et qui dudum in illis vicit impietatis atrocitatem; in nobis malæ cupiditatis superet voluntatem. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

Antiphona 2. Adpropiate ad me populi, et congregate vos in domum disciplinæ Dei nostri. Videte Vincentii gloriam, quoniam propter quod laboravit, invenit multam requiem: in faciendo eam confirmatus est. P. Lætetur anima nostra in misericordia Dei. ℣. Magnificate Dominum mecum: et exaltemus nomen ejus in unum. P. Lætetur. ℣. Gloria. et honor. P. Lætetur.

Oratio. Unigenite Filius Dei Patris, qui beatissimum Vincentium martyrem tuum in tuo nomine laborantem fecisti in misericordia tua lætari; quæsumus divinitatis tuæ potentiam, ut imitamento ejus, et vota nostra pro tuo nomine sint accepta, et nostrorum operum efficientia tibi maneat in omnibus placitura: ut vincentes mundi discrimina, mereamur effici perennis ædificii contructura. ℟. Amen.

Per misericordiam

Antiphona 3. Vincenti dabitur corona vitæ, et a morte non lædetur; P. Sed dabitur illi stella matutina: ℣. Et ego primogenitum ponam illum, et excelsum apud reges terræ. P. Sed dabitur. ℣. Gloria, et honor. P. Sed dabitur.

Oratio. Deus, qui vincenti Vincentio potentialiter semper in cunctis ejus et operibus et passionibus claruisti; dum pro his omnibus, et corona illum vitæ ditificas, et, ut a morte non læderetur, matutinæ stellæ promissione conroboras: quæ utique resur- A rectionis lucem insinuans, matutina proinde vocata quia noctem fugat, et lucem adnuntiat: dum, depulsa nocte sæculi, promittitur sydus muneris sempiterni hujus ergo stellæ matutinæ nos, Domine Jesu Christe, facito compotes esse: ut promissionis tuæ consolatione lætantes, ad fructum justitiæ tuæ mereamur pervenire indemnes. ℟. Amen.

Per.

℟. Vincenti dabo coronam, et faciam illum columnam in templo Dei: P. Adscribum super eum nomen civitatis Hierusalem, et nomen meum novum. ℣. Omnis qui vicerit, faciam illum sedere in throno Patris mei. P. Adscribam. ℣. Gloria, et honor. P. Adscribam.

Oratio. Domine Jesu Christe qui mirabiliter B Vincenti huic martyri tuo et coronam de victoria præstas, et columnam in templo tuo, quasi decorem ædificii, futurum esse adsignas: dum ei et coronanda vincendi studia suggeris, et invictam perseverantiæ voluntatem in passionibus prælargiris: da nobis exemplo ejus, et diligendi te votum æquale, et vincendi voluntatem: ut ita nomen civitatis illius novæ Hierusalem nostris in pectoribus sit adscriptum, qualiter, dum indesinenter obtutum mentis nostræ in illius visione defigimus, in ejus pace perenniter jocundemur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Circumdederunt me C aquæ usque ad animam: abyssus vallavit me, pelagus cooperuit caput meum. Clamavi ad te Domine. exaudi me.

Canticum. Clamavi ad Dominum. *f.* 515.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedictio Domini in mercedem justi festinat.

[CCX] *Canticum.* Benedictus es. *fol.* 6.

Sono. Projecerunt me in medio mari: et facta est mihi tranquillitas magna. P. Quia liberasti me Domine de abysso, et misertus es mei. Alleluia, alleluia ℣. Qui conscendunt mare in navibus, operantes in aquis multis; ipsi viderunt mirabilia tua. P. Quia liberasti me. ℣. Abominatus sum in medio aquæ: et habitavi in corde maris, et invocavi te Domine. P. Quia liberasti me. ℣. Imperasti procellæ, et stetit in aura: et fluctuatæ sunt undæ maris, et congratulatus D sum nimis. P. Quia liberasti. ℣. Gloria, et honor. P. Quia liberasti me.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis, Alleluia: laudate eum in excelsis. Alleluia. *Psalmus.* CXLVIII.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* XLIII, XLIV).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus, creans te Jacob, et formans te Israel: Noli timere, quoniam redemi te, et vocavi te nomine tuo: meus es tu. Cum transieris per aquam. tecum ero, et flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te: Quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel salvator tuus. Ex quo honorabilis factus est in oculis meis, et gloriosus: ego dilexi te, ego dabo homines

pro te, et populos pro anima tua. Noli timere, quoniam tecum ego sum. Hæc Dominus dicit faciens et formans te, ab utero auxiliator tuus : noli timere serve meus Jacob rectissime, quem elegi. Effundam enim aquam super sitientem, et fluenta super aridam : effundam enim spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam. Et germinabunt inter herbas, quasi salices juxta fluentes aquas. ℟. Amen.

Hymnus.

Beate Martyr prospera
Diem triumphalem,
Quo sanguinis merces tibi,
Corona Vincenti datur.

Hic te ex tenebris sæculi,
Tortore victo, et judice,
Evexit ad cœlum dies,
Christoque ovantem reddidit.

Nunc Angelorum particeps,
Nunc lucis insignis stola,
Quam testis indomabilis
Rivis cruoris laveras.

Cum te satelles Idoli,
Præcinctus atris legibus,
Litare diis Gentium
Ferox catenis cogeret.

Ac verbo Principum molli
Suadendo blande effudit,
In catastas ne vita
Libera rapta decidat.

Rex, inquit, maximus Orbis,
Qui sceptra gestat Romulea,
Servire sanxit omnia
Priscis deorum cultibus.

Vos Nazareni adsistite,
Fidemque et ritum spernite,
Hæc saxa, quæ princeps colit,
Placate fumo, et victima.

Exclamant hic Vincentius,
Levita de Tribu sacra
Minister altaris : Deum
Excolimus nos verum.

Tibi ista præsint numina,
Tu saxa, tu lignum colas,
Tu mortuorum mortuus
Fias deorum pontifex.

Nos lucis auctorem Patrem,
Ejusque Christum filium,
Quem solum ac verum Deum,
Datiane, confitemur.

Hic ille jam commotior :
Audesne, infelix, ait,
Jussa deorum, et principium
Violare verbis asperis ?

Jus est sacratum, et publicum,
Cui cedit humanum genus,
Nec te jubente fervide
Infans periclum permovet ?

Hoc namque decretum cape,
Aut ara, thure, et cespite
Precanda jam nunc est tibi,
Aut mors luenda sanguine

Respondit ille altrinsecus :
Age ergo quicquid virium,
Quicquid potestatis tibi est,
Palam reluctor, exerce.

Vox nostra quæ sit accipe :
Et Christus, et Pater est Deus,
Servi hujus et testes sumus,
Extorque, si potes, fidem.

Tormenta, carcer, ungulæ,
Stridens flammis flamma,
Atque ipsa pœnarum ultima,
Mors Christianis ludus est.

Vestra insanis vanitas,
Scutumque vestris Cæsaris,
Condigna vestris sensibus
Coli jubetis numina.

[ccxi] Excissa fabrili manu,
Cavis recocta, et follibus,
Quæ voce, quæ gressu carent.
Immota, cæca ligna sunt.

His sumptuosa a splendido
Delubra crescunt marmore :
His colla mugientium
Percussa taurorum cadunt.

Adsunt et illic spiritus :
Sunt et magistri criminum,
Vestræque salutis aucupes
Vagi, impotentes, sordidi :

Qui vos latenter incitos
In omne compellunt nefas,
Vastare justos necibus,
Plebem piorum carpere.

Norunt et ipsi, ac sentiunt
Pollere Christum, et vivere,
Ejusque jam jam adfore
Regnum tremendum perfidis.

Clamant patenter denique
Pulsi ex latebris corporum.
Virtute Christi et nomine,
Denique iidem dæmones.

His intonantem Martyrem
Judex profanus non tulit,
Conclamat : Os obstruite,
Ne plura jactet improbus :

Vocem loquentis claudite,
Raptumque lictores date,
Illum seorsum canibus
Pastum, manusque exercite.

Infixus in prætorium
Convitiator sentiat,
Impune ne quos sibi
Diis extruendis jusserit.

Tibi ergo soli contumax
Tarpeia calcentur sacra ?
Tu porro solus obteras
Romam, Senatum, Cæsares ?

Vinctum retortis brachiis,
Sursum, ac deorsum extendite,
Compago donec ossium
Divulsa, membratim crepent.

Post hinc diversis ictibus
Nudata costarum sunt abdita,
Ut per lacunas vulnerum
Jecur retectum palpitet.

Ridebat hæc miles Dei,
Manus cruentos increpans.
Quod fibra non profunditus
Intraretque artus ungula.

Ac jam omne robur artium
Eviscerando cesserat,
Nisusque avenis solverat,
Fesso lacertorum toro.

Ast ille tanto lætior,
Omni vacantem nubilo
Frontem serenam lumine
Te, Christe, præsentem videns.

Quis vultus iste, proh pudor!
Datianus ajebat furens:
Gaudet, revinctus, et provocat
Tortorem tortus acrior.

Nil illa vis exercita
Tot noxiorum mortibus
Agone in isto proficit,
Ars idolorum vincitur.

Sed vos alumni carceris
Parcite, ait, invicto,
Cohibete paulum dextras,
Respiret ut lassus vigor.

Per sicca rursus ulcera,
Dum sese cicatrix colligit
Refrigerati sanguinis
Manus resulcans diruit.

His contra Levites refert:
Suam tuorum præspicis
Languere virtutem canum
Age ipse major carnifex.

Ostende, quo pacto queant
In recessus rescindere
Manus et ipse intersere,
Rivosque ferventes bibe.

Erras, cruente, si meam
Te reris pœnam sumere,
Cum membra morti obnoxia
Dilaniata interficis.

Est alter homo intrinsecus,
Violare quem nullus potest:
Liber, quietus, integer,
Exors dolorum tristium

Hoc, quod laboras perdere
Tantis furoris viribus,
Vas et solutum, ac fictile,
Quovis frangendum modo.

Quinimo nunc enitere
Illud secare, ac plectere:
Cum perstat intus qui tuam
A Calcat, Tyranne, insaniam.

Hunc tu lacesse, hunc distorre
Invictum, insuperabilem,
Nullis procellis subditum,
Soli hunc subjectum Deo.

Hæc fatur, et stridentibus
Laniatur uncis denuo,
Cui prætor ore subdolo
Anguinat verba et sibilat:

[ccxii] Si tanta callidi pectoris
Prædurat obstinatio,
Pulvinar ut nostrum inane
Abomineris tangere:

Saltem latentes paginas,
Librosque opertos deroga,
B Quibus sectam pravam seminas:
In istis crementur ignibus.

His, Martyr, auditis, ait:
Quem tu maligne mysticis
Minaris ignem litteris,
Flagrabis ipse hoc justius.

Nonne scimea cœlestis
Vindex erit voluntas,
Tanti veneni interpretem
Linguam perurens fulmine.

Vides favillas indices
Gomorrhæorum criminum:
Sodomitæ cladis cinis
Testes perennis funeris.

Exemplar hoc semper tuum est;
C Fuligo quem mox sulphuris,
Bitumen, et mista pice
Imo implicabunt tartaro.

His persecutor saucius
Pallet, labescit, et statim
Insana torquens lumina,
Spumasque frendens egerit.

Tunc deinde cunctatus diu,
Decernit extrema omnium:
Ignis, gravati, et luminis
Exerceatur quæstio,

Hæc ille sese ad munera
Gradu citato prorupit,
Ipsosque pernix gaudio,
Pœnæ ministros prævenit.

D Ventum ad palæstram gloriæ,
Spes certat, et crudelitas:
Luctamem anceps conserunt
Hic Martyr, illic carnifex.

Serra lectulum regula
Dente frequenti exasperant,
Cum multa carbonum strues
Vivum vaporat halitum.

Hunc sponte conscendit rogum
Vir sanctus, ore interrito,
Cœli et coronæ conscius,
Celsum tribunal scandere.

Subter crepante aspergine
Scintillat excursus salis,

Punctisque fervens stridulis
Sparsimque artus figitur.
Arvina post hinc igneum
Impressa cratem lambit,
Vix unda foris fumida
In membra sensim liquitur.
Hic interim immotus manet,
Tamquam dolorum nescius,
Tenditque in altum lumina :
Nam vincla palmas presserant :
Sublatus inde fortior,
Lugubre in antrum truditur :
Ne liber ortus luminis
Animaret altum spiritum.
Est intus imo ergastulo
Locus tenebris nigrior,
Quem saxa mersi fornicis
Angusta clausu strangulant.
Æterna nox illic latet
Expers diurni sideris :
Hic carcer horrendus suos
Habere fertur inferos.
In hoc barathrum conjecit
Truculentus hostis Martyrem,
Lignoque plantas inserit;
Divaricatis cruribus.
Quin addit ad hæc pœnam novam,
Crucis pericli artificis,
Nulli tyranno cognitam,
Nec fando compertam retro.
Fragmenta testarum jubet
Hirta impolitis ungulis
Acuminata, informia,
Tergo jacentis sternere.
Totum cubile spiculis
Armant dolore saxisque :
Insomne qui subter latus
Mucrone pulset obvio.
Hac ille versatur umbra
Meditare artes, quas struxerat ;
Sed Beelzebud callida
Commenta Christus destruxit.
Nam carceralis cæcitas
Splendore lucis fulgurat,
Duplexque morsus stipitis
Ruptis cavernis dissilit.
Agnoscit hic Vincentius
Adesse, quod speraverat,
Tanti laboris præmium,
Christum datorem luminis :
Cernit deinde fragmina
Jam testularum, mollibus
Vestiri semet floribus,
Redolente nectar carcere.
Quin et frequenter Angeli
Stant, et loquuntur cominus,
Quorum unus ore augustior
Compellat his dictis virum

A [ccxIII] Exurge Martyr inclyte,
Exurge securus tui,
Exurge, et almis cœtibus
Noster sodalis adhære.
Præsta Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem. *Fol*. CLXXXVII.

Capitula. Domine Clementissime Deus, tribue: ut fortissimus Vincentius martyr tuus, qui, pro te viriliter dimicans, tuo munere vicit, ita nobis in tuo nomine jugiter adsit, ut victor eculei, victor existat peccati: quotidianas abluat culpas, qui tot tantasque supergressus est pœnas ; ut, qui pro Domino mirificus extitit
B triumphator, pro servis existat magnificus intercessor.

Pater noster. Liberati. *fol*. 2.

Lauda. Alleluia. Dilectio tua sicut. *fol*. CCV.

Benedictio. Dominus Jesus Christus, qui potenter vincenti martyri suo Vincenti matutinam stellam donavit in munere, et primæ resurrectionis et futuræ vos gaudiis ditet; ℟. Amen. Et qui eidem Vincenti manna dedit absconditum, obtentu ejus glorioso vos immortalitatis vestiat indumento : ℟. Amen. Ut exemplo memorati martyris et carceres vincentes et flammas : educti e carcere sæculi, flammas evadatis æterni supplicii. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

In exeunte Vespera.

C *Lauda*. Speravit anima mea in Domino.

Sono. Spes mea tu es portio mea. *fol*. CCV.

Antiphona. Vincentius sanctus, ut solis radius splendet, et sicut lilia campi floret. P. Portans odorem suavitatis in conspectu Domini. ℣. Domine in virtute tua lætabitur Rex : et super salutare tuum exultabit vehementer. P. Portans. ℣. Gloria, et honor. P. Portans.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Coronam splendidam sempiternam. Alleluia. P. Vincenti dabo. Alleluia, alleluia. ℣. Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum. P. Vincenti. ℣. Gloria, et honor. P. Vincenti.

Hymnus. Adest miranda passio.

Supplicatio. Oremus Redemptorem. *fol*. CLXXXVII.

Capitula. Deus, qui Levitam tuum Vincentium
D tanto virtutum munere decorasti, ut ministerii sacri fretus officio, Filium tuum Dominum nostrum secuturus in passione, ejusdem Christi tui calicem ministraret prius credentibus in salutem : tu nos facito coram te digne tractare suscepta ministeriorum officia, quorum gestandam suscepimus obsequelam ; quo martyr tuus Vincentius divino auctus spiritu, persequentem Datianum objectibus duris adgreditur, cum contra Valerium Episcopum suum leviter musitasse conqueretur : meritis suis tribuat omnibus in hac vita feliciorem excursum, in futuro regnum beatitudinis infinitum ; ut sicuti eum inter pœnas suscepisti te confitentem ; ita nunc jubeas exaudire pro

nobis orantem cum ad te proclamaverimus e terris. A
Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Deus, lumen æternum, qui nova luce martyri suo Vincentio posito refulsit in carcere, inlucescat in cordibus vestris ad æternam remunerationem : ℟. Amen. Et qui corpus ejus in medio mari demersum marinis gurgitibus revocavit ad littus, revocet vitam vestram ab interitu, et noxiis actibus : ℟. Amen. Quique, corvo obsequente, dilatavit prædicti Martyris gloriam, devotionem vestram solita propitiatione suscipiat. ℟. Amen.

Per.

Lauda, Alleluia. Dilectio tua sicut fons vitæ permanet.

Oratio. Deus qui mirabiliter. *fol.* CCVII.

DIE XXV JANUARII. B

IN FESTO SANCTI BABILÆ EPISCOPI, ET TRIUM PUERORUM.

Ad Vesperum.

Lauda. Exortum est in tenebris. *Sono.* Justorum animæ. *fol.* CLXII.

Antiphona. Justi epulentur, et exultent in conspectu Domini, P. Et delectentur in lætitia. ℣. Salus autem justorum a Domino : et protector eorum est in tempore tribulationis. P. Et delectentur. ℣. Gloria, et honor. P. Et delectentur.

[CCXIV] *Lauda.* Justi jocundentur Alleluia, P. Et lætentur, Alleluia, alleluia, ℣. Vox lætitiæ, et salutis in tabernaculis justorum. P. Et lætentur. ℣. Gloria, et honor. P. Et lætentur : Alleluia, alleluia.

Hymnus.

O Sacerdotum inclyta corona, C
Atque coruscum Levitarum ordo,
Clero adscito, præcinamus hymnum
Mente benigna.

Formam exempli Babilas Antistes
Nobis tenendam dimicans impressit :
Ne templi Dei ostia pandamus
Callido hosti.

Hic vir virtute fidei munitus
Antiochenam dum regeret arcem,
Sprevit profanum atriis sanctis
Numerianum.

Illico captus sistitur tyranno,
In fola verus Christo immolandus :
Versutiosa abdicat asserta,
Vera utendo.

Reputans namque dogmata perversa, D
Rerum fatetur omnium Auctorem,
Celsi Parentis coæternam prolem
Orbem creasse.

Aris hortatur dæmonum litare,
Spernens arctatur vacis catenarum,
Colo gravatur pondere bolarum,
Compede pede.

Fit gregi pastor magnum documentum,
Urbi mostratur veluti contemptus :
Hinc ovans defert Christo vota laudum
Victor insignis.

Fictilem vicit ratiocinando ;
Vanas perdocet liberales artes,
Indicit sensum potius disertum
Trium puerorum,

Soboles sequens genitrix, quos mittit
Agonizandos Præsule cum almo :
Qualia pati Patrem et Magistrum
Eumdem dicunt.

Hic quippe parens verus ut Abraham est,
Hostia qui se tribus cum Pueris
Obstulit sacra stipiti in ara
Regi polorum.

Inter insontes lotis ulnis ambit
Sacrum altare stipiti elatus,
Dira dum perfert vincla vel tormenta,
Comitans docet.

Simul confessi nomen Trinitatis,
Sustinent simul lacerantem ictus ;
Sed rapuere ab hoste trophæum
Dono divino.

Ad perimendum postmodum producti,
Alacres pergunt, carmen præcinentes
Tripudii psalmi, ultricem quadragenum,
Voce sonora.

Tunc Præsul plebem contestans affatur ;
Ita ut esset vinclis oneratus,
Ad confundendum judicem profanum
Sepeliretur.

Parvulos quoque Babilas litandos
Patri adsignat ense verberandos ;
Quorum agonem pulchrius consumat
Sanguine fuso.

Quique concepti urna sepulchrali,
Vigent perenni memoria passi,
Sede promissa potiti in arcem
Diademate.

Bino in ipsis munere per ipsos
Obtines missos, civitas quæsita :
Nimium gaude, glorians in Christo
Jubilo magno.

Hic obsequenda membra rediviva
Possidet; sursum animas victrices
Stolis indutas candidis, fulgentes,
Palmas gerentes.

Inde Redemptor cerne de supernis
Ratem redempti gregis, incubantem
Sæcli in mare, turbina impulsantem
Tentationum.

Dexteræ tuæ auxilium præbe,
Eamque cunctis a malis defende :
Tecum victuram vehens in supernis
Ævo perenni.

Gloria summa, Christe, tibi semper,
Simul cum Patre, Spirituque Sancto :
Sit nunc, et semper soli tibi Deo
Trino, et uno.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem, *mutatis nominibus, fol.* CLXXXVII.

Capitula. Intendite, fratres charissimi, sacerdotis

Babilæ inconvulsæ spei virtutem, triumque Puerorum robustiorem animi fidem, quam valentem corporis qualitatem ; quos prædictus doctor egregius gladio continuo percussuros, sacris ulnis congeminando, complectitur ; gratias flebiliter referens Creatori, quod eos, quos de manu ejus acceperat coronandos, obtulerit illi : Horum igitur exemplum constantiæ imitantes, mores corrigamus in melius, charitatem teneamus ad invicem, per dilectionem exceptum ministerium expleamus ; et ad servitutem Dei cæteros inflammemus : Operari justitiam delectemur, [CCXV] noxia fugiamus, spiritu oremus, atque dicamus :

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Babilæ precibus solvantur vestra peccata ; cujus virtute Numeriano domus Dei obserata sunt limina ; ℟. Amen. Ejusque suffragio animarum vestrarum vos gaudeatis obtinuisse lucrum, cujus documento trium Puerorum societas meruit subire Martyrium : ℟. Amen. Ut sicut idem infantuli, magistro subsequente, gladii pro Christo parili animadversione truncati sunt ; sic vos unita vincti societate, divinum semper agatis obsequium. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Gaudium sempiternum. *fol.* CLXII.

Oratio. Præsta, Domine, ut dum Sanctorum Babilæ, et trium Puerorum veneranda templa suscipimus ; ipsi tibi templum puri cordis, et impolluti corporis effici mereamur : atque in domus tuæ receptaculis perdurantes, electorum tuorum mereamur esse participes. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

Ad Matutinum.

Antiphona. Da nobis lætitiam. *Psalmus* L.

Oratio. Redde nobis Domine lætitiam. *Fol.* CLXIII.

Antiphona 1. Fecisti Domine in mari viam, et inter fluctûs semitam firmissimam ostendens : P. Quia potens es, transeuntes mare salvare. ℣. Juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde : et humiles spiritu salvabit. P. Quia potens. ℣. Gloria, et honor. P. Quia potens es.

Oratio. Noli nos, Domine, nostris onerare ponderibus : et qui Judææ partibus innotesceris, plurimum deprecamur ; ut nostris pectoribus immoreris : et cujus Hierusalem nomen est magnum ; intercessione Sanctorum Babilæ, et trium Puerorum martyrum sit in nostra conversatione præcipuum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Transierunt mare rubrum, quasi per aridam terram, hæc dicit Dominus. Transite, transite : P. Quia ego vos deducam de terra mea. ℣. Gaudete justi in Domino : rectos decet collaudatio. P. Quia. ℣. Gloria, et honor. P. Quia.

Oratio. Omnipotens Deus, qui oculos tuos dirigis super justos, meritis eorum preces nostras dignanter intende : ut et a peccatis nostris vultus visitatione purgemur, et numero tuorum misericordiæ tuæ munere sociemur.

Antiphona 3. Deus qui glorificaris in concilio Sanctorum, P. Magnus et metuendus es : Alleluia. ℣. Lauda Hierusalem Dominum : conlauda Deum tuum Sion. P. Magnus. ℣. Gloria, et honor. P. Magnus.

Oratio. Præsta Domine, ut dum Sanctorum.

Quære in istis Vesperis præcedentibus.

℟. In paradiso Dei requiescunt sancti, quorum fructus indeficiens perseverat, in quo est satietas et medella. P. Supra stellas fulgebunt facies eorum. ℣. Fulgebunt justi, et tamquam scintillæ in arundineto discurrent. P. Supra stellas. ℣. Gloria, et honor. P. Supra.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Diligentes te Domine sicut sol in.

Canticum. Qui sponte obtulistis. *Ad Benedictus. Antiphona.* Sancti et humiles. *fol.* CLIV. *Canticum.* Benedictus es Domine. *fol.* 6. *Sono.* Salus justorum a Domino. *Lauda.* Laudate Dominum de cœlis. *Psalmus* CXLVIII. *fol.* CLXIV. *Prophetia.* Justorum animæ. *fol.* CLXVII. *Hymnus.* O Sacerdotum. *fol.* CCXIV. *Supplicatio.* Oremus, *mutatis nominibus. fol.* CLXXXVII.

Capitula. Deus, Sanctorum gloria, et copiosus misericordia, exaudi plebem tibi supplicem, per Sanctorum te suffragia postulantem : rege nos per alternas temporum vices, et per dispares dierum, ac noctium successiones pari protectione custodi ; ut adjuti sanctorum tuorum Babilæ, et trium Puerorum martyrum precibus, qui diem per misericordiam tuam prosperum duximus, noctem quoque hanc beneplacita tibi animarum, et corporum puritate ducamus.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Laus Domini in Ecclesia Sanctorum. Alleluia. P. Lætetur Israel in eo, qui fecit ipsum. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit. P. Lætetur. ℣. Gloria, et honor. P. Lætetur.

[CCXVI.] *Benedictio.* Beatissimorum martyrum suorum Babilæ, et trium Puerorum vos Dominus intercessione custodiat : ℟. Amen. Sperantium in se necessitates placatus intendat ; ℟. Amen. Et supplicantium culpas propitiatus omittat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

DIE XXVIII JANUARII.

IN FESTO SANCTI TYRSI MARTYRIS.

Ad Vesperum.

Lauda. Lux orta est justis. P. Et rectis corde lætitia. ℣. Gaudebunt justi cum omnibus Sanctis. P. Et rectis corde.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Sono. Gaudete justi in Domino : rectos decet collaudatio. P. Alleluia. ℣. Confitemini Domino in cithara : in psalterio decem chordarum psallite Deo. P. Alleluia.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Contempserunt Sancti vitam mundi, et pervenerunt ad præmium regni. P. Et laverunt stolas suas in sanguine Agni. ℣. Quoniam Deus amat judicium, et non derelinquet Sanctos suos : in æternum conservabuntur. P. Et laverunt. ℣. Gloria, et honor. P. Et laverunt.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. P. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Beati, qui custodiunt judicium, et faciunt justitias in omni tempore. P. Alleluia. ℣. Gloria et honor. *P.* Alleluia.

Hymnus.

Exulta nimium, turba Fidelium ;
Solemne hodie Martyris inclyti
Est festum : modula carmina fortiter
In laudem Domini, atque potentiam.

Cœlestis patriæ gaudia cogitans
Tyrsus, vir pepulit omnia sæculi
Sanctus ; cum minime crederet in Deum,
Afflatus subito flamine sancto est.

Sævum conspiciens judicem, increpat :
Cur sanctos Domini, inquit, atrocior
Pœnis discrucias valde crudelibus ?
Infelix ! Erebi igne cremandus es.

Illico rabidus tempore presserat.
Hostis Cumbricius, membra colentium
In terra Dominum multa perempta sunt,
Sanctorum nitida millia Martyrum.

Sanctus pro Domino Leucius nititur
Electam animam tradere : potius
Diversa genera pertulit innocens
Pœnarum, cupiens præmia cœlica.

Athleta pedibus impiger ambulans
Tyrsus, regem ubi reperit impium,
Apprehendens tenuit, admonet, et docet,
Jam falsa ut colere idola temneret.

Tunc læto simulans ore locutus est :
Te, Tyrse, cupio consilio meo
Adsensum tribuens, ut sacrifices diis ;
Ut magnas accipias copias munerum.

Sanctus, perspicuum est, ait, impie,
Quod totus habitet ille nequissimus
In te nunc coluber pravus, et invidus :
Cum tali pereas principe horride.

Gastrum perniciter adfore præcipit
Plenum lympha, caput Martyris suffocat :
Corpus, quod superest, fustibus cædere
Nodosis acrius pestifer imperat.

Sed servus Domini voce piissima
De vase miserum judicem increpat :
Agnosce Dominum, lubrice et invide,
Cum cernis opera magna et inclyta.

Turris construitur altius eminens,
Per gyrum gladiis fixis in ordinem
Almus ut fastigio positus decidens
Ense susciperet membra fidelia,

Magnus tu, Domine, præ diis omnibus !
Multum mirificus in te credentibus !
Pravis muscipula sis ! Sanctus in æthera
A Christi glorificat omnipotentiam.

Victus non valuit insatiabilis
Sævus terribilis, et nova cogitat
Tormenta, sitiens vincere Martyrem ;
Sed Sanctus Dominus conterruit malum.

Ne Tyrse timeas, sic ait Angelus :
Directus ego sum a Domino Deo
A te supplicia auferam omnia ;
Hostemque poteris vincere pessimum.

Exaudi, Domine. Cogitat impius
Inferre onera, vincula et omnia :
Fervens oleum, plumbum, et ungulas ;
Ut Sanctum superet martyrem, et necet.

Cernens proficere nil suis viribus,
Sanctum præcipitem in mari præcipit
B Jactari, videant ne oculi hominum
Ter dena stadia a littore longius.

Quam mira, Domine, sunt opera tua !
Adducunt manibus Martyrem Angeli,
Et dulci resonant carmine canticum :
Judex non meruit cernere Angelos.

[ccvii] Debemus penitus facta retexere,
Quæ sanctis meritis reddiderit bona,
Tribus judicibus culpa labentibus,
Quos terra repulit mortuos sæpius.

Exorant populi Martyrem ; Inquiunt :
Oramus, Domine, præcipe protinus ;
Terra ut suscipiat corpora judicium,
Quæ scatens putrida, vermibus funditur.

Clementer lachrymas sarculum accipit,
C Designans locum ubi corpora condere
Deberent : veniam da, Pie poscimus
Martyr ; nos humiles credimus in Deum.

Lætentur omnium corda volentium
Cœlestis patriæ quærere gaudia ;
Et pravi faciant nulla nocentia,
Ut venti a facie stipula pervolent.

Te Martyr lachrymis vernule poscimus :
Per te omnipotens Conditor ocyus
Durum quo premimur hoc jugum auferat ;
Et lætos faciat sæcula in omnia.

Jam Summe Domine respice saucium
Delictis populum : dele chirographum ;
Et nostrum gemitum cerne propitius,
Dans nobis auxilium tempore congruo.

D Defunctis requiem omnibus, Optime
Concede : tempora prospera tribue ;
Victum pauperibus ; subsidium viduis ;
Omnes percipiant, quod pie postulant.

Te nostra jubilet gloria perpetim,
Qui solus Dominus trinus et unus est
Jugi imperio sæcula continens,
Et cuncta dominans omnibus imperans.

Sit Trino Domino gloria sedula,
Regnum perpetuum, atque potentia ;
Virtute solida, qui regit omnia
Sustentans condita pie per sæcula.

Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem, *mutatis nominibus. fol.* CLXXXVIII.

Capitula. Auctor lucis, fons luminis, et immensi claritas splendoris, Christe, ingeniti Patris unigenita proles, qui athletæ tuo Tyrso perenni fontis lavacro sitienti portitorem luminis nuntium cœlis destinasti ; ut ille eum exterius luminaret, quem ab intus accenderas ; ut fieret lucerna pedibus, qui esset lustrator mentis assiduus : arde quæsumus in mentibus nostris almo ignis tui fervore, quem te ab arce missurum tuo es pollicitus ore : ut flagrans interius ad exurenda vitia, lustret exterius ad capienda præmia sempiterna, piissimus.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dei Filius, a quo beatissimus martyr Tyrsus ante est passione fruitus, quam lavacro. ipse nos munificet dono æternitatis, et remuneret præmio sempiterno benedictionis : ℟. Amen. Et qui illum mari projectum Angelis vehentibus reportavit ad littus, vos secum adsociet in polorum sedibus lætabundos ; ℟. Amen. Ut illum semper invocetis Deum et Patrem, quem idem martyr Tyrsus et sub aquis libera invocavit voce. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Respexit eos cum tribularentur. *fol.* CLXVIII.

Oratio. Venientes ad te benedicti Patris tui, Christe Dei Filius, percipere a te regnum, quod eis præparatum esse prædixisti ab origine mundi ; fac ergo nos etsi immeriti eos adsequi : ut qui beatissimi martyris tui Tyrsi vel sociorum ejus festum incolimus, perenniter cum eisdem Sanctis jocunde mur : et sicut idem Martyrem tuum sectoribus serra non permisisti secari ; ita nos ejus suffragio a gremio matris Ecclesiæ nulla patiaris occasione divelli ; sed cum benedictis percipiamus regnum. quod Sanctis tuis pollicitus es in æterna sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

Ad Matutinum.

Antiphona. Da nobis lætitiam. *Psalmus* L. *Oratio.* Redde nobis. *fol.* CLXIII.

Antiphona. 1. Venite ad me Sancti mei, dicit Dominus : Vindemiate fructum laborum vestrorum, germen justitiæ, *P.* Cujus odor est magnus, sicut odor liliorum, et rosarum in tempore suo. ℣. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. P. Cujus odor. ℣. Gloria, et honor. P. Cujus.

Oratio. Venientes ad te Sancti tui, Domine, invitati, ut vindemient fructus laborum suorum; fac nos per misericordiam eos adsequi in viventium terra : ut qui beatissimum athletam tuum Tyrsum prius martyrio consecrasti, quam lavacro, prius fide, quam regeneratione, prius etiam supplicio, quam baptismo ; tu omnibus dimittas nobis peccata, et dones nobis regnum hereditatis perpetuæ : ut per bonam operationem, et conversationem perveniamus in paradisum delitiarum, [CCXVIII] et gaudentes de

A laborum nostrorum fructu, vindemiemus fructus nostros in gaudio æterno. ℟. Amen.

Antiphona 2. Venite ad me omnes Sancti mei, dicit Dominus, P. Qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. ℣. Venite filii, audite me : timorem Domini docebo vos ; P. Qui laboratis. ℣. Gloria, et honor. Q. Qui.

Oratio. Venientes ad te, Sancte Deus, omnes qui laboraverunt, et pro te multum sustinuerunt, ut eos requiescere facias, sicut promisisti eis dicens : Ego reficiam vos : fac ergo nos in Ecclesia tua orantes, eos tota mentis intentione adsequi, ut consequamur misericordiam tuam, ut pro merito non damnemur in pœna, qui ex nostro merito non meremur veniam: qui beatissimum Tyrsum prævenisti in benedictio-

B nem gratiæ, ostendens illi in tenebris lumen, et perfectionem gratiæ post laborem : rogamus ergo etsi immeriti, ut suffragio prædicti Martyris, labore nostro onerati, reficiamur cum Sanctis tuis verbi tui mellitlua doctrina in viventium terra. ℟. Amen.

Antiphona 3. Venite benedicti patris mei, dicit Dominus, P. Percipite regnum, quod præparatum est ab origine mundi. ℣. Accedite ad me, illuminamini : et vultus vestri non erubescent. P. Percipite regnum. ℣. Gloria, et honor. P. Percipite regnum.

Oratio. Venientes ad te benedicti Patris mei. *Quære retro in Vesperis præcedentibus.*

℟. Clarificatum est nomen Domini Jesu Christi in Sanctis pro patientia, et fide, in omnibus persecu-

C tionibus, quas sustinuerunt, P. Ut digni haberentur in regno Dei, pro quo et passi sunt. ℣. Deduxit eos in viam rectam : ut irent in civitatem habitationis. P. Ut digni. ℣. Gloria, et honor. P. Ut digni.

In Laudibus.

A*d Canticum. Antiphona.* Diligentes te, Domine, sicut sol. *Canticum.* Qui sponte obtulistis. *fol.* CLXIII. A*d Benedictus Antiphona.* Sancti, et humiles corde. *Canticum.* Benedictus es Domine. *fol.* VI *Sono.* Via justorum. *Lauda,* Laudate Dominum de Cœlis, Alleluia. P*salmus* CXLVIII. *fol.* CLXIX. *Prophetia.* Justi in perpetuum vivent, et apud. *fol.* CLXIV. *Hymnus.* Exulta nimium turba. *Quære retro in istis Vesperis præcedentibus. Et Supplicatio.* Oremus Redemptorem.

D *Capitula.* Domine Deus omnipotens tuorum ante mundi constitutionem præscius electorum, Tyrsi martyris tui et Comitum ejus annuis recursibus solemnia alacri voto suscipientibus dele cuncta delicta propitius : Et qui pro tuo nomino tot fantasque pertulit pœnas, suffragio suo nostras deleat culpas ; ut ejus precibus a cunctis peccaminum nexibus absoluti, ad te post transitum mereamur pervenire stola decoris induti Piissime.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda Laus Domini in Ecclesia Sanctorum. Alleluia. P. Lætetur Israel in eo, qui fecit ipsum. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Cantate Domino canticum

novum : quia mirabilia fecit. P. Lætetur Israel. ℣. A gloria, et honor. P. Lætetur Israel.

Benedictio. Interventu sanctorum Tyrsi et Comitum ejus cœlitus inlapsa Dei benedictio vos protegat, et ab omni malo defendat. ℟. Amen. Eorum precibus a cunctis incommodis tueamini, quorum festa amando suscipitis. ℟. Amen. Ut cum eis in æterna beatitudine participes sitis, quorum solemnia devotissime celebratis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

DIE II FEBRUARII.

IN FESTO PURIFICATIONIS SANCTÆ MARIÆ.

Ad Vesperos.

Lauda. Laudaverunt te Domine, omnes Angeli tui, et hymnum dixerunt, dum perficeres fabricam B cœli. Tuus est dies, et tua nox: P. Tu fecisti solem et lunam. ℣. Tu confirmasti in virtute tua mare. Tu contribulasti capita draconum super aquas. P. Tu fecisti.

Oratio. Laudant te, Domine, omnes Angeli tui, dum a te se creatos agnoscunt; et cunctam creaturam cœlestem atque terrenam te opifice subsistere ac disponi non ambigunt. [CCXIX] Dona ergo mentibus nostris, in omnibus operibus tuis tibi gloriam dare : et te solem justitiæ, perpetuo nobis fulgore clarescere lumen: quatenus nocturnas tenebras tua semper valeamus inluminatione vitare. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Sono. Alleluia. Justitia est plena dextera tua. Lætetur mons Sion, et exultent filiæ Judæ, *P.* Propter judicia tua. Alleluia, alleluia. ℣. Alleluia : Magnus C Dominus et laudabilis valde in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. Dilatans exultationes universæ terræ. *P.* Propter judicia.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. P. Jubilate Deo universa terra : Cantate, et exultate, et psallite. ℣. Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit. P. Jubilate Deo. ℣. Gloria, et honor. P. Jubilate Deo.

Oratio. Domine, quem hominem natum homines conspexerunt ; et prædictum fines terræ viderunt qui ante aliqua tempora prædictus es vocibus Prophetarum, et in tempore visus glorificatus es modulis populorum; concede propitius, vasa nos tua tibi permanere purissima : ut lucis auctor nos et jugiter D inlustres, et indesinenter inhabites. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Viderunt oculi mei salutare tuum, Domine, quod parasti in conspectu populorum. P. Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel. ℣. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! P. Lumen ad. ℣. Gloria, et honor. P. Lumen ad.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Notum fecit Dominus salutare suum : P. Ante conspectum gentium revelavit justitiam suam, Alleluia, alleluia. ℣. Memor fuit in æternum testamenti sui : verbi, quod mandavit in mille generationes. P. Ante conspectum. ℣. Gloria, et honor. P. Ante conspectum.

Hymnus.

Sacer Puritatum dies
Hodiernus rutilat,
Quo secundum carnem Christus
Templo Simeon traditur
Patri non adoptione
Sed coæternus genere.

Spiritu completur alvus
Incorruptæ Virginis,
Quæ pariens mansit cælebs
Virgo, quam puerperam
Illibatam Genitricem
Proles castam elegit.

Inde Simeon grandævus
Ovans ulnis accipit,
Amplexusque videbatur
Salutare Domini :
Resolve jam nunc in pace
Artus istos fragiles.

Sed nec illa impar Anna
Continentia gradiens,
Quam in flore juventutis
Conjux viduaverat,
Vagientem, confitetur,
Forè mundi Principem.

Tunc veneranda ex lege
Offeruntur munera
Turturum, columbarumque
Bina in sacrificio,
Quæ corporis, animæque
Puritatem docerent.

Gloria Deo potenti
In excelsis resonet ;
Gloriam canamus Christo,
Atque Sancto Spiritui :
Cui laus et potestas
In æterna sæcula.

Amen.

Supplicatio. Oremus pium et exaudibilem Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut nos gratia Presentationis ipsius, et Purificationis ejus genitricis Mariæ nobis salutem animæ, et corporis, et remissionem, et pacem propitius tribuere dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison. ℟. Christe eleison, Kyrie eleison.

Capitula. Jesu Domine, cujus admirabile nomen Angelus prædixit, Mater imposuit, Simeon cognovit, Anna laudavit; salva populum tuum in universo mundo, cujus extat nomen magnificum in cœlo : ut, qui solus es potentia gloriosus, sis etiam perditis miserationis indulgentia pius.

Pater noster. Liberati, a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Et, qui Simeonis justi manibus est susceptus, vos sibimet adsociet benedictione perpetua lætabundos. ℟. Amen. Idem, qui præcepto legis

suæ signum desectæ carnis accepit, omnes a nobis A sordes [ccxx] sui amoris connexione depurget; ℟. Amen. Et, qui vos filios Abrahæ in seipso, qui est semen ejus, benedicere promisit, hereditatis beatæ conlatione munificet. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Adnuncietur in Sion nomen Domini: P. Et laus ejus in Hierusalem. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Et timebunt gentes nomen tuum, Domine, et omnes reges terræ gloriam tuam. P. Et laus. ℣. Gloria, et honor. P. Et laus.

Oratio. Omnipotens Deus Pater et Domine, largire credenti tuo populo pacem: ut in templo tuo videamus Salutare tuum; quem Simeon justus ulnis suis accepit: ut, qui lumen ad revelationem gentium extitit, indultor criminum ipsemet creden- B tium sentiatur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

In nomine Domini.

Ad Matutinum.

Antiphona. Domini est salus: et super populum tuum benedictio tua. P*salmus* III.

Oratio. Tu es, Domine, salus, et tua est salus: hanc gaudemus in nobis largitam; hanc etiam usque in finem a te petimus largiendam: Effunde, quæsumus, super populum tuum benedictionem tuam: ut privetur maledictio pœnæ, et ditescat in nobis fructus justitiæ. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 1. Cum inducerent parentes puerum Jesum in templo, ut facerent pro eo secundum le- C gem Moysi: P. Accepit Simeon in manibus, et benedixit Deum. ℣. Magnus Dominus, et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. P. Accepit Simeon. ℣. Gloria, et honor. P. Accepit.

Oratio. Omnipotens Deus Pater. *Quære retro in istis Vesperis præcedentibus.*

Antiphona 2. Simeon in templo elevavit vocem, dicens: Nunc dimittis servum tuum in pace: P. Quia viderunt oculi mei salutare populi tui. ℣. Notum fecit Dominus salutare suum: ante conspectum gentium revelavit justitiam suam. P. Quia viderunt. ℣. Gloria, et honor. P. Quia viderunt.

Oratio. Beatam, Domine, illam justi tui Simeonis vocem fac in nobis pari diligentia personare: ut quia vidimus et credimus Salutare tuum: in pace, D cum jusseris dimittamur: non quo a te dimissos fines vitæ accipiamus; sed, per te absolutos a debito, in fine pacem sempiternam possideamus. R. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Vidimus gloriam Domini, gloriam quasi Unigeniti. P. A Patre plenum gratiæ, et veritatis. ℣. Sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri: Deus fundavit eam in sæcula. P. A Patre. ℣. Gloria, et honor. P. A Patre.

Oratio. Vidimus gloriam tuam, Domine, gloriam quasi Unigeniti a Patre, Unigenitum Deitate, Primogenitum munere: illic unicum Patris, hic præcipuum inter fratres: ibi cum Patre unum, hic in fratribus primum: illic æqualiter subsistentem, et in sinu Patris manentem, hic socios non derelinquentem; Largire ergo tuo fieri participes regno, quibus es propitiatus in Mundo: quibusque advenisti prius redemptor, existe in futuro remunerator. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Iste, qui natus est, redemptio nostra est, et Dominus, et Deus est. P. Iste consolabitur nos a plaga nostra, et a labore in terra captivitatis nostræ. ℣. Parvulus natus est nobis, filius datus est nobis, et factus est principatus ejus super humerum ejus. P. Iste consolabitur. ℣. Gloria, et honor. P. Iste consolabitur.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui es redemptio nostra et salus nostra, sana plagam contritionis nostræ: qui suscepisti carnem fragilitatis humanæ; et qui veniens onera nostra sublevare dignatus es, quæsumus, ut a malis operibus nostros labores evacues, nostra que studia pius in bono confirmes. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 1. Viderunt oculi mei salutare tuum Domine, P. Quod præparasti ad revelationem gentium. ℣. Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo Altissime: P. Quod præparasti. ℣. Gloria, et honor. P. Quod præparasti.

Oratio. Fac nos, Domine, ut Salutare tuum, quem oculis fidei vidimus, placabilem in judicio sentiamus: ut, qui ad revelationem præparatus est Gentium, non ad punitionem, sed ad salvationem se judicem ingerat redemptorum. ℟. Amen.

Antiphona 2. Tulerunt Jesum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est [ccxxi] in lege Domini. P. Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. ℣. Cantate Domino, et benedicite nomen ejus: bene nunciate de die in diem salutare ejus. P. Quia omne. ℣. Gloria, et honor. P. Quia omne.

Oratio. Domine Deus, qui omne masculinum, adaperiens vulvam, sanctum esse testaris; fac nos tibi in sanctitate, et justitia deservire: ut, qui vulvam materni uteri incorruptione sanctificas, æternæ sanctificationis præmio credentes adtollas: ut, qui gloriosum nomen tuum in gentibus nuntiant, remuneratorem te suum in futuro cognoscant. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Alleluia. Dederunt hostiam pro Jesu secundum quod scriptum est in lege Domini P. Par turturum, aut duos pullos columbarum: alleluia. ℣. Laudate nomen Domini: laudate servi Dominum. P. Par turturum. ℣. Gloria, et honor. P. Par turturum.

Oratio. Deus, qui in expiatione parientium par turturum, vel duos pullos tibi offerri præcipis columbarum; in vivam nos præpara hostiam, qui pro nobis ipse factus es hostia: ut, qui legem implere

venisti, non solvere, in nobis Evangelii gratiam digneris opulentius propagare. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Nunc, Domine, dabis populo tuo pacem : quia viderunt oculi mei salutare tuum. P. Lumen ad revelationem Gentium. ℣. Jocunditatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum. P. Lumen. ℣. Gloria, et honor. P. Lumen.

Oratio. Omnipotens Deus Pater et Domine, largire credenti tuo populo pacem : ut, qui Salutare tuum vidimus, visione gratiæ tuæ muneremur : Ut, qui lumen ad revelationem extitit Gentium, indultor criminum ipsemet credentium sentiatur. ℟. Amen.

Per.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Lætabuntur omnes. *Canticum.* De nocte vigilat. *Oratio.* Deus, qui notum fecisti. *fol.* 64.

Alia Antiphona de Cantico. Ego in Domino gloriabor : gaudebo in Deo Jesu meo.

Canticum (*Lucæ* I).

Nunc dimittis servum tuum, Domine, * secundum verbum tuum in pace :

Quia viderunt oculi mei salutare tuum, * quod parasti ante faciem omnium populorum.

Lumen ad revelationem gentium, * et gloriam plebis tuæ Israel.

Ad Benedictus. Antiphona. Tibi soli Deo honor, et gloria, virtus, et potestas in sæcula sæculorum.

Canticum. Benedictus. *fol.* 6. *Sono.* Alleluia. Justitia est plena dextera tua. *fol.* CLXXXII.

Lauda. Laudate Dominum de Cœlis alleluia : laudate eum in excelsis alleluia. Laudate eum omnes Angeli ejus : laudate eum omnes virtutes ejus : Alleluia, alleluia, alleluia. P*salmus* CXLVIII.

Prophetia. Audi me, Jacob, et Israel, quem. *fol.* 65. *Hymnus.* Sacer Puritatum dies. *Quære in Vesperis precedentibus. Et Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *Capitula.* Notum factum est salutare Domini. *fol.* 65. *Lauda.* Adnuncietur in Sion nomen Domini, et laus. *Benedictio.* Et qui Simeonis justi manibus. *Quære in Vesperis præcedentibus, fol.* CCXIX.

DIE V FEBRUARII.

IN FESTO SANCTÆ AGATHÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

Ad Vesperum.

Lauda. Speravit anima mea in Domino. *fol.* CLXXIX.

Sono. Dominus Deus cœli benedicat tibi : honor regni dabitur in manu tua ; P. Et adorabunt coram te filii multarum genitum : alleluia. ℣. Audi, filia Sion, quia exaltata es, et facies tua fulget in templo Dei : Sol justitiæ in gressu tuo orietur : alleluia. P. Et adorabunt.

Antiphona. Virgo prudentissima, quo progrederis ? *Lauda.* Specie, et pulchritudine tua. *fol.* CLXXX.

Hymnus.

Adesto, plebs fidissima,
Venustum festum : gratia
[CCXXII] Laudum deprome carmina,
Christoque vota maxima.

Beata virgo Agatha,
Fide et clara germine,
Mundi refellens noxia,
Adepta est cœlestia.

Hæc graviter Christum amans,
Ipsumque solum prædicans,
Extenta jussu Præsidis,
Arctatur in imo carceris.

Sævi furore judicis
Christi puella territur;
Sed virgo sancta impiis
Libare renuit aris.

Tu nunc demum Martyr acrius
Adficeris verberibus ;
Pectoris papilla tollitur,
Castumque corpus tunditur.

Magnus sed Christi senior.
Disrumpit claustra carceris :
Reddit papillam integram,
Curatque omnia vulnera.

Sic sic puella sanctior
Tanto adepta præmio,
Genu orando flectitur,
Fuditque cœlo spiritum.

Mox namque clarus juvenis
Tabellam scriptam deferens,
Mente sacra pronuncians
Defensionem Patriæ.

Nam, montis Æthnæ incendium
Cursu dum rapidissimo
Ad urbem pronum flectitur,
Claret puellæ meritum.

Tunc e sepulchro Martyris
Plebs sacrum velum deferunt,
Cujus pia præsentia
Extinguit mox incendia,

Jam Virgo nunc sanctissima
Plebi fideli proroga
Peccatorum indulgentiam.
Pacis reddendo commoda :

Quæ olim concives tuos
Magno ab igne eruis,
Tu redde nos jam liberos
Jugo remoto pessimo.

Sit cunctis, sit fidelibus
Locus quiete placidus :
Tutelam præsta orphanis,
Subsidiumque viduis.

Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.

Amen.

Supplicatio. Oremus, *mutato nomine. folio* CLXXXVIII.

Capitula. Deus conlator justitiæ, et castimoniæ

prærogator, a quo Agatha famula tua visitatam se fore respiciens, et in vulneratis membris recipit sanitatem ; et noctis medio revincta carcere, cœlesti promeretur inlustrari ex lumine ; tu luce illa Sancti Spiritus nostram inradians mentem, ad videndum te et corpore valentes et animo puriores effice : quo, dum spiritualis affectus in interno se diffuderit corde, fideli ad te ore proclamando conlaudent.

Pater noster. Liberati à malo. *fol.* 2.

Benedictio. Animarum vestrarum Christus Dominus vulnera tergat, qui beatissimam Agatham pro suo nomine abscisam non destitit curare mamillam : ℟. Amen. Atque, cujus meritis a finibus removit ac detraxit incendia, ejus nunc opitulatione flammam a vobis malæ cupiditatis retorqueat ; ℟. Amen. Ut, quæ cœlesti inscriptione liberatrix advocata est patriæ, omnes in commune patrocinio indefesso conservet. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Sicut palma exaltata sum. *fol.* CLXXX.

Oratio. Deus, qui sanctæ Agathæ fidei baptismo stolam induis, et gloriæ tuæ vestimentis exornas, dum eam post martyrii palmam laureando coronas ; concede nobis, precibus ejus, ut confessionis veridicæ vestiti decore, justitia induti et sanctitate, futura tibi præsentemur in requie. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini nostri Jesu Christi.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea, Domine, aperies : et os meum annuntiabit laudem tuam. *Psalm.* L.

Oratio. Exultent, Domine, labia. *fol.* CLXXX.

Antiphona 1. Virgo sapiens benedicetur : timorem autem Domini ipsa conlaudat. Date ei de fructu manuum suarum. *P.* Ut laudentur in portis opera ejus. ℣. Labores fructuum tuorum manducabis : beatus es, et bene tibi erit. *P.* Ut laudentur. ℣. Gloria, et honor. *P.* Ut laudentur.

Oratio. Virgo Christi Agatha, quæ utique sapiens benediceris, et Dei in atriis [CCXXIII] coronaris, dum de fructu manuum tuarum a Domino veniam promereris ; detur nobis, quæsumus, tui merito sapientiæ laudationem habere, et in Christi timore te adjuvante permanere, ut mereamur ab illo in perpetuum benedici. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Virgo prudentissima, quo progrederis quasi aurora valde rutilans ? filia Sion, *P.* Tota formosa et suavis es : pulchra, ut Luna, electa, ut Sol. ℣. Specie tua, et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna, propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam : et deducet te mirabiliter dextera tua. *P.* Tota formosa. ℣. Gloria, et honor. P. Tota formosa.

Oratio. Virgo tua, Christe, Agatha prudenter gloriosa effecta est, quæ, consurgenti auroræ comparata, pulchra atque, electa, ut Sol, probatur, et Luna ; dum clariori rutilans lumine, ut Luna plena clarescit in sanguine ; et, ut Sol flagrans atque imminutionem sui nesciens, sanctitatis persistit in opere. Da ergo nobis, ut interventu prædictæ Martyris apud te obtinere indulgentiam mereamur. qui nunc pro delictis lachrymas fundimus, vel gemitus exhibemus. ℟. Amen. Per misericordiam.

Antiphona 3. Virgo Israel, expandi amictum meum super te, dicit Dominus, *P.* Et indui te stola decoris. Alleluia, alleluia. ℣. Ædificans Hierusalem Dominus : et dispersiones Israel congregans. *P.* et indui te. ℣. Gloria, et honor. P. Et indui te.

Oratio. Deus, qui Sanctæ Agathæ. *Quære retro in Vesperis præcedentibus.*

℟. Egredere inter lilia, o pulchra filia Hierusalem, quia perfecta es et decora, et reprehensio in te non est : ascende quasi sponsa Libanum. *P.* Et percipe benedictionem fidei a Domino Deo tuo. ℣. Surge propera, amica mea formosa, et veni. P. Et percipe. ℣. Gloria, et honor, *P.* Et percipe.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui ita in spiritu tuo sanctam Agatham martyrem inflammasti, ut et lasciviæ superaret flammam, et eam ignis exterior non ureret, eadem interveniente, misericordiæ tuæ nobis rorem infunde : ut naturale incendium extinguamus, dum salutare remedium obtinemus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Benedictus Dominus, qui induit me. *Canticum.* Gaudens gaudebo in Domino. *Ad Benedictus. Antiphona.* Filia Sion, benedic. *Canticum.* Benedictus es Domine. *Sono.* Dominus Deus cœli benedicat tibi. *Lauda.* Laudate Dominum de cœlis. *Psalmus* CXLVIII. *Prophetia.* Longe Dominus apparuit. *fol.* CLXXXI.

Hymnus.

Festum insigne prodit coruscum :
Voces in aula resonent cunctorum :
Deo, dicata plebs alumna tota
Pandite vota.

Hæc virgo sancta, germineque clara
Sæculi cuncta respuit caduca ;
Christum secuta, acriori pœnæ
Subdidit membra.

Judex iniquus ipse Quintianus,
Virginem sanctam Agatham cum vidit,
Decem malignis feminis obscœnis
Tradi præcepit :

Quam cum vidissent, blandiuntur verbis :
Audi præceptum Judicis monentis :
Adora deos, et lucrare vitam,
Præmiaque multa.

Sed fide plena nobilis puella
Execrat cuncta vanitatum verba ;
Spemque fixam retinet in Christo
Semper invicta :

Quam Quintianus præsentari jubens,
Idola vana cogit adoranda ;
Fortis puella retinet in Christo
Fidem perfectam.

Iratus judex sibilat crudelis :

Tortores suos excitat immanis,
Torqueri jubet delicatum corpus
Puellæ sacrum.
Pœnas inlatas viriliter portat:
Corpus intactum Domino conservat:
Fide, qua credit, omnia tormenta
Fortiter vincit.
Additur pœna crudelis et sæva:
Virginis sacræ torquetur mamilla:
Diuque torta, abscidi præcepit
Ubera sacra.
Tunc virgo sancta in carcere trusa,
Fortis in Christo est athleta,
[CCXXIV] Cujus e cœlis Angelica cura
Sanat mamillam.
Splendor sanctus tenebras inlustrat:
Per totam noctem lux e cœlis emicat:
Pavore multo territi custodes
Fugiunt omnes.
Furore plenus ultroneus tortor
Testas acutas, ignitos carbones
Corpus sacratum volutari jubet
Latere nudo.
En terræmotus factus est immanis,
Mœrorque cunctos terruit tortores:
Unum oppressit nomine Silvanum
Pars parietis.
Omnis conventus ille civitatis,
Tremore viso, sic concurrunt omnes
Judicem sævum volentes occidi:
Fugiit ipse.
Post virgo læta ergastulis clausa,
Expandit manus, Dominum exorans,
Sacram efflavit animam in cœlos
Toga cum Sanctis.
Angelus Dei descendit de cœlo,
Corpusque sanctum tumulat, honoris
Tabulas signat aureis scriptas
Litteris sacris.
Judex iniquus, numquam erubescens,
Volvens inquirit ejus facultates:
Pessima morte morsibus equorum
Nece vastatur.
Mira tam satis prodierunt signa
Anni vertentis facta comprobantia:
Æthnæus ipse mons eructavit
Ignem ardentem.
Videntes cuncti rogum venientem,
Velum sepulchri simul expandentes,
Ignis stettit, honorificandum
Corpus beatum.
Deus, qui tanta tribuisti dona
Virgini tuæ cœlestia regna;
Nobis indignis ob honorem ejus
Dilue culpas.
Ob cujus laudem Clerus decantans,
Precibus ejus tibi sit acceptum
Ratumque reddat plebis tuæ victum
Honore sacrum.
A Sacerdos vita habeatur clarus:
Moribus bonis tibi sit ornatus,
Ut digne possit tuum immolare
Corpus beatum.
Cujusque festum annuis recursibus
Laudum honoris persolvimus votum,
Ejus obtentu lætemur cum Sanctis
Tuis in cœlo.
Hæc in honorem, carminaque dixit,
Virginis sacræ et merita narravit,
Tuo ex dono heres sit in cœli
Sanctorum choro.
Gloria tibi Patri glorioso,
Et Jesu Christo Redemptori nostro
Qui tecum regnat cum Spiritu Sancto
B Juge per ævum.
Amen.

Supplicatio. Oremus, *mutato nomine, fol.* CLXXXVIII.

Capitula. Domine Jesu Christe, cui virgo, et martyr Agatha, et integritate jungitur, et sanguine sociatur, dum tibi et castimoniam vovit, et pro te sanguinem fudit; præsta famulis supplicantibus, ut, expiati a peccatis tibi ita adhæreamus, ne a te ulterius recedamus.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Sicut palma. *fol.* CLXXX. *Benedictio*. Animarum vestrarum Christus. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

DIE VII FEBRUARII.

IN FESTO SANCTÆ DOROTHEÆ VIRGINIS ET MARTYRIS,

Ad Vesperum.

C *Lauda*. Exortum est *Sono*. Justorum animæ. *fol.* CLXII. *Antiphona*. Sancti sicut rosæ germinant. *fol.* CLXV. *Lauda*. Sanguinem Sanctorum requiram eum. *Fol.* CLXII.

Hymnus.

Christe, lux lucis vera, Deus Angelorum,
Vita sanctorum, salus innocentum,
Plebs pia optat celebrare festum:
Accipe votum.
En tua virgo Dorothea sancta
Te sequens, semper puro corde amat,
Et suum corpus tibi castum optat
Menteque pura.
Duplici portat merito coronam,
Dum manet virgo, fudit et beatum
Sanguinem prompte proprium, volendo
Vincere mortem.
Judicis jussu capitur cruenti,
Sicque flagellis cruciatur diris;
[CCXXV] Sed manet constans, deridendo nigra
Idola muta.
Tum duas lapsu graviter ruentes,
Una Crystetes vocitas soror,
Sive Callistes, tibi conquisivit.
Igne pietas.
Tenditur post hinc in catasta Martyr,
Sustinens pœnas diu, verberata:
Sic Deo dignam animam donavit

Sanguine fuso.
Theophilo mittit niveum puerum
Cum rosis tribus, totidemque malis :
Vidit, et stupet nimium sagace
Munus, et aptum.
Hic fide plenus vocinando Christum
Intimat : Credi potuit Tyranno,
Vertex abscissus meruisse claram
Ætheris aulam.
Nunc fave, Virgo, precibus tuorum :
Servulis præbe veniam malorum :
Fac tuos nobis socios patronos
Longum in ævum.
Simus ut vestro placidi amore,
Festa qui digno colimus honore :
Pacis utamur pariter connexi
Munere digno.
Pestis abscedat, fugiatque languor :
Quod jugum premit populos, depelle :
Sit quies defunctis, medicina ægris;
Vitaque apta.
Simul ut tecum, Dorothea sancta,
Aulam cœlorum teneamus amplam,
Nostraque Christo sint reboantia
Ora canora,
Gloriam psallat chorus, et resultet :
Gloriam dicat, canat, et revolvat :
Nomini trino, Deitati soli
Sidera clament.
Amen.

Supplicatio. Oremus, *mutato nomine, folio* CLXXXVII.

Capitula. Fac nos, Domine Jesu Christe, ad te converti, et in tui timore permanere, qui Theophilum martyrem tuum ad te converti fecisti ex aspectu delectabilis pomi : quod sicut menti ejus in tribus malis, totidemque rosis sacramentum insinuans Trinitatis ad culmen eum perfectæ fecisti pertingere passionis, supplicio eum glorificans crucis ; sic nos odore charitatis tuæ, reficiens, et actu fac tibi placabiles et corpore fortiores : ut utraque virtute valentes post te in odorem unguentorum tuorum curramus, et paternis affectibus implorantum te erga nos semper placabilem sentiamus, cum ad te proclamaverimus.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Redemptor vester ac Dominus Dorotheæ vos virginis suffragio muniat, qui per eam Crystetem et Callisten pœnitudinis acceptavit lamenta : ℟. Amen. Ac sicut illæ post lapsum ad salutis viam reversæ sunt, sic vos, relictis superstitionibus mundi, sequamini Christum ; ℟. Amen. Ut ejus sequendo vestigia exemplo Theophili odore Christi repleamini et gratia. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Gaudium sempiternum. *fol.* CLXII.

Oratio. Memoriæ sanctæ ac venerabilis Dorotheæ virginis ac martyris tuæ, sicut rosa floruit ejus martyrii sanguis : Domine Deus, qui electos inter pœnas
A confortas, et peccatores sine mora justificas ; qui tribus malis, totidem rosis Dorotheæ votis expetita concessisti, et Theophilum regni tui coheredem fecisti : eorum precibus emundemur ab omni contagione peccaminum ; pacemque cum eis capiamus in terra viventium. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

Ad Matutinum.

Antiphona. Da nobis lætitiam. *Psalmus* L. *Oratio.* Redde nobis, Domine. *fol.* CLXIII.

Antiphona 1. Sanctorum ossa germinabunt de loco suo ; P. Et nomina eorum sicut lilia munda floruerunt. ℣. Multæ tribulationes justorum : et de his omnibus liberavit eos Dominus. P. Et nomina.
B ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et nomina.

Oratio. Deus desperantium salus, et errantium via, et peccantibus medicina, qui beatissimas virgines Crysteten et Callisten, quas insidiis hostis antiquus a proposito submoverat Christi tui, prædicamentis simul ac precibus famulæ tuæ Dorotheæ ad cultum Christianæ fidei revocasti ; pietas tua a nobis ita peccandi casum depellat : ac præsta nobis, ut germinemus de loco nostro in diem adventus tui ; et sicut lilia munda, floreamus in conspectu tuo ab omni delicto securi ac liberi. ℟. Amen.

Antiphona 2. Germinabunt sancti sicut lilium. P. Et florebunt sicut rosæ memoriæ eorum. [CCXXVI] ℣. Justus, ut palma florebit : et sicut cedrus, quæ est in Libano, multiplicabitur. P. Et florebunt. ℣.
C Gloria, et honor. P. Et florebunt.

Oratio. Memoriæ sanctæ ac venerabilis. *Quære retro in Vesperis præcedentibus.*

Antiphona 3. Florete Sancti sicut rosa plantata super aquas : P. Et quasi lilium date odorem suavitatis. ℣. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. P. Et quasi lilium. ℣. Gloria, et honor. P. Et quasi lilium.

Oratio. Domine Jesu Christe, cui sancta virgo tua Dorothea, velut rosa plantata, floruit, dum in martyrio pro te sanguinem fudit ; et sicut litium odorem suavissimum dedit (te enim annuente respectu ornatur, fide adjuvatur, ex opere consecratur in passione) supplicum precibus benignus intende : et per pœnitentiam nos tibi facias complacere, et per
D honestos mores tibi conjungi. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Justi in perpetuum vivent, P. Et apud Deum est merces eorum. ℣. Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. P. Et apud Deum. ℣. Gloria, et honor. P. Et apud.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Diligentes te Domine. *Canticum.* Qui sponte obtulistis. *fol.* CLXIII. *Ad Benedictus. Antiphona.* Sancti, et humiles. *Canticum.* Benedictus es Domine. *fol.* 6. *Sono.* Salus justorum a Domino. *Lauda.* Laudate Dominum de cœlis. *Psalmus* CXLVII. *Prophetia.* Justorum animæ. *fol.*

CLXVIII. *Hymnus.* Te decet *fol.* XCVI. *Capitula.* Fac nos, Domine. *Lauda.* Gaudium sempiternum. *Benedictio.* Redemptor vester. *Quære retro in Vesperis præcedentibus.*

DIE XII FEBRUARII.

IN FESTO SANCTÆ EULALIÆ VIRGINIS, BARCHINONENSIS.

Ad Vesperum.

Lauda. Speravit anima mea in Domine. *Sono.* Alleluia. Psallam nomini tuo, Deus. *Antiphona,* Virgo prudentissima. *Lauda.* Specie et pulchritudine tua. *fol.* CLXXIX.

Hymnus.

Fulget hic honor sepulchri
Martyris Eulaliæ,
Quem sacro signavit idem
Passionum stigmate ;
Huc vocat adesse cunctos :
Convenit occurrere.

Germinis hujus propago,
Vel caterva confluens,
Barchinona augusta semper,
Stirpe aucta insigni,
Civium florens corona,
Plebs fidelis inclyta.

Virginem videte vestram,
Quam sit index gloriæ ;
Quæ fide probata terret
Sic furentem judicem,
Prædicans Crucis honorem,
Vel salutis Judicem.

Hæc enim cæsa catomis
Sistitur equuleo,
Cæditur, exungulatur,
Atque flammis uritur ;
Terminum habere laudis
Inter ista nesciens.

Ambiens Crucis patronum,
In Cruce suspenditur :
Corpus illic ad honorem
Nix polorum protegit :
Sic calore plena sancto,
Passionem sustulit ;

Hujus ex ore columba,
Jam solutis artubus,
Prosilit mire per auras,
Ceu volatu percito :
Virginem vicisse clamans
In supernis sedibus :

Quam tamen Dei puella
Gestiens præcurrere.
Lege jam mortis peracta,
Gaudiis adtollitur :
Sicque risu corporato,
Corda mulcet flentium.

Lucida felix per orbem
Barchinon adtolleris,
Quæ sinu pignus retentans
Tam salubre, tam pium ;
Scilicet, tanti habendo
Corporis consortium.

O beata sponsa Christi
[CCXXVII] Virgo clementissima,
Suscipe jam singulorum
Vota, vel suspiria :
Postulans Christum precatu,
Quo gementes audiat ;

Non iniquis serviamus
Mente factionibus ;
Non caro jugum rebellis
Suave Christi renuat ;
Sed sacri caloris omnes
Sanctitate fulgeant :

Solve quod tædet, quod urget
Mortis ad perniciem,
Pestilens morbus recedat ;
Mucro hostis subruat ;
Vita sit tranquilla cunctis ;
Sint quieta tempora :

Civibus occurre, Civis.
Et salutem porrige ;
Esto sic patrona nobis
In relatu gratiæ,
Sicut es vicina cœlis
Ad favorem gloriæ.

Inter hæc admixtus ipse
Conquirat et Quiricus,
Qui tui locum sepulchri
Regulis monasticis
Ad honorem consecravit
Sempiterni numinis :

Ut mei post claustra carnis
Sis memor in æthere ;
Et minus, quod hic peregi,
Tu valenter suppleas :
Hæc tibi perlata vota,
Vel camœna consecrans.

Gloria Patri, Natoque
Semper, et Paraclito :
Laus, potestas, atque virtus,
Gratiarum copia :
Quem Deum cuncta fatentur
Sæculorum sæcula.

Amen.

Supplicatio. Oremus, *mutato nomine, fol.* CLXXXII.

Capitula. Adest, Domine, beatæ virginis Eulaliæ festum, quod annuis recursibus suscipimus incolendum, in quo eadem martyr Barchinonensium civis et incola genitale solum meritorum titulis prætulit, honore etiam inlustravit sepulchri ; dum, quod vivæ vocis ædificat verbo, effusi sanguinis docet exemplo : hæc enim ad passionem læta prosiliens, forum adit intrepida, et verbis tonantibus profanum Judicem correptura, passioni se obtulit non quæsita. Rogamus ergo te piissime Deus, ut facias nos simili accensione amoris tui strenuos, et sanctitatis perfectione idoneos : ut sicut in hac die prædictæ Martyris tuæ passionem veneramur et sepulchrum ;

ita a passionibus nostris vel sepulchris nostrorum A criminum liberati perducamur ad cœlum.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dei Filius, qui examine beatæ Virginis corpus niveo candore vestivit, vestiri nos faciat justitiæ stolis et operibus sanctitatis : ℟. Amen. Et qui eam ultra ætatem fecit esse victricem, ejus interventu peccata vestra habeant finem, et in futuro suis meritis mereamur invenire quietem : ℟. Amen. Ut, qui illi post flammas contulit Cœlum, nobis post lapsum tribuat consortium Angelorum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Sicut palma exaltata. *fol*. CLXXX.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui ita in Spiritu tuo sanctam Eulaliam martyrem inflammasti, ut et B lasciviæ superaret flammam, et eam ignis exterior non ureret ; eadem interveniente misericordiæ tuæ nobis rorem infunde: ut naturale incendium extinguamus, dum salutare remedium obtinemus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

Ad Matutinum

Antiphona. Labia mea, Domine, aperies. *Psalmus*. L.

Oratio. Exultent, Domine, labia. *fol*. CLXXX.

Antiphona 1. Benedicta igitur tu Deo altissimo, præ omnibus mulieribus ; P. Propter hoc non discedet laus tua ab ore hominum usque in sæculum. C ℣. Non det in commotionem pedem tuum : neque obdormitet, qui custodit te. P. Propter hoc. ℣. Gloria, et honor. P. Propter hoc.

Oratio. Benedicta igitur virgo Eulalia a te Deo altissimo et rege æterno, dum illam victricem fecisti de glorioso martyrio : quapropter sanctam clementiam tuam rogamus atque exposcimus, ut laus tua jugiter ab ore nostro nullatenus discedat ; sed ob meritum prædictæ virginis corda nostra in lege tua præpolleant. ℟. Amen.

Per misericordiam.

[CCXXVIII] *Antiphona* 2. Grandis pulchritudo ejus exaltata est super sidera, et brachium ejus in nubibus cœli ; P. Et nomen ejus in æternum permanet ℣. Deus, cum egredieris coram populo tuo, dum D pertransieris per desertum. P. Et nomen. ℣. Gloria Patri. P. Et nomen.

Oratio. Grandis itaque est pulchritudo beatæ virginis Eulaliæ, Domine Deus, quam tu utique super sidera exaltasti, dum per martyrii gloriam eam coronasti: præbe nobis precibus ejus, peccatis nostris carere, et in æternum tecum sine fine gaudere. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Induta es vestimentis gloriæ, et ornata es ornamentis sanctis ; P. Et facta es speciosa, invocata a Domino. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Qui posuit fines tuos pacem ? et adipe frumenti satiat te. P. Et facta es. ℣. Gloria, et honor. P. Et facta es.

Oratio, Indue nos, Domine Jesu Christe, vestimentis gloriæ, quibus possimus ad convivium mensæ tuæ pervenire ; ut, qui beatissimam Eulaliam virginem per sanguinis effusionem corona decoris laureasti : nos quoque speciosi ante te appareamus in diem judicii, dum veneris. ℟. Amen.

Per.

℟. Egredere inter lilia opaca, filia Hierusalem, quia perfecta es et decora, et reprehensio in te non est : adscende, quasi sponsa, Libanum, P. Et percipe benedictionem fidei a Domino Deo tuo. ℣. Surge, propera amica mea, formosa, et veni. P. Et percipe benedictionem. ℣. Gloria, et honor. P. Et percipe.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui ita in Spiritu. *Quære retro in istis Vesperis præcedentibus.*

In Laudibus.

Ad Canticum Antiphona. Benedictus Dominus, qui induit me. *Canticum*. Gaudens gaudebo, *fol*. LXXXI.

Ad Benedictus. Antiphona. Filia Sion, benedic.

Canticum. Benedictus es Domine Deus.

Sono. Dominus Deus cœli.

Lauda. Laudate Dominum. *Psalmus* CXLVIII.

ârophetia. Longe Dominus apparuit. *Quære fol*. CLXXXI. *Hymnus*. Fulget hic honor sepulchri. *Quære retro in Vesperis præcedentibus*.

Capitula. Deus qui beatam Eulaliam ante passionis gratiam, dum scanderet, qui oraret, misericorditer docuisti; dum in eam non facis perire quicquid a te docta fortiter credisset : dona nobis, ut quod de te scimus et credimus, ad æternam profecisse nobis lætitiam gratulemur: ut, quod illa effusione per te meruit sanguis, nos in his famuli tui Domini nostri mereamur adipisci verbis.

Pater noster. Liberati a malo. *fol*. 2.

Lauda. Sicut palma exaltata. *Quære fol*. CLXXX.

Benedictio. Christus Dominus, qui Eulaliam virginem inter flammos fecit esse victricem, faciat vos ejus precibus, et incentiva carnis vestræ devincere: et perfecte devicto mundo, victoriam in cœlestibus reportare. ℟. Amen. Et qui in sepulchro virginis corpus nivalibus prunis vestivit ad gloriam, ipse corda vestra et corpora vestiat ad perfectionem sanctitatis ; ℟. Amen. Ut cum illa perfectionis mereamini palmam, cujus nunc obsequentes celebratis solemnitatem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini nostri.

DIE XXII.

IN CATHEDRA SANCTI PETRI APOSTOLI

Ad Vesperum.

Lauda. Speravit anima. *Sono*. Deus præcinxit *Quære fol*. CLVI.

Antiphona. Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. P. Et tibi dabo claves regni cœlorum. ℣. Posui adjutorium super poten-

tem: et exaltavi electum de plebe mea. P. Et tibi dabo. ℣. Gloria, et honor. P. Et tibi dabo.

Lauda. Statuit Dominus. *fol.* CLVII.

Hymnus.

O Petre, petra Ecclesiæ,
Isto beatus nomine,
Quo Petrus a Christo Petra,
Non Petra Christus a Petro.

Tu es Petrus, qui Filii
Confessor es primus Dei,
Hinc primus in membris manens;
[CCXXIX] Ob quod Cephas vocatus es.

Adest dies, quo Romula
In urbe consecratus es;
In quo Cathedræ nobilis
Scandens Thronum adtolleris:

Conluta ergo gloriæ
In te potestas affluens,
Ligata solvat crimina,
Portasque Averni obstruat.

Hinc Pastor ut piissimus,
Oves guberna creditas;
Intus forisque pervigil,
Ne subruamur, protege.

Et clave illa cœlica
Solvens catenas criminum,
Illic reos inducito,
Quo clarus extas Janitor.

Ut cum polorum Principi
Recisa membra jusseris,
Sit Trinitati gloria
Per cuncta semper sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi. *mutato nomine, fol.* CLXXXVII.

Capitula. Christe, Dei Filius, qui supra petram ædificaturus Ecclesiam tuam, beatissimo Petro Apostolorum omnium principi claves regni cœlorum dedisti: ut in illo primum ædificata Ecclesia surgeret, qui te non solum diligere, sed et confiteri prior ceteris meruit; da nobis, ut in die, qua ille recturus Ecclesiam, suscepit pontificalis gratiæ culmen, suscipiamus nos perfectionis omnimodæ sanctitatem ut per eum, cui ligandi et solvendi concessisti in Ecclesia potestatem, per eum nostra jubeas peccata dimittere, et ad regnum nos vitæ perpetuæ introire.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dei Filius, qui beatissimo Petro Apostolo suo primam fundavit Ecclesiam, fundatos vos in se sine macula et ruga possideat. ℟. Amen. Et, qui illum elegit primum sibi clavicularium regni, vos conservatores efficiat sui præcepti. ℣. Amen. Ut Jussu, per quem patescit janua cœli, per eum peccatores evadatis portas inferni. ℟. Amen.

Per.

Lauda. Diligam eum ex toto corde mes, dicit Dominus. P. Et erit, sicut ros: Israel germinabit sicut lilium, et florebit. Alleluia, alleluia. ℣. Et ego primo genitum ponam illum excelsum apud reges

A terræ. P. Et erit. ℣. Gloria, et honor. P. Et erit sicut.

Oratio. Christe, Dei Filius, qui oves tuas sub testimonio dilectionis tuæ Apostolorum omnium principi Petro commendasti; quo, et te interrogante, et illo respondente, dignus probaretur esse Pastor Ecclesiæ: fac nos veridice amatores tuos semper existere: ut per eum, qui claves datæ sunt regni, per eum nos intrare mereamur januam Paradisi. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea, Domine. P*salmus*. L.

Oratio. Exultent, Domine, labia nostra.

Quære folio CLXXX.

B *Antiphona* 1. Beatus es simon Bar-Jona: *P*. Quia caro et sanguis non revelavit tibi; sed Pater meus, qui in cœlis est, ipse elegit te. ℣. Deus decorum Dominus locutus est: et vocavit terram, a solis ortu usque ad occasum: ex Sion species decoris ejus. P. Quia caro. ℣. Gloria. *P*. Quia caro.

Oratio. Hiesu Salvator noster et Dominus, qui primatum Apostolicæ dignitatis in beatissimo Petro Apostolo tuo conferre dignatus es; cujus prima vocatio nominis Bar-Jona legis dilectam generationem significat, Petrique vocabulum in Christo firmamentum Ecclesiæ sonat: largire nobis, eo suffragante: ut et doctrinis ejus vocatorum obsequia dependentes, perpetuæ hereditatis mereamur esse consortes: ut caro et sanguis, quæ revelationem tui ignorant, in nobis C dominatum non habeant; sed Spiritus tuus, quo ille plenus te confessus est Filium Dei, nos impleat ad promerendum præmium judicii post futuri. ℟. Amen

Per misericordiam.

Antiphona 2. Si diligis me, Simon Petre, pasce oves meas: tu nosti, Domine, quia amo te, *P*. Et animam meam ponam pro te. ℣. Tibi dixit cor meum, quæsivi faciem tuam: vultum tuum Domine requiram. *P*. Et animam. ℣. Gloria, et honor, P. Et animam.

Oratio. Christe, Dei Filius, qui oves. *Require vetro in istis Vesperis præcedentibus.*

Antiphona 3. Tanquam unum ex principibus elegit me Dominus, et ut virum fortem constituit me in prælium: *P*. Dedit mihi Dominus stolam candidam, et ornavit me corona. ℣. Benedictus Dominus D Deus meus [CCXXX] qui docet manus meas ad bellum, et digitos meos ad prælium. *P*. Dedit mihi. ℣. Gloria, et honor. *P*. Dedit mihi.

Oratio. Deus, Dei Filius, qui in te solidissima petra exaltasti Petrum, et per Petrum Ecclesiam, effectus illi in tribulatione fiducia, quo posset adversa cuncta superare præsentia; porrige nobis auxilium dexteræ tuæ, ut per eum qui in te post negationem redditus saluti meruit solidari, per eum nos digneris a vitiorum tentationibus eruere: ac fides nostra in nullo coram te apparens nutabunda, et animas et corpora pertrahat ad superna. ℟. Amen.

Per.

℟. Gratias agimus Deo, qui elegit te Pontificem e A
medio fratrum tuorum, et dedit tibi honorem sacerdotii; P. Ut immaculatam offeras oblationem Deo tuo. ℣. Ecce constituit te Dominus principem: et præfectum in Gentibus dedit te. P. Ut immaculatam. ℣. Gloria, et honor. P. Ut immaculatam.

Oratio. Christe, Filius Dei vivi, quem Petrus super petram solidatus vere confessus est, quia utique non petra a Petro, sed Petrus vocatus est a petra, in qua est fundata Ecclesia; te supplices deprecamur, ut idem, qui accepit claves regni cœlorum, peccatoribus pandat cœlestis viæ introitum: ut per quem doctrinæ sublimis exempla suscepimus, per eum æternæ vitæ nos suscepisse commoda sentiamus. ℟. Amen.

Per misericordiam. B

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Thronum gloriæ hereditans illi: dat votum optanti, et benedicet annos justi.

Canticum. Confirmatum est. *fol.* LXXXVI.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedictio Domini in mercedem.

Canticum. Benedictus es, Domine Deus. *fol.* 6. *Sono.* Deus præcinxit. *fol* CLVI.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis Alleluia, alleluia: laudate eum in excelsis. Alleluia, alleluia, *Psalmus* CXLVIII.

Prophetia.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* XXXII).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus; Ecce in justitia regnabit rex, B
et principibus ejus in judicio præerit. Non caligabunt oculi videntium, et aures audientium diligenter auscultabunt. Et cor stultorum intelliget scientiam, et lingua balborum velociter loquetur et plane. Non vocabitur ultra is, qui insipiens est, princeps: neque fraudulenter appellabitur major. Stultus enim fatua loquetur, et cor ejus faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem, et loquatur ad eum fraudulenter, et vacuam faciat animam: esurientis vasa pessima sunt: ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacii, cum loquetur pauperi judicium. Princeps vero ea, quæ digna sunt principe, cogitabit, et ipse super duces stabit. Mulieres opulentæ surgite, et audite vocem meam: filiæ confidenter percipite auribus eloquium meum, D
donec effundatur super vos spiritus de excelso: et erit desertum in Cermel, et Cermel in saltum reputabitur. Et habitabit in solutitudine judicium, et justitia in Cermel sedebit. Et erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium, et securitas usque in sempiternum. Et sedebit populus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta, ait Dominus omnipotens. ℟. Amen.

Hymnus. O Petre petra Ecclesiæ. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem *Quære retro in istis Vesperis præcedentibus.*

Capitula. Apostole Dei beatissime Petre, petra Ecclesiæ, pastor cœlestis aulæ, qui ob hoc, quod primus, filium Dei esse, confessus es Christum, claves meruisti percipere regni cœlorum; perceptæ hujus privilegio potestatis nostrorum omnium vincula dissolve, et illis gloriosus janitor adsta, nosque peccatores feliciter introducas.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. In psalterio et cithara *fol.* CLVIII. *Benedictio.* Christus Dei Filius. *Quære in istis Vesperis præcedentibus.*

DIE XXIV.

IN FESTO SANCTI MATHIÆ APOSTOLI.

Omnia dicantur unius Martyris præcipui folio CLVI, *et post Prophetiam legatur hæc Epistola.*

Lectio Actuum Apostolorum (*Cap.* I).

℟. Deo gratias.

In illis diebus exurgens Petrus in medio fratrum, dixit: Viri fratres, oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus [CCXXXI] Sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum; qui connumeratus erat in nobis, et sortitus fuerat sortem ministerii hujus. Hic itaque adquisivit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius; et diffusa sunt omnia viscera ejus, Et notum factum est omnibus habitantibus Hierusalem, ita ut appellaretur ager ille, lingua eorum, Acheldemach, hoc est, ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio ejus deserita, et non sit, qui habitet in ea: et episcopatum ejus accipit alius. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum congregati sunt in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis usque ad diem, qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri ex istis. Et statuerunt duos viros, Joseph, qui dicitur Barsabas, qui cognominatus est Justus, et Mathiam. Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda omnium nosti, ostende, quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus, et Apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut iret in locum suum. Et dederunt sortes eis, et cecidit sors super Mathiam, et adnumeratus est cum undecim Apostolis. ℟. Amen.

FESTA MARTII.

DIE III.

IN FESTO SANCTORUM HEMETERII, ET CELEDONII MARTYRUM.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum quatuor capparum fol. CLVX, *excepto Hymno ad Vesperos, Capitula, Benedictione, et Hymno ad Matutinum.*

Ad Vesperos.

Hymnus.

Scripta sunt Cælo duorum
Martyrum vocabula,
Aureis quæ Christus illic
Adnotavit litteris:
Sanguinis notis eadem
Scripta terris tradidit.
Pollet hoc felix per orbem

Terra Ibera stemmate :
Hic locus dignus tenendis
Ossibus visus Deo,
Qui beatorum pudicus
Esset hospes corporum.
Hic calentes hauxit undas,
Cædit ictu duplici :
Inlitas cruore sancto
Nunc arenas incolæ
Confrequentant obsecrantes
Voce, votis, munere,
Exter, hic nec non et urbis
Ut colonus advenit :
Fama nam terras in omneis
Præcucurrit proditrix,
Hic patronas esse mundi,
Quos precantes ambiunt.
Nemo puras hic rogando
Frustra congessit preces :
Lætus hinc tersis revertit
Supplicator fletibus :
Omne, quod justum poposcit,
Impetratum sentiens :
Tanta pro nostris periclis
Cura suffragantum est ;
Non sinunt inane, ut ullus
Voce murmur fuderit ;
Audiunt, statimque ad aurem
Regis æterni ferunt.
Inde largo fonte abyssi
Dona terris influunt,
Supplicum causas petitis
Quæ medelis inrigant :
Nil suis bonis negavit
Christus umquam testibus
Isti sunt quos nec catena
Dura, nec mors terruit,
Unicum Deum fateri
Sanguinis dispendio ;
Sanguinis sed tale damnum
Lux rependit longior ;
Hoc genus mortis decorum est :
Hoc probis dignum viris
Membra morbis excidenda
Texta venis languidis,
Hostico donare ferro,
Morte et hostem vincere :
Pulchra res ! ictum sub ense
Persecutoris patitur :
Nobilis per vulnus amplum
Porta justis panditur ;
Lota mens in fronte
Rubrosi decoris exilit.
Nec rudem crudi laboris
Ante vitam duxerant
Milites, quos ad perenne
Cingulum Christus vocat :
[CCXXXII] Sueta virtus bello ense
Armis militat sacratis,
A Cæsaris vexilla linquunt ;
Signum Crucis eligunt :
Proque ventosis draconum,
Quos gerebant palliis,
Præferunt insigne lignum,
Quod draconem subdidit.
Vile censent expeditis
Ferre dextris spiculum,
Machinis murum ferire,
Castra forte cingere,
Impias manus cruentis
Inquinare stragibus.
Forte tunc atrox, secundos
Israelis posteros,
Auctor aulæ mundialis
Ire ad aram jusserat :
Idolis litare nigris,
Esse Christi refugas.
Liberam succincta ferro
Pestis urgebat fidem :
Illa virgas, et secures,
Et bissulcas ungulas
Ultro fortis expectabat
Christi amore interrita.
Carcer inligata duris
Colla baccis impetit,
Barbaras forum per omne
Tortor exercet manus,
Veritas crimen putatur,
Vox fidelis plectitur :
Tunc et ense cæsa virtus
C Triste percussit solum,
Et rogis ingesta mæstis
Ore flammas sorbuit :
Dulce tunc justis cremari,
Dulce ferrum perpeti.
Æterno gloriam regi
Votivis cum gaudiis
Lætius sæculum per omne
Ovando concinite ;
Girum volventem, qui mundi
Usquequaque sustinet.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi, *mutatis nominibus, folio* CLXXXVII.

Capitula. Ecce sacrorum Fratrum sacra solemnia D celebrantes, te Deum pietatis intentione rogamus ; ut, quorum conditione corporum liberam dedicas terram, eorum precibus in pace omnem in tuo sanguine redemptam tuearis Ecclesiam : quo, eisdem suffragantibus, a te promereamur audiri, a quo præceptum suscepimus exorandi :

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Omnipotens Deus, ad quem beatissimi Hemetherius et Celedonius martyres ob confessionis fideique signaculum orarium atque anulum cœlis subvehenda miserunt, conservet vos utroque munere gratiarum ; ℟. Amen. Ut per eos et fidei et confessionis virtute pollentes : æterni cœlestis patriæ ha-

beamini cives, quorum hodie geminum festum celebratis ovantes. ℟. Amen. Quo, sicut alumna plebs de eorum gemina susceptione corporum gratulatur, sic tota Ecclesia eorum se tueri ac defendi patrociniis gratulemur. ℟. Amen.

Ad Matutinum hymnus.

Hic duorum chara fratrum
Concalescunt pectora;
Fida, quos per omne tempus
Junxerat sodalitas:
Stant parati ferre, quicquid
Sors tulisset ultima:

Seu foret præbenda cervix
Ad bipennem publicam:
Verberum post vim crepantum,
Post catastas igneas:
Sive pardis offerendum
Pectus, aut leonibus.

Nosne Christo procreati
Mammonæ dicabimur?
Et Dei formam gerentes
Serviemus sæculo?
Absit, ut cœlestis ignis
Se tenebris misceat:

Sit satis, quod capta primo
Vita sub chirographo,
Debitum persolvit omne
Functa rebus Cæsaris:
Tempus est Deo rependi
Quicquid est proprium Dei.

Ite signorum magistri,
Et vos tribuni adsistite,
Aureos offerte torques
Sauciorum præmio:
Clara vox hic Angelorum
Vocat stipendia;

Christus illic candidatis
Præsidet cohortibus,
Et throno regnans ab alto,
Damnat infames deos:
Quæque deridenda nobis
Monstra divos fingitis,

[ccxxxIII] Hæc loquentes obruuntur
Mille pœnis Martyres:
Nexibus manus utrasque
Flexus involvit rigor:
Et calybs adtrita colla
Duriter ambit circulis

O vetustatis silentis
Obsoleta oblivio!
Invidentur ista nobis,
Fama et ipsa extinguitur,
Chartulas blasphemus olim
Nam satelles abstulit;

Ne tenacibus libellis
Erudita sæcula
Ordinem, tempus, modumque
Passionis proditum,
Dulcibus linguis per aures
Posterorum spargerent:

Hoc tamen solum vetusta
Subtrahunt silentia,
Jugibus longum catenis
Ad capillum tracti,
Quo viros dolore tortor
Quave pompa ornaverit.

Illa laus occulta non est,
Nec senescit tempore:
Missa quod sursum per auras
Evolarunt munera,
Quæ viam patere cœli
Præmicando ostenderent,

Illius fidem figurans
Nube fertur anulus:
Hic sui dat pignus oris
Ut ferunt, orarium;
Quæ superno rapta flatu
Lucis intrant intimum.

Per poli liquentis axem
Fulgor auri absconditur;
Ac diu visum sequacem
Textilis candor fugit;
Subvehuntur usque in astra,
Nec videntur amplius:

Vidit hoc conventus adstans,
Ipse vidit carnifex,
Et manum repressit hærens,
Ac stupore obpalluit;
Sed tamen peregit ictum,
Ne periret gloria.

Jam ne credis, bruta quondam
Vasconum gentilitas,
Quam sacrum crudelis heroum
Immolarit sanguinem?
Credis in Deum relatum
Hostiarum spiritum?

Cerne quam palam feroces
Hic domantur dæmones,
Qui lupino capta ritu
Deformant præcordia;
Strangulant mentes et ipsas,
Seque miscent sensibus.

Tunc suo jam plenus hoste,
Sistitur furens homo,
Spumans, efflans salivas,
Cruda torquens lumina;
Expiandus quæstione
Non suorum criminum.

Audiens hæc tortor adest,
Ejulatu flebili:
Scinditur per flagra corpus,
Nec flagellum cernitur;
Crescit et supensus ipse
Vinculis latentibus est.

His modis spurcum latronem
Martyrum virtus quatit,
Hæc coercet, torquet, urit,
Hæc catenas incutit

Prædo vexatus relictis
E medullis exilit :
Linquit inlæsam rapinam,
Faucibus siccis fugit,
Ungue ab imo usque ad capillum
Salva reddit omnia,
Confitens ardere sese,
Nec gehennæ est incola.
Quid loquar, purgata longis
Alba morbis corpora?
Algidus cum decoloros
Horror artus concutit :
Hinc tumor vultum relinquit,
Hinc color verus redit.
Hoc bonum Salvator ipse,
Quo fruamur, præstitit,
Martyrum quod membra
Nostro consecravit oppido :
Sospitantque nunc Colonos
Quos Iberus alluit.
State nunc invictæ matres
Pro receptis parvulis,
Conjugum salute læta
Vox maritarum strepet :
Sit dies hæc festa nobis,
Sit sacrata gaudiis.
Gloria Patri, Natoque,
Semper et Paraclito
Laus, potestas, atque virtus,
Gratiarum copiaque;
Deum cuncta fatentur
Sæculorum sæcula.
Amen.

[CCXXXIV] FESTA APRILIS.

DIE XVI.

IN FESTO SANCTÆ ENGRATIÆ, VEL DECEM ET OCTO MARTYRUM.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fol. CLXII. *excepto Hymno, qui est iste* : Bis novem noster. *fol.* CL.

FESTA MAII.

DIE I.

IN FESTO SANCTI TORQUATI ET COMITUM EJUS EPISCOPORUM.

Ad Vesperum.

Lauda. Exortum est. *fol.* CLXII.

Sono. Alleluia. In omnem terram exivit sonus Sanctorum : P. Et in fines orbis terræ verba illorum Alleluia. ℣. Alleluia. Non sunt loquelæ neque sermones : quibus non audiantur voces eorum. P. Et in.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Alleluia. Isti sunt viri nominati in virtute : P. Doctores populi facientes judicium in doctrina sua. ℣. Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annunciat firmamentum. P. Doctores. ℣. Gloria, et honor. P. Doctores.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Disciplina et sapientia replevit illos Domi-
A nus. Alleluia; P. Creavit in illis gratiam Spiritus sancti sui : intellectu replevit corda eorum. Alleluia, alleluia. ℣. Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur : et de necessitatibus eorum liberavit eos. P. Creavit in illis. ℣. Gloria, et honor P. Creavit in illis.

Hymnus.

Urbis Romuleæ jam toga candida
Septem Pontificum destina promicat,
Missos Hesperiæ, quos ab Apostolis
Adsignat fidei prisca relatio.
Hi sunt perspicui luminis indices
Torquatus, Tesiphons, atque Hesychius;
Hinc Indaletius, sive Secundus est,
Juncti Euphrasio, Cæcilioque sunt.
Hi evangelico lampade præditi
B Lustrant occiduæ partis arentia;
Quo sic catholicis ignibus ardeant,
Ut cedant facibus furna nocentia.
Accis continuo proxima fit Viris
Bis senis stadiis, qua procul insident :
Mittunt adseclas escula quærere,
Quo fessa dapibus membra reficerent.
Illic discipuli Idola Gentium
Vanis inspiciunt ritibus excoli :
Quos dum sic agere fletibus immorant,
Terrentur potius ausibus impiis.
Mox insana fremens turba satellitum,
In his cum fidei stigmata nosceret,
Ad pontem fluvii usque per ardua
Incursu celeri hos agit in fugam.
C Sed pons prævalido murice fortior
In partes subito pronus resolvitur,
Justos ex manibus hostium eruens,
Hostes flumineo gurgite subruens.
Hæc prima fidei est via plebium,
Inter quos mulier sancta Luparia
Sanctos adgrediens cernit, et obsecrat,
Sanctorum monita pectore conlocans.
Tunc Christi famula obsequio parens
Sanctorum statuit condere fabricam,
Quo Baptisterii unda patesceret,
Et culpas omnium gratia tergeret.
Illic Sancta Dei femina tinguitur,
Et vitæ lavacro tincta renascitur :
Plebs hic continuo pervolat ad fidem,
Et fit catholico dogmate multiplex.
D Post hæc Pontificum chara sodalitas
Partitur properans septem in urbibus,
Ut divisa locis dogmata funderent,
Et sparsis populos ignibus urerent.
Per hos Hesperiæ finibus indita
Inluxit fidei gratia præcocax :
In signis variis, atque potentia
Virtutum, homines credere provocant.
Ex hinc justitiæ fructibus inclyti
Vitam multiplici fœnore terminant,
Consepti tumulis, urbibus in suis :
Sic sparso cinere, una corona est.
Hinc te turba potens unica septies

Oratu petimus pectoris abdita;
Ut vestris precibus, sidus in ætheris
Portemur socii civibus Angelis.
Sit trino Domino gloria unico,
Patri cum Genito, atque Paraclito;
Qui solus Dominus Trinus et Unus est,
Sæclorum valide sæcula continens.
Amen.

Supplicatio. Oremus, *mutatis nominibus, fol.* CLXII.

Capitula. Ecce Domine, nostrorum Præsulum memoriam facientes, quorum doctrinis fides Christiana nostris primum inlapsa est partibus; Torquati videlicet, Secundi, Indaletii, Tesiphontis, Euphrasii, Cæcilii [CCXXXV] et Hesychii, vespertinum tibi hoc lumen offerimus, obsecrantes, ut eorum nos precibus a criminum squalore depurges, et spiritualium charismatum gratia innoves, quorum præsentia occiduæ partis plagam visitare dignatus es.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Deus, qui Torquati et Sociorum ejus itineri gloriosus effectus est ductor, ipse vestrorum criminum sit indultor: ℟. Amen. Et, qui eorum Discipulos miro pontis fragmine liberavit ab impiis, vos eripiat a cunctis vitiorum carnalium incentivis; ℟. Amen. Ut illo ardore spiritus quo Christi nomen vestris partibus credimus prædicasse, eo valeatis et terrena respuere, et cœlestia semper animo retinere. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Vos estis vasa sancta Domino auro fulgente: Alleluia. P. Quia sponte obtulistis Domino Deo animas vestras. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Benedicti vos a Domino, pui fecit cælum et terram P. Quia sponte. ℣. Gloria, et honor. Q. Quia sponte.

Oratio. Beati vere, Domine, et nimio honore digni sunt, quorum tu portio esse dignatus es; ideoque interventu sanctorum tuorum Torquati et Sociorum ejus quicquid tibi ex nobis non militat, amor cœlestis patriæ in nobis flagrans usquequaque interimat: et post cum his Sanctis, quorum animæ in manu tua sunt, non pietas tua cœlesti in regno adjungat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

Ad Matutinum.

Antiphona. Da nobis. *Psalmus* L. *Oratio.* Redde nobis, Domine. *fol.* CLXIII.

Antiphona 1. Hi sunt, qui missi sunt per orbem terrarum, et prostraverunt se ante Agnum, P. Habentes phialas aureas plenas incensu, quæ sunt memoriæ Sanctorum, cantantes canticum novum. ℣. In omnem terram exivit sonus eorum: et in fines orbis terræ verba illorum. P. Habentes phialas. ℣. Gloria, et honor. P. Habentes.

Oratio. Hi sunt, Domine, septem faculæ hujus Hesperiæ finibus inditæ ad effugandam ejus tetræ noctis infidelitatem cœlitus missæ: ob hujus ergo munus gratiæ a te nobis conlatæ reficiat nos fra- A grantia odoris evangelicæ doctrinæ ac thymiamatum præceptorum digne redolentium: ex quo dogmate plenius referti, id ipsum corda et mens nostra parturiat, quod a te judicii tempore remunerari merito digna petitio nostra efflagitat. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

Antiphona 2. Beati, et multo honore digni, quorum portio Deus est: P. Quibus a principio præparatum est regnum, horumque animæ in manu Dei sunt. ℣ Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos: et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. P. Quibus a priucipio. ℣. Gloria, et honor. P. Quibus a principio.

Oratio. Beati vere, Domine, et nimio. *Quære retro in Vesperis præcedentibus.*

Antiphona 3. Legem tuam splendide decuerunt, quorum sunt opera multa. P. Reposita apud te, Domine. ℣. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion non commovebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem. P. Reposita. ℣. Gloria, et honor. P. Reposita.

Oratio. Deus Dei Filius, lumen astrorum, fulgor siderum, stella splendida et matutina, claritas sempiterna, et sanctorum eruditio copiosa, erudiat nos, quæsumus, justitiæ tuæ virga per sanctorum [tuorum Torquati et Sociorum ejus intercessionem assiduam: sicque, quod prædicaverunt splendide inluminati, agendo existamus corde; ut ad illud, quod apud te repositum est (quod oculus non vidit, nec auris audivit) post obitum accedamus indemnes, et a nexu peccaminum liberi. ℟. Amen.

C Per misericordiam.

℟. Sancti, qui in justitia crudierunt multos, fulgebunt, sicut splendor firmanenti. P. Et sicut stellæ cœli in perpetua æternitate. ℣. Isti sunt viri sancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta; et ab eorum doctrina fulget Ecclesia, ut Sol, et Luna P. Et sicut stellæ. ℣. Gloria, et honor. P. Et sicut stellæ.

Oratio. Christe, Dei Filius, qui Sanctos tuos præsciens, ante mundi constitutionem eos eligis, et in exemplum nostrum hic eos constituis; fac nos ita Sanctorum prædicamento obedientes existere, ut adoptione filiorum post nostrum obitum mereamur compotes esse. [CCXXXVI] ℟. Amen.

Per misericordiam.

D *In Laudibus.*

Ad Canticum. Antiphona. Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Dominum narrantes justitias ejus et clementiam in fortes Israël.

Canticum. Qui sponte obtulistis. *fol.* CLXIII.

Ad Benedictus. Antiphona. Sancti et humiles corde, spiritus et animæ justorum, benedicite Dominum. ℣. Justi, et sacerdotes sancti et humiles corde, benedicite Dominum.

Canticum. Benedictus es, Domine *fol.* 6. *Sono.* Alleluia. In omnem terram. *Quære retro in Vesperis præcedentibus.*

Lauda. Laudate Dominum de cœlis Alleluia, alle-

luia: laudate eum in excelsis, alleluia, alleluia *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Sapientiæ (*Cap.* XLIV).

℟. Deo gratias.

Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua a sæculo. Dominantes in potestatibus suis, homines magnos virtute, et prudentia sua præditi, nunciantes in dignitate prophetarum, et imperantes in præsenti sæculo, et virtute prudentiæ populos sanctissima verba. In pueritia sua requirentes modos musicos, et narrantes carmina scripturarum. Omnes divites in virtute, pulchritudinis studium habetes: pacificantes in domibus suis. Omnes isti in generatio nibus gentis suæ gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, requirunt nomen narrantes laudes eorum: et sunt quorum non est memoria: perierunt quasi non fuerint: et nati sunt, quasi non nati, et filii ipsorum cum ipsis. Sed illi viri misericordes sunt, quorum pietas non defuit, et cum semine ipsorum perseverat bona hereditas nepotum illorum, et in testamentis stetit semen illorum: et filii illorum propter illos. Usque in æternum manebit semen eorum, et gloria eorum non derelinquetur. Corpora eorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum manebit in generatione. Sapientiam ipsorum narrant populi, et laudem eorum nunciat Ecclesia. ℟. Amen.

Hymnus. Urbis Romuleæ. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *Quære retro in Vesperis præcedentibus.*

Capitula. Adest, Domine, clara et enitens tuorum illa septem Pontificum revoluti temporis annua celebritas: alma solemnitas! per quos dudum occidentalis plagæ novellæ fidei germine prædicationis sarculo plantare dignatus es normam; per quos nefariæ superstitionis coruscante luminis radio effugare dignatus es dogma. His ergo intervenientibus ardeant in conspectu gloriæ tuæ desideriorum nostrorum clibana: deferantur precum veridica holocausta; acceptentur votorum pura libamina: his orantibus, tribuatur cunctis sacrosancto altario tuo deservientibus, nivei candoris munditia castitatis; Virginibus almi pudoris mentis: et corporis remuneranda integritas; continentibus, et omnibus in commune fidelibus, operis sancti effectus a te in futuro examine rite beandus. Torquatus ex his nobis prorogет monilium ornamenta virtutum: Tesiphons a te, qui es fons vitæ, uberrimo doctrinæ gurgitis poculo satiet: Hesychius sceleris nostri piacula mundet: Indaletius index bonorum operum spiritualium alimenta ministret: Secundus futuri adventus tui gaudio electorum participio jungat: Euphrasius quadrifluo Evangeliorum amne. Catholicæ fidei dogmata firmet; Cæcilius cœtibus Angelorum nos adsociet. Sic quoque plebs alumna Sanctorum tuorum in canticis labiorum et laudis jubilo festa rite excolens, septempliciter dono gratiarum exhuberet: ut ad id, quod oculus non vidit, nec auris audivit, quod præparasti his, qui te diligunt, criminum mole dempta, æthereis sedibus contutanda prædictorum ducatu perducatur ad regnum.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Vos estis vasa sancto Domino. *Benedictio.* Deus, qui Torquati et Sociorum ejus. *Quære retro in Vesperis præcedentibus.*

DIE II MAII.

IN FESTO SANCTI FELICIS DIACONI HISPALENSIS.

Ad Vesperum.

Lauda. Speravit anima. *fol.* CLVI. *Sono.* Fac mecum, Deus *fol.* CLVIII.

[CCXXXVII] *Antiphona.* Beatus vir, qui non est lapsus verbo oris sui, et non est compunctus tristitia delicti. *P.* Felix, qui non habuit mœstitiam in animo suo. ℣. Beatus, qui intelligit super egenum, et pauperem: in die mala liberavit eum Dominus. P. Felix, qui non. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Felix, qui non.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Antiphona. Beatus, cujus Deus Jacob adjutor, est spes ejus in Domino Deo ipsius: P. Qui fecit cœlum, et terram, mare, et omnia, quæ in eis sunt: ℣. Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam: qui loquitur veritatem in corde suo: P. Qui fecit cœlum. ℣. Gloria, et honor. P. Qui fecit cœlum.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Beatus vir, cujus est auxilium abs te, Domine: ascensum in corde ejus disposuisti. P. Ambulavit de virtute in virtutum. ℣. Domine Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus. P. Ambulabit. ℣. Gloria, et honor. P. Ambulabit.

Dominus sit semper. ℟. Et cum spiritu.

Lauda. Beatus servus ille, quem adveniens Dominus ejus invenerit benefacientem. P. Verum dico vobis, quod super omnia bona constituet illum: Alleluia, alleluia. ℣. Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis: non confundetur, dum loquetur inimicis suis in porta. P. Verum. ℣. Gloria, et honor. P. Verum.

Hymnus. Deus tuorum. *fol,* CLVIII. *Supplicatio.* Oremus. *mutato nomine, folio* CLVII.

Capitula. Felix martyr tuus, Domine, et nomine probatus, et munere consecratus, dum eum ex nomine vocas, et munere consecras: ut eum et nuncupares præscitum, et glorificares electum: Confessionis ergo hujus nos participes effice, et beatitudinis compotes redde: ut, te annuente, infelices eruat de ergastulis inferorum, cum ipse Felix permanet in æternum.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui beatissimum hunc Martyrem et merito felicem fecit esse et nomine, ab omni vos infelicitatis labe expurget; ℟. Amen. Ut, qui per illum feliciter temporales infelicium infelicitates devicit, felicitati vos æternæ jubet munerari: ℟. Amen. Ut, qui per hunc Martyrem indultæ felicitatis privilegio gaudet, in æterna vos

feliciaque [F. felicitate] sine fine lætabundos oblectet. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius.

Lauda. Alleluia. Benedictio ejus sicut fluvius inundans in throno honoris. P. Docuit sapientiam; hæc omnia justo in bono. Alleluia. ℣. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. P. Docuit sapientiam. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Docuit sapientiam.

Oratio. Felix martyr tuus, Domine, quem utique felicem esse et nomine voluisti et merito, suo nos suffragio tueatur in sæculo; ut cum tristitia animi et si fuit temporaliter quæ accideret, non tamen extitit, quæ noceret : tristitiam nocituram a nostris cordibus sua submoveat prece ; ut, qui illum nomine hereditasti æterno, nos, ne pereamus, supplicio digneris liberare perpetuo. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

In nomine Domini nostri Jesu Christi.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea, Domine, aperiès. *Psalmus* L. *Oratio.* Exultent, Domine, labia nostra. *folio* 60.

Antiphona 1. Felix in gloria est imitandus in timore Domini ; P. Quia in bonitate, et alacritate animi placuit Deo Israel. ℣. In memoria æterna erit justus : et ab auditu malo non timebit. P. Quia in bonitate. ℣. Gloria, et honor. P. Quia in bonitate.

Oratio. Omnipotens Christe, Filius Dei Patris Altissimi, qui in sensu Felicis martyris circumspectiones tuas dedisti, adimplens illum spiritu sapientiæ, et vestiens stola gloriæ sempiternæ : quo infelicitatem sæculi feliciter vincens, felicitatis illius sanctæ Hierusalem mereamur effici heres ; da nobis felici ejus merito triumphare, ut infelicitates nostræ felici ejus suffragio propellantur, et vita ipsa in melius commutetur. ℟. Amen.

Per misericordiam, etc.

Antiphona 2. Felix, qui non habuit animi sui tristitiam, et non excidit ab spe sua. P. Jocunditate et exultatione thesaurizavit super eum Dominus, et nomine æterno hereditavit illum. [CCXXXVIII] ℣. Cibavit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potavit illum : P. Jocunditate. ℣. Gloria, et honor. P. Jocunditate.

Oratio. Felix tuus, Domine. *Quære retro in Vesperis præcedentibus.*

Antiphona 3. Felix, qui potuit transgredi, et non est transgressus ; et facere mala, et non fecit : P. Ideo stabilita sunt opera ejus in Domino, et eleemosynas illius enarrabit Ecclesia sanctorum. ℣. Benignus vir, qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio : quia in æternum non commovebitur. P. Ideo stabilita. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Ideo stabilita sunt.

Oratio. Felix est, Domine, quem ita tuo munere facis esse felicem, ut transgressionis nesciat voluptates : ut, cum possit transgredi, transgressum se esse non noverit : nec male facere, cum utique possit a rectis semitis deviare; Qui ergo non suo sed tuo munere felicitatis hujus promeruit donum, nostræ infelicitatis suis precibus detergat opprobrium: quo, tanti Martyris ducatu in sæcula gubernati, et voluntatem peccandi nesciamus habere, et transgressionis culpas ignoremus perficere. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

℟. Felix vir, qui inventus est sine macula : et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunias et thesauros. P. Quis est hic, laudabimus eum, fecit mirabilia in vita sua : ℣. Ideo stabilita sunt dona ejus in Deo suo, et eleemosynas illius enarravit Ecclesia sanctorum. *P.* Quis est. ℣. Gloria, et honor. P. Quis est.

Oratio. Deus auctor felicitatis æternæ, qui in tantum fecisti Felicem martyrem tuum esse felicem, ut nec post aurum abiret, nec in thesauros et pecunias speraret : cum sine avaritiæ contagio margaritas fulgens prædicando seminaret in populo ; da nobis, ut totius avaritiæ retinacula perhorrentes, justitiæ verbum in ore portemus : quo legem et misericordiam in lingua habentes, infelicitatem sæculi Felicis tui merito superemus, et felicitatem vitæ æternæ feliciori ejus suffragio capiamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Thronum gloriæ hereditans illi : dat votum optanti, et benedicite annos justi.

Canticum. Confirmatum est cor meum. *Quære folio.* LXXXVI. *Canticum.* Benedictus es, Domine Deus. *folio* 6.

Sono. Septies in die laudem dixi tibi, Domine Alleluia, alleluia : ℣. Super judicia justitiæ tuæ. Alleluia, alleluia.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis. Alleluia, alleluia : laudate eum in excelsis, Alleluia, alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Sapientiæ Salomonis (*Cap.* XIV, XV). ℟. Deo gratias.

Beatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo, et non est stimulatus tristitia delicti. Felix, qui non habuit in animo suo tristitiam, et non excidit a spe sua. Beatus vir, qui in sapientia sua moratur, et qui in justitia sua meditatur, et in sensu cogitavit inspectionem Dei. Qui timet Deum, faciet bonum : et qui continens est justitiæ, apprehendet illud, et obviabit illi quasi mater honorificata, et quasi similiter a virginitate suscipiet illum. Cibabit illum panis vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum. Et firmabitur in illo, et non flectetur: et continebit illum, et non confundetur : et exaltabit illum apud proximos suos, et in medio Ecclesiæ aperiet os ejus : adimplebit illum spiritus sapientiæ et intellectus, et stola gloriæ vestiet illum. Jocunditatem et exultationem thesaurizavit super eum, et nomine æterno hereditavit illum. ℟. [Amen.

Hymnus. Deus tuorum militum. *Fol.* CLVIII. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *Capitula.* Felix martyr tuus. *Lauda.* Alleluia. Benedictio ejus sicut flu-

vius. *Benedictio.* Christus Dominus, qui beatissimum. A *Quære in Vesperis præcedentibus. Exeunte Vespera Lauda.* Speravit anima mea. *folio* CCV. *Sono* Fac mecum, Deus, signum in bono. *Quære fol.* CLIX.

Antiphona. Orate ad Dominum, viri sancti, ut concedat populo suo salutem ; P. Et omnes infirmitas auferatur a nobis. ℣. Confitemini Domino, quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus. P. Et omnis. ℣. Gloria. P. Et omnis.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Corpora sanctorum quiescentium ; in loco [CCXXXIX] isto, orate pro nobis ad Dominum ; P. Ut donet pacem super terram et requiem temporibus nostris. Alleluia, alleluia. ℣. Laudate Dominum, omnes Gentes : et conlaudate eum omnes populi. P. Ut donet. ℣. Gloria. P. Ut donet. B

Hymnus. Deus tuorum militum. *fol.* CLVIII. *Supplicatio.* Oremus. *Capitula.* Felix martyr tuus *Benedictio.* Christus Dominus. *Lauda.* Alleluia. Benedictio ejus. *Oratio.* Felix tuus, Domine. *Quære retro in proximis Vesperis præcedentibus.*

DIE III.

IN FESTO INVENTIONIS SANCTÆ CRUCIS.

Ad Vesperum.

Lauda. Laudaverunt te, Domine, omnes Angeli tui, et hymnum dixerunt, dum perficeres fabricam cœli. Tuus est dies, et tua est nox : P. Tu fecisti Solem et Lunam. ℣. Tu confirmasti in virtute tua mare : contribulasti capita draconum super aquas. P. Tu fecisti. C

Dominus sit. ℟. Et cum.

Sono. O bona Crux, quæ decorem et pulchritudinem de manibus Dominus scepisti, quia diu desiderata, solicite amata, sine intermissione quæsita. Alleluia. ℣. Sancta Crux, antequam te Dominus adscenderet, timorem terrenum habuisti ; modo vero, quia inventa es amorem cœlestem obtinens, pro voto susciperis. Alleluia.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Alleluia. Gloriemur in Cruce Domini nostri Jesu Christi ; P. Per quem nobis mundus crucifixus est, nosque mundo. ℣. Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit. P. Per quem nobis. ℣. Gloria, et honor. P. Per quem nobis.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Pacificavit omnia per sanguinem Crucis D suæ, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt, Dominus Jesus Christus : P. Quoniam in ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter : P. Qui est caput omnis principatus. Alleluia, alleluia. ℣. Omnes gentes plaudite manibus : jubilate Deo in voce exultationis. P. Quoniam in ipso. ℣. Gloria, et honor. P. Qui est caput.

Hymnus.

Pange, lingua gloriosi
Prælium certaminis,
Et super Crucis trophæum
Dic triumphum nobilem :
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit.

De parentis protoplasti
Fraude Factor condolens,
Quando pomi noxialis
Morte morsu corruit :
Ipse lignum tunc notavit,
Damna ligni ut solveret.

Hoc opus nostræ salutis
Ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris
Ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde,
Hostis unde læserat.

Quando venit ergo sacri
Plenitudo temporis.
Missus est ab arce Patris
Natus orbis Conditor,
Atque ventre virginali
Carne factus prodiit.

Vagit infans inter arcta
Conditus præsepia :
Membra pannis involuta
Virgo mater alligat ;
Et manus, pedesque, crura
Stricta cingit fascia.

Lustra sex qui jam peracta
Tempus implens corporis,
Se volente natus ad hoc,
Passioni deditus,
Agnus in Cruce levatur.
Immolandus stipite.

Hic acetum, fel, arundo,
Sputa, clavi, lancea
Mite corpus perforatur :
Sanguis unda profluit :
Terra, pontus, astra, mundus
Quo lavantur flumine !

Crux fidelis inter omnes
Arbor una nobilis :
Nulla talem silva profert
Fronde, flore, et germine ;
Dulce lignum, dulcem clavum
Dulce pondus sustinet.

Flecte ramos, arbor alta,
Tensa laxa viscera ;
Et rigor lentescat ille,
Quem dedit nativitas,
Ut superni membra Regis
[CCXL] Mite tendas stipite.

Sola digna tu fuisti
Ferre pretium sæculi ;
Atque portum præparare
Nautæ mundi naufrago.
Quem sacer cruor perunxit
Fuso Agni sanguine.

Gloria, et honor Deo
Usquequaque altissimo,
Una Patri, Filioque,

Inclyto Paraclito,
Cui laus, et potestas,
Per æterna sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus ; ut nos vexillo Crucis suæ propitius justificare dignetur. ℟. Præsta, æterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison, ℟. Christe eleison, Kyrie eleison.

Capitula. Domine Jesu Christe noster Conditor et Redemptor, qui nosti nos cecidisse saucios in delictis ; erige nos in virtute et victoria sanctæ Crucis : da nobis salutis esse præmium, quod tibi pro nobis fuit pænale supplicium : in eo quod tu mortem sustulisti ad mortis victoriam, nos habeamus ad peccatorum veniam, et vitam æternam.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dei Filius, qui pacificavit omnia per sanguinem. Crucis suæ, vera nos crucifixione mortificet : ℟. Amen. Ut erecti semper in victoriam Crucis, devicto semper diabolo triumphemus ; ℟. Amen. Quo venerabile Crucis festum devotione promptissima celebrantes, et hic et in æternum mereamur esse felices. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Dominus Jesus Christus, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regnum terræ. P. Ipse dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris sanguine suo. Alleluia. ℣. Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. P. Ipse dilexit nos. ℣. Gloria, et honor. P. Ipse dilexit.

Oratio. Christe Dei Filius, in cujus nomine per Crucis mysterium omne genu flectetur ; da nobis in Cruce tua copiosius exultare, ut in ejus victoria, et illæsi mare sæculi transeamus, et ad te coronandi post nostrum transitum accedamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

Ad Matutinum.

Antiphona. Ego dormivi : et resurrexi, quoniam Dominus suscitavit me. *Psalmus* III.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui pro nobis soporem mortis ideo suscepisti, ne nos amplius obdormiremus in mortem ; dona, ut qui te moriente renascitur, te etiam vivificante a peccatorum lecto surgamus : nec ultra jam obruamur pœna peccati, qui nos redemptos congaudemus pretio sacri sanguinis tui. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 1. In nomine Domini omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum ; P. Quia Dominus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. P. Ideo Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. ℣. Audite hæc omnes gentes : auribus percipite, qui habitatis orbem : P. Quia Dominus. ℣. Gloria, et honor. P. Ideo Dominus.

A *Oratio*. Christe Dei Filius. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Antiphona 2. Christus Jesus, qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, P. Formam servi accipiens, humiliavit se usque ad mortem, mortem autem Crucis. ℣. Ipse fecit nos, et non ipsi nos ; nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus. P. Formam servi accipiens. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Formam servi.

Oratio. Christe Jesu, qui, mortalitatis nostræ forma suscepta, mortis nostræ et Crucis voluisti sustinere injuriam ; da nobis, ut Crucis tuæ munimine circumsepti devincamus omnes laqueos inimici. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Juste judicans peccata nostra portavit corpore suo super lignum ; P. Ut a malis separati cum justitia vivamus. ℣. Jubilate Deo omnis terra : servite Domino in lætitia. P. Ut a malis. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Ut a malis.

Oratio. Juste quidem, Domine, judicans peccata nostra in corpore tuo super lignum portasti, cum diabolum non potestate, sed justitia devicisti : ut qui per debitam mortem nostram servituti ejus subjugati eramus, per indebitam mortem tuam ad libertatis gratiam redeamus ; [CCXLI] fac nos ergo ut in te semper liberi esse possimus, qualiter tecum et in æternum sine fine vivamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

C ℟. Jesum Nazarenum, quem unxit Deus Spiritu Sancto, et virtute, quem Judæi repulerunt, et occiderunt suspendentes in ligno : Hunc Deus suscitavit post diem tertium, et dedit illum manifestum fieri non omni populo ; sed nobis prædestinatis ab eo, qui cum ipso manducavimus, et conversati sumus. P. Posquam resurrexit a mortuis. ℣. Apparuit Dominus, januis clausis, discipulis suis. P. Postquam. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Postquam.

Oratio. Jesu Nazarene, qui a Judæis suspensus in ligno, magno resurrectionis devicta morte triumphasti miraculo ; dignare te manifestum fieri in cordibus nostris : et, qui post mortem Crucis resurgens, tuis es manifestatus discipulis ; post vulnera nostræ corruptionis, tuæ nos subsequantur munera pietatis. ℟. Amen.

D Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Cantemus Domino : gloriose enim honorificatus est.

Canticum. Cantemus Domino : gloriose. *Quære fol.* 369.

Ad Benedictus. Antiphona. Tibi soli Deo honor, et gloria, virtus, et potestas in sæcula sæculorum.

Canticum. Benedictus es Domine Deus. *fol.* 6.

Sono. O bona Crux. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Lauda. Laudate Dominum de Cœlis Alleluia : lau-

date eum in excelsis Alleluia, alleluia. *Psalmus* A CXLVIII.

Prophetia. Ego Joannes fui in spiritu, et ostendit mihi. *fol.* 392.

Hymnus. Pange lingua gloriosi.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Capitula. Ineffabile satis est, Domine, mysterium Crucis tuæ, quo et mortis potestatem evacuas, et resurrectionis luce coruscas; Da ergo nobis et initia et perfectionem sanctæ virtutis: ut, dum prædicamus gloriam Crucis, ad præmium mereamur pertingere immortalitatis.

Pater noster. Liberati a malo. *folio* 2.

Lauda. Dominus Jesus Christus.

Benedictio. Christus Dei Filius. *Quære in Vesperis præcedentibus.* B

DIE XX.

IN SANCTORUM CYRIACI, ET PAULÆ, MARTYRUM.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fol. CLXII, *excepto Hymno, qui est iste*: Sacrum tempus in calculo. *folio* CII.

FESTA JUNII.

DIE XVII.

IN FESTIVITATE SANCTI ADRIANI ET NATALIÆ.

Ad Vesperum.

Antiphona. Exortum est in tenebris. *fol.* CLXII.

Sono. Alleluia. Judicium datum est Sanctis. P. In hora sacrificii vespertini. Alleluia, alleluia. ℣. Ecce Michael unus principum priorum veniet, ut sanctificentur multi. P. In hora. C

Dominus sit. ℞. Et cum.

Antiphona. Desiderium bonum justis dabitur. P. Et mulier gratiosa inveniet gloriam. ℣. Justi vero hereditate possidebunt terram: et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam. P. Et mulier. ℣. Gloria, et honor. P. Et mulier.

Dominus sit semper. ℞. Et cum.

Lauda. Desiderium justorum omne bonum est Alleluia, P. Et mulier servans semitas justitiæ, vias sanctorum custodiens. Alleluia, alleluia. ℣. Salus autem justorum a Domino: et protector eorum est in tempore tribulationis. P. Et mulier. ℣. Gloria, et honor. P. Et mulier.

Hymnus. D

Hierusalem gloriosa,
Mater una Martyrum.
Sors beata post labores,
Jus pium post turbines,
Quæ tuorum læta cursu
Promtior adtolleris;
Terge luctum, sume plausum,
Pande portum civibus:
Excipe quos sustinebas
Post triumphos lætior,
In quibus victrix resultas,
Da decus victoriæ.
[CCXLII] Adrianus cum beata
Conjuge Natalia,
Ferculum duplex amoris,
Unio charismatis,
Munus igneum, pignus almum,
Cœlibe connubium:
Hoc die tibi dicantes
Vota conscientiæ,
Cursibus ad te recurrunt:
Hinc ovantes invicem,
Dant Deo dona vicissim
Conjugalis gratiæ.
Enitet ille supremo
Passionis stigmate;
Hæc piæ compassionis
Destinato munere:
Cursus est diversus illis,
Sors, et una gloria.
Hic viris pro spe superna
Conligatis miscitur;
Adnotari cum Beatis
Semper optat illico:
Hincque vaccis inligatur,
Huicque rursus traditur.
Uxor hunc visura surgens
Percitis congressibus,
Carceres adit remotos,
Castra cernit Martyrum;
Osculat vincla beata,
Fert viro constantiam.
Suadit utpote Palæstræ
Vim sacræ certaminis;
Suadit hinc promissa cœli,
Suadit et plus perpetim
Voce, voto et impetrato,
Muneris instantia.
Liber hujus evocatu
Vinculis carnalibus
Creditur, exenteratur,
Nexibus distenditur;
Et pedum compage truncus
Corpore dissolvitur.
Chara hujus in supremis
Mota conjux osculis,
Surge, dixit, pone dextram,
Quam recisam conjugi
Des mihi pignus amoris,
Des stipem dulcedinis.
His manum libens tetendit,
Quam recisit carnifex:
Nec mora mox inter ipsa
Enecatus vulnera,
Conjugem dote secunda
Sanguinis hereditat;
Quæ sacri laboris usum
Prorogans certantibus,
Quicquid est pœnale, substat
Molle tritum debile:
Præmonet, jubet, fovetque
Provocatrix gloriæ.
Cerneres virile robur

Fervidis conatibus,
Artubus fessis mederi,
Conligare vulnerum
Inditis plagas formentis,
Vel medelis congruis
Serviens manu, vel ore
Martyrum discrimini,
Ferteis consulta pacis,
Fert cibum solaminis ;
Obsequens effecta cunctis,
Plectitur in singulis ;
Quæ tamen viri corona
Per triumphos reddita,
Dum suum corpus piorum
Inlinit cruoribus,
Nil minus perfert ab illis:
In quibus hæc vicerit.
O sacrum vere honestum
Vinculum connubii !
O novus cursus laborum
Junctionis unicæ !
Ambo currunt, ambo vincunt;
Est utrisque gloria.
Hæc tua, Custos Superne,
Munerum diversitas,
Pertrahas, signes ad illam
Laureandos Patriam,
Qua tibi laudes Beati,
Post agones insonant,
Clarus ille hic coruscat
Michael Archangelus,
Utpote Deus parandis
Eminens virtutibus :
Dat locum nomen vigoris
De favore muneris.
Hujus ergo imprecatu,
Vel tuorum Martyrum,
Ferto nobis hanc medelam,
Qua reatum diluas,
Criminum nodos resolve,
Da formentum gratiæ ;
Quo trementa judicantis
Cum dies inluxerit,
Festa, quorum prædicamus,
Misceamur gaudiis ;
Et quibus non est corona,
Sit fides ad gloriam.
[CCXLIII] Laus tibi per omne tempus
Trinitatis indifferens,
Laus, honor, virtusque summa,
Singularis gloria ;
Quæ Dominum te sæculorum,
Personet in sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem, *mutatis nominibus, fol* CLXXXVII.

Capitula. Christe, qui multiplici diversitate virtutum, et copioso certamine passionum beatos martyres Adrianum atque Nataliam provexisti ad regnum: A dum et illum robore patiendi, et istum præventis gratia obsequendi ; cum et per illum substernis fidei hostes, et per hanc vinctos pro te reficis martyres : da nobis, utraque virtute posse adipiscere quod optamus, et evadere quod pavescimus : ut vitiorum carnalium victores effecti, bonorum exhibitione obsequiorum coram te efficiamur idonei; et qui corporei sanguinis effusione non meremur coronam, votorum impensione perducamur ad veniam.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui sanctos suos Adrianum atque Nataliam alterna decertandi decoravit virtute, devotionem vestram unione charitatis exornet ; ℟. Amen. Quique potentiali obsequio famulæ suæ Nataliæ Martyres refrigeravit in pœnis, B corda vestra justificet a delictis, et vota remuneret pro susceptione hujus festivitatis : ℟. Amen. Ut per quem Sanctis ministravit solatii verbum, per eum nobis præroget petitionis effectum. ℟. Amen,

Per misericordiam,

Lauda. Corona Sanctorum timor Domini; gratia autem mulieris sedulæ delectabit virum suum. Alleluia ; *P.* Qui mandata Domini in corde mulieris sanctæ. Alleluia, alleluia- ℣. Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus ; populus, quem elegit Dominus in hereditatem sibi. P. Quia mandata. ℣. Gloria, et honor. P. Quia.

Oratio. Christe, qui diversis beatorum certaminibus Adriani scilicet atque Nataliæ, et Martyrum mederis discrimini, et exemplum secuturæ præregas C plebi : dum et illi corpus ad agones corroboras, et hujus os beneficientiæ satisfactione inflammas ; esto inluminatio nostra, et salus : valeat corpus nostrum servitutis tuæ ducere jugum : os salutis meditare præconium : nihil possit caro, quod tibi displiceat: nulla os prædicet, quæ a tua præceptione dissentiant ; exultet ergo cor nostrum, et caro nostra in te Deum vivum : ut te opitulante illis jungamur post transitum, quibus hic viventes dependimus famulatum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

Ad Matutinum.

Antiphona. Da nobis lætitiam. *Psalmus.* L.

Oratio. Redde nobis. *Fol.* CLXIII.

Antiphona 1. Pars bona, mulier bona, in parte D bona timentium Deum. *P.* Dabitur viro pro factis bonis. ℣. Beati, qui custodiunt judicium, et faciunt justitias in omni tempore. *P.* Dabitur. ℣. Gloria, et honor. *P.* Dabitur.

Oratio. Christe, qui diversis beatornm. *Quære retro in Vesperis præcedentibus.*

Antiphona 2. In congregatione Sanctorum multa gloria, P. Et lex clementiæ in lingua mulieris sanctæ. ℣. Salus autem justorum a Domino : et protector eorum est in tempore tribulationis. P. Et lex clementiæ. ℣. Gloria, et honor. *P.* Et lex.

Oratio. Deus, qui Beatorum gaudio atque certamini votum Adriani tui martyris miscuisti, dum et

æterna promissa solicitat, dumque se adnotari cum Martyribus condemnatis exoptat ; concede nobis ejus meritis, elui funditus a delictis : ut, eraso nostrorum chirographo criminum, nomen nostrum adnotetur in catalogo electorum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Radix justorum proficiet. P. Mulier autem diligens corona est viro suo. ℣. Et erit, tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. P. Mulier autem. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Mulier autem.

Oratio. Omnipotens sempiterne atque ineffabilis Deus, præsta nobis : ut obtentu beatæ famulæ tuæ Nataliæ salvemur in mundo, quæ repansatio Sanctis tuis extitit in ergastulo : et, quæ plagis Beatorum exhibuit diligentiam, peccantibus curam proroget indefessam. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Justi omnes quasi virens folium germinabunt: [CCXLIV] et mulier fortis annos viri sui. P. In pace implevit. ℣. Mulier fortis oblectat virum suum, et annos vitæ illius. P. In pace implevit. ℣. Gloria, et honor. *P.* In pace.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Datio Dei permanet justis, et profectus illius successus habebit in æternum.

Canticum Ecclesiastici Salomonis (*Cap.* XI, XXVI),

Datio Dei permanet justis, * et profectus illius successus habebit in æternum.

Mulieris bonæ beatus vir : * numerus enim annorum ejus duplex.

Mulier fortis oblectat virum suum, * et annos vitæ illius in pace implebit.

Pars bona, mulier bona, * in parte bona timentiam Deum dabitur viro pro factis bonis:

Gratia mulieris castæ delectabit virum suum, * et ossa illius impinguabit.

Columnæ aureæ super bases argenteas, * et pedes firmi super plantas stabilis mulieris.

Fundamenta æterna super petram solidatam, * et mandata Dei in corde mulieris sanctæ.

Gloria, et honor, etc.

Ad Benedictus. Antiphona. Sancti et humiles corde, spiritus et animæ justorum benedicite Dominum.

Canticum. Benedictus es Domine *fol.* 6. *Sono.* Alleluia. Judicium datum. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Lauda. Laudate Dominum de Cælis. Alleluia, alleluia: laudate eum in excelsis. Alleluia, alleluia, *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Ecclesiastici Salomonis (*Cap.* XI, XXVI).

℟. Deo gratias.

Datio Dei permanet justis, et profectus illius successus habebit in æternum. Mulieris bonæ beatus vir : numerus annorum ejus inæstimabilis. Mulier fortis oblectat virum suum, et annos vitæ illius in pace implebit. Pars bona, mulier bona, in parte bona timentium Deum dabitur viro pro factis bonis. Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, et ossa illius impinguabit. Disciplina illius, datum Dei. Mulier sensata et tacita, non est immutatio eruditæ animæ. Gratia super gratia, mulier sancta et pudorata. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. Sicut Sol oriens in mundo altissimi Dei, sic mulieris bonæ species in ornamento domus est: lucerna splendens super candelabrum sanctum, species faciei super ætatem stabilem. Columnæ aureæ super bases argenteas, et pedes firmi super plantas stabilis mulieris. Fundamenta æterna super petram solidatam, et mandata Dei in corde mulieris sanctæ. ℟. Amen.

Hymnus. Hierusalem gloriosa. *Supplicatio.* Oremus. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Capitula. Ingeniti Dei Patris Filius alme, qui alternantem viri vel conjugis fidem Adriani videlicet atque Nataliæ, alternanti favore corroboras, alterno voto coronas : dum contra sexum virorum femina fingens, et ultra naturam vir per feminam valens, alter in alterius virtute tripudiat, alterque in altero victor exultat ; da nobis, ut, alternis amicitiæ profectibus gratulantes, proficiamus in melius : habeamusque socios in virtute, quos innoxos tenemus in fœdere : per hos provocati ad gloriam, quibus consimiles consistimus in natura : ut, alterutro exemplo accensi, habeamus meritis alternis post transitum veniam, qui singulari bonorum operum efficacia non meremur promereri coronam.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Corona Sanctorum. *Benedictio.* Christus Dominus. *Quære in Vesperis præcedentibus. Exeunte Vespera Lauda.* Exortum est in tenebris. *Sono.* Alleluia. Judicium datum. *Quære in primis Vesperis præcedentibus.*

Antiphona. Exultatio justi multa gloria : *P.* Et gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum. ℣. Justi vero hereditate possidebunt terram : et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam. *P.* Et gratia ℣. Gloria, et honor. *P.* Et gratia.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Gloria justorum timor Domini. *P.* Et gratia super gratia, mulier sancta et pudorata. Alleluia. ℣. Beati immaculati in via : qui ambulant in lege Domini. *P.* Et gratia. [CCXLV] ℣. Gloria, et honor. P. Et gratia.

℣. Gloria, et honor. *P.* et gratia.

Hymnus. Hierusalem gloriosa. *Supplicatio.* Oremus. *Quære in primis Vesperis.*

Capitula. Deus, qui peccatores sine merito salvas et justos ex gratia præcedente glorificas ; quique Adrianum ex infidelitate revocasti ad fidem, et Nataliam obsequiali coronasti ex munere : nostris, quæsumus, in eorum festo et iniquitatibus parce, et spirituali nos ardore succende : quo spiritaliter accensi in intimis ad te proclamemus e terris :

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Omnipotens Dominus respiciat vota vestra, qui Adrianum martyrii palma, et Nataliam obse-

quendi glorificavit ex gratia; ℟. Amen. Illorum quoque nos suffragio tueatur, quorum plagis Natalia famulatus sui dependit obsequium. ℟. Amen. Ut præsentis diei solemnitate ovantes et hic et in futuro eorum gaudiis mereamini esse participes. ℟. Amen. A
Per misericordiam.

Lauda. Lux justorum lætificat eos: sapiens autem. *P*. Mulier ædificat domum suam. Alleluia. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur. *P*. Mulier ædificat. ℣. Gloria, et honor. *P*. Mulier ædificat.

Oratio. Christe, qui diversis. *Quære in primis Vesperis præcedentibus.*

DIE XIX.

IN FESTO SANCTORUM GERVASII ET PROTASII, MARTYRUM.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum, novem lectionum, excepto hymno, qui est iste: B

Grates tibi Jesu novas
Novo reperto munere,
Protasio et Gervasio
Martyribus inventis, cano.
Piæ latebant hostiæ,
Sed non latebant; nam Sacer
Latere sanguis non potest,
Qui clamat ad Deum Patrem.
Cœlo refulgens gratia
Artus revelavit sacros:
Nequimus esse martyres,
Sed reperimus martyres.
His qui requirat testium
Voces, ubi facta est fides;
Sanatur impos mentis,
Ope fatetur martyres.
Cæcus recepto lumine,
Mortisque sacræ meritum probat:
Severus est nomen viri;
Visus ministri publici.
Ut martyris vestem adtigit,
Et ora tersit nubila,
Lumen refulget illico,
Fugitque pulsa cæcitas.
Soluta turba vinculis,
Spiris draconis libera
Emissa totis urbibus
Domum redit cum gaudio.
Vetusta sæcla vidimus,
Jactataque dæmonia,
Tactuque et umbra corporum
Ægris salutem redditam.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul Paraclito,
In sempiterna sæcula.
Amen.

IN DOMINICO PRO ADVENTU SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

Ad Vesperum.

Lauda. Die mandavit Dominus misericordiam suam, *P*. Et nocte declaravit. ℣. Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo meo: Susceptor meus es.

Oratio. Deus, qui tuam in die mandas misericordiam; et in nocte declaras: quæsumus, ut in die nos protegas ad salutem; et in nocte defendas ad requiem. ℟. Amen. Per misericordiam.

Sono. Deus præcinxit me virtute: et posuit immaculatam viam meam. Alleluia. Dextera tua Domine, suscepit me: et disciplina tua ipsa me docuit.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Alleluia. Benedicam te Domine Deus meus: *P*. Et laudabo nomen tuum, quia tu es, qui facis mirabilia solus. ℣. Exultabo te Domine Rex meus, et Deus meus: et benedicam nomini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi [CCXLVI] *P*. Et laudabo. ℣. Gloria et honor. *P*. Ft laudabo.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Laudem Domini loquetur os meum. Alleluia: *P*. Et benedicet omnis caro nomen sanctum ejus. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Propter hoc delectatum est cor meum, et exultavit lingua mea; insuper et caro mea requiescit in spe. *P*. Et benedicet. ℣. Gloria, et honor. *P*. Et benedicet.

Hymnus. O lux beata Trinitas. *fol*. 113.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut gratia adventus sancti Joannis Baptistæ et præcursoris sui nobis remissionem peccatorum et pacem propitius largiri dignetur. ℟. Præsta, æterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison, ℟. Christe eleison, Kyrie eleison.

Capitula. Deus auctor luminis, conditor claritatis,
C qui submovisti omnia opera tenebraram, ut in nobis lucis tuæ plenitudo regnaret; respice, quæsumus, super hoc lumen accensum, et hanc gratiam benedictionis a nobis omnibus exoratus infunde: ut sicut hæc flamma ad altaris tui obsequium constituta vincit tenebras ac repellit; ita illuminatio tua a sensibus nostris superet omnem fomitem vitiorum.

Pater noster. Liberati a malo. *fol*. 2.

Benedictio. Christus Dominus vos custodiat propitius, et benedicat placatus: ℟. Amen. Clementia sua vos protegat, et a cunctis malis incessanter defendat. ℟. Amen. Ejus vos gaudeatis munere dignos, qui peccatorum veniam concedit benignus. ℟. Amen.

Per.

D *Lauda*. Misit me sanare contribulatos corde. Alleluia: *P*. Prædicare captivis redemptionem, et cæcis reddere lumen. Alleluia, alleluia. ℣. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, u faciam voluntatem tuam, Deus meus, et legem tuam, in medio cordis mei. *P*. Prædicare. ℣. Gloria, et honor. *P*. Prædicare.

Oratio. Domine Deus, qui ad adventum Unigeniti Filii tui Joannem puerum præcurrere voluisti, ut missus a te viam Christo incredulorum cordibus præparet, sanando contribulatos corde, et cæcis restituendo luminis claritatem; suffragio ejus et cæcitatem cordis nostri inlumina, et tribulationes cordium nostrorum in æternum gaudium muta: ut, qui

in nativitate Unigeniti Filii tui gaudio Christiano A adtollimur, in adventu judicii ejus nullis pœnarum vinculis contristemur. ℞. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

Ad Matutinum.

Hymnus. Æterne rerum Conditor. *fol.* 2.

Oratio. Domine Deus Pater omnipotens inspirator precum, teque invocantium velox auditor; voci nostræ, oramus, clementiæ tuæ aurem appone, te nostrorum vincula peccaminum potenti miseratione dissolve: ac sicut nos gallorum canoribus ad matutinum gratia prevocas consurgere, et prophetali vaticinio in lucem gentium unicæ redemptionis prænuncias; ita nunc hymnizantibus nobis intuitu superno adsiste: sic quæsumus, famulatus nostri vota B suscipias, ut ad lucem lucis abundanti nos misericordia sublevando perducas. ℞. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Voce mea ad Dominum clamavi: et exaudivit me de monte sancto suo. *Psalmus* III.

Antiphona. Labia mea, Domine, aperies: et os meum adnunciabit laudem tuam. *Psalmus* L.

Antiphona. Confitebor tibi in populis, Domine: psallam tibi inter gentes. *Psalmus* LVI.

Oratio. Ad te Domine clamorem nostræ vocis emittimus; tibique, ut nos de monte sancto tuo exaudias, supplicamus: et, quia tu nosti subjectionis nostræ infirma, virtute nos dexteræ tuæ corrobora: dele mala nocentia; et ad sequendum te corda excita nostra: nam quia salvari per se non confidit hu- C mana fragilitas; eripiat animas nostras emissa de cœlo misericordia tua. ℞. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 1. Omnis lex, et prophetæ usque ad Joannem prophetaverunt: et si vultis scire, ipse est Helias, qui venturus est. *P.* Qui habet aurem audiendi, audiat. ℣. Audi, populus meus, et loquar; Israel, et testificabor tibi: Deus Deus tuus sum ego. *P.* Qui habet. ℣. Gloria, et honor. *P.* Qui habet.

[CCXLVII] *Oratio.* Credimus Domine Jesu, quod Præcursor tuus Joannes, quod Prophetæ in ænigmate prophetaverunt, ipse digito ostendit, dicens: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Proinde te quæsumus et rogamus, ut, qui primi adventus tui venturum te prædicavit, in secundo aventu tuo, D dum judicare veneris vivos et mortuos, nos ad dexteram tuam coronandos statuas. ℞. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Joannes erit gaudium et exultatio: erit enim magnus coram Domino: *P.* Et Spiritu Sancto replebitur adhuc in matris utero. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupiet nimis. *P.* Et spiritu. ℣. Gloria, et honor. *P.* Et spiritu.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui non solum nativitate Præcursoris tui Joannis multos gaudere et exultare prænuncias, sed ipsum quoque Joannem gaudium et exultationem futurum esse significas: ut, qui te in mundo magnificis vocibus nunciaret, ab ipso matris utero sanctificatus procederet; sanctificationis tuæ nos indue libertate, ut Spiritu Sancto repleti, mundialium curarum fasce deposito, Angelorum mereamur adunari consortio. ℞. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium: *P.* Ut testaretur de luce; ut omnes credant per eum. ℣. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. *P.* Ut testaretur. ℣. Gloria, et honor. *P.* Ut testaretur.

Oratio. Homo missus a te, Christe, Joannes, tibi redditurus testimonium in mundo advenit: qui utique effectus initium gratiæ testaretur de luce convertente corda filiorum ad patres eorum; da ergo nobis meritis ejus, ut conversis cordibus te sequamur; ut, et si vita nostra testimonio proprii lapsus impeditur, tuis tamen muneribus decoretur: ut cum tuam fecerimus in omnibus voluntatem, tibi soli videatur vita nostra testimonium reddidisse. ℞. Amen.

Per misericordiam.

℞. Spiritus Domini super me, propter quod unxit me: bene nunciare gentibus. *P.* Misit me, sanare contribulatos corde, prædicare captivis redemptionem, et cæcis reddere lumen. ℣. Joannes testificabatur Deum, et clamavit, dicens: Post me venit, qui ante me factus est. *P.* Misit. ℣. Gloria, et honor. *P.* Misit.

Oratio. Deus Pater, qui unctionis tuæ Spiritum super Joannem puerum contulisti, quo præcursor effectus Unigeniti Redemptoris pacem prædicaret in populis, et lugentium daret gaudium votis, qui plenus esset spiritu veritatis; præbe nobis tanti vatis munimine annum placabilem ducere, et in sanctitate et justitia tibi usque ad nostrum obitum deservire: quo et in hac vita tuæ dulcedinis fructum, et in æternum capiamus gaudium sempiternum. ℞. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. De nocte vigilat spiritus meus ad te, Deus: quia lux præcepta tua sunt super terram.

Canticum. De nocte vigilat. *fol.* 64.

Ad Benedictus. Antiphona. Servi Dei, Dominum benedicite: quia vos eruit ab inferis, et de manu mortis liberavit vos.

Canticum. Benedictus es, Domine. *fol.* 6.

Sono. Deus præcinxit me. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Lauda. Laudate Dominum de cœlis. Alleluia: laudate eum in excelsis. Alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* XL).

℞. Deo gratias.

Consolamini, consolamini populus meus, dicit Dominus Deus vester. Loquimini ad cor Hierusalem, et vocate eam: quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius: suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Vox cla-

mantis in deserto; Parate viam Domino, rectas facite semitas Dei nostri in solitudine. Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons, et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas. Et revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est. Vos dicentis : Clama. Et dixi : Quid clamabo? Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Et siccatum est fœnum, et cecidit flos; verbum autem [CCXLVIII] Domini Dei nostri stabit in æternum. ℟. Amen.

Hymnus. Splendor paternæ. *fol.* 67. *Supplicatio.* Oremus, *ut suprà.*

Capitula. Jam fulget oriens, jam properat dies : jam fugatis tenebris aurora rubescit in luce: jam claret luce purissima cœlum, et Sol refulgens radios suos infert mundo: cuncta properant, cuncta festinant: optant te Dominum habere propitium, quem suum auctorem semper agnoscunt pariter et defensorem. B

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Alleluia. Ego sum vox clamantis in deserto : P. Parate viam Domino, rectas facite semitas ejus. Alleluia, alleluia. ℣. Vox Domini in virtute : vox Domini in magnificentia. P. Parate viam. ℣. Gloria, et honor. P. Parate.

Benedictio. Christus Dominus. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

DIE XXIV.

IN NATIVITATE SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ

Ad Vesperum.

Lauda. Speravit anima mea. *Folio* CLVI. C

Sonus. Priusquam te formarem in utero, novi te: et antequam exires de ventre, sanctificavi te, P. Et prophetam in gentibus posui te. Alleluia. ℣. Extendit Dominus manum suam ad me, et tetigit eos meum : et dixit mihi : Ecce dedi sermones meos in ore tuo : et constitui te in hodierna die super gentes, et regna. P. Et prophetam.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona 1. Multi in nativitate ejus gaudebunt: erit enim magnus coram Domino : et Spiritu sancto replebitur: P. Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur. P. Et multos. P. Gloria, et honor Patri. ℣. Et multos.

Oratio. Deus, qui non in Nativitate Præcursoris tui Joannis voluisti gaudere; fac nos plenum gaudium a te in futura examinatione percipere: ut meritis ejus, qui adventum tuum in spiritu et virtute Heliæ præcessisse agnoscitur, et hic et in æternum copiosis gaudiis conlætemur. ℟. Amen. D

Per.

Antiphona 2. De ventre matris meæ vocavit me Dominus nomine meo. Et posuit os meum ut gladium acutum: P. Sub velamento manus suæ protexit me: posuit me quasi sagittam electam. ℣. Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad bellum, digitos meos ad prælium. P. Sub velamento. ℣. Gloria, et honor. P. Sub velamento.

A Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domino, P. Rectas facite semitas Dei vestri. Alleluia, alleluia. ℣. Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit: Dominus super aquas multas. P. Vox Domini. ℣. Gloria, et honor. P. Vox Domini.

Hymnus.

Nativitatem Pueri,
Prophetamque Altissimi
Esse dicit, quem merito
Corde canamus, et ore.
Vetulisque Parentibus,
Alvo conceptus sterili,
Extrema Mundi tempora,
Partum præcessit Virginis.
Ut vox clamans in invio,
Adnuncians Justitiam,
Christi clarus præconio
Viam pararet cordibus.
Intra materni corporis
Adhuc locatus viscera,
Accepto sensit spiritu,
Mundi salutans Dominum.
Exultat Infans gaudio,
Et lucem lucis Filium
Intra naturæ tenebras
Nec dum progressus indicat.
Mater: Propheta nuntiat,
Te esse plenam gratia;
Non ex virili commercio.
Sed Dei fœtam mysterio.
Ac sic in diem sæculi
Verbum ructandum fit Dei;
Facta Mater hæc sterilis,
Fructum præsagit Virginis,
Matre majorem Filium,
Sanctum Ministrum Baptismi:
Sic se priorem post natum,
Lumen perfudit Dominum.
Deum Patrem cum Filio,
[CCXLIX] Simul cum sancto Spiritu,
Unum potentem nomine
Fusis oremus precibus.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem, *mutato nomine, fol.* CLXXXVII:

Capitula. Adsunt, Domine, principia Christianæ lætitiæ, quibus olim, nasciturum in carne, Verbum vox sanctificata præcessit, et Luminis ortum Lucis protestator insigniter nunciavit: ex quo et Christianæ fidei sacramenta, et salutaris lavacri prodierunt insignia: cujus conceptus miraculum, cujus nativitas gaudium approbatur: quæsumus ergo, ut qui natalem nunc Præcursoris tui ovantes suscipimus, ad festum quoque natalis tui purgatis cordibus accedamus: ut vox, quæ te prædicavit in eremo, nos purget in sæculo; et qui viam venturo Domino præparans, corpora viventium suo lavit baptismate, no-

stra nunc corda suis precibus a vitiis et errore depurget: qualiter Vocis sequentes vestigia ad Verbi mereamur pervenire promissa, quia te jubente oramus:

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Omnipotens Deus Pater, qui Unigenito suo nascituro in carne Joannem voluit fieri præcursorem, Angelicis vos custodiis munitos a malis omnibus dignetur eripere: ℟. Amen. Et qui in nativitate ejus multis tribuit gaudium, in prece quoque illius vota supplicantium munificet populorum: ℟. Amen. Ut per eum, quem voluit fieri lucernam Luminis, inreprehensibiles vos efficiat discipulos veritatis. ℟. Amen.

Per misericordia ipsius.

Lauda. Ex utero matris meæ vocavit me, prophetam in gentibus posuit me, P. Et sub velamento manus suæ protexit me. Alleluia, alleluia. ℣. Et retribuit mihi. Dominus secundum justitiam meam: et secundum innocentiam manuum mearum in conspectu oculorum ejus. P. Et sub velamento. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et sub velamento.

Oratio. Vox Verbi, amicus sponsi, qui, Christum in eremo venturum esse pronuncias, viam illi in infidelium cordibus præparans, esto nobis cordium nostrorum et mentium præparator pariter et purgator: ut quod illis olim egisti prædicatione vocis, in nobis nunc exores quotidianis suffragiis: quo sicut per te Domino in Israel præparata est, via, ita per te nobis præparetur post transitum mansio in cœlestibus lætabunda. ℟. Amen.

Per.

Ad *Matutinum.*

Antiphona. Labia mea, Domine, aperies: et os meum adnunciabit laudem tuam. *Psalmus* L.

Oratio. Exultent in te, Domine, labia nostra præconio veritatis: ne resolvantur vaniloquio falsitatis: et tibi semper gloriam dicant, ne indecenter rixarum litigiis perstrepent; anima quoque nostra, quam redemisti, martyris tui Joannis Baptistæ et Præcussoris tui laudando triumphum, ejusdem patrocinio te mereamur habere propitium. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 1. Apparuit Angelus Zachariæ a dextris altaris, dicens ei: Ne timeas, quia exaudita est deprecatio tua: P. Ecce nascetur tibi filius: erit enim magnus coram Domino. ℣. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam; et super sanctos suos, et in eos qui convertunt cor ad ipsum. P. Ecce nascetur. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Ecce nascetur.

Oratio. Plena sunt, Domine, et redundantia beneficia tua, quibus sacerdotis Zachariæ senectutem, Angelo apparente a dextris altaris, dignatus es perlustrare: dum ille et audire meruit: Ne timeas, quia exaudita est deprecatio tua, ut visu foveretur pariter, et sermone: quo munere ditatus agnosceret, vel quid in præteritis figuris typicis tenuisset, vel quid in ostensa sibi novitatis gratia appareret. His ergo exemplis instructi, te quæsumus sanctissime Deus, ut credula semper arcana pectoris nostri te capiant, et in tuis nunciis præfixam fidem adponant: ut Præcursoris tui suffragio ita tibi via in nostris cordibus præparetur, quo æternum te in nobis permanente, evadamus supplicium. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Cum vidisset Mariam Elisabeth, exultavit infans in utero ejus: P. Et repleta Spiritu sancto exclamavit, et dixit: Unde hoc mihi, ut mater Domini mei veniret ad me? ℣. Veritas de terra orta est: et justitia de cœlo prospexit. P. Et repleta. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et repleta.

[CCL] *Oratio.* Deus, qui sterili Elisabeth, senioque infructuosæ, Joannem promissionis Filium condonasti, qui, dum adhuc inclusus ejus utero portaretur Deum in hospitium Virginis habitantem sua salutatione prophetavit; te petimus, et rogamus, ut qui prædicatione ejus regni cœlestis aperuisti credentibus januam, suffragio ejus in regno tuo nos perducas ad gloriam. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Ex utero matris vocavit nomen meum. Prædicare pacem: populis dare gaudium: *P.* Lugentibus in Sion parare viam in deserto. ℣. Deus, qui præcinxit me virtute: et posuit immaculatam viam meam. *P.* Lugentibus. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Lugentibus.

Oratio. Christe, Dei Filius, qui Præcursorem tuum, est ante ortum suo nomine vocas, et post ortum nomine ipso glorificas: dum et ab Angelo ex nomine nasciturus prædicitur, et natus in ipso nomine a populis admiratur; te quæsumus, ut per eum, quem prædicare pacem populis voluisti, per eum tergas sordes nostri piaculi: ut, qui plebem tibi perfectam paraturus advenit, credentium populos tuæ inlustrandos restituat claritati. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Hic est Præcursor, qui directus est: et lucerna lucens ante Deum: ipse est enim Joannes, *P.* Qui viam Domino præparabat in eremo: et, ut Agnum Dei demonstraret, inluminabat mentes hominum præconio suavitatis suæ vocis. ℣. Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista. P. Qui viam Domino. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Qui viam.

Oratio. Deus, qui Joannem præcursorem tuum ardentem lucernam atque lucentem in templo tuo constituisti; ut ardore fidei, quo calebat, aliis quoque inlucesceret suorum operum flamma; da nobis ejus meritis, et ardorem tuæ dulcedinis habere, et lucem æternitatis tuæ attingere, concedens fragilitati nostræ, ut sic lucernæ tuæ sint animæ nostræ, qualiter dum illis oleum suavitatis infundis, futuris eas gaudiis consoleris. ℟. Amen.

Per.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Tu autem puer propheta Altissimi vocaberis: præbis enim ante faciem Do-

mini parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis A plebi ejus.

Canticum Zachari (*Lucæ* I).

Benedictus Dominus Deus Israel, * quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ :

Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui. * Sicut locutus est per os sanctorum phophetarum suorum, qui ab ævo sunt:

Et liberavit vos de inimicis vestris, et de manu omnium, qui oderunt nos : * Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris :

Et memorari testamenti sancti sui. * Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis :

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, * serviamus in sanctitate et justitia coram B ipso omnibus diebus nostris.

Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis : * præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus :

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, * in remissionem peccatorum eorum :

Per viscera misericordiæ Dei nostri : * in quibus visitavit nos, oriens ex alto :

Inluminare eis, qui in tenebris,et in umbra mortis sedent : * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Antiphona. Tu autem.

Oratio. Christe Dei Filius, qui sanctificatum tibi Joannem Præcursorem tuum,prophetam tibi eligis; præparans tibi viam in principio viarum tuarum ; et per te puerum illum ante te boni nuncium destinas; concede nobis sursum semper corda habere: ut C Verbum, quod Vox adhuc tenta prædicavit in utero, peccatores indultæ pietatis munificet dono. ℟. Amen. Per.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedictio Domini in mercedem justi festinat.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol*. 6.

Sono. Hæc dicit Dominus : Priusquam te formarem in utero, novi te : et antequam exires de vulva, P. Sanctificavi te. Alleluia ; ℣. Prophetam quoque gentibus dedit te : Et omnia quæcumque mandavero tibi, loqueris. Ne timeas : Ecce dedit verba mea in ore tuo : et posuit te principem super gentes, et super regna. P. Sanctificavi te.

[CCLI] *Lauda*. Laudate Dominum de cœlis Alleluia : D laudate eum in excelsis Alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap*. LXI).

℟. Deo gratias.

Spiritus Domini super me, propter quod unxit me : ad adnunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde,et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem : ut prædicarem annum placabilem Domino,et diem ultionis Deo nostro: ut consolarer omnes lugentes:ut ponerem lugentibus gaudium in Sion ; et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris:et vocabuntur in ea fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum. Et dabo opus eorum in veritate, et fædus perpetuum feriam cum eis. Et scietur in gentibus semen eorum, et germen eorum in medio populorum : omnes, qui viderint eos, cognoscent eos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. ℟. Amen.

Hymnus.

Clange lyram Zacharias
Sacerdotum Princeps,
Cui copulata conjunx
Ab Aaron filiabus
Thalamorum inhærebat
Solita prænuntiis.
Operibus Sanctiores
Præpollebant ceteris ;
Ac synceris in mandatis
Incedebant Domini,
Et, nulla prole conlata,
Pergebant ad senium.
Mox enim hora refulsit
Incensorum tempore,
Suetum gestabat vates
Ignem in thuribulis
Sacris deferens odorem
Nectareum atriis.
Audit cœlestis affatum,
Et sonorum Nuncium,
Cujus candore præviso,
Tremor vatem inruit,
Quem blandis robustiorem
Reddidit sermonibus.
Ecce juncta thorum tibi
Conjunx parit sobolem ;
Quam protinus nuncupabis
JOANNEM vocabulo :
Cujus totum prædicatur
Per Orbem Nativitas.
Hic coram Domino Magnus
Matris infra uterum
Repletus Spiritu Sancto,
Præcursurus Heliæ.
In virtute, spirituque
Præmissurus Dominum,
Talia, Sacer ; e contra
Sic respondit Angelo :
Ecce jam nostra sub annis
Emarcuerunt viscera :
Ac vetulis denegatur
Sensibus posteritas.
Ego sum missus ab Astris
Angelorum socius:
Et tu Divinis videris
Præceptis incredulus,
Propter quod carens loquela
Eris tacens labiis.
Temporibus jam completis,
Natus infans cernitur
Cujus nomen prænotavit
Pater in volumine ;
Vinculo soluto linguæ

Conlaudavit Dominum.
Gloria, et honor Deo
Usquequaque altissimo,
Una Patri, Filioque,
Inclyto Paraclito ;
Cui laus, et potestas
Per æterna sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum.

Capitula. Omnipotens Deus, te supplices petimus et rogamus, ut in hac festivitate Præcursoris et Baptistæ tui Joannis Nativitate populo tuo tribuas eruditionem spiritualium gaudiorum, et omnium fidelium mentes dirige in viam salutis et pacis : ut, quem manifestavit absolutio nuntii, impleat præsentia nunciati.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Ex utero matris meæ vocavit me.

Benedictio. Omnipotens Deus Pater, qui Unigenito. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Exeunte Vespera.

Lauda. Lucerna pedibus meis. *fol.* CLV. *Sono.* Priusquam te formarem. *Quære in primis Vesperis.*

Antiphona. Nazareus vocabitur puer iste : vinum et siceram non bibet, *P.* Et omne immundum non manducabit ex utero matris suæ. ℣. Maxima est gloria ejus in salutari tuo : [CCLII] gloriam et magnum decorem impones super eum. *P.* Et omne.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Confortabitur puer, alleluia : et magnus erit ante Deum Alleluia ; *P.* Et multorum corda convertet ad Dominum. Alleluia, alleluia. ℣. Hic accipiet benedictionem a Domino : et misericordiam a Deo salutari suo. *P.* Et multorum. ℣. Gloria, et honor. *P.* Et multorum.

Hymnus.

Puer hic sonat Joannes,
Geniti Dei alumnus,
Domini potens amicus,
Rutilis lucerna orbis,
Rutilo peracto Sole,
Sapientia loquelæ,
Deitatis aptus Index,
Vetulæ refusus alvo,
Uteri senilis ortus,
Patrio decore clarus.
Precibus fave, rogamus,
Pietas redundet alma,
Miseris adesto nobis,
Repleat salus labentes,
Facinus remitte cunctis.
Patriam regat modestus,
Acies recedat, ensis
Perimens ruat, prementem
Gladium retundat ignis,
Jugulum reclinet hostis.
Sit honor Deo, et Uni-
Genito ab ore Patris ;
Sit Paraclito perenni
Similis tenax potestas,
Et apex honoris alti.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem, *ut supra.*

Capitula. Deus, in cujus laude et gloria dependitur, quicquid sanctorum tuorum cultibus atque officiis exhibetur ; accipe devotionem nostram, et inlustra festivitatem, quam hodierno die Baptista Dominicus consecravit, lucerna luminis accendit, Verbi vox intulit, testis veritatis apparuit : cujus spiritus præscius exultavit in utero, cujus effusio gaudium sparsit in sæculo, cujus ortus adnunciavit fidei sacramenta, cujus conceptus infidelis oris clausit officia. Tribue, petimus, Domine, in nobis extremam saltem fidei lineam, qua inhærentes mereamur adtingere, et gradatim vestigiis eorum, ne relabamur, insistere : ut sicut, publica nunc communibus gaudiis vota persolvimus, ita propria, quæ quotidianis profectibus placeant, exolvamus.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dei Filius, qui Joannem adventus sui Prævium lucernam sibi accendit, per quam videretur ; accensionis sanctæ vos ignibus concremare dignetur : ℟. Amen. Et, qui illum matris effecit exultare in utero, vos spiritualium gaudiorum munificet incremento ; ℟. Amen. Ut, quem ille nasciturum præcessit in spiritu et virtute Heliæ, ipse vos introducat ad gaudia vitæ perpetuæ. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Repleatur os meum, Deus, laude tua, Alleluia ; *P.* Ut possim cantare gloriam tuam. Alleluia, alleluia, ℣. Quoniam magnus Dominus, et laudabilis valde : terribilis super omnes deos. *P.* Ut possim. ℣. Gloria, et honor. *P.* Ut possim.

Oratio. Vox verbi amicus sponsi. *Require in primis Vesperis.*

DIE XXVII.

IN FESTO SANCTI ZOILI MARTYRIS.

Omnia dicantur unius Martyris, novem lectionum, folio CLX, *excepto Hymno, qui est iste :*

Hymnus.

Martyris gestans, Zoili coronam
Obviam Christo properanter ibit
Civitas quoque pretiosa portans
Dona victoris.
Hoc colunt cives, velut ipsa membra
Cespes includat, suos et paternos
Servet amplectens tumulo beati
Martyris ossa.
Noster, et nostra puer in palæstra
Arte virtutis, fidei collybo
Cunctis horrendum didicit domare
Viribus hostem.
Martyrum nulli, remeante vita,
Contigit terris habitare nostris :
Solus tu morti propriæ superstes
Vivis in Orbem,
Martyres servas : Patriam corones

[CCLIII] Deditam sacris : Chorus inde surgit ;
Tendit in cœlum niveus togatæ
Nobilitatis.
Solus occurrens numerosiores
Martyrum turbas Domino parasti ;
Solus prædives pietate, multa
Luce frueris.
En Zoile tuæ victoriæ palmam
Clerus hic tantus peperit triumphum ;
Hic sacerdotum infolata domus
Celebret votum.
Gloriam psallat Chorus, et resultet.
Gloriam dicat, canat, et revolvat :
Nomini Trino, Deitati soli
Sidera clament.
Amen.

DIE XXVIII.

IN VIGILIA APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Ad Matutinum.

Antiphona. Da nobis lætitiam. *Psalmus* L. *Oratio.* Redde nobis, Domine lætitiam. *Quære folio* CLXIII.

Antiphona 1. Dedi eis præcepta mea, dicit Dominus : *P.* Et judicia mea ostendi illis propter nomen meum, ut laudetur in Sion. ℣. Beati, qui custodiunt judicium, et faciunt justitias In omni tempore. *P.* Et judicia mea. ℣. Gloria, et honor. *P.* Et judicia mea.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui ad vocem conquirentis Petri promittis te sequentibus in regeneratione daturum, ut supra thronos duodecim sedeant, et potestatem duodecim tribus judicandi accipiant ; quo promissionis munere et Petrum post negationem oblectas, et Paulum post excursum infidelitatis remuneras : dum illi post pœnitentiam non obfuit, quod negavit, et isti post conversionem remissibile extitit, quod deliquit ; da nobis utriusque meritis evitare delictum, ubertim flere commissum, lacrymis errata detergere, eleemosynis perpetrata punire : ut relinquentes mundum ex animo, æternitatis mereamur consolari promisso. ℟. Amen.

Per.

Antiphona. 2. Ego elegi vos, ut fructum plurimum afferatis : *P.* Et fructus vester maneat in æternum. ℣. Accedite ad Deum, et inluminamini : et vultus vestri non erubescent. *P.* Et fructus. ℣. Gloria, et honor. *P.* Et fructus vester.

Oratio. Christe, Dei Filius, qui gratuito vocationis munere, et Petrum primum, et Paulum ultimum Apostolum elegisti : ut et ille præcedens et hic sequens unius vocationis et Apostolatus gratia præditi, dum doctrina sua mundi agrum spargerunt, fructum tibi plurimum deportarent ; præbe nobis eisdem suffragantibus, ita laborare in sæculum, ut fructus laborum nostrorum a te comprobatus maneat in æternum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus : P. Valde confortatus est principatus eorum. ℣. Ecce tu, Domine, cognovisti omnia

A novissima et antiqua : tu formasti me, et posuisti super me manum tuam. P. Valde confortatus est. ℣. Gloria, et honor Patri et Filio. P. Valde confortatus.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui summos Apostolos tuos Petrum et Paulum, unum cruce, alterum gladio consecrasti ; præsta nobis, ut et Petrus crucem suam tollens te sequendo nos adtrahat, et Paulus pro te dimicando atque spirituali affectu carnalia desecando nos tibi conjungat ; ille doceat in cruce manere, iste gladio triumphare : ut tibi nos et per Patrum crux offerat conjungendos, et per Paulum gladio consociet coronandos. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Sancti, qui justitia erudierunt multos, fulge-
B bunt, sicut splendor firmamenti. *P.* Et sicut stellæ cœli in perpetua æternitate. ℣. Isti sunt viri sancti quos elegit Dominus in charitate non ficta : et ab eorum doctrina fulget Ecclesia, ut Sole Luna. P. Et sicut stellæ. ℣. Gloria, et honor. *P.* Et sicut stellæ.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Diligentes te, Domine. *Canticum.* Qui sponte obtulistis. *Quære folio* CLXIII.

Ad Benedictus. Antiphona. Sancti et humiles corde, spiritus et animæ justorum, benedicite Dominum. Justi et Sacerdotes, sancti et humiles corde, benedicite Dominum.

[CCLIV] *Canticum.* Benedictus es Domine. *fol.* 6.

Sono. Salus justorum a Domino est. *P.* Et salvabit
C eos. Alleluia, alleluia ; ℣. Quoniam speraverunt in Deum vivum. *P.* Et salvabit.

Lauda. Laudate Dominum de Cœlis. Alleluia : laudate eum in excelsis. Alleluia, alleluia. *Psalmus* CXLVIII. *Prophetia.* Justi in perpetuum, *Fol.* CLXIV. *Hymnus.* Laudes Sanctorum. *Fol.* CLXV. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem, *mutatis nominibus, fol.* CLXXXVII.

Capitula. In duobus ecce famulis atque Apostolis tuis Christe Deus mira, te concedente, gratiarum dona partita sunt ; dum et Petrus signorum est ostensione magnificus, et Paulus legis eruditione perfectus : dum et ille virtutibus pollet, et hic litteris claret : dum et ille umbra sua sanat infirmos, et hic verbo suscitat mortuos. Quæsumus, ergo, ut hæc duo candelabra in conspectu tuo semper lucentia
D pro nobis omnibus te rogatura adsistant : qualiter quicquid de illorum doctrina percepimus, effectu operum impleamus.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Respexit eos. *Benedictio.* Meritis Sanctorum. *Quære folio* CLXV.

DIE XXIX.

IN FESTIVITATE SANCTORUM PETRI ET PAULI APOSTOLORUM.

Ad Vesperum.

Lauda. Exortum est in tenebris. *fol.* CLXII.

Sono. Alleluia. In omnem terram exivit sonus sanctorum : *P.* Et in fines orbis terræ verba illorum.

Alleluia, alleluia. ℣. Non sunt loquelæ neque sermones : quibus non audiantur voces eorum. *P.* Et in fines. A

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Alleluia. Hi sunt, qui missi sunt per orbem terrarum, et prostraverunt se ante Agnum, *P.* Habentes phialas aureas plenas incensu, quæ sunt memoriæ sanctorum, cantantes canticum novum. ℣. In omnem terram exivit sonus eorum : et in fines orbis terræ verba illorum. P. Habentes. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Habentes.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona 2. Isti sunt viri nominati in virtute, *P.* Doctores populi facientes judicium in doctrina sua. ℣. Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus adnuntiat firmamentum. *P.* Doctores. ℣. Gloria, et B honor. P. Doctores,

Oratio. Domine Jesu Christe, qui singulari electionis tuæ munere in hoc voluisti tuos discipulos demonstrare connexo amore charitatis, quo perfectione clarescerent; ut, quorum doctrina fundaretur Ecclesia, dilectionis potius quam signorum decoraretur potentia ; ut omne ædificium ejus potius charitate quam signis monstraretur esse mirificum ; dum in ipsa dispensatione tui muneris doctrinam signa sequuntur, non doctrina signorum ordines antecedat; dum veritatis prædicatio signorum roboratur auxilio ; te quæsumus, te rogamus, ut in charitate beneplacita tibi corda nostra permansura statuas, auferens a nobis dolosi pectoris locum, et expians male consuetæ discordiæ signum : quo per eos, quorum doctrina fulget Ecclesia, fulgorem mereamur obtinere in viventium terra. ℟. Amen. C

Per.

Antiphona 3. Isti sunt viri sancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, *P.* Et dedit eis gloriam sempiternam : quorum doctrina fulget Ecclesia, ut Sole Luna. ℣. Beata gens, cujus est Dominus, Deus ejus ; populus, quem elegit Dominus in hereditatem sibi. *P.* Et dedit eis. ℣. Gloria, et honor *P.* Et dedit.

Oratio. Ineffabilem satis, Christe, mellis tui credimus esse favum, quod in ore tuorum tribuisti Apostolorum : quia suavitas verbi, quæ illis erat in pectore, hæc in illorum ore flammescentes scientiæ rivulos formans, et auditum plebium reservat, ut crederent, et corda nutriebat, ut amare facerent, D quod audissent : intus illis aderat, quod foris aliis redundabat : unde et per hoc tibi appropinquare merentur, quia, quæ vocibus docuerunt, operibus exequuti sunt. Tribue ergo nobis, ut, quia in eorum prædicatione surrexit Ecclesia, in eorum prece roborata consistat : ut, quorum doctrina favis est satiata, eorum precibus vitæ hujus naufragia ad Christum coronanda pertranseat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 4. Lætitia sempiterna erit electis meis. *P.* Cum dedero opera eorum in ligno vitæ. [CCLV] ℣. Beati, qui custodiunt judicium, et faciunt justitias in omni tempore. *P.* Cum dedero. ℣. Gloria, et honor. *P.* Cum dedero.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Disciplina et sapientia replevit illos Dominus. Alleluia. P. Creavit in illis gratiam spiritus sui, et intellectu replevit corda eorum. Alleluia, alleluia. ℣. Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur : et de necessitatibus eorum liberavit eos. P. Creavit in illis. ℣. Gloria, et honor. *P.* Creavit in illis.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda 2. Lætitia sempiterna erit vobis, dicit Dominus. *P.* Quia in terra vestra duplicia possidebitis. Alleluia, alleluia. ℣. Benedicti vos a Domino, qui fecit cœlum, et terram. *P.* Quia in terra. ℣. Gloria, et honor. *P.* Quia.

Hymnus.

Apostolorum passio
Diem sacravit sæculi,
Petri triumphum nobilem,
Pauli coronam proferens.

Conjunxit æquales viros
Cruor triumphalis necis;
Deum secutos ; Præsulem
Christi coronavit fides :

Primus Petrus Apostolus :
Nec Paulus impar gratiæ :
Electionis vas sacræ
Petri adæquavit fidem.

Verso Crucis vestigio,
Simon honorem dans Deo,
Suspensus ascendit, dati
Non immemor Oraculi.

Præcinctus, ut dictum est,
Senex elevatus ab altero,
Quo nolet, ibit, sed volens
Mortem subegit asperam.

Hic Romæ celsus vertice,
Devotionem extulit :
Fundata tali sanguine,
Et Vatis tanti, nobilis.

Tantæ per Urbis ambitum
Stipata tendunt agmina,
Trinis celebratur viis
Festum sacrorum Martyrum.

Prodire quis Mundum putet,
Concurrere plebem Deo
Electam : Gentium caput,
Fides magistra Gentium ?

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio.
Cum Spiritu Paraclito.
In sempiterna sæcula
Amen.

Suqplicatio. Oremus Redemptorem, *mutatis nominibus, fol.* CLXXXVII.

Capitula. Domine Jesu Christe, qui primum atque novissimum Apostolos tuos Petrum et Paulum in summa perfectionis arce locasti ; ut electio Aposto-

licæ dignitatis et in illo prima, et in isto consummata dignosceretur; hos Ecclesiæ tuæ concede præsules, quos principes elegisti; hos gubernatores justitiæ, quos duces et egregios deputasti; ut eam foveant præsidiis indefessis, quam fundaverunt præceptis optimis et exemplis. A

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, quem et virtus Petri et doctrina Pauli Unigenitum esse Filium Dei Patris declaravit in mundo, ab omni vos mundanæ conversationis dignetur emundare contagione: ℟. Amen. Idem quoque, pro quo et Petrus cruce, et Paulus gladio interempti sunt, possessores vos faciat regni cœlorum; ℟. Amen. Ut regnum cœlorum, de quo ipsi claves per Apostolatus gratiam acceperunt, numquam vobis pro merito eisdem aperientibus obclaudatur. ℟. Amen. B

Per.

Lauda. Vos estis vasa sancta Domino auro fulgente alleluia; P. Quia sponte obtulistis Domino Deo animas vestras. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Audi populus meus, et testificabor tibi: Israel, si me audieris. P. Quia sponte. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Quia sponte.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui ad vocem conquirentis Petri promittis te sequentibus in regeneratione daturum, ut supra thronos duodecim sedeant, et potestatem duodecim tribus judicandi accipiant: quo promissionis munere et Petrum post negationem oblectas, et Paulum post excursum infidelitatis remuneras; dum illi post pœnitentiam non obfuit, quod negavit, et isti post conversionem remissibile extitit quod deliquit; da nobis utriusque meritis oblitterare delictum, et ubertim flere commissum: lacrymis errata detergere, eleemosynis perpetrata punire; ut relinquentes mundum [CCLVI] ex animo æternitatis mereamur consolari promisso. ℟. Amen. C

Per misericordiam.

In nomine Domini nostri.

Ad Matutinnm.

Antiphona. Da nobis. *Psalmus* L.

Oratio. Redde nobis. *Quære fol.* CLXIII.

Antiphona 1. Honorati sunt amici tui, Deus: valde confortatus est principatus eorum. *P*. Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur: ℣. Ecce tu, Domine, cognovisti omnia, novissima et antiqua: tu formasti me, posuisti super me manum tuam. *P*. Dinumerabo. ℣. Gloria, et honor. *P*. Dinumerabo. D

Oratio. Honorati sunt amici tui Christe; dum in omnem terram exiret sonus eorum; non quo mundiali municipatu in terrenis exercerent; sed quo prædicandi potestate orbem implerent; et in faciendis virtutibus principarentur; dum et in Petro virtus ostensa, et in Paulo scientia clara tumentem mundi potentiam miti jugo tuo substernendam humiliat: annue precibus nostris; ut, beneficia, quibus principati sunt mundo, numquam desint a populo christiano: sed interminabili illo affectu dulcedinis, quo se in hac vita positi invicem dilexerunt, et votis et precibus supplicantium adesse dignentur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Isti sunt amici tui, Domine, qui tradiderunt corpora sua in mortem, *P*. Ne servirent idolis, neque adorarent deos alienos. ℣. Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exaltabunt tota die: et in tua justitia exaltabuntur. *P*. Ne servirent. ℣. Gloria, et honor Patri. *P*. Ne servirent.

Oratio. Isti sunt, Christe Domine, amici tui Petrus et Paulus, qui tradentes corpora sua ad mortem, effecti sunt ductores gratiæ, fundatores Ecclesiæ: quos et unitas prædicandi et felicitas moriendi nec dividi passa est, nec elidi. Quæsumus ergo, ut, qui illorum doctrina populos tibi fecisti esse credentes, eorum prece nos efficias regni cœlestis coheredes. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. 3. Viriliter certati sunt, et transierunt de morte ad vitam: *P*. Isti sunt amici tui, Domine. ℣. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem. *P*. Isti sunt. ℣. Gloria, et honor. P. Isti sunt.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui Petrum et Paulum viriliter certantes, unum cruce et alterum gladio dignatus es consecrare: ut pro amore tui nominis fida dilectione, et ille crucis exitium, et hic gladii susciperet ictum; da nobis, ut simili te dilectione sequentes et per Petrum crucis intremus in secretum, et per Paulum spiritualis verbi semper gladio muniamur: quo et per crucem Christi cruciatus evadamus inferni, et per gladium spiritus penetremus abdita cœli. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Hi ostenderunt cærimonias populo et ritum: demonstraverunt hominibus colere Deum, quoniam prædestinati erant de cunctis plebibus, quod essent timentes Deum; *P*. Eo quod in hominibus præcepta ejus impleverunt. ℣. Hi sunt, qui in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, et in diebus suis in laudibus habentur. *P*. Eo quod. ℣. Gloria, et honor. *P*. Eo quod.

Oratio. Hi sunt, Domine, Apostoli tui Petrus, et Paulus, qui legis cærimonias et ritum colendi te populis demonstrantes, dum diffuso ore invictaque constantia semen verbi tui per incredulorum corda spargerent, optabili necati sunt passione; cum et Paulus dissolvi cupiens, gladio necatus interiit, et Petrus inversis se poscit vestigiis crucifigi. Unde tuam poscimus pietatem, ut, qui illos glorioso coronasti martyrio, nos futuro liberes a tormento: ut verbum tuum, quod illis gloriosis in mundo vocibus sparserunt, nos sanctificatum in receptaculum nostri pectoris conservemus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

A *Ad Canticum. Antiphona.* Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Dominum, parrantes justitias ejus et clementiam in fortes Israel,

Canticum. Qui sponte obtulistis. *fol.* CLXIII.

Oratio. Christe Dei Filius, qui præcedentibus Prophetis, novæ gratiæ filios introducis; dum Apostolos Prophetis, quasi filios patribus, [CCLVII] succedere facis; qui propria voluntate animas suas offerunt; quorum sors utique inter Sanctos inventa; quia prædicatio Apostolorum, præcedentium Prophetarum est vaticinio roborata: te poscimus et rogamus, ut, qui utrorumque testamentorum radiis dispositione mirifica ordinasti, quo in veritatis ostensione digne facis atque pulcherrime veteribus nova succederent; facias nos ipsis Apostolis tuis heredes B semper existere: ut quia per illos suscepimus fidem; cum his etiam habeamus te semper hereditatem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Benedictus. Antiphona. Sancti et humiles corde, spiritus et animæ justorum, benedicite Dominum. Justi et sacerdotes, sancti et humiles corde, benedicite Dominum.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol* 6. *Sono* Alleluia. In omnem terram. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Lauda. Laudate Dominum de Cœlis Alleluia: laudate eum in excelsis Alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Prophetia. Multam gloriam fecit Dominus. *fol.* CLXXIX. *Hymnus.* Apostolorum passio. *Supplicatio.* C Oremus. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Capitula. Domine Jesu Christe, qui adversas potestates per summos Apostolos tuos Petrum et Paulum destruis et disturbas; ut prædicationi veritatis Apostolico ore depromptæ, nec nequitia malorum nec versutia possit obviare magorum: dum et Simonem magum Petrus dejecit, et Elimam Paulus cæcitate percussit; adesto nobis, ut in Ecclesia tua omnes corruant, qui conturbant: et turbentur, qui venientes ad fidem præpedire conantur; cum potius tendentes ad regna cœlestia, quo Pauli docentis adduxerit pietas, intromittat Petri potestas.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Vos estis vasa. *Benedictio.* Christus Dominus. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

D *Exeunte Vespera.*

Lauda. Exortum est. *Sono.* Alleluia. In omnem terram. *Quære in primis Vesperis.*

Antiphona. Legem tuam splendide docuerunt; *P.* Quorum sunt opera multa reposita apud te, Domine. ℣. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem. *P.* Quorum sunt. ℣. Gloria, et honor. P. Quorum sunt.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Induit eos alleluia *P.* Stolam gloriæ: vitam in te et disciplinam dedit eis. Alleluia, alleluia. ℣. Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, et non potero ad eam. *P.* Stolam. ℣. Gloria et honor. *P.* Stolam.

Hymnus. Apostolorum passio. *Supplicatio.* Oremus. *Quære in primis Vesperis.*

Capitula. Pretiosam in conspectu Domini mortem sanctorum tuorum Petri et Pauli Apostolorum annuis recursibus honorantes, damus gloriam laudi tuæ, quia luminaria pretiosa a te vero lumine indeficiente succensa non solum dum leguntur, sed dum coluntur, inlustrant: quia hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra aurea in conspectu tuo, atque in universa terra exiit sermo oris eorum; quorum intercessionibus exoratus dum suscipis devotionis officium, precum, quæsumus, largiaris effectum, dum clamaverimus e terris.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Omnipotens Deus, qui omne remedium pietatis tribuit miseris, det vobis Petri lacrymis emundari ab omnibus culpæ contagiis. ℟. Amen. Concedat doctrina Pauli suscipere vos sapientiam verbi; ℟. Amen. Ut ille per pœnitentiam, iste per doctrinam faciat vos pervenire ad vitam æternam. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Lex veritatis habitavit in ore eorum, Alleluia. *P.* Quoniam iniquitas non est inventa in labiis eorum.: fructum vitæ in pace perfecerat. Alleluia, alleluia. ℣. Dominus dabit verbum evangelizantibus, virtute multa. *P.* Quoniam iniquitas. ℣. Gloria, et honor. *P.* Quoniam iniquitas.

Oratio. Christe, Dei Filius, qui præcedentibus. *Quære retro in Laudibus præcedentibus.*

FESTA JULII.

DIE XII.

IN FESTO SANCTÆ MARTIANÆ VIRGINIS, ET MARTYRIS.

CCLIII. *Ad Vesperum.*

Lauda. Speravit anima mea in Domino. *Sono.* Alleluia: Psallam nomini tuo Deus. *Antiphona.* Ostende mihi faciem tuam, Sion. *Lauda.* Sicut palma exaltata. *fol.* CLXXIX.

Hymnus.

Sacræ triumphum martyris
Celebret vox Ecclesiæ:
Camæna sit cunctis una
Martianæ in laudem virginis.

Quæ, passionis præmium,
Dum tendit adipisci:
Ultro ad palæstram gloriæ
Audet prompta concurrere.

Hæc namque adstantem dæmonis
Cernens adlisit effigiem;
Sub cujus larga perpetim
Fluebat unda gressibus.

Mox flagris cæsa trahitur
Celsa ad Prætoris atria:
Atque ille ludis allicit,
Prosternit membra Virginis,

Quam prædo pudicitiæ,

Dum inter umbras sequitur.
Oblectata extemplo cœlitus
Secluditur maceria.
Vincta deinde stipite
Pro vana voce includitur;
Sed pænas fert blasphemia,
Ruinas, et incendia.
Emissa namque bestiis,
Leo præcurrit percitus;
Adoraturus veniens,
Non consumpturus Virginem.
Taurus dehinc prosiliens
Forma et mugitu horribili
Sulcabat ejus teneras
Papillas, ictu vulnerans,
At fera pernix corpore
Et maculoso tegmine
Letali dente ad ultimum
Membra Puellæ laniat.
Post hos triumphos anima
Vinclis elapsa corporis,
Plaudens petit ad libera
Summi Poli fastigia.
Deo Patri sit gloria.
Ejusque soli Filio,
Sancto simul Paraclito
In sempiterna sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus. *mutato nomine, folio* CLXXXII.

Capitula. Domine Jesu Christe, cujus imperio rabidissimus non solum a nece beatissimæ virginis et martyris Martianæ abstinuit, verum etiam feritate deposita ejus immaculatum corpus adoratus præsens moleste contingere non præsumit; præsta nobis, ut nitore tui Sancti Spiritus circumsepti, immanitatem non timeamus Leonis horrendi; sed majestatis tuæ virtute repulsus semper a læsione nostra maneat alienus.

Pater noster. Liberati a malo. *fol*. 2.

Benedictio. Omnipotens Dominus, qui beatissimam Martianam virginitatis ac pudicitiæ ornavit decore, mentes vestras expiet ab omni mundanæ corruptionis contagione: ℟. Amen. Quique hic præstitit suam idolis non inclinare cervicem, a vobis arceat spirituum malignorum tentationem; ℟. Amen. Ac, sicut illa post victoriam lætatur cum Christo, ita eadem patrocinante reduces vos gaudeatis fieri paradiso. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Speciosa facta es et suavis in deliciis tuis Alleluia. *P*. Pulchritudo tua similis est palmæ: indesinenter in plenitudine claritas. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Lauda Hierusalem Dominum: conlauda Deum tuum Sion. *P*. Pulchritudo.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui specie, et pulchritudine tua beatissimam virginem ac martyrem uam Martianam speciosam pulchramque, dum diligis, facis, et ingenti amore despondes: munere superno adesto nobis beatissimæ martyris tuæ Mar-

A tianæ patrociniis indefessis; ut, quoniam tanta pietas, triumphantem provexit ad laudem, perducat supplices ad salutem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

[CCLIX] *Ad Matutinum*.

Antiphona. Labia mea, Domine, aperies: et os meum adnunciabit laudem tuam. *Psalmus* L. *Oratio*. Exultent, Domine. *Antiphona*. 1. Dilectione æterna. *Quære folio* CLXXX.

Oratio. Beata Dei virgo Martiana, quæ in Sion speculatione gloriosa mansisti, quam Deus ipse dilexisse testatur, ex quo non recessura ultra misericordia pollicetur; da nobis meritis tuis, ut amore divino flagrantes, in futuro Judicio inveniamur in

B demnes. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Una es proxima. *Fol*. CLXXX.

Oratio. Una et bona est, Domine, proxima tua virgo Martiana, quæ, dum proxima tibi efficitur, serva tua de sanguine speciosa monstratur per propriam passionem: ejus ergo interventu passionum a nobis maculas terge; ut speciosi et votis et operibus redditi, portas æternæ Hierusalem mereamur introire beati. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Veni, sponsa, a Libano: veni a montibus pascuæ: curramus *P*. In odore unguentorum tuorum. ℣. Audi filia, et vide, et incline au rem tuam: et obliviscere populum tuum, et do-

C mum patris tui. P. Audi.

Oatio. Speciosa, Christe Dei Filius, in oculis fidelium de Libano veniens virgo Martiana annuis recursibus quodammodo revidetur, dum honor ejus humanis obtutibus præsentatur, et obsequendis honorifice aperitur: bonus ergo odor vestimentorum ejus super omnia aromata flagrant; quia judicia virtutum illius exundanti claritate fructificant. Concede ergo nobis, ut odor virtutum ejus sopitum cordis nostri sensum ad pœnitentiam excitet: ut, qui nunc percipimus ex odore lætitiam, post percipiamus ex pœnitentia gloriam indefessam. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Gaude Filia Sion. *Fol*. CLXXXI.

Oratio. Jesu, Dei Filius, qui hortum Electorum

D ingrediens, inter lilia opaca pasceris quando in corpore tuo, quod est Ecclesia, Sanctarum Virginum cœtibus decoraris, ubi beatissimam Martianam mirabiliter introductam, ita mirifice eam floribus maluisti fulciri, ut odor virginitatis ejus, tamquam flosculus aromatum ejus ad nos usque adscenderet: te supplici intentione rogamus, ut, amotis figuris veteris Testamenti, quæ velut umbræ, in typicis observationibus præcesserunt, dies ille, Evangelii utique traditio, in nobis adspirando proficiat, qualiter ita exemplo beatæ virginis Martianæ Evangelii lucem tota devotione sequamur; ut umbras præteriti et erroris et criminis nesciamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Canticum. Antiphona. Benedictus Dominus. A *Canticum.* Gaudens gaudebo. *Fol.* CLXXXI.

Ad Benedictus. Antiphona. Filia Sion.*Canticum.* Benedictus es Domine. *Fol.* 6.

Sono. Dominus mihi dat linguam eruditionis Alleluia ; ut sciam, quando oporteat me dicere alleluia. P. Posuisti me in matutinum, et adposuit mihi aurem audiendi alleluia, alleluia. ℣. Petivi Deum meum sapientiam, et dixit ad me : Ecce feci secundum verbum tuum, et dedi tibi cor sapiens et intelligens, ita ut scias et intelligas, quomodo te dicere oporteat, alleluia, alleluia. ℣. Ego quasi terebynthus expandi ramos meos. Ego feci,ut oriretur lucifer in cœlo alleluia. Ego, omnes qui me amant, diligo : exitus enim mei exitus vitæ sunt. Transite ad me omnes qui me concupiscitis, et a B generationibus meis implemini : quia spes mea est alleluia, et supra melle dulcis est alleluia. *P.* Posuisti me.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis Alleluia, alleluia : laudate eum in excelsis : Alleluia, alleluia. *Psalmus.* CXLVIII.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* LIV).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus : Lauda sterilis quæ non paris : decanta laudem,et quæ non pariebas : quoniam multæ filiæ desertæ,magis quam ejus quæ habet virum, dicit Dominus. Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende,ne parcas; longos fac funiculos tuos,et clavos tuos consolida. C Ad dexteram enim tuam et ad lævam penetrabis : et semen tuum gentes [CCLX] possidebit,et civitates desertas hereditabit.Noli timere,quia non confunderis, nec erubesces : non enim te pudebit, quia confusiones adolescentiæ tuæ oblivisceris,et obprobrium viduitatis tuæ non recordaberis amplius. Quia dominabitur tui qui fecit te,Dominus exercituum nomen ejus : et redemptor tuus sanctus Israel,Deus omnes ad te revocabit.Quia ut mulierem derelictam et mærentem spiritu vocavit te Dominus,et uxorem ab adolescente abjectam, dixit Dominus Deus tuus. Ad punctum in modico derelinqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis meæ abscondam faciem meam parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui : dixit D redemptor tuus sanctus Israel Dominus omnipotens. ℟. Amen.

Hymnus. Sacræ triumphum. *Supplicatio.* Oremus *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Capitula. Audi, Domine, vocem nostri clamoris, et affectum dona petitionibus nostris : pelle a nobis dolum : procul effuga jurgium : interime vitium,ac præsta alternæ dulcedinis incrementa : nostrum namque agnoscimus meritum, sed tuum sequimur salubre præceptum. Ob hoc, quæsumus, in nullo confundamur, sed nos exaudire digneris e cœlis, cum ad te proclamaverimus e terris.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Speciosa facta. *Benedictio.* Omnipotens Dominus. *In Vesperis præcedentibus.*

In Exeunte Vespera.

Lauda. Speravit anima. *Sono.* Alleluia. Psallam nomini. *Fol.* CLXXIX.

Antiphona. In petra exaltasti me. Deduxisti me, quia factus es spes mea : turris *P.* Fortitudinis a facie inimici. ℣. Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula : protegar in velamento alarum.*P.* Fortitudinis. ℣. Gloria, et honor. *P.* Fortitudinis.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua. Alleluia. Super mel et favum. Alleluia. ℣. Quomodo dilexi legem tuam Domine : tota die meditatio mea est.

Hymnus. Sacræ triumphum.*Supplicatio.* Oremus, *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Capitula. Deus salvator noster, qui æternam integritatem custodis, corruptionem nostræ carnis sustentas indulgentia, corporis compositioni parcis ; quique integritatem custodis a te virginibus collatam, ut eam faceres ad destinatum pervenire meritum ; te quæsumus, ut ejus obtentu ita nos eluas a libidinum incentivis,quo cunctis resistendo adversis fiducialiter ad te proclamemus e terris.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Dominus Jesus Christus, qui virginem suam Martianam casto sibi desponsavit amore,castitatis vos dono munificet : ℟. Amen. Et qui illam subarrhavit sibi annulo fidei, vos suæ connectat indissolubiliter charitati ; ℟. Amen. Ut eam pro vobis apud se suffragatricem admittat, quam sibi incorrupto amore adsumpsit sponsam. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Speciosa facta es. *Quære in primis Vesperis. Oratio.* Domine Jesu Christe, *ut supra.*

DIE XVI.

IN FESTO SANCTÆ JUSTÆ VIRGINIS.

Ad Vesperum.

Lauda. Speravit anima mea in Domino. A custodia matutina *P.* Usque ad noctem, ℣. Sustinuit anima mea in verbo tuo, Domine. Fiant aures tuæ intendentes, in orationem ancillæ tuæ : P. Usque ad noctem.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Sono. Diffusa est gratia in labiis tuis Alleluia : P. Propterea benedixit te Deus in æternum. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Eructavit cor meum verbum bonum : dico ego opera mea regi : Alleluia.℣.Nati sunt tibi filii : constitues eos principes super omnem terram.Memores erunt nominis tui, Domine in progenie et generatione. P. Propterea.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Alleluia.Memoria Justæ cum laudibus, [CCLXI] quæ apud Deum nota est et apud homines et in perpetuum coronata triumphat. ℣. Polens in terra erit semen ejus ; generatio rectorum benedicetur, P. Nota. ℣. Gloria, et honor. P. Nota.

Dominus sit. ℟. Et cum. A

Antiphona. Benedicta tu Deo altissimo, præ omnibus mulieribus. *P*. Propter hoc non discedet laus tua ab ore hominum usque in sæculum. ℣. Non det in commotionem pedem tuum: neque obdormiet qui custodit te. *P*. Propter. ℣. Gloria et honor. *P*. Propter.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Hierusalem civitas sancta ornamento Justæ decorata, *P*. Cujus plateæ resonant laudes de die in diem. ℣. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. *P*. Cujus. ℣. Gloria, et honor. *P*. Cujus.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Alleluia. Gaude filia Sion : lætare et exulta in omni corde filia Hierusalem : *P*. Quoniam abstulit inimicos tuos rex Israel Dominus. Alleluia alleluia. ℣. Lauda Hierusalem Dominum : conlauda B Deum tuum Sion. *P*. Quoniam abstulit. ℣. Gloria, et honor. *P*. Quoniam.

Hymnus.

Virginis sacræ triumphum
Plebs alumna parili
Concentu Justæ cœlesti
Paratum ex gratia,
Resonet, piisque modis,
Almis pandat cantibus.

Cliens ex te, Christe, cœtus
Addit vota dedicans
Martyris, ut prece queat
Propriis, ut piaculis
Horrendis semper carere,
Munitus suffragiis. C

Hæc sæpe mundum, hostemque
Vicit simul impium :
Te cordis amore sequens
Tetrum calcat Zabulon :
Gemella serta corona
Cœlo pollet perpetim.

Hujus incolatu magis
Hæc sors claret occidens
Recinens semper triumphum
Locis præstet cæteris;
Cespite sacrum cruorem
Cœlo arrham vindicans.

Intrepida Deo sæpe
Famulans, comminuit
Tenacis mundique vitam,
Simulacrum prophanum ; D
Illico Regis tremendam
Patitur sententiam.

Variis afflicta pœnis,
Mentis calens ignibus ;
Gladio confossa hostis,
Cœlo reddit spiritum :
Hinc loco mutatur corpus
Vivens Deo perpetim.

Sacris Virginum supernis
Accita consortiis,
Sanguine contemnit hostem,
Mente vicit Zabulon :
Gemina proinde cluit
Laureata gloria.

Hæc superno soli Regi
Ovans, sic perpetuis
Angelorum mixta choris,
Novum pangit canticum:
Triumphat potita regno
Sempiternæ gloriæ.

Inde cernui precamur,
Rex Serene, servuli,
Et simul piaculorum
Pandentes facinora ;
Jam medelis fove Pater,
Quos trementes conspicis.

Hujus sacro impetratu
Terge nostra crimina,
Scelerum nodos resolve ;
Da formenta gratiæ;
Et tecum semper victuri
Gloriemur Agie.

Pelle iram, arce pestem
A nostris confinibus :
Gladium hostis retunde
Hujus prece Martyris ;
Et supernam præsta quietem,
Tuis Christe famulis.

Gloriam Patri canamus,
Christoque perpetuo ;
Etiam cum Sancto simul
Utriusque Spiritu :
Qui Deus unus æternus
Regnat ante sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus, *mutato nomine, folio* CLXXX.

Capitula. Domine Jesu Christe, qui carnis virgitatem servantibus fructum promittis repensare centesimum ; intercessu virginis tuæ [CCLXII] Justæ nostrorum vincula solve peccatorum : ut, qui carnis fragilitate dejicimur, ejus patrocinio sublevemur.

Pater noster. Liberati a malo. *fol*. 2.

Benedictio. Dominus Jesus Christus, qui virginem suam Justam casto servavit pudore, castitatis vos dono munificet : ℟. Amen. Et, qui illam subarrhavit sibi annulo fidei, vos suæ connectat indissolubiter charitati ; ℟. Amen. Ut eam pro vobis apud se suffragatricem admittat, quam sibi incorrupto amore adsumpsit sponsam. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Providebam Dominum in conspectu meo semper : quoniam a dextris est mihi, ne commovear. P. Propter hoc jocundatum est cor meum, et exultavit lingua mea. Alleluia. ℣. Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam : et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. P. Propter. ℣. Gloria, et honor. P. Propter.

Oratio. Deus, qui virginalis pudicitiæ titulo passionis vexillo beatas virgines et martyres tuas Justam et Rufinam glorificasti, da nobis sic sacræ castitatis floribus exornari, ut cum fructu bonorum operum

supernæ beatitudinis attingamus corsortium. ℟. Amen.

Per.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea aperies : et os meum annuciabit laudem tuam.

Oratio. Exultent in te Domine labia nostra præconio veritatis, ne resolvantur vaniloquio falsitatis; tibi semper gloriam dicant; ne indecenter rixarum litigiis perstrepent : Anima quoque nostra, quam redemisti, martyris tuæ Justæ laudando triumphum, ejusdem patrocinio te mereatur habere propitium. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 1. Memoria ejus in benedictione honoris in omni ore quasi mel indulcabitur nomen ejus : P. Quoniam direxit ad Deum cor suum : Dominus autem exaudivit vocem ipsius. ℣. Tota die miseretur et commodat : et semen ejus in benedictione. P. Quoniam direxit. ℣. Gloria, et honor. P. Quoniam direxit.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui nomine et meritis Justam vocare jussisti; ut te sequendo, qui justus es, particeps tuæ justitiæ fieret, nec deficeret inquirendo, ne potiretur martyrii præmio : præsta nobis ejus intercessione, ut, sicut illa pro tuo nomine dimicavit, et vicit, ita nos justitiæ sequaces effecti pietatis tuæ intuitu mereamur justificari. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Justitias Domini non repuli a me. P. Et ero immaculata coram eo. ℣. Et retribuit mihi Dominus secundum justitiam meam : et secundum innocentiam manuum mearum retribuit mihi. P. Et ℣. Gloria, et honor. P. Et ero.

Oratio. Deus largitor divitiarum cœlestium et mirabilis patrator munerum æternorum, qui beatissimam Justam in sæculo pauperem elegisti, sed pro te certando æternis opibus sublimasti; paupertatem spiritus nos sequi semper attribue, qua poscimus, tuæ majestati per omnia complacere. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Justa cognovit justitiam, et vidit mirabilia Dei, et exoravit Altissimum, P. Et ingressa est in numero sanctorum. ℣. Desiderium animæ ejus tribuisti ei : et voluntate labiorum ejus non fraudasti eam. P. Et ingressa. ℣. Gloria, et honor. P. et ingressa.

Oratio. Domine Jesu Christe, in cujus virtute beatissima Justa confidens monstrum horrendum dejicit, quod etiam potentia majestatis tuæ ob roborem martyrii comminuit et attrivit; da nobis eadem patrocinante omnium inlecebrarum cavere pericula : ut dum inspiratorem nequitiarum conterimus, cum tua Justa victoriarum laureis potiamur. ℟. Amen.

Per.

℟. Justa cum Domino gloriatur, quoniam confessa est Deum coram hominibus, propter hoc exaudiet eam Dominus orantem pro populo; P. Ut auferatura nobis ira Domini. ℣. Justa cognovit justitiam, et vidit mirabilia Dei, et exoravit Altissimum. P. Ut auferatur. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur* ℟. Justa.

Oratio. Domine Jesu Christe, a quo piæ animæ proteguntur et coronantur, quæ in [CCLXIII] hoc sæculo tuo amore fervescunt, et tempore, quo martyrium imminet, sibi negantes ad te pervenire promptissime concupiscunt, animam quoque sanctissimæ Justæ, quam in tuo gremio conlocasti, pro nobis intercessorem statue : ut ejus auxilio non destinamur, cujus memoriæ canticum laudationis impendimus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 4. Ut columbæ mansuetæ plaudent sibi de alis suis, et gloriabuntur in itinere suo; P. Populus autem gaudeat gaudio magno in lætitia earum. ℣. Lætetur mons Sion, et exultent filiæ Judæ, propter judicia tua Domine. P. Populus. ℣. Gloria, et honor. P. Populus.

Oratio. Domine Deus, qui virginibus tuis glorioso amore flagrantibus concessisti, et quærere, et in delectu ardere; concede nobis, ita te ferventiori voto exquirere, ut fructuosi laboris mereamur reportare mercedem. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 5. Offerentur regi virgines post eam : proximæ ejus. P. Adducentur nobis in lætitia et exsultatione. ℣. Memores erunt nominis tui, Deus. in omni progenie et generatione. P. Adducentur. ℣. Gloria, et honor. P. Adducentur.

Oratio. Domine Jesu Christe, quem filiæ Tyri in muneribus, filiæ utique gentium, adorare prædictæ sunt, dum una ex omnibus gentibus Ecclesia tibi copulata dignoscitur; in muneribus utique non quæstu pecuniæ conquisisti, sed in actionibus sanctitatis : quibus tibi omnis pia anima jungitur, et a quo sic credentibus munera tribuantur : da nobis ut vultum reginæ tuæ in sanctitatis operibus deprecemur, quo justitiam et misericordiam facientes non ea voto placendi hominibus, sed ut soli Deo innotescat et votis et operibus exequamur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 6. Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus; virgines sequuntur eum : ducentur in lætitia et exsultatione. P. Ducentur in templum regis. ℣. Pro patribus tuis nati sunt filii : constitues eos principes super omnem terram. P. Ducentur. ℣. Gloria, et honor. P. Ducentur.

Oratio. Deus, qui in cordibus harum Virginum inlucescens, fecisti de tenebris lumen splendescere : ut quæ vitiatæ fuerant per naturam, essent inluminatæ per gratiam; inlucesce in cordibus nostris ad emolumentum æternæ salutis, ut caligne nostrorum vitiorum detersa, sola nos lucis tuæ claritas sempiterna possideat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Simile est regnum cœlorum decem virginibus : quæ accipientes lampades suas exierunt sponso in obviam. P. Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. ℣. Media nocte

clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite ob- A
viam ei. *P.* Et quæ. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur Responsorium.*

Oratio. Fac nos, Domine Jesu Christe, ut oleum prudentiæ in vasis conscientiæ pura mentis integritate servemus : quo, dum clamor factus fuerit, ut tibi sponso venienti ad judicium obviam exeamus, non cum fatuis, sed cum prudentibus Virginibus coronandi adnumeremur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Audite Reges, auribus percipite principes : Ego sum quæ Domino canam, psallam Deo Israel :

Canticum. Qui sponte obtulistis. *fol.* CLXIII.

Oratio. Deus, qui omnem Virginum gloriam, filia- B
rum utique Regis, intrinsecus esse vis ; ut testimonium alienæ laudis non appetant, quas virtus in æterna lætificat ; annue nobis earum Virginum precibus, et ut humanas laudes effugere, et boni operis intra nos testimonium deportare : quo et virgines persistamus in fide, et incorruptam ex hoc capiamus hereditatem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Benedictus. Antiphona. Filia Sion, benedic Domino Deo excelso in omni benedictione et laude.

Canticum. Benedictus es Domino Deus. *Sono.* Dominus mihi dat linguam. *Quære fol.* 378.

Lauda. Alleluia. Laudate Dominum de cœlis [CCXLIV] Alleluia, alleluia : laudate eum in excelsis C
Alleluia, alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Jesu (*Cap.* XXXIX).

℟. Deo gratias.

Audite me divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate. Quasi libanus odorem suavitatis habete. Florete flores, quasi lilium, date odorem, frondete in gratiam et conlaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis. Date nomini ejus magnificentiam, et confitemini illi in voce labiorum vestrorum, in canticis labiorum, et citharis, et sic dicetis in confessione : Opera Domini universa bona valde. Amen.

Hymnus.

Concentu parili Justam canamus
Virgo, quæ Deo placuit pudore
A primis pudica rudibus annis,
Devicto libitu cælebs permansit.
Hæc quæstu laboris, vasis fictilibus,
Victum pauperibus præbet ; sibique
Contemnens sæculum, Christum secuta
Sic perenniter vivit semper in æthera.
Æternis denique pollens oraculis,
Confossum perimit portentum vibrans
Cœlestis spicula Regis, retundit
Sceptrum, perfidiamque sævi hostis.
Illico subiens dura tormenta,
Altis suppliciis vitam reperit
Cœlestem, meruit quam terra potens,
Solersque famula victrix quæsivit.
Hanc pro piaculis jam Christe nostris
Suffragatricem admitte semper :
Ut cives strenue protegat, suo
Sanguine muniens, preceque tutans.
Æternæ Proli, ingenito Patri
Cum Sancto Spiritu perenni, honor
Sit tibi, gloria semper,
Pollens perpetim sit.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum, *ut supra Vesperis.*

Capitula. Deus, qui gressus sanctissimæ Justæ in Evangelii pacis præparatione ita munisti, ut nec lassitudo laboriosi itineris teneritudinem corporis emolliret, nec roborem mentis pœnarum diversitas enervaret : da nobis humilibus tuis mundanæ dilectionis itinera declinare atque contemnere, et per viam pacis, qua ad te perveniamus, gressus nostros clementer impone.

Pater noster. Et ne nos. Sed libera. Liberati a malo. *Quære fol.* 2.

Humiliate. Dominus. ℟. Et.

Lauda. Providebam Dominum, *ut supra in vesperis.*

Benedictio. Custodiat vos Dominus omnipotens sanctarum suarum Justæ et Rufinæ precibus exoratus : ℟. Amen. Sit vobis ubique propitius, qui in Sanctis suis semper est gloriosus ; ℟. Amen. Atque ipsius pietate ab omnibus malis erepti chrismate repleamini Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

In nomine Domini nostri.

DIE XVI.

IN FESTIVITATE SANCTÆ RUFINÆ AIRGINIS ET MARTYRIS.

Ad Vesperum.

Lauda. Speravit anima mea in Domino. A custodia matutina. *P.* Usque ad nocem. ℣. Sustinuit anima mea in verbo tuo, Domine. Fiant aures tuæ intendentes, in orationem ancillæ tuæ. *P.* Usque ad noctem ℣. Gloria, et honor. *P.* Usque ad noctem.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

D *Sono.* Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam. *P.* Quia concupivit rex pulchritudinem tuam. Alleluia. ℣. Ipse est Dominus Deus tuus ; et adorabunt eum Filiæ : in muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes divites terræ. Omnis gloria ejus. *P.* Quia concupivit.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum, qui eruit me a rege injusto : *P.* Et a pressura flammæ, quæ circumdedit, et in medio ignis non sum æstuata. ℣. Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo. *P.* Et a pressura ℣. Gloria et honor Patri. *P.* Et a pressura.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Igne me examinasti Domine, *P.* Et [CCLXV]

non est inventa in me iniquitas. Alleluia, alleluia. A ℣. Exaudi Deus justitiam meam : intende deprecationem meam. Auribus percipe orationem meam, et non in labiis dolosis. *P.* Et non est. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et non est.

Hymnus.

Adsunt punicea floscula virginum,
Cœlesti placido rore virentia,
Quarum vasa Poli stigmate siderum
Sæcli flammigero igne probata sunt.

Hæc primum olei imbribus inlita
Ignescit facibus cordis in æthera ;
Noctis perfidiam, hostis et impetum
Vincens fidei lumine optimo.

En JUSTA pariter, atque RUFINA est,
Quæ clarent meritis, moribus inclytis :
Discreto siquidem nomine Virgines,
Uno sed studii munere Martyres.

Thesaurum Domini legibus inclytum
Vasis fictilibus corporis unici
Gestantes, pretio vascula distrahunt,
Quo quæstu satient viscera pauperum ;

Sed his subsidiis callidus artifex
Frangit testacea vascula invidens ;
Ne testa hominum scanderet æthera,
Et pulvis fieret gloria cœlica.

Hinc robusta fides fragmine fictili
Gliscens martyrium corporis excipit ;
Præstans femineo præmia sexui,
Quo celso valeant sidere inlabi.

Ob hoc vita, salus, et via, veritas
Te summis precibus rex Christe poscimus ;
Harum suffragio nos tibi consecres,
Quarum tu fidei voce placatus es.

Mente nos facito lampade virgines ;
Fluxu corporeo effice liberos ;
Ut votis rigidis corda calentia
Gestantes habeant regna perennia.

Te nostra jubilet gloria perpetim ;
Qui solus Dominus Trinus, et unus es :
Jugi imperio sæcula continens,
Et cuncta dominans, omnibus imperans.

Amen.

Supplicatio. Oremus. *Mutato nomine, ut supra.*

Capitula. Domine Jesu Christe, cujus imperio rabidissimus leo non solum a nece beatissimæ virginis et martyris Rufinæ abstinuit, verum etiam feritate deposita ejus immaculatum corpus odoratus præsenti molestia contingere non præsumit ; præsta nobis, ut nitore tui Sancti Spiritus circumsepti immanitatem non timeamus leonis horrendi, sed majestatis tuæ virtute repulsus semper a læsione nostra maneat alienus.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Omnipotens Deus, qui beatissimam Rufinam virginitatis ac pudicitiæ ornavit decore, mentes nostras expiet ab omni mundanæ corruptionis contagione : ℟. Amen. Qui huic præstitit suam idolis non inclinare cervicem, a vobis arceat spirituum malignorum tentationem ; ℟. Amen. Et, sicut illa post victoriam lætatur cum Christo, ita eadem patrocinante reduces vos gaudeatis fieri paradiso. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Rami mei rami honoris et gratiæ. Alleluia. P. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris : Alleluia, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Domini, sperabo in misericordia Dei mei in æternum, et in sæculum sæculi. P. Ego quasi. ℣. Gloria, et honor. P. Ego quasi.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui specie, et pulchritudine tua beatissimam virginem ac martyrem tuam Rufinam speciosam pulchramque, dum diligis, facis, et ingenti amore despondes : adesto B nobis beatissimæ martyris tuæ patrociniis indefessis ; ut, quam tanta pietas triumphantem provexit ad laudem, perducat supplices ad salutem. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Ad Matutinum.

Antiphona. Laudabit lingua mea. *Psalmus* L. *Oratio.* Laudet te, Domine, lingua nostra. *fol.* CLXXI.

Antiphona 1. Confirmavit Dominus brachia ejus in opus bonum ; *P.* Et probavit eam, quia bonum est operari ; non extinguetur lucerna ejus per totam noctem. ℣. Confessio et magnificentia opus ejus : et justitia ejus manet in sæculum sæculi. *P.* Et probavit. ℣. Gloria, et honor. *P.* Et probavit.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui carnis virginitatem C servantibus fructum promittis repensare centesimum ; intercessu virginis ac martyris tuæ Rufinæ nostrorum solve vincula peccaminum : ut, qui carnis fragilitate [CCLXVII] dejicimur, ejus patrocinio sublevemur. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. In congregatione sanctorum sicut cedrus P. Exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in montibus Hermon elevata sum. ℣. Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Domini, sperabo in misericordia Dei mei, in æternum, et in sæculum sæculi. P. Exaltata. ℣. Gloria. P. Exaltata.

Oratio. Domine Jesu Christe, cui virgo et martyr Rufina et integritate jungitur, et sanguine sociatur, dum tibi et castimoniam vovit, et pro te sanguine, D fudit ; præsta famulis supplicantibus, ut expiati a peccatis tibi ita pareamus, ne a te ulterius recedamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Stolam gloriæ induit eam Dominus. Jocunditatem et exultationem thesaurizavit super eam, et nomine æterno hereditavit illam. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generatio rectorum benedicetur. P. Et nomine. ℣. Gloria. P. Et nomine.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui beatissimam tuam Rufinam tibi, et testem, et virginem consecrasti, dum te incorrupta sequitur, et pro te gloriosa mactatur ; annue nobis precibus ejus, ut, eadem suffragante, quamvis indigni, et castitatis donum,

et confessionis mereamur obtinere triumphum. ℟. Amen.

Per.

℟. Filia Sion, quiscat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis : quia est merces operi tuo, et spes novissimis tuis. *P.* Revertere, quia miserans miserebor tibi, et dirigam cor tuum in viam directam, per quam ambulasti. ℣. Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, et charitatem desponsationis tuæ. P. Revertere. ℣. Gloria, et honor. *Reiteretur* ℟. Filia Sion.

Oratio. Domine, cujus munere gemino exultat martyr Rufina præmio, dum vel ad pudicitiam ornamenti, et cunctorum sit ad martyrium documento; præsta nobis in Ecclesia illas vernare floribus, quæ æternis dignæ sunt fructibus : et ita vel voto, vel effectu tanta vestigia Martyris persequamur; ut nec libido nos subruat, sed castitas teneat, et proprios confessio probet liberos, et perfectio ambiat munerandos. ℟. Amen.

Per.

Ad Canticum. Antiphona. Ego in Domino gloriabor : gaudebo in Deo Jesu meo.

Canticum. Domine audivi auditum tuum. *Quære fol.* 22.

Antiphona. Ego in Domino.

Ad Benedictus. Antiphona. Filia Sion, benedic Domino Deo excelso in omni benedictione et laude.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6.

Sono. Dominus mihi dat linguam. *fol.* CCLIX. *Lauda.* Laudate Dominum. *Psalmus* CXLVIII. *Prophetia.* Hæc dicit Dominus : Lauda sterilis, quæ non paris. *Quære fol.* CCLIX. *Hymnus.* Adsunt punicea floscula Virginum. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *Quære retro in primis Vesperis. Capitula.* Audi, Domine, vocem nostri clamoris. *Quære fol.* CCLX. *Lauda.* Rami mei rami honoris et gratiæ. *Quære retro in Vesperis præcedentibus. Benedictio.* Omnipotens Deus. *Quære folio* CCLXV.

In exeunte vespera sanctarum virginum Justæ et Rufinæ.

Lauda. Laudaverunt te, Domine, omnes. *Sono.* Alleluia. Justitia plena est. *Quære fol* CLXXXII.

Antiphona. In Hierusalem cum maximo solatio eritis; videbitis, P. Et gaudebitis corde : ossa quoque vestra velut herba renascentur. ℣. Gaudete justi in Domino : rectos decet conlaudatio. P. Et gaudebitis. ℣. Gloria, et honor. P. Et gaudebitis.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Corpora Sanctorum quiescentinm in loco isto, orate pro nobis ad Dominum, P. Ut donet pacem super terram, et requiem temporibus nostris. Alleluia, alleluia. ℣. Laudate nomen Domini, laudate servi Domini. P. Ut donet. ℣. Gloria, et honor. P. Ut donet.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Sanctorum ossa pullulent de loco suo; consolati sunt Jacob, P. Et redemerunt se fide virtutis suæ : Alleluia, alleluia. ℣. Dominus custodit te, Dominus protectio, super manum dexteræ tuæ. P. Et redemerunt ℣. Gloria, et honor. P. Et redemerunt.

[CCLXVII] *Hymnus.* Jesu corona Virginum. *Supplicatio.* Oremus. *fol.* CLXXXII.

Capitula. Domine Jesu Christe, qui beatissimas virgines Justam et Rufinam vasa misericordiæ tibimet effecisti, ut quæstu fictilium vasculorum contentæ, regnum mererentur futuræ vitæ intrare da nobis earum intercessu, ut valeat unusquisque nostrum vas suum possidere in honorem et sanctificationem : quo, devictis voluptatum carnalium incentivis, ad coronam mereamur pertingere sanctitatis.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Omnipotens Deus, qui Justam et Rufinam vasa sibi consecravit mundissima, vos in vasis virtutum, eligat coronandos; ℟. Amen. Et, qui per illas fragmine vasculorum non passus est dejici, vos de adversis faciat semper victoriam promereri : ℟. Amen. Ut earum suffragio, quomodo fecit esse vasa virtutum, lutei corporis in vobis fragmen solidare dignetur : ℟. Amen. Qualiter sanctificatione præditi animarum et corporum, regna mereamur, introire cœlorum. ℟. Amen.

Lauda. Exaltatæ sunt filiæ Hierusalem. *Quære fol.* CLXXXII. *Oratio.* Deus, qui virginalis. *fol.* CCLXII.

DIE XXI.

IN FESTO SANCTI SPERATI ET COMITUM EJUS.

Ad vesperum.

Lauda. Exortum est in tenebris lumen. *Sono.* Justorum animæ in manu Dei. *Quære fol.* CLXVII.

Antiphona. Justi in perpetuum vivent. Ideo accipient regnum decoris, et diadema pulchritudinis de manu Domini. ℣. Et adjuvabit eos, et liberabit eos : et eripiet eos a peccatoribus, et salvos faciet eos : quoniam speraverunt in eum. P. Ideo. Gloria, et honor. P. Ideo.

Dominus sit. P. Et cum.

Lauda. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum.

Hymnus.

Sperati Sancti martyris
Palmam virtutis inclytam
Alternis invicem choris
Hymnis canamus mysticis.

Hunc urbs præpollens Africæ
Carthago servat Martyrem :
Amplectitque Occiduus
Christo dicatus Populus.

Floret ejusdem tumulus
Eximiis virtutibus ;
Ut passionis gloriam
Amplificent miracula.

Hic sacris cum sodalibus,
Dum cogitur ad victimam,
Negavit, esse, fortiter,
Thura libanda idolis.

Exclamat namque protinns :

Christi minister ego sum.
Quosque videtis Socios,
Tales adesse credite.
His dictis Præsul impius
Commotus ira insaniæ,
Ferire jubet gladio
Colla piorum Martyrum.
Per hoc trophæum fidei
Evolaverunt animæ ;
Petentes Patris solium
Pares coronas capiunt.
Sicque gerentes stigmata
Christi in carne propria,
Conformes facti sunt Christo
Cœlesti regno, ac præmio.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi, *mutato nomine. Quære fol.* CLXXXVII.

Capitula. Mirabilis es Domine et inæstimabilis in Sanctis tuis, qui es, auctor præclarus omnium mirabilium, et gloriosi certaminis in futura beatitudine clemens remunerator. Te igitur ineffabilis et misericors Deus, poscimus, et mente cernui flagitamus ; ut Sperati tui martyris prece sperantium in te votis faveas, et sacrificii vespertini odoramenta suscipias, et nostrorum elogia delictorum pius aboleas a pressuris mundialium, jugum intolerabile tuo a populo suspendas, frugum opulentiam tribuas, intemperantiam arceas, et cunctis fidelium [CCLXVIII] languoribus antidoti salutaris medelam impertias : ut igne tribulationis examinati tibi, quocumque ieris, stolis albis induti, cœtibus sanctorum Sperati et Comitum ejus admisti depromamus jugiter, atque dicamus :

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Meritis sanctorum suorum Sperati et Comitum ejus benedictio cœlestis adhæreat sensibus vestris, et ditet vos muneribus sempiternis. ℟. Amen. Et, quorum festa ovantes suscipitis, eorum patrocinio defensati ad Christum indemnes post transitum pervenire possitis. ℟. Amen. Vos omnes qui in hoc die fidei alacritate Deum devotione cernua precaturi convenistis, æterna præmia in futuro adipiscamini. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Invocabant Dominum, P. Et ipse exaudiebat eos : in columna nubis loquebatur ad eos. Alleluia, alleluia. ℣. Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur : et de necessitatibus eorum liberavit eos. P. Et ipse. ℣. Gloria, et honor. P. Et ipse.

Oratio. Deus exultatio et palma sanctorum Sperati et Comitum ejus martyrum tuorum, exaudi nos supplices tuos, et præsta ; ut, quorum in tuo amore reliquias veneramur, et emolumenta recolimus,
A eorum meritis ab omnibus malis liberari et conservari mereamur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Matutinum.

Antiphona. Da nobis. *Psalmus* L.

Oratio. Redde nobis. *Quære fol.* CLXIII.

Antiphona 1. Palmæ fuerunt in manibus sanctorum : et magno clamore dicebant : P. Salus Deo nostro, qui sedes super thronum, et Agno. ℣. Et adjuvabit eos Dominus, et liberabit eos : et eripiet eos a peccatoribus, et salvos faciet eos quoniam speraverunt in eum. P. Salus. ℣. Gloria, et honor. P. Salus.

Oratio. Deus exaltatio et palma, *ut supra in Vesperis.*

B *Antiphona* 2. Filius Dei lætatus est super justus : P. Et in paradiso deliciarum constituet illos. ℣. Et clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos : et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. P. Et in paradiso. ℣. Gloria, et honor. P. Et in paradiso.

Oratio. Memento nostri, Domine, et sicut sanctis tuis Sperati vel Comitum ejus digna præmia reddis, ita nostris parce et miserere peccatis ; ut absoluti de præteritis, mereamur custodiam de futuris. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona 3. Salus justorum a Domino : protector eorum est, in die pressuræ. Adjuvabit eos Dominus, P. Et liberabit eos : et eripiet eos a peccatoribus, ℣. Et salvos faciet eos : quoniam C speraverunt in eum. P. Et liberabit. ℣. Gloria, et honor. P. Et liberabit.

Oratio. Gaudium nostrum et salus nostra, virtus, atque justitia, Domine Deus omnipotens, fac nos, quæsumus, placita tibi sanctorum Sperati et Comitum ejus martyrum sorte gaudere : et illic laudes tuas Rectorum munere perpetim decantare. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Justi in perpetuum vivent, P. Apud Deum est merces eorum. ℣. Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. P. Apud Deum. ℣. Gloria, et honor Patri. *Reiteretur* ℟. justi.

In Laudibus.

D *Ad Canticum. Antiphona.* Diligentes te, Domine. *Canticum.* Qui sponte obtulistis *fol.* CLXIII. *Ad Benedictus. Antiphona.* Sancti et humiles corde. *Canticum.* Benedictus es. *Sono.* Salus justorum. *Lauda.* Laudate Dominum de cœlis. *Prophetia.* Justi in perpetuum vivent. *Quære folio* CLXIV. *Hymnus.* Sperati sancti martyris. *Supplicatio* Oremus, *ut supra in Vesperis præcedentibus.*

Capitula. Ingeniti Patris Unigenite Filius Dei, Spiritui Sancto coæternus et consubstantialis, qui ab arce sedis æthereæ hujus mundi infima petens ad adoptandum hominem non horruisti vestimentum sumere carnis, et ad liberationem fidelium non es

A dedignatus in forma servi salvare, et in statera appendere Crucis, et perferre exitium mortis : [CCLXIX] interventu Sanctorum tuorum Sperati et Comitum ejus hodierna solemnia celebrantibus existe mitis; ut orationem, quam tuis docuisti tenendam discipulis, Patrem cordis officio proclamemus e terris :

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Laus Domini in Ecclesia sanctorum. Alleluia. P. Lætetur Israel in eo, qui fecit ipsum. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit. P. Lætetur Israel. ℣. Gloria. P. Lætetur.

Benedictio. Meritis sanctorum. *Quære supra in Vesperis præcedentibus.*

DIE XXIV.

IN FESTO SANCTÆ CHRISTINÆ VIRGINIS ET MARTYRIS. B

Omnia dicantur unius Virginis, folio CLXXIX, *excepto Hymno.*

Virginis sacræ triumphum
Prosequamur laudibus,
Quæ viriliter certando
Hostem vicit improbum;
Et servando castitatem
Meruit præconium.

Hæc namque virgo, dum esset
Parvula temporibus,
Concupivit regem Christum
Adorare Dominum;
Et neglectis simulacris,
Thus offerre pudicum.

Quæ, paterna deridendo C
Flagra vel supplicia,
Non adtendit prava verba,
Cor ad hæc nec posuit;
Sed sereno pœnas vultu
Sustulit viriliter.

Ipso nomine beata,
Quod Christina dicitur
Appellari virgo pia :
Sed a Christi nomine
Derivatum patet suum
Esse sic vocabulum.

Paternam fide probata
Iram temnens despuit;
Celso gaudio oblectata
Divinitus, gratulat :
Depellebat, ac supernis D
Incumbebat præmiis.

Nullum hanc tormentum fregit,
Nulla mors perterruit :
Sed alacri corde cuncta
Perferens certamina,
Inridebat cruciatus
Perdita vesania.

Cæditur namque suspensa,
Virgisque pertunditur,
Æneumque vas repletum
Resina, et oleo,
Pice, simulque torrente
Ibi alma mittitur.

Undis impressa marinis
A Christo eripitur :
Serpentium omnigenam
Depulit sævitiam,
Mortem simul, ac tormenta
Reputans pro nihilo.

Tribus itaque devictis
Profanis judicibus,
Trinitatem confitendo,
Triumphat feliciter :
Sic e sæculo vocata
Migrat ad cœlestia.

Tuo namque in honore,
Virgo sancta, canimus,
Juva cunctos supplicantes :
Tege tuos famulos :
Funde preces pro delictis
Christo regi Domino.

Et tu, Christe rex immense,
Audi preces supplicum :
Vocem accipe cunctorum :
Culpas dele scelerum :
Hæc in festa hic orantes
Esto in subsidium.

Gloria, et honor Deo
Usquequo altissimo.
Una Patri, Filioque,
Inclyto Paraclito;
Cui laus, et potestas
Per æterna sæcula.
Amen.

DIE XXV.

IN FESTO SANCTI CHRISTOPHORI ET COMITUM EJUS

Lauda. Exortum est. *Sono.* Justorum animæ. *fol.* CLXVII. [CCLXX] *Antiphona.* Dabo Sanctis meis. *Lauda.* Sanguinem Sanctorum. *fol.* CLXII.

Hymnus.

O beate Mundi Auctor,
Atque rerum Conditor,
Qui non es acceptor omnis
Personæ, nec munerum;
Sed, dum quisque te requirit,
Ades clementissimus :

Qui beatum cœli civem
Christophorum martyrem
Eximens a cænulento
Limo pravi germinis,
Glorioso tuo nutu
Præsciendo adtrahis :

Spreta quoque vir devotus
Generis flagitia,
Ut veritatis sequeretur
Promptior vestigia;
Ac proinde tua, Christe,
Potiretur gratia.

Deciusque Imperator
Captum a Comitibus,
Necti suis hunc Beatum

Nititur militibus ;
Quem virilem prorsus esse
Bello adprobaverat.
Elegansque statura,
Mente elegantior
Visu fulgens, corde vibrans,
Et capillis rutilans ;
Ore Christum, corde Christum
Christophorus insonat.
Iste nempe linguæ nostræ
Nesciens eloquia.
Christi in virtute dari
Sibi Patrem imprecans :
Illico, Deo favente,
Loquebatur omnia.
Tunc deinde Aulam Christi
Precaturus adhærens,
Postulata impetravit
Virgam suam frondere ;
Virtute corroboratus
In agone proficit.
Veritatis plena fide
Insequens vestigia
Militum se persequentum
Fragmina multiplicat,
Quod veherent saturati
Plena cuncti saccula.
Ad fidem Christi proinde
Evocati milites
Cum beato Christophoro
Fonte almo lavacri
Expiati gestiebant
Rudimento gratiæ.
Vatem hunc, deinde isti
Conligatum milites,
Una voluntate sistunt
Decii conspectibus ;
Quem diro sermone Sanctos
Protinus adgreditur.
Nec moratus Rex crudelis
Furibundus acriter,
Sanctum jubet Christophorum :
Pensum radi ungulis ;
Denudatis ejus costis,
Carnibus excerperent.
Aquilinam tunc deinde,
Sanctamque Galleniam
Vehementer pœnis actos
Litat Christo Martyres :
Pugione consecravit
Memoratos Milites.
Ignibus post hæc Beatum
Deputat atrocibus :
Adtigit nusquam illum
Flammæ Pyrus validus ;
Nam secus, ut aurum fulgens
Rutilans adgreditur :
Sociis dehinc ad astra decem
Missis militibus ;
A Quos pro Christo dessecavit
Gladius tyrannicus ;
Ense idem verberatus
Æthera provehitur.
Inde omnes, te precamur
Sponsor fidelissime,
Ut tuæ promissionis
Fœdera non adneges,
Quæ cum sancto Christophoro
Pepigisti dulciter.
Sed per eum mereamur
Adsequi cœlestia,
Amputata prorsus a nobis
Omnia piacula ;
Et fulgeat perennis
B Deus in æterna sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus redemptorem mundi, *ut supra.*

Capitula. Christe Deus, rex Sanctorum, conditor et inluminator omnium sæculorum, qui mirabilibus remuneras almum videlicet donis Christophorum ; testem utique tuum, alienigena licet abstractus a gente, tuoque prorsus clementissime magno docuisti [CCLXXI] exemplo, belligerator ut efficeretur fortissimus, in adversis expugnatorque clareret: dum captivus inter hostes, et grandis de minimo appareret utique gloriosus, fleretque de milite dux fidelium populorum ; te quæsumus, te rogamus, acclives exposcimus, vocisque cum gemitibus tuam omnipotentiam invocamus ; ut nos digneris tuis in atriis C patrocinio indefesso martyris tui Christophori et Comitum ejus, benignissime tueri, gemitusque singulorum misericors propitius exaudire : flentes precamur, et lamentantium precem, votaque fidelium, exposcimus, clementer benigneque ut audias : et, qui amissa deplorant, postulatis fruantur. Tuis coram conspectibus sit, Domine, populorum hæc oratio deprecatione assidua, fore tuæ clementiæ majestatis acceptabilis : sit, Domine, in hac solemnitate testis tui Christophori fidelium conventus exorabilis, sitque tui spiritus virtute roboratus. Inspice, clementissime, devotionem acceptabilem : tibi, Christe, effice purissimam voluntatem : clementer operationem tribue justam ; ac per omnia misericors et clemens concede, quod digne suscipias, et incessanter nobis miserere, placabiliter dignos ut D efficias :

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Deus sanctificationum, et dominator cœlestium virtutum, preces suorum populorum exaudire dignetur sui per suffragia testis Christophori Sociorumque ejus annua devotione excolentes : ℟. Amen. Ipse remunerator adsiduus sancti martyris Christophori solemnitate faciat adesse devotos, quos inspicit suo nunc obsequentes in templo : ℟. Amen. Suæ conventicula plebis vota libens accipiat interventu Christophori gloriosique martyris sui ; placatusque ipse Omnipotens, pius, ut pater, singulorum crimina parcat ; ℟. Amen. Quia pius

est, et misericors in omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Gaudium sempiternum super caput Sanctorum : P. Laus, et jocunditas apprehendit eos. Alleluia, alleluia. ℣. Multæ tribulationes justorum : et de his omnibus liberavit eos Dominus. P. Laus, et jocunditas. ℣. Gloria, et honor. P. Laus, et jocunditas.

Oratio. Deus exultatio, et palma Sanctorum Christophori et Comitum ejus martyrum tuorum, exaudi nos supplices tuos, et præsta ; ut, quorum in tuo amore reliquias veneramur, et emolumenta recolimus, eorum meritis ab omnibus malis liberari et conservari, mereamur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Matutinum.

Antiphona. Da nobis lætitiam salutaris tui : spiritu principali confirma nos, Domine. *Psalmus* L.

Oratio. Redde nobis Domine lætitiam salutaris tui : quam amissimus inique gerendo, et prætermissimus negligendo : tu ad eam nos revoca ; et eam nobis restaura : ut peccato expulso succedat justitia ; et mœstitia repulsa adsit lætitia : Da, quæsumus, hanc jocunditatem, ut pervenire mereamur ad æternam salutem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 1. Palmæ fuerunt in manibus sanctorum : et magno clamore dicebant : P. Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno. ℣. Et adjuvabit eos Dominus, et liberabit eos : et eripiet eos a peccatoribus, et salvos faciet eos : quoniam speraverunt in eum. P. Salus. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Salus.

Oratio. Deus exultatio, et palma, *ut hic supra.*

Antiphona 2. Filius Dei directus est super justos ; P. Et in paradiso deliciarum constituet illos. ℣. Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur : et de necessitatibus eorum liberavit eos. P. Et in paradiso. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et in paradiso.

Oratio. Memento nostri, Domine, et, sicut sanctis tuis Christophoro et Comitibus ejus digna præmia reddis, ita nostris parce et miserere peccatis ; ut absoluti de præteritis, mereamur custodiam de futuris. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Salus justorum a Domino : protector eorum est in die pressuræ. Adjuvabit eos Dominus. P. Et liberabit eos : et eripiet eos a peccatoribus, ℣. Et salvos faciet eos : quoniam speraverunt in eum. P. Et liberabit. ℣. Gloria, et honor. P. Et liberabit.

[CCLXXII] *Oratio.* Gaudium nostrum et salus nostra, virtus, atque justitia, Domine Deus omnipotens ; fac nos, quæsumus, placit a tibi sanctorum Christophori et ejus Comitum Martyrum sorte gaudere : et illic laudes tuas Rectorum munere perpetim decantare. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Sancti, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, extinxerunt impetum ignis, fugaverunt aciem gladii, P. Fortes facti sunt in bello, ℣. Obturaverunt ora leonum, convaluerunt de infirmitate. P. Fortes. ℣. Gloria, et honor. P. Fortes.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Omnes Sancti in manu. *Canticum.* Dominus de sina veniet. *Ad Benedictus. Antiphona.* Sancti, et humiles corde. *Canticum.* Benedictus es Domine. *Sono.* Via justorum. *Lauda.* Laudate Dominum. *Psalmus* CXLVIII. *Prophetia.* Justorum animæ. *fol.* CLXVII. *Hymnus.* O beate mundi auctor. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi. *Capitula.* Christe Deus, rex. *Quære in Vesperis præcedentibus. Lauda.* Laus Domini. *fol.* CCLXIX *Benedictio.* Deus sanctificationum. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

DIE XXX.

IN DIE SANCTI CUCUFATI.

Omnia dicantur unius Martyris, novem lectionum, fol. CLXII.

Hymnus.

Barchinon læto Cucufate vernans,
Corporis sancti tumulum honorans,
Et locum sacri venerans sepulchri,
Sparge ligustris.

Munus hoc clarum tibi Scillitana !
Civitas misit, dedit et beatum
Quando Felicem populus Gerundæ
Sorte colendum.

Hi, sequestrato tumuli honore,
Proprias sedes adeunt tuendas :
Barcinone Hic celebratur aura
Ille Gerunda.

Hinc cruor hujus Cucufatis almi
Factus est nostræ regionis heres :
Inde hic nobis sua membra ponens,
Vivere præstat.

Hic fide plenus, redamando Christum,
Lucis infestum patitur tyrannum ;
Moxque bis seno territur beandus
Milite tortus.

Cæde percussus nimia furentis,
Viscera fudit quasi peritura ;
Quæ reformata recipit in alvum
Sanus ad horam.

Missus in flammis, precibus minacem
Ignis admoti perimit vigorem ;
Nequit adurere nimis in beato
Corpore flammam,

Cratis ignitæ facibus cremari
Jussus ardoris nutrimenta gliscunt ;
Sed nihil Christi famulo nocetur
Suppliciorum.

Sustinet post hinc pius ille cardos
Ferreos in se ferientis ictum :
Sicque decisi capitis in æthera
Spiritus efflat.

Jam fave, Martyr, precibus clientum ;
Instrue et civem ; populum tuere ;

Et sacerdotum pia corda mulce
Pacis amore.
Crimine dempto, animus virescat :
Pane cœlesti satiemur omnes :
Carnis elapsæ vitiata membra
Spiritus ornet.
Non ruinoso perimamur actu,
Non cibis corpus, vitiisque pressum
Non in occultis animus cremetur
Igne malorum.
Ut pia tecum, Cucufas beate,
Regna cœlorum meritis tenentes,
Det Deo nostra resonans placentem
Lingua canorem,
Gloriam Patri celebrant honore :
Gloriam Nato recinent perenni,
Cum quibus Sanctus sociatus extat
Spiritus unus.
Amen.

FESTA AUGUSTI.

DIE I.

IN FESTO SANCTI FELICIS MARTYRIS.

Ad Vesperum.

Lauda. Speravit anima mea in Domino. *fol.* CLVI.

Sono. Alleluia. Beatus vir, qui timet Dominum Alleluia : P. In mandatis ejus cupit [CCLXXIII] nimis. Alleluia, alleluia. ℣. Gloria et divitiæ in domo ejus : et justitia ejus manet in sæculum sæculi. P. Alleluia, alleluia. *Antiphona.* Justus si morte præoccupatus fuerit, P. Anima ejus in refrigerio erit. ℣. Beatus vir, qui timet Dominum : in mandatis ejus cupit nimis. P. Anima ejus. ℣. Gloria. P. Anima.

Oratio. Præcinge nos, Domine, virtute, qua sanctum tuum Felicem conlatione sanctitatis firmasti, ut, sicut est ille victor ex pœna, sic nos sentiat invictos inlecebra : atque ita in nos cupiditatum pullulantium vires attenua, sicut Martyr tuus, passione devicta, æterna jam manet in gloria. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

Lauda. Justus ut palma florebit. *Quære folio* CLIX.

Hymnus.

Fons Deus vitæ perennis,
Lux origo luminis,
Aspice plebem canentem
Festa summi Martyris,
Excipe vota precantum,
Sume laudum carmina.
En tui Felicis almi
Pangimus insignia :
Tu resolve vincla linguæ,
Dans sonora cantica ;
Ut tua rite queamus
Promere magnalia.
Iste namque Cæsareæ
Urbis Mauritaniæ
Mundialis disciplinæ
Dum studeret litteris,
Artium fumosa fabra
Te sequendo deserit.
Audiens plecti fideles,
Mox Gerundam pervenit
Præsidis jussu retentus,
Truditur in carcere :
Ferreis baccis onustum.
Conloquuntur Angeli.
Sistitur Aræ, cruentis
Ut litaret idolis :
Respuit infame factum
Voce Christum profitens
Perstrepit turba bisulcis
Ossa nudans ungulis ;
Nempe mulis alligatus
Dissipatur artubus ;
Fluctibus presso marinis,
Unda turgens subditur :
Angelus immixtus, almis
Ora pandit canticis.
Omnia tormenta forti
Præcucurrit pectore ;
Postque pœnas, et catenas,
Ungulas, ac verbera,
Carnea claustra relinquens,
Migrat ad cœlestia.
O nimis Gerunda felix
O beata civitas !
Nil malorum tu pavescis
Freta tanto Martyre :
Postulata promeretur,
Quisquis hic confluxerit.
Hic Dei virtute pressi
Lancinantur dæmones,
Verberantur, vinciuntur,
Et cremantur acriter ;
Utque fumus, et favilla
Nil vigoris obtinet.
Hic salus optata fessis,
Sed e cœlis profluit,
Visio cæcis patescit :
Lingua mutis advenit,
Surdus aures hic receptat,
Atque claudus exilit.
Inde cuncti te precamur,
Una summa Trinitas :
Martyris ut impetratu
Nostra tollas crimina,
Noxia cuncta repellas,
Et secunda impertias.
Clerus hic vita nitescat,
Et Sacerdos floreat :
Plebs fidelis, quod requirit,
Impetrasse sentiat :
Omnis ætas, atque sexus
Hoc patrono gaudeat.
Gloria Patri, Natoque,
Semper et Paraclito
Laus, potestas, atque virtus,
Gratiarum copia

Quæ Deum cuncta fatentur
Sœculorum sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum, *ut supra, mutato nomine.*

Capitula. Felix martyr tuus, Domine, in mandatis tuis floret nimis, et fructu justitiæ dilatatur in præmiis, quia tuis paruit omnino præceptis ; ut cui felicitas erat ex nomine, perennitas proveniret ex opere ; et quod vocaretur, hoc esse dignosceretur ; dum miseria caret patiendo, et felicitatem [CCLXXIV] obtinet triumphando. Interventu tanti martyris proficiat nobis æterna Benignitas : ut, dum Felicem felicitate perpetua lætificat, miseratione solita nos ab infelicitatis jugo absolvat.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Deus summus, qui illum vocat esse felicem, quem in beatæ illius Hierusalem affectu cernit esse gaudentem, Felicis sui prece in ejusdem civitatis amore vos faciat feliciter permanere : ℟. Amen. Infelicitates quoque actuum vestrorum feliciter tergat, et felicitatis perpetuæ dona felicioribus votis vestris propitiatus adtribuat ; ℟. Amen. Ut Felicis hujus martyris interventu infelicitatem hujus sæculi feliciter fugiendo, ab infelicitatis perpetuæ mereamini liberari supplicio. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Justus ut palma florebit. *Quære fol.* CLIX

Oratio. Felix martyr tuus Domine, quem elegisti et adsumpsisti, dum eum et electio testem, et adsumptio probat esse felicem ; ejus intercessio habitare nos faciat in tabernaculis tuis, in quibus perpetuus munerator et suscipis decertantes et perpetuas triumphantes,

Per misericordiam tuam.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea, Domine. *Psalm.* L.

Oratio. Exultent, Domine, labia nostra. *Quære fol.* 63.

Antiphona 1. Homo justus erit, quasi flos agri ; et reddebit gratus odor ejus : P. Et omnis, qui sperat in Deum, laudabit eum. ℣. Beatus vir, qui timet Dominum : in mandatis ejus cupiet nimis. P. Et omnis. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et omnis.

Oratio. Felix martyr tuus, Domine quem elegisti. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Antiphona 2. Iste homo in certamine fortis factus est ; P. Et a persequentibus liberatus est : quoniam perseveravit in innocentia sua. ℣. Maxima est gloria ejus in salutari tuo : gloriam et magnum decorem imponens super eum. *P.* Et a persequentibus. ℣. Gloria. P. Et a persequentibus.

Oratio. Felix est, Domine, martyr tuus iste Felix, qui a te justificatus, et per te in omni certamine apparuit gloriosus. Annue ergo nobis, ut illius felicitatis in futuro compotes simus, de cujus nunc felici martyrio conlætamur. ℟. Amen.

Per.

Antiphona. 3. In paradiso deliciarum. *folio* CLVII.

Oratio. Felix martyr, qui testificatus nominibus, spe a te susceptus est : in te manet sine fine Felix qui pro te occidi meruit ; Felix, ut nos tuo munere obtineat fieri participes, et tibimet serviendo faciat esse felices. ℟. Amen.

Per.

℟. Sanctus Felix dum vapularet ab inimicis suis, P. Venit Angelus Domini, et dixit ad eum : Confortare, Felix, noli timere, ego enim missus sum a Domino Deo, ut liberem te de manu persequentium te. ℣. Dum intento corde extensis in cœlum manibus orabat sanctus Felix ad Dominum, P. Venit Angelus. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Venit Angelus.

Oratio. Deus, cujus honor sanctitas est, quem diligere salus est, et amare perfectio : inlabere in cordibus nostris, da in omni Ecclesia tua meritis tui Felicis lucere vestigia : ut te regente omnium gressus ea via perducat ad vitam, quæ Martyrem tuam extulit ad coronam. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Lætor in sanctitate tua. Quoniam non est alius Deus, quomodo Deus noster.

Canticum. Confirmatum est cor meum. *fol.* 55.

Oratio. Præsta nobis, Omnipotens, beatissimi tui Felicis assiduum patrocinium ; ut ejus quoque præclarum assequi mereamur exemplum : ut sentientes impensissime suffragantem, sequamur fortissime præliantem. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedictio Domini in mercedem justi festinat.

Canticum. Benedictus es Domine.

Sono. Septies in die laudem. *Lauda.* Laudate Dominum. P*salmus* CXLVIII. *Prophetia.* Beatus vir, qui non est lapsus. *Quære fol.* CCXXXVIII. *Hymnus.* Fons Deus vitæ. [CCLXXV] *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *In Vesperis præcedentibus.*

Capitula. Deus, qui martyrem tuum Felicem in miseratione et misericordia coronasti, dum in te crederet, et pro te pati voluisset, ut temporalem sustinens pœnam, coronam raperet sempiternam ; intercessione ejus præsta nobis famulis tuis, ut, si passionis eminentia non attingimus, ignominia careamus, ut, quibus virtutum tituli non adscribunt ad gloriam, vitiorum dedecora deleantur, ne veniamus in pœnam.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. In psalterio. *fol.* CLVIII. *Benedictio.* Deus summus. *In Vesperis præcedentibus.*

In exeunte Vespera omnia dicantur, ut in primis Vesperis, exceptis Capitula. Benedictione, et Lauda.

Capitula. Adesto, Domine, celebritatibus Ecclesiæ tuæ ; et mysteria, quæ dependit in laudem martyris tui Felicis, sint grata in oculis tuis ; neque fuscemur in nocturnis actibus, qui gloriosum martyrem tuum vespertinis officiis frequentamus : sitque vita nostra devotioni sacræ non dissona, ut,

quem honorifice recolimus martyrem, ipsius vitæ A teneamus sanctissimæ dignitatem.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Postulationes vestras gratia superna exaudia, et dona cœlestia vobis intercessu martyris sui Felicis impertiat: ℟. Amen. Impertiendor ditet, ditando multiplicet, multiplicando conservet, et conservando lætificet; ℟. Amen. Ut, qui votis fidei festum martyris honoratis, cuncta, quæ competunt, ejus merito capiatis. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius.

Lauda. Justus, ut palma. *fol.* CLIX. *Oratio, ut supra in primis Vesperis.*

DIE VI.

IN FESTO SANCTORUM JUSTI ET PASTORIS MARTYRUM.

Ad Vesperum. B

Lauda. Exortum est in tenebris. *fol.* CLXII. *Sono.* Alleluia. Justi in perpetuum vivent. *fol.* CLXVIII. *Antiphona.* Viri justi, germinate sicut. *fol.* CLXII. *Lauda.* Respexit eos, cum tribularentur. *fol.* CLXV.

Hymnus.

O Dei perenne Verbum,
Patris ore proditum.
Organum, qui imbecille
Admoves Infantium
Dans eis spirare flatum,
Vocis ut promant sonum:

Tu pius adesto nobis
Solve fibras gutturis,
Ora instrue loquelis,
Corda reple lacrymis: C
Ut sacrorum festa dignis
Præcinamus canticis.

Ecce Justus, ecce Pastor,
Ambo juncti sanguine,
Quos pia fraternitatis
Vinxerat germanitas,
Junxit æqualis sacratæ
Passionis unitas.

Hi tamen scholis retenti,
Dum instruuntur litteris,
Audientes, quod tyrannus
Intrat urbem persequens,
Illico scholam relinquunt,
Et tabellas abnuunt:

Appetunt cursus deinde D
Præsidis præsentiam,
Et crucem Christi sequendo,
Corpus armant debile,
Quo triumphos passionis
Expedirent fortiter.

Hoc repente Daciano
Nunciantes, inquiunt:
Ecce advenire Christum
Profitentes parvuli,
Mortis ultro passiones,
Atque cædes perpeti.

Turbidus ast inde Præses
Concitans sententiam,
Ad suos truces ministros,
Ut teneantur clamitat:
Fustibus jubens tenella
Dissecari corpora.

Tunc sacrata voce sese
Adloquuntur invicem:
Temnerent ut temporales
Rite pænas corporis
Quo futurum possiderent
[CCLXXVI] Gaudium cum Angelis.

Audiens mox Dacianus
Martyrum constantiam,
Excitatus in furore
Dictat hanc sententiam:
Ut perempti ambo fratres
Morte dira intercidant.

Protinus eos furentes
Pertrahunt satellites
Ad locum campi patentem,
Quem ferunt Laudabile:
Ense illic verberantur,
Laureantur sanguine.

O locum vere beatum,
Quo cruor reconditur
Sanctus ille Parvulorum
Ad salutem plebium!
Quove multa sanitatum
Signe ægris efluunt.

Nempe hic Divina virtus
Vincit iras Dæmonum;
Curat ulcus, membra sanat,
Et dolores temperat,
Vota cunctorum receptat,
Et ruentes sublevat.

Jam tuorum passione
Freta gaudet civitas
Jure Complutensis, almo
Quo laveris sanguine;
Et Gemellis mox camœnas
Redde voto debitas.

Hinc, Deus, te postulamus,
Ut precantes audias:
Pelle morbos, solve vincla,
Et relaxa crimina;
Atque inlæsi futuram
Appetamus Patriam.

Nominis tui amorem
Da tuis in servulis,
Temporale nil amemus,
Diligamus invicem:
Te sequamur, te canamus.
Te fruamur perpetim.

Laus tibi per omne tempus,
Trinitas indifferens,
Laus, honor, virtusque summa,
Singularis gloria;
Quæ Deum te sæculorum
Personet in sæcula,

Amen.

Supplicatio. Oremus, *mutato nomine fol.* CLXXXVII.

Capitula. Adest, Domine, oculis præsentata mortalium clara illa et enitens solemnitas Innocentium, in qua pignus geminum et geminatum dulcedinis ferculum Cœlum intrare meretur : dum clara sibimet societate germanitas et in Justo justissima, et in Pastore agnoscitur pia ; dum charorum ora infantium invicem se ad passionis gloriam exhortantur. Da ergo nobis Justi tui precibus justitiam servare dum vivimus, et Pastoris protectione evadere quod timemus : ut et Justus justitiam, quam in nomine portat, in supplicantium meritis clariorem ostendat, et Pastor benignitatis gubernaculo nos protecturus excipiat : ut et per Justum justi, et per Pastorem gubernacula pastoris egregii mereamur introire beati.

Pater noster. Et ne nos. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Deus, qui justus coronator justorum et pastor pius est animarum, et per Justum vos ab injustitia liberet, et per Pastorem pastoris Christi vos protectione sanctificet. ℞. Amen. Per Justum vos efficiat amatores justitiæ, et per Pastorem pastu vos foveat gloriæ infinitæ : ℞. Amen. Ut, dum justitia Justi commendabiles vos fecerit Deo, Pastoris gubernaclo heredes mereamini esse in cœlo. ℞. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri, etc.

Lauda. Sicut lilia munda floruerunt sancti : Alleluia. P. Et odor Dei apparet super illos. Alleluia, alleluia. ℣. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. P. Et odor Dei. ℣. Gloria, et honor Patri et Filio. P. Et odor Dei.

Oratio. Indue nos, Domine, candore justitiæ, qui, pro te occisis parvulis, Justum et Pastorem perpetuam donasti muneris claritatem : ut, qui illos per martyrium candidatos supra nivem pulchriores contituis, nos per confessionem purifices a delictis. ℞. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

Ad Matutinum.

Antiphona. Da nobis lætitiam salutaris tui. *Psalmus* L. *Oratio*. Redde nobis. *Quære fol.* CLXIII. *Antiphona* 1. Palmæ fuerunt in manibus Sanctorum. *Fol.* CLXVIII.

Oratio. Magno te, Domine, clamore Sancti omnes mirabiliter impetunt, dum ultionem persequentium non vocibus corporeis [CCLXXVII], sed desideriis præstolantur. Et ideo petimus, ut, qui illorum voces vel desideria exaudis ad votum, confitentium te animas non patiaris æternum pertrahi ad tormentum. ℞. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

Antiphona 2. Hi sunt. qui mortales tunicas deposuerunt, P. Et immortalem vitam sumpserunt : modo coronantur, et accipiunt palmas. ℣. Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi : et benepatientes erunt. P. Et immortalem vitam. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et immortalem.

Oratio. Indue nos, Domine, *ut supra in Vesperis*.

Antiphona 3, Filius Dei lætatus est super justos ; A P. Et in paradiso deliciarum constituet illos. ℣. Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos : et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. P. Et in paradiso. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et in paradiso.

Oratio. Vide, Domine, et audi gementis Ecclesiæ vocem quæ suorum deflet infantium necem. Esto ergo illi consolator de filiis, qui filiorum ejus pater agnosceris ; ut in te et de interemptorum numero gaudeat, et de adversariorum reditu hilarescat. ℞. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

℞. Viri sancti. *Quære fol.* CLXXVII.

Oratio. Fac nos, Domine, innocentes et rectos tibi semper adsistere, quo tuæ rectitudini compage in- B dissolubili adhærentes pro te occisorum parvulorum mereamur esse participes. ℞. Amen.

Per misericordiam tuam.

℞. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum Dei vocati sunt sancti. P. Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imagini Filii Dei. ℣. Quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, et illos magnificavit. P. Quos præscivit.

Oratio. Sanguis innocens et justus innocentium animarum indefesso vocis clamore te postulet pro nobis, Unigenite Filius Dei Patris ; quo illic numerositas fidelium coronanda perveniat, ubi ipsorum innocentia coronata perdurat. ℞. Amen.

Per misericordiam.

C *In Laudibus.*

Ad Canticum. Antiphona. Quæsumus Sancti. *Canticum*. Dominus de Sina. *Ad Benedictus. Antiphona*. Sancti et humiles. *Canticum*. Benedictus es Domine Deus. *Sono*. Via justorum recta. *Lauda*. Laudate dominum de cœlis : Alleluia, alleluia. *Psalmus* CXLVIII. *Quære folio* CLXVII. *Prophetia*. Justorum animæ in manu Dei sunt. *Quære fol.* CLXVII. *Hymnus*. O Dei perenne. *Supplicatio*. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Capitula. O filiorum Dei beatissime sanguis, qui cum judicii tempore vindicaberis ; ante judicium succurre populis Christianis : ut, quia pro te ultio restituetur a Domino inimicis, per te peccatorum D remissio donetur omnibus Christianis.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Sicut lilia munda floruerunt. *Benedictio*. Deus, qui justus coronator. *Require in Vesperis præcedentibus.*

DIE X.

IN FESTO SANCTI LAURENTII ARCHIDIACONI ET MARTYRIS.

Ad Vesperum.

Lauda. Gloria et honore coronasti eum, P. Domine : ℣. Gloriam et magnum decorem imposuisti super eum. P. Domine.

Dominus sit semper. ℞. Et cum spiritu.

Sono. Dispersit, et dedit pauperibus Alleluia : ju-

stitia ejus manet in æternum, Alleluia. ℣. Cornu ejus exaltabitur in gloria. Alleluia.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Vir, qui pronus est ad misericordiam, benedicetur : P. De panibus suis dedit pauperi. ℣. Beatus qui intelligit super egenum, et pauperem ; in die mala liberavit eum Dominus : Alleluia. P. De panibus suis. [CCLXXVIII] ℣. Gloria, et honor Patri. P. De panibus suis.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Qui obtinet sapientiam, salvus erit. Qui dat pauperibus, numquam egebit. P. Justus autem in gaudio et jocunditate erit : ℣. Beatus vir, qui timet Dominum : in mandatis ejus cupit nimis. P. Justus autem. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Justus autem.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Consolatus est pauperem : consolabitur ipse in eum. P. De suis panibus tribuit inopi : victoriam et honorem accepit : Alleluia. ℣. Benignus vir qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio : quia in æternum non commovebitur. P. De suis panibus. ℣. Gloria, et honor. P. De suis.

Hymnus.

En martyris Laurentii
Armata pugnabat fides,
Postquam vapor diutinus
Decoxit exustum latus.

Fore hoc sacerdos dixerat,
Jam Xystus affixus cruci,
Laurentium flentem videns
Crucis sub ipso stipite :

Desiste discessu meo
Fletum dolenter fundere :
Præcedo, frater ; tu quoque
Post hoc sequeris triduo.

Extrema vox Episcopi
Prænunciatrix gloriæ
Nihil fefellit : nam dies
Prædicta palmam præstitit.

Hinc sancte Laurenti tuam
Non passionem quærimus :
Quod quisque supplex postulat,
Cunctis favendo proroga.

Deo Patri sit gloria
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi, *mutato nomine. Quære fol.* CLXXXVII.

Capitula. Domine Jesu Christe, qui beatissimum Laurentium igne charitatis tuæ ardentem, et cupiditatum et passionum incendia fecisti evincere : dum et aurum calcat et flammam, et in pauperum erogationem munificus, et in combustionem sui corporis reperitur devotus ; da nobis obtentu suffragii illius, ut vapore Spiritus Sancti accensi flammas superemus libidinis, et igne concrememur omnimodæ san- A ctitatis : quo inter Sanctos illos sors nostra inveniatur post transitum, pro quibus nunc tibi dependimus famulatum.

Pater noster. Et ne nos. Sed libera. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Dominus Jesus Christus, cui beatus Laurentius decoctum sui corporis præbuit holocaustum, mentes vestras concremet cœlestium incensione virtutum : ℟. Amen. Et, quem ille assatus in craticula confiteri non destitit, confessionis sanctæ vos dignetur præmiis consolari : ℟. Amen. Et inter flammas sæculi constituti ipsi soli flammescatis per studia sanctitatis, cui hic martyr inhæsit post incendia passionis. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius.

B *Lauda.* Statuit Dominus. *fol.* CLXVII.

Oratio. Domine Jesu Chsiste, qui beatissimum Laurentium martyrem tuum respuentem vilissimum Mundum, aurum ostendisti purissimum, quod ignis utique non consumeret, sed approbaret et quando plus arderet, tanto amplius rutilaret ; tribue nobis, ut cupiditatis incendia non consumant, quos tam fulgenda Martyris tui exempla clarificant. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea. *Psalmus* L. *Oratio.* Exultent, Domine. *Require folio* CLXXX.

Antiphona 1. Manifesta sunt dona ejus in Deo suo. P. Et eleemosynas illius enarrabit Ecclesia sanctorum. ℣. Melius est modicum justo super divitias C peccatorum multas. P. Et eleemosynas. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio. P. Et eleemosynas illius.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui beatissimum Laurentium martyrem tuum amplius refulgere meritis quam flammis affici prætitisti : ut fortissimus Martyr plus amore quam fervore ferveret, tribue, ut scintilla fidei ejus ita inflammemur, ne ab igne sæculi consumemur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

Antiphona 2. Vir misericordiæ invenit gratiam in oculis omnis carnis. P. Dilectus a Deo, et hominibus : cujus memoria in benedictione est. ℣. A Domino gressus hominis [CCLXXIX] dirigetur : et viam ejus cupiet nimis. P. Dilectus a Deo. ℣. Gloria, et honor patri. P. Dilectus a Deo.

D *Oratio.* Domine Jesu Christe, qui beatissimum Laurentium martyrem tuum suscepisti in tuo nomine in morem holocausti decocti, ut totus tibi integer membris offerretur et animis : meritis ejus annuendo concede, ut sacrificium contriti cordis in nobis clementer acceptes, quos Martyris tui supplices cultores agnoscis. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

Antiphona 3. Tamquam unum ex principibus elegit me Dominus, et ut virum fortem constituit me prælium. P. Dedit mihi Dominus stolam candidam, et ornavit me corona. ℣. Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad bellum, digi-

tos meos ad prælium. P. Dedit mihi. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Dedit mihi.

Oratio. Domine Jesu Christe. *Require ut supra, in Vesperis.*

℟. Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperes. P. Date ei de fructu manuum suarum : et laudent eum in portis opera ejus. ℣. Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus. P. Date ei. ℣. Gloria, et honor. P. Date ei.

Oratio. Christe Deus noster, qui manus beatissimi martyris tui Laurentii et palmas pauperibus voluisti largitionis jure esse porrectas ; da nobis de laboribus manuum ejus fructum utilitatis in aliquo reportare, ut labor manuum ejus non solum illi sed et nobis proficiat : dum et illi de perfectione operum dederis gloriam, et nos imitamento ejus et prece perduxeris ad coronam : sicque, dum justum consummati operis perfectio laudabilem Sion ostendit in portis, peccatores exemplo ejus meritum obtineant sanctitatis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 4. Probasti me Domine quasi aurum. Posuisti tribulationes in dorso meo. P. Transivi per ignem et aquam : et induxisti me in requiem. ℣. Introibo in domum tuam cum holocaustis : reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea, et locutum est os meum in tribulatione mea. P. Transivi. ℣. Gloria. et honor Patri. P. Transivi.

Oratio. Illius, Domine, justitia manet in sæculum sæculi, cujus misericordia in pauperum se consolatione diffuderit. Fac nos Archidiaconi tui Laurentii imitatores existere : ut primum miseratores nostri effecti, dignas nos eleemosynas prorogantes, et a nobis male gestis parcamur, et in proximis bona, quæ poscimus impendamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. 5. Protector tuus ego sum : noli timere, dicit Dominus. Si transieris per ignem, non comburet te : *P*. Flumina non concludent te ; quia tenebo manum tuam. ℣. Per diem Sol non uret te : neque Luna per noctem. P. Flumina. ℣. Gloria, et honor. P. Flumina.

Oratio. Jesu Deus noster et Domine, qui inlustrem merito Laurentium Archidiaconum ita fecisti sapientiam custodire, ut in gloria spiritus ejus et in jocunditate consisteret; da nobis, Domine, sapientiæ intellectum et sanctæ operationis studium, ut pauperibus prærogantes substantiam, facinorum nostrorum evadamus vindictam. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 6. Justus miseretur et commodat ; et semen ejus in benedictione erit, *P*. Et hereditas ejus in æternum. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generatio rectorum benedicetur. P. Et hereditas. ℣. Gloria, et honor. P. Et hereditas.

Oratio. Tota die, Domine, justus tuus miseretur, et commodat : qui in toto hujus mortalis vitæ curriculo temporalia donat, ut æterna recipiat : Semen ergo ejus super nos benedictione fructificet : ut me-

A riti ejus partem habentes, præmiorum quoque illius mereamur esse participes. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Probasti me, Domine, sicut probatur argentum. Posuisti tribulationes in dorso meo : transivi per ignem et aquam, et induxisti me in requiem : introibo in domum Domini ; P. Quia exaudivit deprecationem meam. ℣. Venite et audite et narrabo vobis, omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. P. Quia exaudivit. ℣. Gloria. P. Quia exaudivit.

Oratio. Deus, qui probatione solita pietatis probari sanctum tuum Laurentium martyrem voluisti in terris : nec plus eum tentari permittis, quam quod in eum donum tolerentiæ adesse conlatum

B tuo munere præspicis : [CCLXXX] erue nos ab omni tentatione, quæ nostram possit obruere mentem : ut placito tibi famulatu fideliter servientes sic nos tentari permittas, ut tentatio ipsa non nos in confusionem erroris, sed in amplexu veritatis valenter adstringat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Thronum gloriæ. *Canticum*. Confirmatum est. *fol.* 55. *Ad Benedictus. Antiphona.* Benedictio Domini in mercedem justi festinat.

Canticum. Benedictus es Domine Deus Patrum. *Sono.* Dispersit, dedit. *Quære in Vesperis præcedentibus. Lauda.* Laudate Dominum. P*salmus* CXLVIII.

C *Lectio libri Ecclesiastici Salomonis* (*Cap.* XXXI).

℟. Deo gratias.

Fili, qui aurum diligit, non justificabitur : et qui insequitur consommationem, replebitur ex ea. Multi dati sunt in auri casus, et facta est in facie ipsius perditio illorum. Lignum offensionis est aurum sacrificantium : væ illis, qui sequuntur illud, et omnis imprudens disperiet in illo. Beatus vir dives, qui inventus est sine macula : et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunias et thesauros. Quis est hic, et laudabimus eum ? fecit enim mirabilia in vita sua. Quis probatus est in illo, et perfectus est, et erit illi in gloria æterna : qui potuit transgredi, et non est transgressus ; et facere mala, et non fecit : ideo stabilita sunt bona ejus in Deo, et eleemosynas illius

D enarrabit Ecclesia sanctorum. ℟. Amen.

Hymnus. En martyris Laurentii. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Capitula. Domine Jesu Christe, qui corpus beatissimi Laurentii Archidiaconi tui ignis combustione decoctum, purissimum tibi efficis holocaustum, dum idem martyr mysterii sui non immemor, in offerendo semetipsum placitus tibi et Sacerdos extitit et Minister ; adsistat tibi, rogamus, pro salvatione fidelium, qui inter flammas membris liquescentibus te confitendo spiritu lætabatur : ut qui humana superavit devotione incendia, prece sua debita a nobis repellat supplicia.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Consolatus est pauperem.

Benedictio. Dominus Jesus Christus. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

In exeunte Vespera.

Lauda. Gloria et honore. *Sono.* Dispersit, et dedit pauperibus. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Antiphona. Ingressus sum in tabernaculum Cæsaris : P. Interrogatus, Christum confessus sum : accusatus, non denegavi : pertractus, Deum meum tenui et tenebo. ℣. Transivi per ignem et aquam : et induxisti me in requiem. P. Interrogatus. ℣. Gloria, et honor. P. Interrogatus.

Dominus sit. ℞. Et cum.

Lauda. Igne me examinasti, Domine, P. Et non est inventa in me iniquitas : Alleluia, alleluia. ℣. Exaudi Deus justitiam meam : intende deprecationem meam. Auribus percipe orationem meam, et non in labiis dolosis. P. Et non est. ℣. Gloria, et honor. P. Et non est.

Hymnus. En martyris Laurentii. *Quære in Vesperis præcedentibus. Et Supplicatio.* Oremus.

Capitula. Deus, qui in veri holocausti hostiam igne examinatum Levitam suscepisti Laurentium ; quo more holocausti decoctus ad te perveniret integer, pro miseris rogaturus ; ejus, quæsumus suffragiis, in nobis omnibus ignis cœlestis faces accende, ut purgata conscientia ad te mereamur proclamare et dicere :

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus ad vota nostra respiciat, pro quo Xystus maceratus, et Laurentius consumptus est flamma. ℞. Amen. Eoque favente sic per Xystum grex Catholicus tueatur, ut per Lamentium salutaris calicis potatione salvetur. ℞. Amen. Quo et illo tuente et isto suffragante sic illius accendamur exemplo, ut istius relevemur suffragio ; ℞. Amen. Ipso præstante et auxiliante, qui me Patre et Spiritu Sancto unus Deus vivit, et regnat in æterna sæcula sæculorum. ℞. Amen.

[CCLXXXI] *Lauda.* Statuit Dominus. *Fol.* CLVII. *Oratio.* Domine Jesu Christe, qui beatissimum, *ut supra.*

DIE XIII.

IN FESTO SANCTI HIPPOLYTI MARTYRIS.

Ad Vesperum.

Lauda. Speravit. *fol.* CLVI. *Sonus.* Benedic, anima. *fol.* CLX.

Antiphona. Sanctus tuus induit justitiam ; et in nomine tuo meruit victoriam. *P.* Pius es, Domine, qui sine præmio das coronam. ℣. Vitam petiit : et dedisti ei in longitudinem dierum in æternum, et in sæculum sæculi. *P.* Pius es. ℣. Gloria, et honor. *P.* Pius es.

Dominus sit. ℞. Et cum.

Lauda. Benefecit Dominus. *fol.* CLXI.

Hymnus.

Adsunt, o populi, festa celebria,
Quæ felix revehit temporis orbita,
A In sese rediens axe volubili :
Laudem sidereo redite Principi.
Hic namque Hippolytus tempore terrea
Despectus, nivea scandit ad æthera,
Cum solvens animam corpore, vividam
Cœlestem meruit sumere lauream.
Dum dux belligerus esset hic agminis,
Jussis Cæsareis carcere Martyrem
Servandum recipit, qui Cruce prævia
Dat cæcis oculis perdita lumina.
Cernens Hippolytus signa faventia,
Mox Christo Domino credit, et impia
Spernens dæmonici dogmatis idola,
Junctis Christicolis vocibus increpat.
Tunc Cæsar rabido fervidus impetu
B Os sanctum lapide scindere præcipit :
Longe dissiliunt fragmina dentium ;
Sed vox Unigenitum prædicat unicum.
Ferreis percalidus unguibus artifex
Armat spiniferi spicula cardui :
Corrupta penitus viscera Martyris
Perfundunt rosei flumina sanguinis.
Hinc ad cornipedum terga ferocium
Innexu religant : tractus in aspera,
Vitalem subito liquit anhelitum,
Dirum quo valuit vincere sæculum.
Ob hoc suppliciter Rex Deus omnium
Rogantes petimus, Martyr ut inclytus
Adsistat miseris fautor, et impetret
Confessis veniam corde piacula.
C Sit vita locuples, frugibus affluens,
Rerum prospicitas congrua polleat :
Bellum dispereat, pax bona profluat,
Virtutes vigeant, crimina transeant.
Sit Patri ingenito gloria maxima,
Sit compar Genito, atque Paraclito,
Unus qui retinet sceptra perenniter
Vivens perpetuis tempora sæculis.
Amen.

Supplicatio. Oremus, *ut supra.*

Capitula. Lux Angelorum, et hominum splendor, dierum et temporum candor, animarum et corporum Christe Domine Deus, ob reverentiam tui testis Hippolyti flammicomæ claritudinis munus oblatum lucifluo Sancti Spiritus respergens inlapsu tuis
D effice nutibus placitum, nobis redde prolificum: ut et visibili fulgore nigroris noctis vagi furva coerceat, et invisibili munere maledulcium scabra peccaminum errata consumat.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Martyris Hippolyti det vobis immensa gaudia Christus ; ℞. Amen. Prospera tribuat, et vitæ dura repellat : ℞. Amen. Concedat veniam culpis, et præmia votis. ℞. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Statuit Dominus. *fol.* CLVII.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui tantam Hippolyto testi tuo virtutem animi contulisti, ut ferreis præcissus aculeis, te Deum esse proclamaret in

cælis: aculeo deceptoriæ voluptatis in nobis obtunde, A nomenque tuum sanctum nobis jugiter confiteri permitte : ut carnulentæ fæcis inlecebras evincentes, Sanctorum mereamur consortia gloriantes. ℟. Amen.

Per.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia. *Psalmus.* L. *Oratio.* Exultent. *fol.* CLXXX.

Antiphona 1. Ego clamavi, quia exaudisti me Deus : P. Inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea. ℣. Custodi me, ut pupillam oculi : sub umbra alarum tuarum protege me. ℣. Exaudi Deus justitiam meam : intende deprecationem meam. Auribus percipe orationem meam, et non in labiis dolosis. [CLXXXIII] P. Custodi. ℣. Gloria, et honor. P. Exaudi.

Oratio. Domine Jesu Christe, *ut supra in Vesperis.* B

Antiphona 2. Iste sanctus clamavit, et Dominus exaudivit eum : P. Et ex omnibus tribulationibus liberavit eum. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generatio rectorum benedicetur. P. Et ex omnibus. ℣. Gloria, et honor. P. Et.

Oratio. Per arma, Domine, os nostrum ad prædicandæ veritatis officium, qui os Hippolyti tui cæsum reddidisti invictum : et, sicut illius meruit confessio gloriam, ita nostra supplicatio exaudiri mereatur ad veniam. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Ecce intelligens puer meus excelsus erit et sublimis : P. Et ego suscipiam eum : ℣. Manus enim mea auxiliabitur ei : et brachium meum confortabit eum. *P.* Et ego. ℣. Gloria, et C honor. P. Et.

Oratio. Christe Domine omnipotens, qui sanctum martyrem tuum Hippolytum, dum equina feritate per spinarum traheretur acumina, Angelicis evectum manibus in regna conlocasti siderea ; naturæ nostræ substantiam, quam luxuria petulans defrenatorum more cornipedum pernoxiorum aculeos distrahendo dilacerat, gratiæ subvenientis evectu cœlestem reduc ad patriam : ut, quia mole criminum adgravati sursum adsurgere non valemus, pietatis tuæ favoribus erigamur. ℟. Amen.

Per.

℟. Invocavi Altissimum potentem, et expugnavit ministros meos ; quia adstabilem me fecit contra hostes, et confregit murmuria malitiæ eorum. P. D Dominus fortis permansit mecum in æternum. ℣. Statuit Dominus supra petram pedes meos : et direxit gressus meos. P. Dominus. ℣. Cloria, et honor, P. Dominns.

Oratio. Sancte martyr Hippolyte, virtutum titulis inclyte, ac laudum copia gloriose, adsiste nobis orantibus, precesque nostras divinis offer auditibus : ut tua nobis passio quæsitum præstet remedium, quæ certandi præbuit mirabile documentum. ℟. Amen.

Per.

In Laudibus.

Ad Canticum, Antiphona. Thronum gloriæ. *Canticum.* Confirmatum. *Ad Benedictus. Antiphona.* Benedictio Domini. *Canticum.* Benedictus. *Sono.* Septies in die. ***Lauda.*** Laudate. *Psalmus* CXLVIII. ***Prophetia.*** Justus si. *fol.* 53. *Hymnus.* Adsunt, o populi. *Quære in præcedentibus Vesperis. Et Supplicatio.* Oremus.

Capitula. Post piceum fuscæ noctis atra caligine chaos luce pura Phœbi prævia jam surgit aurem quæ peplo lactis palliata monstriferæ quietis extrema conterminat, et redivivi luminis initia repræsentat; ob hoc, celsi luminis immensa Potestas, omnimodo te poscit nostra fragilitas, ut sacri memor Hippolyte pro te quondam trucidati, nobis placidus hodie et benignus adsistas : ac, sicut illi tolerantiam tribuisti discriminis subeundi, ita nobis adtribuas fortitudinem squalentem labem criminis evincendi.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. In psalterio et cithara dicam : *P.* In decem chordarum dulcisona est : Alleluia. ℣. Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit. P. In decem. ℣. Gloria, et honor. P. In decem.

Benedictio. Martyris Hippolyti. *In Vesperis præcedentibus.*

DIE XV.

IN FESTO ASSUMPTIONIS BEATÆ MARIÆ.

Ad Vesperum.

Lauda. Virgo Israel, ornate tympanis tuis, P. Et egredere in choro psallentium. ℣. Beata es Regina, quæ prospicis, quasi lumen. P. Et egredere.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Sono. Dominus Deus cœli benedicat tibi : honor regni David in manu tua. P. Et adorabunt coram te filii multarum gentium. Alleluia. ℣. Audi, filia Sion, quia exaltata es, et facies tua fulget in templo Dei : Sol justitiæ ingressu tuo orietur. P. Et adorabunt.

Dominus sit. ℟. Et cum.

[CCLXXXIII] *Antiphona.* Benedicta tu Deo altissimo, præ omnibus mulieribus : P. Propter hoc non discedet laus tua ab ore hominum usque in sæculum. ℣. Non det in commotionem pedem tuum : neque dormiet qui custodit te. P. Propter. ℣. Gloria, et honor. P. Propter.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Alleluia. Gaude, filia Sion : lætare, et exulta in omni corde, filia Hierusalem : P. Quoniam abstulit inimicos tuos rex Israel Dominus : Alleluia, alleluia. ℣. Lauda Hierusalem Dominum : conlauda Deum tuum Sion. P. Quoniam. ℣. Gloria, et honor. P. Quoniam.

Hymnus.

O ! Decus sacrum Virginum,
Quem virgo vehit unicum,
Et virgines almificum.
Sequuntur sanctæ Dominæ.
Qui plaustrum domicilium
Faxisti jam virgineum,
Quo cum cuneis virginum
Cluit caput præcipuum.
Hoc templum jam terrigenum

Numen cudit cœlicolum.
A quo redemptum sæculum
Extat, et omna tartarum.
Qui matrem, ac Discipulum
Consimiles in exitu
Fecisti, ut prodigium,
Propter decus virgineum,
Quorum dum tumba corpora
Lege suscepit propria;
Elata hinc divinitus
Sunt, ubi cernit Filium.
Nec credi fas ullo modo
Potest jam tali Filis
Matris interire tabida
Sic dilabi sacra caro.
Quam et si sopor adiit,
Et lacu terræ latuit,
Qualiter hinc adsumitur,
Postea sed cœlo traditur.
Qui sic suscepit Virginem
Poli terræque reginam.
Et Angelorum compotem
Fecit in arcem sublimem.
Dies, quo hæc subducitur
Mater cunctarum gentium,
Cœli quo petit intimum
. . . .
Illic virgo sanctissima
Nostra defer precamina,
Quo tu tranas ti gloria
Adsumptionis inclyta.
Per tuum Unigenitum,
Quem germisti Dominum,
Cœli petamus gremium
Diu per omne sæculum.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi, Dominum nostrum Jesum Christum cum omni supplicatione rogemus; ut nos gratia ipsius, et per intercessionem Assumptionis Sanctæ Mariæ Virginis et genitricis suæ propitius justificare dignetur. ℟. Præsta, æterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison. ℟. Christe eleison. Kyrie eleison.

Capitula. O inlibatum donum, o decus certe virgineum! o sacræ prolis opus dicatum, et vas septiformi dono digne farcitum sacra Virgo Maria, omnisque pudicitiæ præmium! cujus conceptio mysterium, cujus manifestatio privilegium, cujusque parturitio salutem gignit et gaudium, quam neque virile aliquando commercium, neque titillans umquam lascivum, neque ullum contaminavit obstinans delictum, jam præcamina vere credentium ibidem defer, ubi assumpta permanes sanctorum serta vel virginum: Illic, quæsumus, nobis esto refugium, quo de terrenis meruisti adtolli divinitus ad poli fastigium. Et, sicut per tuum hoc totum digna fuisti consequi simplum, sic mereamur, quam totius per nostrum semivivum duplum in utroque revisci per Christum Dominum nostrum, quo decentes didimus:

A Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui Matrem suam olim de deorsum, ubi voluit, pie adsumpsit, dignetur nos sibi semper trajici mente, quos clementer creavit. ℟. Amen. Et, sicut ex ea Natus potenter mundo præbuit lumen, sic corde inluminati per eam superam mereamur conscendere sedem. ℟. Amen. Quo, sicut illa militiæ cœlestis exercitus sui Assumptione sistit gavisa, sic omnium nostrorum criminum mœstitia defæcati quandoque mereamur beatiores adtolli in cœlestia regna. ℟. Amen.

Per misericordiam.

[CCLXXXIV] *Lauda*. Rami mei rami honoris et gratiæ Alleluia. P. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris. Alleluia, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Ego
B autem, sicut oliva fructiferavi in domo Domini, sperabo in misericordia Dei mei in æternum, et in sæculum sæculi. P. Ego quasi. ℣. Gloria, et honor. P. Ego quasi.

Oratio. Hæc est, Domine Deus, gloriosa illa virgo Maria, quæ hodie a convalle lachrymarum et mundi deserto cognoscitur superassumi incumbens super dilectum Unigenitum tuum, Filiumque suum loco videlicet inenarrabili: cujus vero quasi signaculum et monile detegitur pretiosum, dum unius naturæ illud corpus confitemur Dominicum istius inlibatæ genitricis a Divinitate assumptum. Proinde quæsumus, ineffabilis summe Deus, ut illic extendatur nostra intentio, quo per fortem dilectionem hodie præcessit digna suffragatrix pro nobis ac beatissima
C virgo. ℟, Amen.

Per misericordiam.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea. *fol.* CLXX. Psal. L.

Oratio. Exultent in te, Domine, labia nostra prœcenio veritatis ad conlaudandam veram Assumptionem inlibatæ Mariæ genitricis; et quæ de terris potentialiter meruit subduci supernisque sedibus divinitus adtollit; mereamur per ejus favorem ab omnibus hic peccatis erui, et illuc Beatorum fulgentibus choris misericorditer introduci. ℟. Amen. Per.

Antiphona. 1. Dilectione. *fol.* CLXXX. *Oratio*. Hæc est. *In Vesperis præcedentibus.*

Antiphona 2. Virgo prudentissima. *folio* CLXXX,

D *Oratio*. Domine Jesu Christe, qui hodie a deserto mundano et tristifica Ægypto gloriosam cœli reginam assumpsisti Mariam, tecumque in supernam sedem pulchram ut Lunam, et electam ut Solem, esse voluisti; fac nos Solis ardore insolenter per diem nusquam aduri, neque per noctem Lunæ æstibus indecenter concremari; ut tam animæ quam corporis mœrore novati mereamur per Assumptionem genitricis tuæ ibidem, ubi præcessit, beatiores induci. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. In congregatione sanctorum hereditas mea. Sicut cedrus exaltata sum in Libano. P. Et, quasi cypressus in montibus Hermon, elevata sum.

℣. Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Domini, sperabo in misericordia Dei mei in æternum, et sæculum sæculi. P. Et quasi. ℣. Gloria, et honor. P. Et quasi. A

Oratio. Ecce Domine, sicut cedrus exaltata hodie in cœlis gloriosa virgo Maria permanet, dum, sicut oliva speciosa, in fatuis mentibus prudentiæ oleum impendit, et, ut vitis fructificans, suavitatem bonæ vitæ terris emisit. Proinde quæsumus, ut odore virtutum per ejus obtentum propinati in terris, sic fœtorem lascivæ carnis omnimodo respuamus, ut de bonorum operum meritis coram te sine fine gloriemur. ℟. Amen.

Per.

℟. Vox de cœlo facta est ad eam, dicens : Veni, accipe coronam, quam tibi ab initio promisi : suscipient te Angeli mei ; P. Et perducent te in civitatem illam sanctam Hierusalem. ℣. Quoniam Angelis suis mandavit de te : ut custodiant te in omnibus viis tuis : in manibus enim suis portabunt te. P. Et perducent. ℣. Gloria, et honor. P. Et perducent. B

Oratio. Virgo Christi Maria, cujus hodie processio sacra inter lilia opaca, virginum videlicet super agmina, mirabilis mansit in sede superna ; efficiatur, quæsumus, per sacrum favorem tuum nobis indignis requies futura, quo tu posuisti assumi tanti miraculi gloria : quatenus Dominicam vocem illam aure cordis mereamur audire, quæ de supernis te assumendo inquit : Adscende : ibidem vero percepturi cum omnibus Sanctis æternam requiem, ubi a Domino te credimus adquisisse fidei sincerissimæ benedictionem. ℟. Amen. C

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Benedictus Dominus. *Canticum.* Gaudens. *Ad Benedictus. Antiphona.* Filia Sion. *Canticum.* Benedictus. *Sono.* Dominus de cœlo. *Quære in Vesperis præcedentibus. Lauda.* Laudate Dominum de cœlis.

[CCLXXXV] *Lectio libri Canticorum* (*Cap.* I).

℟. Deo gratias.

O pulchra Dei virgo inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum tuorum. Adsimilavi te amica mea. Quam pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turris. Ecce te pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. (*Cap.* II.) Surge, propera amica mea, et veni. Jam enim hiems transiit, et recessit. Flores apparuerunt in terra. Surge, ostende mihi faciem tuam, et sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis, et facies tua decora. (*Cap.* III). Quæ est ista, quæ ascendit super desertum, sicut virgulta fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii ? (*Cap.* IV.) Quam pulchra es ! oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet, sicut turris David. Tota enim pulchra es, et macula non est in te. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, et coronaberis. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ paradisus plenus malorum punicorum cum pomorum fructibus. (*Cap.* VI.) Una est columba mea, D et perfecta mea, una est matris regina, electa genitrici suæ. Viderunt illam filiæ Hierusalem, et beatissimam prædicaverunt ; reginæ et concubinæ laudaverunt eam. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut Luna, et electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata ; (*Cap.* VIII.) Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, enixa super dilectum suum ? Pone me ut signaculum super cor tuum, et quasi monile in brachio tuo, ut signaculum super brachium tuum, et vera Dei permanet dilectio. ℟. Amen.

Hymnus.

Hymnum Mariæ Virginis
Decantemus cum Angelis,
Quam Christus Dei Filius
Sanctificavit utero.
Adsumpsionem ipsius
Celebremus cum Angelis,
Concessa nobis requie,
Remotis prævis hostibus.
Mater, quæ virum renuit,
Mater, quæ Christum meruit ;
Virgo ante partum, quæ fuit ;
Virgo post partum claruit.
Jam Christus de Deo genitus,
Non raptum faciens Deo,
Formam servi suscipiens,
Servile corpus inserit.
Nec fessum fregit Virginis
Egressus templum atriis ;
Sed claustrum, quod invenerat,
Clausum reliquit Virginis.
O vere sacer alveus !
Cujus milesque gloriæ,
Quem cœlum terraque non capit ;
Virginis vero uterus !
Sed nos ad te concurrimus,
Alma Parens, et poscimus :
Erue nos de gentibus
Tuis beatis precibus.
Per tuum Unigenitum,
Quem genuisti Dominum,
Cœli petamus gremium
Diu per omne sæculum.
Amen.

Supplicatio. Oremus, *ut supra.*

Capitula. Matutinis precibus te Dominum exoramus piissimum ; ut, sicut inlustris gloriosissima Virgo hodie Maria per decus virginitatis supernam adepta est sedem, sic per meritum illius acceptabilissimi favoris apud te conlætari mereamur in cœlestibus regnis :

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Rami mei. *Benedictio.* Christus Dominus. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

In exeunte Vespera omnia dicantur ut in primis Vesperis, exceptis Capitula et Benedictione.

Capitula. Domine Jesu Christe, qui sic Virginem matrem honorificasti, quousque Assumptionis gratia

eam coram te suffragatricem pro nobis effecisti incomparabilem; indigni quæsumus Divinitatis tuæ clementiam, quatenus per obtentum illius beatissimæ Genitricis, quam cælibem hodie fecisti in cœlestibus regnis, emundati ab universis contagiis audeamus exclamare, et dicere:

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Exoratu Virginis sacræ Mariæ vestra sint merita radicitus coram Christo et abolita piacula: ℟. Amen. Et, sicut illa hodie conlætatur in sede superna cum Angelis sanctis, sic vos gaudeatis adquisisse paradisum [CCLXXXVI] æternæ felicitatis: ℟. Amen. Quo anima simul et corpore integri et sani hinc exeuntes, ad illam feliciter et digne perveniatis sedem, quo ipso miserante ab ea divelli nullatenus possitis. ℟. Amen.

Per.

DIE XXIV.

IN FESTIVITATE SANCTI BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Ad Vesperum.

Lauda. Speravit anima mea. *Sonus.* Fac mecum, Deus, signum in bono.

Antiphona. Oculus Dei adspexit justum. *fol.* CLIX.

Lauda. In memoria æterna erit justus Alleluia: *P.* Ab auditu malo non timebit. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis. *P.* Ab auditu. ℣. Gloria, et honor. *P.* Ab auditu.

Hymnus.

Æterni Proles Patris, et inclyte
Compar et illi esse qui nosceris
Spiritus almus, certam potentiam
Tenens per ævum rebus in omnibus:
Bartholomæus ecce discipulus
Tuus ab intus sanctus et ephebus
Apostolorum, sorte mirificus:
Nunc ecce fulget æthere sublimis,
Cujus dicata festa se prodeunt,
Nunc et perenni munere populos
Certe refoveant; nec non et imbuant
Caduca sæculi temnere fortiter;
Cujus præcatu, sublimis Pontifex,
Te te rogamus infirmi servuli,
Probra dimittas, munera præbeas;
Tua sit gratia miseris servulis.
Bartholomæe martyr Apostole,
Dignare nobis esse per omnia
Sæcula patronus, et fave cernuos,
Nosque beatos effice servulos:
Tui precatu gratia faveat,
Quos obsequelam conspicis affatim,
Tibi dedisse supplices annua
Cursu labentis tempora sæculi.
Sit tibi laus, Christe, per omnia,
Æterno Patri sitque potentia;
Sit dono quoque gloria perpetim,
Unus qui regis omnia sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus, *mutato nomine, fol.* CLXXXVII.

Capitula. Christe Dei Filius, Dei virtus, et Dei sapientia, qui per uterum Virginis nasci dignatus es verus Deus invisibilis, et verus homo in carne apparuisti visibilis; per intercessum sancti Bartholomæi Apostoli et martyris tui peccatorum abluamur a crimine, et mereamur terram repromissionis, illam scilic et beatitudinem perfectionis intrare: quatenus per te, qui eumdem martyrem tuum Bartholomæum Apostolum, cujus solemnitatem hodie ob laudem tui nominis vel miraculum Deitatis devotissime celebramus, multis sanctorum Angelorum custodiis seu adminiculis roborasti; cujusque intima sancti Spiritus calore perflasti, facias nos illæsos evadere laqueos inimici: Ut, sicut ille ad te potestatem accepit ponere pedes suos super serpentes et scorpiones et supra virtutem inimici, ita et nos sumamus invictum de tua sancta potestate auxilium, ut conculcemus et extinguamus regulum et basiliscum, qui nonnumquam per negligentium nostram regnant in nos regno peccati; Qualiter puro corde et purgatis labiis tibi mereamur dignissime deservire in terris:

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui per martyrem suum Bartholomæum Apostolum insigne fecit miraculum, dum ad sui nominis fidem et regem convertit et populum, faciat vos adipisci regnum cœlorum: ℟. Amen. Et, qui per illum calliditatem Zabuli manifestam fecit cuneis populorum, per ejus interventum adsistat vos in congregatione Sanctorum suorum: ℟. Amen. Et per hunc eumdem Apostolum suum Bartholomæum, qui et aurum et gemmarum, ut lutum, repulit ornamenta; per eum vos Christus Dominus faciat adscendere sursum, ubi ejus interminabile super omnem creaturam regnat imperium. ℟. Amen.

Lauda. Diligam eum. *fol.* CLVI.

Oratio. Deus immense et gloriose, quem in passionibus Martyrum colimus, in Beatorum solemnitatibus veneramur, atque in certaminibus Vincentium conlaudamus; adesto precibus supplicantium interventu [CCLXXXVII] martyris tui Bartholomæi Apostoli: ut, qui te pro admissis terribilem metuimus, ejus precibus exoratus in misericordia placitum inveniamus. ℟. Amen. Per misericordiam.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea aperies. *Psalmus* L. *Oratio.* Exultent te, Domine. *fol.* CLXXX.

Antiphona 1. Coronam gloriæ ponam super caput ejus, dicit Dominus; et induam illum stolam candidam; *P.* Quia servavit mandata mea, et propter nomen meum effusus est sanguis ejus in terra. ℣. Et veritas mea et misericordia mea cum ipso: et in nomine meo exaltabitur cornu meum. *P.* Quia servavit. ℣. Gloria, et honor. P. Quia servavit.

Oratio. Dona nobis, Domine, sapientiam, per quam et insipientiæ nostræ ignavia auferatur, et beatitudinis gloria conferatur; ut, dum martyrem tuum Bartholomæum Apostolum decoris stola circumdas, in nobis indumentum Baptismi, quod peccando pol-

luimus, eodem intercedente propitius abluas ; et A cum sanctus ille martyr tuus coronatur in vasis virtutum,nos expiemur a contagione peccaminum, ℟. Amen.

Antiphona 2. Coronavit eum Dominus, et benedixit, et dilexit illum : P. et supra multa munera constituit illum. ℣. Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam : qui loquitur veritatem in corde suo. P. Et supra. ℣. Gloria, et honor. P. Et supra.

Oratio. Æternum tuæ virtutis nomen,omnipotens Deus, oramus, ut nos martyris tui Bartholomæi Apostoli et omnium sanctorum meritis socios fide, pares devotione, strenuos passione,consimiles et in resurrectione felicium facias coæquari. ℟. Amen.

Antiphona 3. Certamen bonum certavi, cursum consummavi. P.De cætero reposita est mihi corona B justitiæ. ℣. Quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo. P. De cætero. ℣. Gloria, et honor. P. De cætero.

Oratio. Deus immense. *Quære, ut supra in Vesperis præcedentibus. Responsorium.* Ego sum lux. *fol.* CLVIII.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Tu solus Dominus, quia non est alius ; neque justus præter te Deum nostrum.

Canticum. Confirmatum est cor meum.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedictio Domini. *Canticum.* Benedictus es.

Sono. Septies in die. *Lauda.* Laudate Dominum. *Psalmus* CXLVIII. *Prophetia.* Justus si. *fol.*55. *Hymnus.* C Æterni Proles. *Quære in Vesperis præcedentibus. Supplicatio.* Oremus Redemptorem.

Capitula.

Ecce, Domine, Apostoli tui et martyris Bartholomæi annua suscipitur incolenda festivitas, quæ totam Catholicæ plebis togam ad gaudia provocat, dum se ejus miraculis toto jam mundo dilatat.Quæsumus proinde ; ut, qui illi per Spiritum sanctum dedisti potestatem imperandi dæmonibus, gratiam misericordiæ tuæ a nobis non auferas ad te in ejus honore humili voto currentibus : ut, qui gravati delictis, ejus venerabile nunc incolimus festum, ejus meritis beati cœleste veniamus ad regnum ; ut,si de propriis non mereamur justificari, ejus patrocinio Sanctis tuis mereamur in perpetuum so- D ciari :

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Diligam eum ex toto. *Quære in Vesperis præcedentibus. Benedictio.* Christus Dominus, qui per martyrem, *ut supra.*

DIE XXV.

IN FESTO SANCTI GENESTI.

Ad Vesperum.

Lauda. Speravit anima mea. *fol.* CLVI. *Sono.* Benedic, anima mea. *fol.* CLX. *Antiphona.* Sanctus tuus. *Quære in Sancto Hippolyto. Lauda.* Benefecit Dominus eum. *fol.* CLXI.

Hymnus.

O rerum,Domine, conditor omnium,
Plectrum continuo gutturis admove,
Certamen tribuens pandere naviter.
Athletæ tui inclyti.
[CCLXXXVIII] Gliscit nam nimium pectoris intimum
Malens belligeri promere militis
Actus conspicuos, gestaque fortia,
Et dona tua optima.
Genesius igitur ille juvenculus
Civis eximius Arelatis oppidi,
Ætatis peragens floscula primulæ
Injuncto paret ordini.
Exceptor itaque dumque nitesceret
Ac jussa tabulis publica scriberet
Affilatus subito munere cœlico.
Quo vota cumulat pia.
Extemplo officium abnuit impium.
Et ceris renuit imprimere manum
Cœlestis cupiens effici accola
Vita, votisque, moribus.
Post evangelicus sermo ut intonat,
Diversas latebras per loca appetens
Sese occulte recipit in abditis
Horrore nimis territus.
Quem quærens valide turba satellitum,
Nec, ut cuperat, reperit uspiam ;
Vastis tum reboans rictibus arbiter
Ferrum simite, clamitat :
Festinis propere percite gressibus :
Inventum refugam plectite percite ;
Qui nostra monita temnere ausus est
Nec sacros deos incolit.
Quod fama referens Martyris auribus,
Ablutum, neque se nosceret, æquore
Ferventi Rhodanum spiritu appetit,
Quo sorde queant ablui.
Auro lucidior inde regrediens
Repertus, jugulis sternitur impetu,
Cœli agminibus illico jungitur
Comptus vertice laurea.
Ob hoc Cunctipotens, quæsumus affatim,
Testis quoque tui ipse precantibus
Acceptes placide vota fidelium,
Dimittasque piaculum.
Ac culpæ cumulus funditus subruat ;
Subcrescat jugiter gratia aptior ;
Ut Sancti meritis cælibes redditi
Abscedat procul ultio.
Sit trino Domino gloria sedula,
Regnum perpetuum, atque potentia,
Virtute solita qui regit omnia.
Sustentans pie condita.
Amen.

Supplicatio. Oremus redemptorem mundi, *ut supra.*

Capitula. Unigenite Dei Filius, qui beatissimum athletam tuum Genesium primævæ ætatis floscula peragentem duplici victoriæ titulo coronasti, dum

et rabiem persecutoris declinando Rhodani laticibus infusum sacrosancti baptimatis lavacro decorasti, et exceptoris, quo fungebatur, officium relinquentem verum tuum sequipedam consecrasti; fac nos ejus suffragiis viam gradiri sæculi hujus indemnes, et idoneos effici vestigiorum tuorum imitatores: quo nullis vitiorum nidoribus offuscati, et cursum vitæ, sicut hic miles tuus, deducamus in pace, eodemque patrocinante ad tuam pervenire mereamur conspicuam claritatem:

Pater noster. Et ne. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui beatissimum Genesium transeuntem Rhodani alveum non passus est ullis aeribus impediri algarum, ipse pedes vestros dissolvat a nexu criminium, et dirigat per semitas mandatorum suorum. ℟. Amen. Et, qui illum positum in ætatis primulæ circulis ab executionalibus divertere fecit inlecebris, ac reddidit sortem cælicolis, ipse vos ab omnibus incentivis emaculet carneæ titillationis. ℟. Amen. Quo tempore judicii. defæcati ab omni nexu peccaminum cælibes effecti cum eodem æternæ pacis mereamini locum. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius.

Lauda. Beatus vir, qui timet Dominum Alleluia: P. In mandatis ejus cupit nimis. Alleluia, alleluia, ℣. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur. P. In mandatis ejus. ℣. Gloria, et honor. P. In mandatis.

Oratio. Præsta nobis, Deus, beatissimi martyris tui Genesii assiduum patrocinium; ut ejus quoque præclarum assequi mereamur exemplum: ut sentientes impensissime suffragantem, sequamur fortissime præliantem. ℟. Amen.

Per.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea. *Psalmus.* 50. *Oratio.* Exultent, Domine. *fol.* CLXXX.

Antiphona 1. Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus: inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea. P. Custodi me, ut pupillam oculi: sub umbra alarum tuarum protege me. ℣. Exaudi Deus justitiam meam: intende deprecationem meam. Auribus percipe orationem meam, et non in labiis dolosis. P. Custodi me. ℣. Gloria, et honor. P. Custodi.

[CCLXXXIX] *Oratio.* Præsta nobis, *in Vesperis præcedentibus.*

Antiphona. Iste sanctus clamavit, et Dominus exaudivit eum: P. Et ex omnibus trtbulationibus ejus liberavit eum. ℣. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. P. Ex omnibus. ℣. Gloria, et honor. P. Ex omnibus.

Oratio. Sit, Domine, præcedentes et orante martyre tuo Genesio nobis famulis tuis te amandi prompta voluntas, ut in nullo impediat carnis infirmitas. Sic eodem docente a nobis calcetur mundi cupiditas, ut eodem intercedente perveniamus ad victoriam charitatis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Ecce intelliget puer meus: excelsus erit et sublimis: P. Et ego suscipiam eum: ℣. Manus enim mea auxiliabitur ei: et brachium meum confortabit eum. P. Et ergo suscipiam. ℣. Gloria, et honor. P. Et ego.

Oratio. Fac nos, Domine, beatissimi martyris tui Genesii pedissequos: ut ejus muniti suffragio respuamus fallacias dæmonum; cujus instructi patrocinio videamus bona in terra viventium. ℟. Amen.

Per.

℟. Invocavi Altissimum potentem et expugnavit inimicos meos, quia stabilem me fecit contra hostes, et confregit murmuria malitiæ eorum: Dominus fortis permansit mecum. *P.* In æternum. ℣. Statuit Dominus supra petram pedes meos: et direxit gressus meos. P. In æternum. ℣. Gloria, et honor Patri. P. In æternum.

Oratio. Omnipotens Dominus, qui beatissimum Genesium martyrem tuum passionis stimulis et minantium fluctuum cumulis probari, non obrui, permisisti, cum eum dimicantem nec pœna superaret, nec immersu unda supprimeret; quia ei et illic adfuisti, ne cruciatibus vinceretur, et hic præstitisti, ut contra naturam fluctibus portaretur: miraculis tantis fidem omnibus præsta, ut vota celebrantibus devotissime conferantur. ℟. Amen.

Per.

Antiphona. Sapientia justum a pereuntibus impiis liberavit: P. Et induit pro lorica justitiam: et galea salutis in capite ejus. ℣. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis. P. Et induit. ℣. Gloria, et honor. P. Et induit.

Oratio. Æternum virtutis tuæ nomen, omnipotens Deus, oramus, ut nos martyris tui Genesii et omnium Sanctorum meritis socios, fide pares, devotione strenuos, passione, consimiles; et in resurrectione felicium facias coæquari. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Iste homo in certamine. *folio.* CLXI.

Oratio. Deus immense et gloriose, quem in passionibus Martyrum colimus, in Beatorum solemnitatibus veneramur, atque in certaminibus vincentium conlaudamus; adesto precibus supplicantium interventu gloriosi martyris tui Genesii: ut, qui te pro admissis terribilem metuimus, ejus precibus exoratus in misericordia placitum inveniamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Coronam gloriæ ponam super caput ejus, dicit Dominus: et induam illum stolam candidam, P. Quia servavit mandata mea. Et propter nomen meum effusus est sanguis ejus in terra. ℣. Et ponam in mari manum ejus, et fluminibus dexteram ejus. P. Et propter. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et propter.

Oratio. Deus, cujus honor sanctitas est, quem diligere salus est, et amare perfectio; inlabere in cordibus nostris: da in omni Ecclesia tua gloriosi martyris tui Genesii lucere vestigia: ut te gerente

omnium gressus, ea nos via perducat ad vitam, quæ A martyrem tuum extulit ad coronam. ℟. Amen. Per.

Responsorium. Ego sum lux. *fol*. CLVIII.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui mirabiliter Genesio huic martyri tuo et coronam de victoria præsta, et columnam in templo tuo quasi decorem ædificii futurum esse adsignas, dum ei et coronanda vincendi studia suggeris, et invictam perseverantiæ voluntatem in passionibus prælargiris: da nobis exemplo ejus et diligendi te votum æquale, et vincendi voluntatem: ut ita nomen civitatis illius novæ Hierusalem nostris in pectoribus sit adscriptum, qualiter, dum indesinenter obtutum mentis nostræ in illius visione defigimus, in ejus pace perenniter jocundemur. ℟. Amen. B

Per misericordiam.

[CCXC] *In Laudibus*.

Ad Canticum. Antiphona. Tu solus Dominus, quia non est alius; neque justus præter te, neque sanctus præter Deum nostrum.

Canticum. Confirmatum est cor meum.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedictio. *Canticum*. Benedictus es Domine. *fol*. 6.

Sono. Benedic, anima mea, Dominum. *fol*. CLX. *Lauda*. Laudate. *Psalmus* CXLVIII. *Prophetia*. Sapientia justum deduxit. *fol*. 56. *Hymnus*. O rerum, Domine, conditor. *Supplicatio*. Oremus. *Quære in Vesperis præcedentibus*.

Capitula. Adest, Domine, famosissimi athletæ tui Genesii martyris festum, cui tuo pro nomine certanti viriliter caput a corpore gladii mucrone desectum est valide. Et ideo piis supplicationibus exoramus tuam largam potentiam, Omnipotens Deus; ut eodem patrocinante ita corda corporaque nostra ab omnibus vitiis desecare digneris, quatenus atria cœli, quæ ille adiit per triumphum martyrii, nos abluti maculis delictorum introisse gratulemur in hymnis confessionum. C

Pater noster. Liberati a malo. *fol*. 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui beatissimum Genesium, *in Vesperis præcedentibus*.

In exeunte Vespera omnia dicantur, sicut in primis Vesperis, exceptis Capitula, et Benedictione, quæ sequuntur.

Capitula. Deus qui volentes prævenis fide, atque credentes subsequendo facis non frustra in te credidisse; quique beatissimum Genesium prius gratia prævenisti dulcedinis, quam regeneratione baptismatis; te suppliciter deprecamur, ut jam præveniamur miserationibus tuis, quo ad te fiducialiter possimus proclamare e terris: D

Pater noster. Liberati a malo. *fol*. 2.

Benedictio. Gratia Christi, quæ beatissimum Genesium martyrem prævenit fide, vos subsequatur in munere. ℟. Amen. Et, qui illum aquis Rhodani originali solvit a vinculo, vos hujus calicis vivificet sacramento. ℟. Amen. Atque qui illum fluviali consecravit ex gurgite, vos mundiali non subruat tempestate. ℟. Amen.

Per misericordiam.

DIE XXVI.

IN FESTO SANCTI GERONTII EPISCOPI.

Ad Vesperum.

Lauda. Confessionem et decorem. *Sono*. Confitebor tibi, Domine. *fol*. CLXIX. *Antiphona*. Confitebor tibi, Domine. *folio* CLXIX. *Lauda*. Confitebor tibi, Domine rex. *folio* CLXIX.

Hymnus.

Sacratum Christi Antistitem,
Gerontium Confessorem,
Dignis canamus laudibus,
Et celebremus vocibus,
Hic fertur Apostolico
Vates fulsisse tempore
Et prædicasse supremum
Patrem potentis Filii.
Quique dum per occiduam
Percurreret clarus plagam,
Tandem ira Gentilium
Ad passionem trahitur.
Sed mox præcepto Præsulis
Nodis gravatur ferreis:
Horrendis umbris carceris
Datur in jus carnificis.
Quem ferunt vinctum vinculis
Inter pallentes tenebras,
Raptam e sacro corpore
Dedisse cœlo animam.
Sic inter Apostolica
Locatus jam consortia,
Gaudet cœlestis gloria,
Et clara Christi gratia.
Namque infulatus gemino
Fulget et nitet præmio;
Sacerdotali titulo
Confessionis merito.
Gloria Patri personet,
Christoque Unigenito,
Paraclitoque Spiritui
In sæculorum sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus, *mutato nomine, folio* CLXXXVII.

[CCXCI] *Capitula*. O gloriose ac misericors Domine, qui beatissimo confessori tuo Gerontio Episcopo tibi nimis in ore suo confiteri dedisti; teque in medio justorum ejus confessione laudari voluisti, ut eum in terris confitentem et in concilio Sanctorum glorificans faceres exultantem: exposcimus tui muneris donum; ut ejus precibus tribuas a peccati contagione purgari, ab ardoribus perpetuis erui, et gloriæ tuæ beatitudinem consequi.

Pater noster. Liberati a malo. *fol*. 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui beatissimum confessorem suum Gerontium Episcopum se digne coram hominibus confiteri fecit in terris, confiteatur vos coram Patre suo, qui est in cœlis: ℟.

Amen. Et, qui in ore suo accepta sibi confessionis contulit cantica, ipse confessionem vestram remunerandam suscipiat; ℟. Amen. Ut exemplo beatissimi confessoris Gerontii Episcopi confitendo et laudando nomen Jesu Christi in sæculum, participes ejus, quem confessi estis, mereamini esse in cœlo. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Germinabunt ossa tua, quasi salices Alleluia *P.* Juxta fluentes aquæ : Alleluia, alleluia. ℣. Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. *P.* Juxta. ℣. Gloria, et honor. *P.* Juxta.

Oratio. Deus Dei Filius, quem beatissimus Gerontius Episcopus in toto corde suo confessus, nomen tuum honorificando, perductus est ad coronam ; da in ore nostro confessionem, quæ nos expurget a crimine : ut quidquid in tuæ laudis honore depromimus, in lucro nobis prodesse æterni muneris sentiamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Matutinum

Antiphona. Labia mea. *Psalmus* L. *Oratio.* Exultent, Domine. *fol.* CLXXX.

Antiphona 1. Caro mea requiescet in spe. *Quære fol.* CLXX.

Oratio. Deus, qui confessorem tuum Gerontium Episcopum in sæcula sæculorum gaudere et exultare fecisti, ut tibi soli sine fine psallens laudis deferat hymnum, cujus ex confessione meruit obtinere consortium ; te devotis cordibus poscimus, ut meritis ejus vita nostra refloreat, et a malis actibus emandata nitescat : ut, qui jam merebamur pro criminibus pœnam pro confessione et cultu fidei Christianæ futuram pervenire mereamur ad gloriam. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Facta tua. *fol.* CLXXI.

Oratio. Beatum satis, Domine, confessorem tuum Gerontium Episcopum esse fecisti : qui in toto corde suo tibi confessus, in concilio Justorum et congregatione probatur esse conspicuus. Da ergo nobis meritis ejus, ut confessione simplici oris mundari a crimine, et Sanctorum mereamur congregationi in cœlestibus interesse. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Custodisti corpus meum. *folio* CLXXI. *Oratio.* Deus Dei Filius. *Require supra in Vesperis. Responsorium.* Ecce Domine, in toto corde suo. *fol.* CLXXI.

Oratio. Ecce Domine, in toto corde suo te solum confessor tuus Gerontius Episcopus confitetur et credit, dum et perfectum amorem tuæ fidei narrat, et mirabilia devoto ore pronunciat. Lætare ergo, et exultare nos fac in te et jugiter et evidenter ; ut in te habeamus post discrimina requiem, in quo ille post confessionem meruit invenire mercedem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Confitebor tibi, Domine. *Canticum.* Confitebor tibi, Domine rex. *Ad Benedictus. Antiphona.* Benedictio Domini. *Canticum.* Benedictus es, Domine. *Sono.* In conspectu Angelorum. *Lauda.* Alleluia. Confessio ejus. *Prophetia.* Ecce servus meus. *Quære folio* CLXXII. *Hymnus.* Sacratum Christi Antistitem. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi Dominum. *Require in Vesperis præcedentibus.*

Capitula. Deus, quem fidelium lingua confitendo conlaudat, et Confessorum devotio copiose exaltat; præbe nobis obtentu confessoris tui [CCXCII] Gerontii Episcopi obtinere, quæ poscimus, et evadere, quæ timemus : Deus enim noster es tu, et confitebimur tibi : te quoque Deum in nostris cordibus exaltemus devoti. Fac nos ergo tibi indesinenter et opere simul et verbo hærere, qui nos fecisti veritatem fidei Christianæ cognoscere :

Pater noster. Liberati a malo. 2.

Lauda. Germinabunt ossa tua, quasi salices. *Benedictio.* Christus Dominus, qui. *Require in Vesperis præcedentibus.*

In exeunte Vespera omnia dicantur, ut in primis Vesperis, exceptis Capitula, et Benedictione, quæ sequuntur :

Capitula. Beatum satis, Domine, confessorem tuum Gerontium Episcopum esse fecisti : qui in toto corde suo tibi confessus in concilio Justorum et congregatione probatur esse conspicuus. Da ergo nobis meritis ejus, ut confessione simplici oris mundari a crimine, et Sanctorum mereamur congregationi in cœlestibus interesse :

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Dominus Jesus Christus, qui est Confessorum remuneratio, confessoris sui Gerontii suffragio vos sanctæ confessionis suæ munificet dono: ℟. Amen. Detque vobis se confitendi votum, qui eidem confessionis contulit præmium ; ℟. Amen. Ut tanti Confessoris veraciter imitando exemplum, ad cœleste mereamini pervenire promissum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

DIE XXVIII.

IN FESTO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI ET DOCTORIS

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol. CLXIX, *excepto*

Hymno.

Lux Deus Christe, pietas redundans,
Qui tuum vatem hærese reductum
Rite Augustinum amans alumnum
Efficis aptum ;
Hujus obtentu dolum hinc remove,
Patriam serva, populos guberna ;
Omnis lis absit, affluat redemptis
Gratia pacis.
Charitas efflet copulam recisis ;
Sit procul ira, abeat ruina :

Clades abscedant, fames, atque languor,
Noxia quæque.
Clerus doctrina rutilet corusca :
Pontifex celsum apicem retentet
Labe abstersa, operibusque almis
Potest placitura.
Laus tibi insultet jubilo perenni,
Trinitas simplex, Deitasque una,
Cuncta qui condens, opifex in æthere,
Crederis auctor.
Amen.

FESTA SEPTEMBRIS.

Jejunium observatur tribus diebus ante Festum sancti Cypriani. Si volueris recitare, quære fol. 431.

DIE XIV.

IN FESTO SANCTI CYPRIANI EPISCOPI.

Ad Vesperum.

Lauda. Gloria et honor.

Sono. Fac mecum. *Quære fol.* CLIX.

Antiphona. Posuisti, Domine, super caput ejus coronam de lapide pretioso : P. Gloriam et magnum decorem super eum impones. ℣. Vitam petiit, et dedisti ei longitudinem dierum in æternum et in sæculum sæculi. P. Gloriam et magnum decorem. ℣. Gloria, et honor. P. Gloriam.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Alleluia. Omnis qui vicerit, faciam illum sedere in throno Patris mei, Alleluia. P. Sicut et ego vici, et sedeo in illum ; Alleluia, alleluia. ℣. Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem : in die mala liberavit eum Dominus. P. Sicut. ℣. Gloria, et honor. P. Sicut.

Hymnus.

Urbis magister Tasciæ
Tu, Cypriane Pontifex,
Fax luminosa, et efficax,
Verbo docens, et sanguine.
Tu martyr, et doctor pius,
Utroque clarus dogmate :
Et stultis verba imbuis,
Et doctis exemplis foves.
Cœlestis ille Spiritus.
Qui in Prophetis præfuit,
Te inrigavit cœlitus,
Implevit, egit, compluit.
[CCXCIII] Hinc fonte claro luminum
Mentes foves fidelium ;
Artus pererras invios,
Cibis palatum recreans.
Tu passionis gloriam
Quæstu oblato distrahis,
Mercede mortem comparans,
Cum te feriret carnifex.
Sic sic docens quod verum est,
Fundis beatum sanguinem
Ditas cruore Africam.
Verbo docens Hesperiam,
A Tu Doctor in terra pius,
Tu Martyr in cœlestibus,
Quod prædicasti dogmate
Fac nos tenere per precem.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclyto
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Supplicatio. Oremus, *mutato nomine, ut supra.*

Capitula. O decus orbis, o doctor unice, veritatis magister catholice, Catholicorum ducator Ecclesiæ, Cypriane martyr sanctissime ! qui Christum et voce prædicando et sanguine, et lingua amœnus, et passione monstraris esse conspicuus : dum, quæ doces, B agis, et quæ agis, posteris docendo derelinquis : in utrosque admirabilis et præclarus ; dum et Doctor mirificus, et martyr agnosceris gloriosus ; dum et doctrina clares in sæculo, et de effuso sanguine lætaris in cœlo : te quæsumus, te rogamus, rege, fove, instrue nos tuis semper suffragis pariter et doctrinis : imbue ore nescios, precibus tuere infirmos, verbis doce, quid agere, meritis obtine, quo possimus intrare : illinc riga ignorantiam verbis ; hic continuis fragilitatem nostram foveto suffragiis ; ut per Deum unum in Trinitate perfecta, quem tu et doctrina prædicasti et sanguine, nos et dictorum tuorum fructus hic libentius hauriamus, et meritorum tuorum gaudiis post transitum satiemur per ipsum : qui nos docuit orare et dicere :

C Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui beatissimum Cyprianum Ecclesiæ suæ Præsulem, et doctrinæ magisterio clarum, et Martyrem fecit esse conspicuum ; impleat vos et gratia sanctæ doctrinæ, et amoris sui opulentiæ dulcedine ; ℟. Amen. Ut et in verbis Martyris correctionem vitæ integram adsumatis, et in exemplis ejus adipiscamini, quod vos heredes efficiat in cœlestibus regnis : ℟. Amen. Quo et per ejus doctrinam peccatorum a vobis rubigo effugiat, et per ejus suffragia vita vobis concedatur æterna. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Beatus vir, qui timet Dominum Alleluia : D P. In mandatis ejus cupit nimis Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generatio rectorum benedicetur. P. In mandatis. ℣. Gloria, et honor. P. In mandatis.

Oratio. Debitas tibi, Domine æterne, referimus grates, et Jesu Christo Domino nostro, in cujus similitudinem beatissimus Cyprianus, dum offert victimam, ipse est victima ; dum sacerdotium eligit, martyrium devotus implevit. Obtineat igitur apud te, Deus summe ; ut des miseris indulgentiam post delictum, qui meruit post sacerdotium subire martyrium. ℟. Amen.

Per.

A

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea. *Psalmus* L. *Oratio.* Exultent, Domine.*fol.* CLXXX

Antiphona 1. Homo Dei, ostendit tibi Dominus sacramentum : multam vidit enim perseverantiam tuam. P. Quia multum tristatus es pro populo suo, et orabas pro Israel : ℣. Non det in commotionem pedem tuum : neque dormitet qui custodit te. P. Quia. ℣. Gloria, et honor. P. Quia.

Oratio. Debitas tibi, Domine. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Antiphona 2. Homo iste perfecit omnia, quæ præceperat ei Deus : dixit ad eum: Ingredere in requiem meam. P. Quia te elegi justum coram me ex omnibus gentibns. ℣. Beatus vir, qui timet Dominum : in mandatis ejus cupit nimis. P. Quia te. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Quia te.

Oratio. Æternum tuæ virtutis nomen, omnipotens Deus, oramus : ut nos martyris tui Cypriani Episcopi et omnium Sanctorum meritis socios, fides pares, devotione strenuos, passione consimiles, et in resurrectione felicium facias coæquari. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Iste homo honorificatus est valde, et confregit Deus cor inimicorum ejus, [CCXCIV] et properavit in domo Domini Dei sui perfecto corde ; P. Et viderunt omnes, quæ manifesta fecit Deus per ipsum. ℣. Maxima est gloria ejus in salutari tuo : gloriam et magnum decorem impones super eum. P. Et viderunt. ℣. Gloria, et honor. P. Et viderunt.

Oratio. Deus immense gloriose, quem in passionibus martyrum incolimus, in beatorum solemnitatibus veneramur, atque in certaminibus vincentium conlaudamus ; adesto precibus supplicantium interventu martyris tui Cypriani Pontificis : ut, qui te pro admissis terribilem metuimus, ejus precibus exoratus in misericordia placitum inveniamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem exquirunt de ore ejus : quia Angelus Domini est. P. Lex veritatis in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus : in pace dirigens ambulavit, et multos convertit ab iniquitate. ℣. Sacerdos, qui de ore suo profert justitiam, et exquirentibus se annunciat veritatem : Angelus enim Dei omnipotentis est. P. Lex. ℣. Gloria, et honor. P. Lex.

Oratio. Deus, qui os beatissimi martyris Cypriani Episcopi ita sapientiæ ubertate replesti, ut diversitate virtutum circumseptus apparens jocunditate et decore illum cœlesti gloriosum ostenderes ; quo et labiis custodiens scientiam, legem in ori ejus exquireres ; porrige ori nostro scientiæ lucem, et apientiæ veræ perfectionem ; ut in eo quo tibi ille multos convertit ab iniquitate, nos jubeas perenniter converti et jocundari. ℟. Amen

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Thronum gloriæ. *Canticum,* Confirmatum est. *fol.* 55. *Ad Benedictus. Antiphona.* Benedictio Domini in mercedem justi festinat. *Canticum.* Benedictus es. *fol.* 6.

Sono. Alleluia. Cantabo virtutem tuam, Domine. Alleluia. ℣. Alleluia. Salvator meus, tibi psallam ; quia Deus susceptor meus et refugium in die pressuræ meæ. Alleluia.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis Alleluia : laudate eum in excelsis Alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Ecclesiasticis Salomonis (*Cap.* L).

℟. Deo gratias.

Vir iste conservavit legem Dei in excelsis, et in temtatione inventus est fidelis. Et statuit ei Dominus
B testamentum æternum, et dedit illi sacerdotium gentis : et beatificavit illum in gloria, et circumcinxit illum zonam gloriæ, et induit illum in vasis virtutum. Qui curavit gentem suam, et liberavit illam a pernicie. Qui prævaluit ædificare civitatem, qui adeptus est gloriam in conversatione gentis : et ingressus domus et atrii amplificatus est. Quasi stella matutina in medio nebulæ, et quasi Luna plena in diebus suis lucet. Et quasi Sol refulgens, sic ille refulsit in templo Dei. Et quasi flos rosarum in diebus verni, quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ, et quasi thus redolens in diebus æstatis. Quasi ignis effulgens, et thus ardens igni. Quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso. Quasi oliva pullulans et cypressus in altitudinem se tollens, in accipiendo
C ipsam autem stolam gloriæ, et vestiri consummatione virtutis. In ascensu altaris sancti gloriam dedit sanctitatis amictum, in accipiendo autem partes de manu sacerdotis, et ipse stans juxta aram. Et circa illum corona fratrum : quasi plantatio cedri in monte Libano, sic circa illum steterunt. Quasi rami in palma, porrexit manum suam in libatione : libavit de sanguine uvæ, et fudit in fundamentum altaris odorem Divino excelso principi. Tunc exclamaverunt filii Aaron, in tubis productilibus sonaverunt, et auditam fecerunt vocem in memoriam coram Deo, ℟. Amen.

Hymnus. Urbis magister. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *Capitula.* O decus orbis. *Lauda.* Beatus vir. *Benedictio.* Christus Dominus, *ut supra in*
D *Vesperis præcedentibus.*

DIE XVI.

IN FESTIVITATE SANCTÆ EUPHEMIÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

Omnia dicantur unius Virginis, fol. CLXXIX, *excepto Hymno.*

En festum prodit Virginis inclytæ
Micans Euphemiæ martyris optimæ,
[CCXCVI] Omnes nunc populi, psallite, modulis
Reddentes vota gnaviter.

Occurrens Dominus purget ut intima
Clemens adtribuat munera gratiæ,
Qui se nunc militum carmina promere
Sanctorum queat laudibus.

A Hæc namque Domino Augusta deserviens,
Semet dum dedicat Principi cœlico,
Livore dæmonum pungitur illico,
Ne Christum voce prædicet.

Felix Euphemia, sed pia permanens;
Ut ad illam perfidus venit rugitu
Murmur, subito munere Spiritus
Et mente clara redditur.

Pudica moribus, inclyta genere,
Immixta populis Calcedonensibus,
Ut Christo militat, mente deliberat,
Ut virgo quoque maneat.

Sed hostis noscitur ipse, qui invidus
Furorem judicis concitat invidi;
Sanctam ut idolis thura libaminis
Offerre cogat impie.

Virgo sed sociis juncta piissimis,
Quos septem numero septies indidit
Dicatos nisibus passioni Martyrum,
Certamen læta suscipit.

Flammas ingreditur, cingitur ignibus,
Se Christo reddere vocibus intonat,
Cœlestem gratiam, ut flectat orantibus,
Persolvens vota laudibus.

Inlæsa prodiens, carcere truditur,
Mirantur milites talia cominus
Vidisse: sed Præsul ipse nec territus,
Sævus monet aliter.

Arena subito ponti demergere
Dicatam Domino virginem imperat,
Insontem rabidus perducere cupiens;
Et Martyr vota solvere.

Sed Martyr Domini talia sustinens,
Jam suum spiritum suscipi cogitat;
Ut mixta cœlitus agmina Martyrum
Valerent vota consequi.

Unde nunc avidi, Virgo, te gnaviter
Oramus populi, lavacri filii,
Mittens, miseransque cœlica munera,
Piorum preces audias.

Jam, Christe, miseris esto misericors,
Et Sanctæ meritis solve piacula,
Nobis perpetua gaudia tribuens,
Domine Deus, omnibus.

Sit trino Domino gloria sedula,
Regnum perpetuum, atque potentia,
Virtute solita, qui regit omnia,
Sustentat pie condita.
Amen.

DIE XXI.

IN FESTIVITATE SANCTI MATTHÆI APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

Ad Vesperum.

Lauda. Gloria et honore. *Sono.* Fac mecum. *Antiphona.* Oculus Dei. *fol.* CLIX.

Lauda. In memoria æterna erit justus Alleluia: P. Ab auditu malo non timebit Alleluia, alleluia. ℣. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis. P. Ab auditu. ℣. Gloria, et honor. P. Ab auditu.

Hymnus.

Præclarum Christi militem
Virtutum donis nobilem
Laudis concentus canere
Plebem (adtende) condecet.

Matthæus namque iste est,
Quem clara voce Dominus
Sese defluxa arcessens
De telonio rapuit.

Cuique celsum apicem
Apostolatus tribuit;
Et clarum Evangelici
Deinde decus contulit.

B Qui solus axem fervidum
Adgressus, truces populos
Ardentiori spiritu
Flammavit igne cœlitus.

Fugavit magos improbos,
Serpentium virus expulit,
Armavit sacris monitis
Dicatos Christo populos.

Castis edoctus regulis,
Plebem lucratus arduam,
Regalibusque atriis
Vitæ fundit oracula.

Qui multa post miracula
Et sanctæ vitæ præmia
Hoc sacri prædicaminis
C Cæsus dicto occubuit.

Nostrisque libens precibus
Adsit patronus optimus,
Et pio clemens animo
Celsum exoret Principem.

Nobis adquirat gaudia
Præsentis ævi, ac super
Adversa cuncta arceat,
Et, quæque prosunt, tribuat.

Deo Patri sit gloria,
[CCXCVI] Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Supplicatio. Oremus, *mutato nomine, fol.* CLXXXVII.

D *Capitula.* Domine Jesu Christe, qui elegisti tua ex plebe Matthæum, qui Levi sumpsit cognomen, Apostolum et Evangelistam; itaque in vertice Ecclesiæ eum statuisti ex publicano a te, Christe, electum, primum in Judæa quidem evangelizare fecisti, et postmodum in Macedonia te prædicans pastorum sic requiescit in montibus; annue precibus nostris, ut ejus interventu nos futuro liberes a tormento: ut verbum tuum, quod ille gloriosus in mundo vocibus sparsit, nos sanctificatum in receptaculum nostri pectoris conservemus: qui nos docuisti orare et dicere:

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Dominus Jesus h[illegible]us, qui inge[illegible]

pietate Apostolum suum Matthæum Evangelistam ex A publicano fecit mirificum, nos de adversis faciat semper victoriam promereri : ℟. Amen. Et, qui illum exaltavit vocatione promptissima, ab omni nos mundanæ conversationis dignetur eruere contagio : ℟. Amen. Et, qui voce prædicationis et Apostolatus gratia illum ditavit in mundo, nos spiritualium gaudiorum munificet incremento. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Diligam eum ex toto corde meo, dicit Dominus ; P. Et erit sicut ros Israel ; germinabit sicut lilium et florebit. Alleluia, alleluia, ℣. Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. P. Et erit sicut. ℣. Gloria, et honor. P. Et erit.

Oratio. Dona nobis, Domine, sapientiam, per B quam et insipientiæ nostræ ignovia auferatur, et beatitudinis gloria conferatur : ut, dum martyrem tuum Matthæum Apostolum et Evangelistam decoris stola circumdas, in nobis indumentum Baptismi, quod peccando polluimus, eodem intercedente, propitius abluas : et, cum sanctus ille Martyr tuus coronatur in vasis virtutum, nos expiemur a contogio peccaminum. ℟. Amen.

Per.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia. *Psalmus* L. *Oratio.* Exultent. *folio* CLXXX.

Antiphona 1. Coronam gloriæ ponam super caput ejus, dicit Dominus ; et induam illum stolam candidam : P. Quia servavit mandata mea, et propter C nomen meum effusus est sanguis ejus in terra. ℣. Et veritas mea et misericordia mea cum ipso : et in nomine meo exaltabitur cornu ejus : P. Et propter. ℣. Gloria, et honor. P. Et propter.

Oratio. Da nobis, *ut hic supra.*

Antiphona 2. Coronavit eum Dominus, et benedixit, et dilexit illum, P. Et supra multa munera constituet illum. ℣. Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam : qui loquitur veritatem in corde suo. P. Et supra. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et supra.

Oratio. Æternum tuæ virtutis nomen, omnipotens Deus, oramus : ut nos martyris tui Matthæi Apostoli et Evangelistæ, et omnium Sanctorum meritis socios, fide pares, devotione strenuos, passione D consimiles ; et in resurrectione felicium facias coæquari. ℟. Amen.

Antiphona 3. Certamen bonum certavi, cursum consummavi : P. De cetero reposita est mihi corona justitiæ ; ℣. Quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo. P. De cetero. ℣. Gloria, et honor. P. De cetero.

Oratio. Deus immense et gloriose, quem in passionibus Martyrum colimus, in Beatorum solemnitatibus veneramur, atque in certaminibus vincentium conlaudamus ; adesto precibus supplicantium interventu martyris tui Matthæi Apostoli et Evangelistæ : ut, qui pro admissis terribilem metuimus, ejus precibus exoratus in misericordia placitum inveniamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Responsorium. Ego sum lux. *fol.* CLVIII.

Oratio. Deus, cujus honor sanctitas est, quem diligere salus est, et amare perfectio ; inlabere in cordibus nostris : da in omni Ecclesia tua martyris tui Matthæi Apostoli et Evangelistæ lucere vestigia ; ut, te regente omnium gressus, ea nos via perducat ad vitam, quæ Martyrem tuum extulit ad coronam. ℟. Amen.

[CCXCVII] *In Laudibus.*

Ad Canticum. Antiphona. Tu solus Dominus, quia non est alius ; neque Justus præter te, neque sanctus præter Deum nostrum.

Canticum. Confirmatum est cor.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedictio Domini. *Canticum.* Benedictus es. *fol.* 6.

Sono. Septies in die. *Lauda,* Laudate Dominum. *fol.* CLX. *Psal.* CXLVIII. *Prophetia.* Justus si morte præoccupatus. *fol.* 55.

Hymnus.

Solemne rutilat ac venerabile
Nunc festum : Populi, pectora pandite :
Cœlesti Domino munera solvite,
Et grates pie reddite.

Electus Domini namque discipulus
Matthæus vocatus nimis et inclytus,
Colendus populis affuit omnibus :
Clarete bene moribus.

Hic Christi socius, factus Apostolus,
Dat sancta populis munera litteris ;
Et clarus opere floruit ætheris
Ostendens bona meritis.

Clarens officiis iste Deificus
Videtur regiis imperiis Deus
In mundo positus celsus hominibus ;
Ut vitam daret omnibus.

Dum membra relevat hic puerilia :
Gubernans dicitur cuncta polifera :
Rex dare illi jubet illico munera
Admirans sibi placita.

Sed Sanctus negat hinc se fore mox Deum,
Seseque intonat omnino servulum
Creantis minimum plebis Apostolum
Tenentem quoque sæculum.

Sed cœlum aspiciens terrena despicit,
Et celsa resonans infima respuit :
Temnens pestifera, magnifica appetit,
Et Christo rata suggerit.

Pudica cupiens optima prædicat,
Et Christo Domino sic pie mancipat,
Quas illi famulas antea noverat,
Ac vota pia cumulat.

Qui sacerdotio dum bene fungitur,
Mucrone gladii subito feritur,
Ac sanctis populis æthere jungitur,
Et cœlo pius inditur.

Hic talis, quæsumus, Conditor Inclyte,

Adsistat miseris, ac sine crimine
Nos tibi societ ætherea in sede.
Qui cuncta regis inclyte.
Nos ejus meritis facito compares ;
Nec non precantibus reddito cælibes :
Ac celsis populis æthere pariles,
Sanctorum quoque compotes,
Te, Christe, celebrent omnia condita,
Telluri imposita, maria, et abdita,
Vel cuncta modulis et reboantia
Per cuncta tibi sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus. *Capitula.* Domine Jesu Christe, qui, *Lauda.* Diligam eum. *Benedictio.* Dominus Jesus Christus, *ut supra in Vesperis præcedentibus*

DIE XXIV.

IN FESTO DECOLLATIONIS SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

Ad Vesperum.

Lauda. Speravit anima mea. *fol.* CLVI. *Sono.* Benedic, anima mea, Dominum. *Antiphona.* Bene nunciavi. *fol.* CLX. Lauda. Statuit Dominus supra petram pedes. *Quære fol.* CLVII.

Hymnus.

Hic Joannes mire natus
De senili viscere
Ante judicem prophetans,
Quam sit index editus,
Præiit, nascendo, Christum,
Præiit et mortuum.
Hunc thori vino repletus
Sanguine jubet rui :
Quare stuprum cedit audax
Conjugalis criminis
Sed sacram sumit coronam
Laureatus gloriam.
Hic Dei præcessit unum
Matre natum Filium,
Tempore quo subsequentem
Præco veras præit,
Mortis et Præcursor ipse
Morte primus concidit.
Nuntiat Redemptionem,
Esse Christum sæculis :
Nuntiat vitale munus,
Esse Christum mortuis ;
Quare Christum probra, dixit,
Posse mundi tollere.
[CCXCVIII] Hunc rogemus abditorum
Corda mœsta pectorum ;
Ut scelus nostrum repellat
Motus indulgentiam
Conferat, et dona vitæ
Cum perenni gaudio.
Arceat iram superni,
Quam pavemus, Judicis ;
Provocat Patris benignam,
Quam sitimus, gratiam ;
Donet et cunctis beatam

A Possidere patriam.
Laus tibi per omne tempus,
Trinitas indifferens ;
Laus, honor, virtusque summa,
Singularis gloria,
Quæ te Deum sæculorum
Personet in sæcula,
Amen.

Supplicatio. Oremus redemptorem, *ut supra.*

Capitula. Domine Jesu Christe, qui beatissimum Joannem Baptistam tuum et martyrem, et tuæ nativitatis et tuæ mortis præcursorem dignatus es facere : ut fax luminis veritatis lumine ardens, et stuprum verbis conjugalis criminis prohibens, gladio interemptus te moriendo præiret, quem nascendo
B in carne visus fuerat præcessisse : ut, quem nunciaverat voce, prædicaret et sanguine : dum pro eo, quem in deserto præconatur, in carcere decollatur ; obtentu ejus da in ore nostro tuæ dignationis oraculum : da etiam in opere justitiæ fructum utrorumque munere clariores effecit, sicut ille est pro veritate et carcerem perpessus et gladium, ita nos in veritate et carceres æternos evadamus et tartarum :

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui beatissimum Joannem mortis suæ voluit præcursorem efficere, præmium se dignetur vestris precibes demonstrare ; ℟. Amen. Et qui illum permisit pro veritate decollari in carcere, ipse vos in veritate sine fine conservet : ℟. Amen. Ut sicut ille moriendo præcursor
C factus est Dominicæ mortis, ita vos beate vivendo sequaces sitis unici Redemptoris. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri, etc.

Lauda. Diligam eum ex toto corde meo, dicit Dominus. P. Et erit sicut ros Israel, germinabit sicut lilium, et florebit : Alleluia, alleluia. ℣. Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. P. Et erit sicut ros. ℣. Gloria, et honor, Patri. P. Et erit sicut ros.

Oratio. Deus Filius, qui cruce tua et salutem regibus donas, et humiles tuos ad victoriam semper armas; tempora jam tandem miseriarum nostrarum ærumnas : ac, ne gladio maligno nostræ feriantur cervices, obtentu gloriosi præcursoris tui
D Joannis Baptistæ gladis verbi tui nos reddito efficaces. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea, Domine, aperies. *Psalmus* L. *Oratio.* Exultent, Domine, labia. *Quære fol.* CLXXX.

Antiphona. Deus, qui das salutem regibus : P. Libera me de gladio maligno, et de manu filiorum alienorum. ℣. Eripe me Domine ab homine malo : a viro iniquo libera me. P. Libera me. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Libera me.

Oratio. Deus Dei Filius, qui in cruce tua. *Quære supra in Vesperis.* A

Antiphona. Educ, Domine, de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo : P. Me expectant justi, donec retribuas mihi. ℣. Intende ad orationem meam : quia humiliatus sum nimis. P. Me expectant justi. ℣. Gloria, et honor. P. Me expectant.

Oratio. Educ, Domine, de carcere animas nostras ; qui sputa pro nobis perpessus es et flagella : ut precibus justi hujus Joannis Baptistæ et martyris tui ex hoc mundo educti de carcere, triumphos Crucis tuæ debita post obitum nostrum tibi præconia cum Sanctis omnibus præconemur cum laude assidua. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster. B

Antiphona 3. In vita sua fecit mirabilia, et post mortem suam operatus est. P. Multa dejecit a se ignem terræ ; et in verbo Domini exultavit. ℣. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. P. Multa dejecit. ℣. Gloria, et honor. P. Multa dejecit.

[CCXCIX] *Oratio.* Pretiosa est, Domine, in conspectu tuo mors beatissimi Joannis Baptistæ, qui, dum petulantis Principis facinus arguit, justitiam exequendo promeruit in carcere decollari : ut qui haberet vigorem in verbo, non perferret pavorem ex gladio, cum sanguis ejus meretriciæ saltationis compensatione taxatus eo tibi pretiosior esset, quo effundi pro justitia meruisset. Concede ergo nobis, ut sanguis illius, qui pro veritate effusus est, pro nobis te in supplicatione adire non cesset : voxque C illa, quæ pro stupri crimine percussit adulterum regem, pro fidelium populorum indulgentia te exorare non cesset. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

℟. Cum essem clausus in vestibulum carceris, factus est sermo Domini ad me, dicens : Eruens liberabo te de gladio. P. Quia fiduciam habuisti in me, ego salvabo te. ℣. Liberalo te de manu fortium. P. Quia. ℣. Gloria, et honor. P. Quia.

Oratio. Christe, Dei Filius, quem Joannes filium hominis, et nascendo præcessit, et moriendo præcucurrit ; annue nobis precibus tanti vatis, ut justitiam, pro qua ille meruit decollari in carcere, nos semper retentemus in opere : ut, sicut ille eam prædicando pro veritate est mortuus, ita nos eam D servando in veritate vivamus. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

In Laudibus.

Ad Canticum Antiphona. Thronum gloriæ. *Canticum.* Confirmatum est cor meum. *folio* 55.

Oratio. Christe Dei Filius, de quo Joannes, præcursor nativitatis tuæ et mortis existens, prophetiæ suæ vaticinio testatus est, quod te crescere, et illum minui oporteret, cum et Dominus sublimatus sis Cruce, et famulus comminutus sit capite : da nobis, ut ea fide, qua tanta pietatis mysteria veneramur, ea etiam, gaudia patriæ cœlestis intremus. ℟. Amen. Per misericordiam tuam.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedictio Domini. *Canticum.* Benedictus es Domine Deus patrum. *Quære fol.* 6.

Sono. Benedic anima mea Dominum. *Lauda.* Laudate Dominum. *Psalmus* CXLVIII. *Prophetia.* Justus si morte. *Require fol.* 53.

Hymnus.

Almi Prophetæ progenies pia,
Clarus Parente, nobilior Patre,
Quem matris alvus claudere nescius,
Ortus senili prodiit indice.

Quem virginalis regia gloria
Summi Tonantis nomine pigneris,
Gestaret aulæ nobilis intimo
Claustro pudoris fertilis integro

Vox suscitavit missa puerperam,
Fovitque vatis gaudia parvuli :
Matres pro tanto munere pigneris,
Mutus locutus nomine filii est.

Scribendus hic est, vocis ut audiat
Nostræ canorem, diraque vincula
Dissolvat ore largo, prophetico,
Verborum habens litteram nominis.

Vox namque Verbi, vox Sapientiæ est :
Major Prophetis, sed minor Angelis,
Qui præparavit corda fidelium,
Stravitque rectas justitiæ vias.

Assertor, qui non ope regia,
Nec morte dura liquerat tramitem
Veri, ac actus : Non licet, ait, tibi
Uxorem habere Fratris adulteram.

Hinc ira Regis, sævaque funera
Saltationis munere vendita :
Mensas Tyranni, et virginis ebrios
Luxus replevit sanguine sobrio.

Hic vitricus dat dona vesanior,
Quam si venenum pocula traderet :
Negare præstat, quam dare, vitrico
Odisse præstat ; plus nocet et hic amor

Gloria Patri æterno Domino,
Gloria Christo regi perpetuo,
Qui dominatur cum Sancto Spiritu,
Et regnum ejus per omne sæculum.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem, *ut supra.*

Capitula. Deus, qui beatissimum Joannem multiplicium palmarum floribus coronasti : dedisti enim ei, ut esset Sanctus ante ortum, Propheta post ortum, Baptista in Jordane, Evangelista in solitudine, Martyr morte : da nobis supplicibus servis tuis, ut sicut ille secutus est vestigia Unigeniti filii tui Domini Salvatoris, sic nos vias sequamur Dominici præcursoris : Et, sicut illi donare [CCC] dignatus es, ut pro veritate moreretur, sic nobis tribue, ut in veritate vivamus.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Diligam eum ex toto corde meo. *folio* CLVI.

Benedictio. Christus Dominus, qui beatissimum. A *Quære in Vesperis præcedentibus.*

In exeunte Vespera omnia dicantur, ut in primis Vesperis, exceptis Capitula et Benedictione.

Capitula. Educ, Domine, de carcere animas nostras; qui beatissimum Joannem Herodiano gladio consecrasti detur: per eum nobis pœnitentiæ optio, qui pœnitudinis extitit prædicator: conservet in fide populos, qui arguit de infidelitate superbos: deferat ad te confessionem humilium, qui redargutor factus est contemptorum. Quique nuncius extitit Verbi, gratiam nobis præroget nunciati, cum ad te nunc proclamemus e terris.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Beatissimus Joannes Baptista, cujus caput cruento regi hodie desectum inter pocula alla- B tum est disco, sit pro vobis omnibus apud Deum intercessor; ℟. Amen. Idem quoque, qui fraternum prohibens violare connubium, hodie in carcere peregit martyrum, suis vos precibus faciat incentiva superare libidinum: ℟. Amen. Ut, sicut idem Domini præcursor factus est mortis, ita vestris intercessor existat prævius pro delictis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

DIE XXIV.

IN FESTO SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI.

Ad Vesperum.

Lauda. Laudaverunt te, Domine, omnes Angeli tui et hymnum dixerunt, dum perficeres fabricam cœli. Tuus est dies, et tua est nox: P. Tu fecisti Solem et Lunam. ℣. Tu confirmasti in virtute tua C mare: contribulasti capita dracorum superaquas. P. Tu fecisti.

Dominus sit ℟. Et cum.

Sono. Alleluia. Judiciam datum est Sanctis P. In hora sacrificii vespertini. Alleluia, alleluia. ℣. Ecce Michael unus principum priorum veniet, ut sanctificentur multi P. In hora sacrificii.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Thronus tuus Deus inæstimabilis et gloria incomprehensibilis: cui adstat omnis exercitus Angelorum cum tremore; P. Cujus adspectus arefacit abyssos, et indignatio facit tabescere montes. ℣. Domine Deus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! P. Cujus adspectus. ℣. Gloria, et honor. P. Cujus adspectus. D

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Alleluia. Spiritus tuus bonus, Deus. P. Deducat nos in viam rectam. Alleluia, alleluia. ℣. Ad te Domine, levavi animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam. P. Deducat nos. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Deducat nos.

Hymnus

O cœlorum alme Princeps,
Michael potissime,
Summi Regis Christi summus
Portitorque rutilus,
Agius nuncupatus Michael,
Quis, ut Dominus?

Tu polorum aulæ basis,
Tu thronorum civis es;
Dominationum arce tu
Virtutemque præminens;
Principatuum, Potestatum
Lux coruscans enites.

Cherubim deinde sacro
Tu cluis ignichoro:
Seraphim deinde pollens
Cœtu nixus Augusto:
Arcem vehens Legionum
Primus rite Senior.

Tu quaterno seniorum
Ordine cursu viges:
Tu bis duo senatorum
Globo quaterno flumen es:
Conditoris throno situs
Rite missus adstans.

Tu ter terno sacro vultus
Angelorum ordine,
Mille centies urbana
Legionum compage:
Juge carmen Trinitatis
Concrepans ter Agie.

Tu perennis Dei summi
[CCCI] Vultum, pedesque tegis:
Iuvicem tribusque illis
Innuens adspectibus
Urieli, Gabrieli,
Raphaeli socius.

Hincque flantes flavos flammis
Bis ternis volatibus,
Scilicet tegentes summa
Ante mundi exordia
Immane! peracto fine,
Cuique sunt novissima.

Tu cratus, Creatoris
Obsequens officio;
Humilem prælatus axem
Non linquis fastigio:
Ille dum refuga plectitur
Insolens in tartaro.

Inde tibi summa virtus
Pollet, vigor inclyte,
Tenebrosis dominari
Turbis dæmoniacis,
Judicare censor suis
Zabulum cum angelis.

Tu plebis Judææ salus,
Cœlo missus lator es,
Almo vati jubar ferens
Danieli oraculo;
Fortem, inquit te bellare
Pro fideli populo.

Inde nos quæsumus, alme
Miles victor inclyte:
Exhibe cunctis renatis
Nunc demum baptismate;
Quæ præstabas olim pie

Veteri ænigmati.
Tu remove tela lapsa,
Sontes iras dæmonum :
Pelle ulcus, arce morbum,
Aufer omne scandalum;
Pax, salus, fidesque fervens
Omnem tegat animum.
Ecce cuncti conglobati
Revoluto temporis
Anno, alleluia Aulæ tuæ
Dedicatum solvimus;
Sit ratum ut regi Christo
Tu fave, dum vivimus.
Præbe nobis mente cæcis
Esse mundos corpore,
Ne cadamus cœno molli
Saucii libidine;
Quo surgamus ad salutem,
Tu clementer subleva.
Tempora fave tranquilla,
Auge pacis fœdera;
Ensis urbis nostræ fines
Hostilis non dissecet :
Labes ullum, plagæ ullum,
Te duce, non trucident.
Discat sexus, omnis ætas
Cassa mundi linquere :
Verum Christi callem clives
Discamus concurre :
Quo queamus cœli portam
Transitum post petere.
Ultimo die, cum ille
Resurgendo fulserit,
Non reorum sorte vincti
Mancipemur tartaro;
Sed urbano lucis loco
Deputemur libero.
Duplex tunc honor, dum Sanctis
Digna merces redditur;
Non indignis mala nobis
Obligent, quæ gessimus;
Sed nutandi transferamur
Ex fide sideribus.
Quo tibi precanti, alme
Michael fortissime,
Hierusalem gloriosæ
Sint enixi carmine;
Ut immenso perfruamur
Rite lucis lumine.
Laudem soli Trino fantes
Numini multidam;
Spiritus, Patris, et Agni
Mox adepti dexteram,
Gaudeamus, exultemus
Affatim per sæcula
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem *mutato nomine, fol.* CLXXXVII.

Capitula. Domine Deus Pater omnipotens creator A omnium et conditor elementorum, qui Michaelem tuum præferre dignatus es agminibus nunciorum, quorum exhibitio tuo obsequium dat imperio, nec tali umquam fatigantur officiorum nomine; sonat ex mysterio, et virtus pollet ex merito; ut cum sint semper spiritus, dum tamen a te mittuntur, et aere corporati Angeli nuncupantur, ut omniun visibus visibiliter pareant; quorum incorpora manet substantia, et cum localiter circunscribantur, indefesse tamen Creatoris conspectu fruantur; concede nobis, quæsumus, obtentu hujus Archangeli et omnium Angelorum consequi veniam delictorum : ut, qui in eorum honore [CCCII] tibi Deo nostro laudem depromimus, æternæ beatitudinis etiam consequamur veniam sempiternam.

B Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dei Filius unici Patris unicum Verbum, cui serviunt militiæ Angelorum, gloriari vos faciat de perfectione operum bonorum : ℟. Amen. Et, qui Michaelem Archangelum sublimem fecit honore, vos suo faciat flagrare ex amore : ℟. Amen. Et, qui illum fideli populo censuit defensorem, vestrarum precum illum semper faciat promptiorem. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius.

Lauda. Dominus de cœlo paravit sedem suam Alleluia : P. Et regnum ejus omnium dominabitur, Alleluia. P. Benedicite Dominum omnes Angeli ejus. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Benedicite, Angeli Domini Domino : benedicite, cœli Domino. Et regnum. ℣. C Gloria, et honor Patri. P. Benedicite Dominum.

Oratio. O! Michael princeps exercitus Angelorum, veni, quæsumus, ad liberandas animas fidelium populorum : ut et justitiam obtinendo in bonis semper fructificent, et injusti ad pœnitentiam conversi veniam non desperent accipere. Sicque nos invicem provocemus in melius, ut præmium consequi mereamur æternum. ℟. Amen.

Per.

In nomine.

Ad Matutitum.

Antiphona. Da nobis lætitiam salutaris. *Psalmus* L.

Oratio. Redde nobis, Domine, lætitiam. *folio* CLXIII.

Antiphona 1. Vidi Angelum volantem per medium cœlum habentem Evangelium æternum, et dicen- D tem : P. Timete Dominum Deum nostrum, et date illi gloriam, et honorem, ℣. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. P. Timete Dominum. ℣. Gloria, et honor. P. Timete Dominum.

Oratio. O! Michael princeps. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Antiphona 2. Ego Jesus mitto Angelum meum, testificari hominibus. P. Ecce venio cito, et merces mea mecum est, sanare languores populi mei. ℣. Audite hæc, omnes gentes : auribus percipite, qui habitatis orbem. P. Ecce venio cito. ℣. Gloria, et honor. P. Ecce venio cito.

Oratio. Mitte nobis, Deus clemens, Michaelem cœlestis militiæ principem, ut nos de manu inimico-

rum nostrorum liberet, et tibi Domino Deo nostro illæsos præsentet; et ipsum semper in adjutorium habeamus, quem in tuo munere sublimatum agnoscimus : ut ejus suffragio resistendo vitiis, floreamus virtutibus, et deposito piaculorum elogio conscriptos nos in perpetuum liber vitæ æternæ contineat. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

Antiphona 3. Positi sunt throni, et antiquus dierum sedebit : vestitum ejus sublime : *P.* Et thronus ejus flamma ignis : millia millium serviebant ei, et decies centena millia assistebant ei. ℣. Omnes gentes, plaudite manibus :jubilate Deo in voce exultationis. P. Et thronus ejus. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et thronus.

Oratio. Domine Deus omnipotens, qui Angelos tuos, spiritus facis ; et ministros tuos, flammam ignis : accende in nobis, quæsumus, ignem illum charitatis tuæ, quem sacri oris alloquio mittendum dignatus es polliceri: et sic in nos ardeat fide et opere ; ut desectis vitiis, polorum civibus faciat sociari. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Dominus de Sina veniet : descendet super montem Pharan, et apparebit ab oriente : solus ante illum vadit Angelorum exercitus, et cum eo sanctorum millia. P. Legem in dextera portans, ut accipiant omnes de doctrina ipsius : ipse thalamo suo, ut sponsus procedens, cujus benedictione omnis terra fructificat. ℣. Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cœlo. P. Legem in dextera. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Legem in dextera.

Oratio. Tuam, clementissime Pater, supplices exoramus clementiam, ut hodierna solemnia, quæ pro beatissimi Archangeli tui Michaelis veneratione suscepimus, ipse tibi commendes : et, sicut illi coronam sanctæ perfectionis tribuisti, ita nobis ejus intercessione omnium delictorum veniam et indulgentiam largiaris. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

[CCCIII] *In Laudibus.*

Ad Canticum. Antiphona. Apparuit de monte Pharam Dominus. et cum eo sanctorum millia.

Canticum. Dominus de Sina veniet. *Oratio.* Venisse te Dominum. *Quære fol.* CLXVII.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedicimus te, Domine, qui sedes super Cherubim, rex Israel.

Canticum. Benedictus es, Domine Deus, *fol.* 6.

Sono. In conspectu Angelorum psallam tibi, Domine, Alleluia : ℣. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor tibi, Domine. Alleluia.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis Alleluia : laudate eum in excelsis Alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Danielis Prophetæ (*Cap.* X).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Anno tertio Cyri regis Persarum, verbum revelatum est Danieli cognomento Balthasar, et verum verbum, et fortitudo magna : intellexitque sermonem : intelligentia enim est opus in visione. In diebus illis ego Daniel lugebam trium A heddomadarum dies, panem desiderabilem non comedi, et caro et vinum non introierunt in os meum, sed nec unguento unctus sum ; donec complerentur trium hebdomadarum dies. Die autem vicesima et quarta mensis primi, eram juxta fluvium magnum, qui est Tigris. Et levavi oculos meos, et vidi : et ecce virum vestitum lineis, et renes ejus accincti auro obrizo : et lumbi ejus accincti colore opham, et corpus ejus quasi crysolithus, et facies ejus velut species fulguris, et oculi ejus ut lampas ardens : et brachia ejus, et quæ erant deorsum usque ad pedes, quasi species æris candentis : et vox sermonum ejus ut vox multitudinis. Vidi autem ego Daniel solus visionem : porro viri, qui erant mecum, non viderunt : sed terror nimius irruit super eos, et fugierunt B in abscondito. Ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc : et non remansit in me fortitudo, sed et species mea immutata est in me, et emarcui, nec habui quicquam virium. Et audivi vocem sermonum ejus: et audiens jacebam consternatus super faciem meam, vultusque meus hærebat terræ. Et ecce manus tetigit me et erexit me super genua mea, et super articulos manuum mearum, et dixit ad me : Daniel, vir desideriorum, intellige verba mea, quæ loquor ad te, et sta in gradu tuo : nunc ergo missus sum ad te. Cumque dixisset mibi sermonem istum, steti tremens. Et ait ad me : Noli timere Daniel : quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum ut te affligeres in conspectu Domini Dei tui exaudita sunt verba tua : et ego C veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus : et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum, et ego remansi ibi juxta regnem Persarum : veni ut docerem te, quæ ventura sunt populo tuo in novissimis diebus, quoniam adhuc visione indignes. Cumque loqueretur mihi hujuscemodi verbis, dejeci vultum meum in terra, et tacui. Et ecce quasi similitudo filii hominis tetigit labia mea :et aperuit os meum, et locutus sum, et dixi ad eum qui stabat contra me : Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium. Et quomodo potest servus Domini mei loqui cum Domino meo? nihil in me remansit virium, sed halitus meus intercluditur. Rursum ergo D tetigit me quasi visio hominis, et confortavit me, et dixit : Noli timere, vir desideriorum : pax tibi : confortare, et esto robustus. Cumque loqueretur mecum, convalui, et dixi : Loquere, Domine mi, quia confortasti me. Et ait : Numquid scis quare venerim ad te? et nunc revertar ut prælier adversus principem Persarum : cum enim egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens. Verumtamen annunciabo ibi quod expressum est in scriptura veritatis : et nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester (*Cap.* XI). Ego autem ab anno primo Darii Medi stabam ut confortaretur et roboraretur. Et nunc veritatem annuncio tibi (*Cap.* XII). in tempore autem illo consurget Michael princeps

magnus, qui stat pro filiis populi tui : et veniet A tempus quale numquam fuit ab eo quo gentes esse cœperunt usque ad tempus illud. Et in tempore illo salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit in libro scriptus. Et multi de his qui dormierunt in terræ pulvere, evigilabunt : alii in vitam æternam; alii in opprobrium ut videat semper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti : et qui ad justitiam [CCIV] erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Tu autem Daniel claude sermonem, et signa librum usque ad tempus statutum : pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia. Et vidi ego Daniel, et ecce quasi duo albi stabant, unus hinc super ripam fluminis, et alius inde ex altera ripa fluminis. Et dixi viro, qui indutus erat lineis, qui stabat super aquas fluminis : Usque- B quo finis horum mirabilium ? Et audivi virum, qui indutus erat lineis, qui stabat super aquas fluminis, cum levasset dexteram et sinistram suam in cœlum, et jurasset per viventem in æternum, quia in tempus temporum, et dimidium temporis, et cum completa fuerit dispersio manus populi, complebuntur universa hæc. Et ego audivi, et non intellexi. Et dixi : Domine mi, quid erit post hæc ? et ait : Vade, Daniel, usque ad tempus præfinitum. Eligentur, et impie agent impii, neque intelligent omnes impii, porro docti intelligent. Et a tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium, et posita fuerit abominatio n desolationem, dies mille ducenti nonaginta. Beatus, qui expectat, et pervenit usque ad dies mille trecentos et triginta et quinque. Tu autem vade ad C præfinitum : et requiesces, et stabis in sorte tua in fine dierum. ℟. Amen.

Hymnus.

Prompta cuncta Catholicæ
Plebs alumnæ gloriæ,
Vota simul exhibete,
Et crimina pandite;
Ut cunctorum auctor clemens
Cunctis præstet præstita.
Michael etenim ille
Sublimatus nomine,
Aulæ cœli conspicuus
Amori, summi Dei
Princeps Angelorum factus,
Celsusque vocabulo. D
Cujus nomen ex virtute,
Et opus ex munere
Ab Omnipotentis manu
Obtinuit servandum;
Ut in Deo glorietur
Cum sociis consortibus.
Summus Domini est iste
Magnus factus nuncius,
Qui tetrum illum horrendum
Refugumque angelum,
Debellando præcipitem
Demersit in erebo.
Iste semper est protector,
Et defensor omnium :
Ut cunctorum postulata
Regi Deo offerat;
Et ab illo destinatam
Plebi præstet gratiam.
Magna siquidem est ista
Dei festivitas,
Hujus almi Archangeli
Michaelis Nuncii;
Quam nos celebrare oportet
Suscipereque devote;
Ut ex ejus impetratu
Mereamur omnium
Obtinere apud Deum
Veniam peccaminum :
Et beatæ vitæ regno
Perfrui post transitum.
Laus tibi per omne tempus
Trinitas indifferens :
Una Patri, Filioque,
Inclyto Paraclito;
Cujus laus, et potestas
Per æterna sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem, *ut supra.*

Capitula. O lux luminis, splendor inenarrabilis, Christe Deus, sapientia, virtus, et gloria Patris, qui in hoc mundo visibus omnium apparuisti in carne sidus salutis, et debellato principe tenebrarum, ad superos remeasti Verbum caro factum; præbe nobis supplicibus tuis in hujus sæculi obscuritate splendoris tui profusissimam claritatem : constitue nobis patronum vel defensorem summum Angelum Michaelem, qui introitum nostrum, exitumque custodiat, et in dexteræ tuæ partem nos coronaturus admittas.

Pater noster. Liberati a malo. 2.

Lauda. Dominus in cœlo.

Benedictio. Christus Dei Filius. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

DIE XXX.

IN FESTO SANCTI HIERONYMI PRESBYTERI.

Omnia dicantur unius Confessoris non Pontificis, CLXXIII, *excepto*

Hymno.

Christus est virtus, Patris sapientia
Cunctis, quos replet spirituali gratia.
[CCCV] Ut possint probe dirigere normulam,
Et proximorum inlustrare opaca :
Ut digne queant frui cœlestibus.
Ipsius dono perflatus egregius
Olim hic vates nomine Hieronymus,
Omnibus notus doctrinarum fontibus,
Cunctos inrigans ex almis dogmatibus;
Ut sol resplendet in ortu ignicomus.
Hic procul cuncta sæculi negotia
Percalcans pede, velut spurcissima
Indecorosa, respuitque sæcula

Alens inopum egenaque viscera,
Sibi æterna adquirens stipendia.
Sic quoque vitam appetit monasticam,
Et sese valde stringit a regula;
Parentes, domos, emittens, et patriam,
Bethlehem invenit rura beatissima,
In qua peregit consummata opera.
Dum esset fervens calensque ingenio,
Gentiliumque summo cum studio
Pro elegante lepore prosatico,
Opusculum animo reconderet,
Tali meretur corrigi oraculo.
Nam ecce morbus invadit corpusculum,
Jamque reclinis dolore in lectulo,
Ex more quippe funerum vulgarium
Obsequiorum, tantum ut spiritum
Redderet polo, et membra tumulo
Reconderentur repente: sed concito
Alta penetrans ducitur in spiritum
Sistitur nempe Principi æthereo,
Procul adstabant militiarum legio
Exercitantum illi absque numero:
Mox tonans verba feriendo conquerit:
Christique servum mox ut esse comperit
Non ita verbis, ut testatur, asserit
Cordis thesaurum judicando aperit,
Tullianumque veraciter protulit.
Verbera jubet per membra inducere:
Corpori densa flagella ingerere:
Propere lingua ululato gemere
Cœpit testari: Si umquam hunc legere
Ausus fuero, te negavi, Domine.
Tunc Angelorum adstantium millia
Supplici prece flexa orant genua:
Ut illi quæque donaretur venia:
Sicque reversus dissecata corpora
Cunctis ostendit, ut gesta veracia
Hoc probarentur; non falsa somnifera,
De quibus sæpe inludimur improba:
Sicque correctus a Divina gloria
Ambit præcelsa cœleste Deifica:
Nec sibi affectat ultra mundalia.
Tanto dotrinæ fulget ex hinc lumine:
Tanto corusco jubar pollet, floride
Instructu ut suo rutilet insplendide
Plebs Christi, quæ est redempta sanguine,
Ipsius dono refice nos Agie.
Tu noster, splendor, tu nobisque destina,
Per te clarescit ubique Ecclesia:
Tu præliator in fide catholica,
Areis ingens fortis es in dogmata
Hæreticorum destruens maceriam.
Te invidorum insequitur actio,
Te criminatorum stultorum factio,
Tibique cedit falsa commentatio,
Minime volens lubrica intentio,
Frivola, quia revertitur in nihilo.
Tibi resistens probatur hæreticus,
Moxque rejectus deputatur inscius;
A Annuens tibi quisque hic Catholicus
Noscitur fore confestim in actibus
Idoneus, probus, doctrinisque profluus.
Tutare plebem hanc sanctis suffragiis,
Corda pelustra ex cœlicis donis,
Et solidata in pacis dogmatibus
Floreant verbo: fœcundi in fructibus
Adsistant cunctis in supernis sedibus.
Præsta tu, Pater Deus clementissime,
Unus cum Prole simul cum Sancto
Spiritu; qui cuncta gubernas imperio
Jugiter, semper, per ævi spatium,
Per infinita sæculorum sæcula.
Amen.

B

FESTA OCTOBRIS

DIE I.

IN SANCTORUM VERISSIMI, MAXIMÆ ET JULIÆ.

Omnia dicantur ut in Communi plurimorum Martyrum, excepto Hymno, qui est iste: Jucundum nobis nunc diem. *fol.* CIV.

DIE XVIII.

IN FESTO SANCTI LUCÆ EVANGELISTÆ

Ad Vesperum.

Lauda Confessionem et decorem. *Sono.* Confitebor tibi. *Lauda.* Confitebor. *Quære folio* CLXIX.

Hymnus.

En Evangelistæ adest
Festum Lucæ, Domine,
C [CCCVI] Quem a sæculo sublimasti;
Pauli nam Apostoli
Medicus sistit cœlestis
Spiritui vel corpori.
Hic dies canendus dignus
Musicis sic placidis,
Quem debemus celebrare
Intimis fortissimis;
Ut a Christo eruamur
Pessimis periculis:
Iste virgo extitisse;
Junctus nam cælibibus
Sine crimine servivit
Domino in omnibus:
Sic a Deo diadema
Accipit felicius.
D Sancto Spiritu instigante,
In Achaiæ partibus
Evangelium descripsit
Plebibus fidelibus,
Quod didicit a Paulo
Vel Missum optimis in manibus.
Posteaquam namque exaravit
Actus Apostolicos;
Nam in civitate Romæ
Ad docendos populos
Per quem et perfecit almos
Placidos Catholicos.
Hic civis Antiochenus
Lucas arte medicus,

Rursus et alumnus Doctor
Gregis, nam sermonibus
Atris dedit sospitatem
Membris et spiritibus.
Septemdenis annis vixit,
Bis duo in arida,
Sancto Spirituque plenus
Obiit et in Bithynia,
Post impleta Christi jussa
Possidet cœlestia.
Unde te precamur, Christe,
Auctor fidelissime;
Ut per ejus impetratum
Careamus crimine;
Et per illum te fruamur
Firma beatitudine.
Sit per ejus interventum
Vera infidelium fides,
Fideique firma veritas
Credentium polleat,
Nihil mali arbitrantes
In suorum cordibus.
Sit terræ suæ pax,
Moribus temperies;
Duplicentur agri messes
Centum quoque septies;
Sit Catholicis defunctis
Sempiterna gloria.
Amen.

Supplicatio. Oremus, *mutato nomine folio* CLXXXVII.

Capitula. Beatum satis, Domine, Confessorem tuum Lucam Evangelistam esse fecisti: qui in toto corde suo tibi confessus in concilio Justorum et congregatione probatur esse conspicuus: Da ergo nobis meritis ejus; ut confessione simplici oris mundati a crimine, Sanctorum mereamur et congregationi cœlesti interesse.

Pater noster, Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Dominus Jesus Christus, qui est confessorum remuneratio, confessoris sui Lucæ Evanlistæ suffragio nos sanctæ confessionis munificet dono. ℟. Amen. Detque vobis se confitendi votum, qui eidem confessionis contulit præmium; ℟. Amen. Ut tanti confessoris sui Lucæ Evangelistæ veraciter imitando exemplum, ad cœleste mereamur pervenire promissum. ℟. Amen.

Per.

Lauda. Germinabunt *fol.* CLXX.

Oratio. Deus, qui confessorem tuum Lucam Evangelistam in sæcula sæculorum gaudere et exultare fecisti; ut tibi soli sine fine psallens laudi deferat hymnum, cujus ex confessione meruit obtinere electorum consortium; te devotis cordibus poscimus, ut meritis ejus vita nostra refloreat, et a malis actibus emendata nitescat; ut, qui jam merentur pro criminibus pœnam, pro confessione et cultu fidei Christianæ futuram mereantur pervenire ad gloriam. ℟. Amen.

Per.

A *Ad Matutinum.*

Antiphona. Labia mea. *Psalmus* L. *Oratio.* Laudet te, Domine. *fol.* CLXX. *Antiphona.* Caro mea. *fol.* CLXX. *Oratio.* Deus, qui confessorem. *hic supra*

Antiphona 2. Facies tua tamquam aqua munda illuminabitur; P. Vultus autem tuus sicut lucifer orietur a meridiana parte. germinabit tibi vita ℣. Per diem Sol non uret te: neque Luna per noctem. P. Vultus. ℣. Gloria, et honor. *P.* Vultus.

[CCCVII] *Oratio.* Deus Dei Filius, quem Lucas Evangelista Antistes toto corde confessus, nomen tuum honorificando perductus est ad coronam; da in ore nostro confessionem, quæ expurget a crimine: ut, quicquid in tuœ laudis honore depromimus, in lucro prodesse æterni muneris sentiamus

B ℟. Amen.

Per.

Antiphona 3. Custodisti corpus meum ab omni pollutione. *P.* Odor tuus, Domine, concupiscentias in me excitavit æternas. ℣. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem. P. Odor tuus. ℣. Gloria, et honor. P. Odor tuus.

Oratio. Deus, qui beatissimi Lucæ Evangelistæ confessionem acceptans, ita omnia verbis ejus plenissima exaudisti, ut participem efficeres regni tui, quo in conspectu Angelorum psalleret tibi: accipe nunc per eum confessionis nostræ votum, qui illum perduxisti ad præmium: et, qui illum confessorem voluisti esse beatum, nos post lapsus, quibus

C in hoc mundo decidimus, ad æternam coronandos pertrahas Patriam. ℟. Amen.

Per.

Responsorium. Iste homo. *fol.* CLXXVI.

Oratio. Mirabilis in Sanctis tuis Domine, virtutum, exaudi supplices tuos, et peccatoribus nobis beatissimi confessoris tui Lucæ Evangelistæ patrocinia largire, et charitatis perpetuæ ubertatem attribue: Illeque coronam virtutis ut meruit; et nos ejus suffragiis, te donante, veniam criminum et pacem perpetuæ charitatis consequi mereamur. ℟. Amen.

Per.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Confitebor tibi. *Canticum.* Confitebor. *Ad Benedictus. Antiphona.* Benedictio. *Canticum.* Benedictus es. *Sono.* In conspectu. *Lauda.*

D Laudate. *Psalmus.* CXLVIII. *Prophetia.* Hæc dicit Dominus. *fol.* CLXXII. *Hymnus.* En evangelistæ adest. *Supplicatio.* Oremus. *In Vesperis præcedentibus.*

Capitula. Deus, quem fidelium linguæ confitendo conlaudant, et confessorum devotio copiose exaltat; præbe nobis obtentu confessoris tui Lucæ Evanlistæ obtinere quæ poscimus, et evadere quæ timemus: Deus enim noster es tu, et confitebimur tibi; te quoque Deum in nostris cordibus exaltemus devoti. Fac nos ergo tibi indesinenter et opere simul et verbo hærere, qui nos fecisti veritatem fidei Christianiæ cognoscere:

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Germinabunt. *Benedictio.* Dominus Jesus Christus. *In Vesperis præcedentibus.* A

DIE XIX.

IN FESTO SANCTORUM FAUSTI, JANUARII ET MARTIALIS, MARTYRUM.

Ad Vesperum.

Lauda. Exortum. *Fol.* CLXII.

Sono. Dum succenderetur fornax, præparati sunt Ananias, Azarias, et Misael ad comburendum : et ingressi in ignem sic satiabantur ardore flammæ : Angelus enim Dei stetit in medio, vento roris flante : intelligite, arguite. ℣. Tunc pueri lætantes canebant : P. Deus omnipotens terribilis metuendus in sæculum. Amen. Alleluia. ℣. Tres pueri jussu regis in fornacem missi sunt : non verentes flammas ignis tamquam ex uno ore canebant : P. Deus omnipotens. B

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Ut aurum igni probati sunt sancti, P. Et quasi hostia holocausti, accepti sunt in conspectu Dei sui. ℣. Justi vero hereditate possidebunt terram : et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam. P. Et quasi. ℣. Gloria, et honor. P. Et quasi.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Columnam ignis ducem habuerunt itineris Alleluia, P. Per quam ostendit Deus lucem eis Alleluia, alleluia. ℣. Misit verbum suum, [CCCVIII] et sanavit eos : et eripuit eos de interitu eorum. P. Per quam. ℣. Gloria, et honor. P. Per quam.

Hymnus.

Gaudet caterva nobilis C
Dei repleta gratia :
Trium sanctorum Martyrum
Præclara est solemnitas.
Templum Beata Trinitas
Perenne condidit sibi ;
Ex quo novum depromitur
Dulcissimumque canticum.
Hi tres viri concorditer
Ad passionem veniunt :
In Trinitatis nomine
Hostem vicerunt pessimum.
Faustus benignus primus est,
Affatur : Hujus temporis
Condigna non est passio
Fratres, futuram ad gloriam.
Beatus Januarius,
Aperta, inquit, janua
Est nobis, jam gaudio
Cœlo fruamur optimo.
En martialis pervehit
Ascensus almis omnibus
Sanctis Dei ad gloriam
Gaudet lætus consortio.
Tunc Martialis orsus est :
Propter æternam gloriam
Debemus temnere idola,
Et Judicis sævitiam.
Mox Preses cœpit fremere.
Dentes, nares, auriculæ
Labra, sed supercilia
Sanctis jussit abscindere.
Inquiunt almi Martyres :
Judex inique et pessime,
Servos Dei cur afficis?
Cur falsos deos suscipis ?
Furore tunc Tyrannus
Accensus ; inquit : Mittite
In igne istos ; monita
Qui nostra audent temnere,
Judex inique et pessime,
Servos Dei cur afficis ?
Cur vana profanus colis
Deosque falsos suscipis?
Intrant beati Martyres
Læti caminum ; concinunt
Hymnum Deo, et canticum
Novum piis concentibus.
Abjecta carnis sarcina,
Mittunt in Astris spiritum :
Christum vident, quem diligunt,
Sancti Dei cum Angelis.
Orate, Sancti, ad Deum ;
Repellat cito ut mala,
Et conferat nobis bona,
Donetque pacem congruam.
Precamur, almi Martyres,
Per Unum et Trinum Deum ;
Dirum ut jugum ocius,
Quod sustinemus, auferat.
Clemens Deus propitius
Solatium viventibus,
Et mortuis fidelibus
Loca amœna conferat.
Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Supplicatio. Oremus, *mutatis nominibus, fol.* CLXXXVII.

Capitula. Christe Dei Filius Sanctorum gloria et vera Martyrum beatitudo remuneratioque sempiterna ; fidelium tuorum alacriter ad memoriam Martyrum tuorum concurrentium suscipe vota, a pressuris releva ; et a totius vitæ incommodis atque ærumnis, quibus plebs tua affligitur, benignus suspende flagella. Et, qui olim tribus in camino positis mediator existens, ne comburerentur, visibilem extinxisti flammam ; nunc intervenientibus Sanctis tuis exurentium nos extingue incendia. Faustus precibus suis faveat miseris et oppressis : Januarius ducator egregius aperiat nobis januam viæ cœlestis : Martialis obtineat meritis, quicquid plebs alumna mente devota sibi fieri exoptat pro delictis : ut utrorumque salvati suffragio. et præsenti careamus ærumna, et post, cælibes effecti, æternam perducamur ad patriam. D

Pater noster. Liberati a malo, *fol.* 2.

Benedictio. Trinitatis almæ ineffabile mysterium arceat a vobis inlætæ cladis dispendium. ℟. Amen. Faustus ardentia vota vestra in conspectu Domini deferat, vestrisque desideriis sit optimus suffragator. ℟. Amen. Januarius holocausti vestri suscipiat libamina, et suis precibus ab omni criminum vos abstergat labe : ℟. Amen. Martialis quoque vestra suspiria Spiritui commendet, et medelam, quam ab eo exposcitis, quantocius [CCCIX] impetret. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Gaudium sempiternum. *fol.* CLXVIII.

Oratio. Lætifica, Domine, populum tuum in hac celebritate beatissimorum Fausti, Januarii et Martialis : ut, qui de nostris peccatis contristamur, eorum orationibus consolemur. ℟. Amen.

Per.

Ad Matutinum.

Antiphona. Da nobis. *Psalmus* L. *Oratio.* Redde nobis. *Quære fol.* CLXIII. *Antiphona* 1. Sanctis tuis, Domine. *folio* CLXVII.

Oratio. Magna est, Domine, Sanctis tuis lux ; dum te in nocte hujus sæculi ignem ardentem columnam habere merentur, qua et illuminantur quid faciant, et adjuvantur, ut intellecta perficiant. Præsta ergo nobis obtentu Martyrum tuorum ; ut in luminis tui ducatu tenebrosum sæculi iter agentes, ad æthereas mansiones perveniamus felices. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Quanta malignatus. *fol.* CLXVI. *Oratio.* Lætifica, Domine, *ut supra in Vesperis. Antiphona* 3. Sancti tui. *fol.* CLXVI.

Oratio. Domine Jesu Christe, cujus potentia Sancti Martyres tui rotantem ignis impetum extinxerunt, et justitiam operati sunt : peccatoribus nobis favorem tuæ pietatis imperti : ut per fidem, qua Sancti vicerunt regna, peccatores cœlestem mereamur obtinere coronam. ℟. Amen.

Per.

Responsorium. Hæc dicit Dominus. *folio* CLXXXIX.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui Sanctos tuos in medio ignis flammæ coronandos adsumis, quos viriliter per te certantes martyrium peregisse cognoscis ; erue vitam nostram a camino facinorum et visita nos conlationibus gratiarum ; ut cum his tribus Martyribus mereamur habere in cœlestibus partem, quibus non passione sed fide dignoscimur consortes existere. ℟. Amen.

Per.

Antiphona. Anania, Azaria, et Misael, servi Dei excelsi, P. Magnus est Dominus, qui de igne liberavit vos. ℣. Confitemini Domino, et invocate nomen ejus : annunciate inter gentes opera ejus. P. Magnus. ℣. Gloria, et honor. *P.* Magnus.

Oratio. Anania, Azaria, et Misael, tres illi pueri Babylonico igne probati magnam spem istis, Domine, Martyribus præbuerunt, quibus exemplum præbuit eorum veneranda victoria. Illis quidem ignis aufugit, ne morerentur ; in istis admissus est, ut coronarentur : dum et in illis ne dum tempore passionis apto pœnalis ignis non potuit corpora sacrata contingere ; et in istis, tempore accepto, quo Christo moriente via paradisi aperta consisteret, adplicita igni tunc corpora extingueret, quando jam Beatis aperta paradisi janua esset. Benedicimus ergo te Deum, qui et illos liberasti a flammis : qui et pro liberandis illis ignes adspargis ; et pro adsumendis istis ignes admittis. Da ergo nobis utrorumque exemplis atque suffragiis, ut sic liberemur a vitiorum carnalium igne : ut ignis eloquiorum tuorum concremati dulcedine ad te mereamur pervenire in pace. ℟. Amen.

Per.

Antiphona. Tres pueri. *fol.* CC.

Oratio. Ecce, ad instar trium illorum Puerorum, hi quoque Martyres tui in igne sæculi positi, et in camino pro tuo nomine constituti simili te, Domine, devotionis more conlaudant ; et illi quidem, timentes te Dominum, canticum tibi concinunt gloriæ, qui erueras eos de medio ardentis flammæ : hi vero, non ut ab igne non contingantur, concinentes laudis offerunt preces ; sed ut ad te per ignis supplicia coronentur, hymnum tibi deferunt conscientiæ libertate : Da ergo nobis, ut cursum vitæ nostræ in pace ducentes, et ab ardoribus libidinum liberi, et a futuris mereamur suppliciis liberari. ℟. Amen.

Per.

Antiphona. Ignem. *fol.* CCI.

Oratio. Ignis, qui Sanctis tuis, Domine, a persequentibus non solum minatus sed et præparatus est ad comburendum, mirabile illis adtulit vincendi compendium : dum ipsa acceleratio pœnæ citatim eos dirigit ad consummationem victoriæ ; et per hoc, quod cito flammis adusti sunt, per hoc quantocius gradum coronæ scandere promerentur : Quæsumus ergo, ut meritis Martyrum tuorum futurus ille ignis impiorum cruciatibus præparatus in nullo nos adtingere audeat, sed [CCCX] Deitatis tuæ ex illo potentia liberati sceptrum mereamur cœlestis percipere regni. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Responsorium. Probasti nos, Deus. *folio* CCII.

Oratio. Deus, qui probatione solita pietatis probari sanctos tuos voluisti Faustum, Januarium, Martialem in terris ; nec plus eos tentari permitteres, quam, quod in eis donum tolerantiæ adesse conlatum tuo munere, perspicis ; erue nos ab omni tentatione, ne nostram possit obruere mentem : ut placito tibi famulatu fideliter servientes, sic nos tentari permittas, ut tentatio ipsa non nos in confusione erroris, sed valenter in amplexum adstringat veritatis. R. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Diligentes te, Domine. *Canticum.* Qui sponte obtulistis. *fol.* CLXIII. *Ad Benedictus. Antiphona* Tres pueri jussu regis. *folio* CCIII. *Canticum.* Benedictus es Domine. *Sono.* Dum

succenderetur. *Quære in Vesperis præcedentibus.* A
Lauda. Laudate Dominum. *Psalmus* CXLVIII *Prophetia.* Passi sunt. *fol.* CCIII. *Hymnus.* Mysticum melos persolvat. *folio* CIV *Supplicatio.* Oremus, *ut supra.*

Capitula. Deus lumen æternum, lucerna inextinguibilis, et lux veritatis, qui beatissimos martyres tuos Faustum, Januarium, Martialem ita inradiare dignatus es, ut sævientium impiorum minas nullomodo formidarent; sed ad te unum et verum Deum, qui eos ante sæcula prædestinare dignatus es, potius properarent: Concede nobis indignis et peccatoribus famulis tuis; ut quorum festa alacres ovantesque veneramur, eorum consortium consequi mereamur.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Columnam ignis. *fol.* CXCIX. *Benedictio, ut supra in Vesperis.* B

In exeunte Vespera omnia dicantur, ut in primis Vesperis, exceptis Capitula, Benedictione et Lauda.

Capitula. Deus, qui ad supplementum legis et Prophetarum unicum tuum Dominum nostrum Jesum Christum in hujus sæculi Vespera destinare dignatus es, ut ambulantibus in tenebris et in umbra mortis tuæ lucis æternæ iter ostenderet, et perpetuæ mortis tenebras aperiret; præsta nobis, ut in hac festivitate sanctorum tuorum Fausti, Januarii et Martialis, ita eorum intercessu gressus nostri firmi permaneant, ut a tuis semitis non recedant.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Obtentu martyrum suorum Fausti, Januarii et Martialis, benedictio Domini vos comitetur in terris, quæ illos provehit ad cœlos: ℟. Amen. C
Trinitas sancta, quæ in illis fuit usque in finem, vobiscum permaneat in æternum; ℟. Amen. Ut, sicut illi per justitiam certati sunt usque ad mortem, ita vos eorum sequendo vestigia liberi properetis ad cœlestia regna. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Gaudium sempiternum. *fol.* CLXVIII. *Oratio.* Lætifica, Domine, *ut in primis Vesperis.*

DIE XXI.

IN FESTIVITATE SANCTORUM COSMÆ ET DAMIANI MARTYRUM.

Ad Vesperum.

Lauda. Exortum est. *Sono.* Justorum animæ. *fol.* CLXII.

Antiphona. Dabo sanctis meis regnum in Hierusalem: lignum enim vitæ in odorem unguenti: P. Et D
non laborabunt; neque fatigabuntur. ℣. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commovebuntur in æternum, qui habitant in Hierusalem. P. Et non. ℣. Gloria, et honor. P. Et non.

Lauda. Respexit eos. *fol.* CLXV.

Hymnus.

Plebs Deo dicata, pollens
Et caterva multiplex,
Cœtus, et conventus omnis,
Temtus orbis ambitu
[CCCXI] Sanguinis quos mundat unda,
Singularis victimæ.

Aurium claros meatus,
Et profunda pectoris,
Cordis intima, simulque
Mentis alta pandite:
Res pia narratur: omnes
Huc venite præpetes.

En nova processione
Prosilit miraculum,
Dum medellæ substat ordo
Plenus omni munere;
Nam vigent Cosmas, et alter
Damiamus inclyti.

Ore, tactu, posse, jussu,
Cum medendi gratia,
Igne ferri, igne verbi
Cuncta siccant morbida:
Arte libri, arte cœli
Tota curant languida.

Quicquid illis sese substat
Ad salutem, proficit:
Una virtus format ipsa:
Quæque sunt vitalia,
Dum viget totum, quod ore,
Quod manu determinant.

Ossa, nervi, vel medulla,
Sanguis, artus, viscera,
Spiritus, et omne pectus
Anxiosum tædiis:
Tot a Sanctis ferre plenam
Sic medellam postulant;

Ut ruat Dæmon, et horror,
Languor, ulcus decidat,
Gratia culpam sequatur,
Et scelus clementia:
Sit malis omnino finis
Et bonis æternitas.

Laus tibi per omne tempus,
Trinitas indifferens,
Laus, honor, virtusque summa,
Singularis gloria,
Quæ Deum te sæculorum
Permanet in sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus, *mutato nomine, folio* CLXXXVI.

Capitula. Deus medicina languentium, sanitas infirmorum, curator corporum, sanator providus animarum, qui beatissimos viros Cosmam et Damianum gemina medendi arte fecistis esse industrios: quo et verbo et opere humanis languoribus subvenirent qui curatores et animarum et corporum eodem genere medendi gemino extitissent: dum et signis utraque curant, et in utrorumque artificio manuum mirabiles extant: dum et mundiali ante corporibus, et cœlesti medentur medicamine animabus: Te quæsumus, te rogamus; ut eisdem patrocinantibus, vulneribus nostris providam medendi curam impertias; internas externasque passiones removeas: quo sanatis cordibus atque corporibus, dum in hac peregrinatione beneplacitam tibi persolvimus servi-

tutem, consummatæ salutis mereamur pervenire A ad requiem.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui sanctos suos Cosmam et Damianum gloriosa medendi arte fecit esse conspicuos, a cunctis vos languoribus efficiat alienos; ℟. Amen. Et, quos voluit infirmitatibus curationes impendere, per eorum preces sanitatum prærogetubertatem; ℟. Amen. Ut eorum curatione atque suffragio latens patensque in vobis peccatorum languor effugiat, quibus a Deo curandi potestas concessa est manifesta. ℟. Amen.

Per.

Lauda. Gaudium sempiternum. *fol.* CLXVIII.

Oratio. Deus, qui sanctis tuis Cosmæ et Damiano geminas contulisti ante mortem coronas, dando illis B etin medendi arte affectum et victoriam per supplicium: te rogamus et petimus, ut animæ atque corpori nostro horum interventu salutem impertias; et vita nostra incentivorum careat morbo; et desideriorum concrescat spiritualibus documentis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Matutinum.

Antiphona. Da nobis lætitiam. *Psalmus* L.

Oratio. Redde nobis. *fol.* CLXVIII. *Antiphona* 1. Palmæ fuerunt. *fol.* CLXVIII.

Oratio. Mirabilem te in sanctis tuis Cosma et Damiano Dominum Deum virtutum plurimum deprecamur: ut des nobis ad adversa expellenda virtutem, qui Sanctis tuis tribuisti ad promerenda cœlestia dignitatem: fortitudinem quoque plebi tuæ, quæsumus, C ut iisdem suffragantibus largiaris, quos tuæ amicitiæ sociare ingenita bonitate dignaris. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Justi, quorum opera multa [CCCXII] reposita, P. Apud te, Domine, ex propriis operibus mercedem recipiunt. ℣. Justi vero hereditate possidebunt terram, et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam. P. Apud te. ℣. Gloria, et honor. P. Aput te.

Oratio. Deus sanator noster et medicus sempiterne, qui Cosmam et Damianum inconcussos fide, insuperabiles in virtute fecisti, ut per suscepta vulnera vulneribus mederentur humanis, qui ante passionem ex terreno medicamine salutis operarii essent in populis; hos, quæsumus, nostris infirmitatibus et custodes D et medicos deputa: per hos sanentur infirma: per eos adquiratur animæ medicina. ℟. Amen.

Antiphona 3. Sanctorum ossa germinabunt de loco suo, et nomina eorum, sicut lilia munda floruerunt, ℣. O Domine, salvos nos fac: o Domine, bona prospera. P. Et nomina eorum. ℣. Gloria, et honor, P. Et nomina.

Oratio. Deus, qui, *ut supra in Vesperis.*

℟. Sancti, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, extinxerunt impetum ignis, fugaverunt aciem gladii: P. Fortes facti sunt in bello: ℣. Obduraverunt ora leonum, convaluerunt de infirmitate. P. Fortes. ℣. Gloria, et honor. P. Fortes.

Oratio. Deus, in cujus conspectu facta est commemoratio martyrum tuorum Cosmæ et Damiani: qui pro te nervis cœsi, marinis fluctibus dediti, flammis injecti, equuleo impositi, Cruci affixi, et invicti per passionem triumphatores extiterunt per mortem: te votis supplicibus imploramus, ut in hoc die passionis eorum sit populo fideli spiritualis lætitia, et gaudia tribuantur æterna. ℟. Amen.

In Laudibus.

Ad *Canticum.* Antiphona. Omnes Sancti. *Canticum.* Dominus de Sina. *fol.* CLXVI. Ad *Benedictus.* Antiphona. Sancti et humiles. *Canticum.* Benedictus es. Domine. *Sono.* Via justorum. *Lauda.* Laudate Dominum. *fol.* CLXVII. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ (*Cap.* LXI).

℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: Vos omnes sancti Dei vocabimini: et ministri Domini Dei nostri, dicetur vobis: Fortitudinem gentium comedetis, et in gloria eorum superbietis. Pro confusione vestra duplici et robore laudabunt partem eorum: propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis. Quia ego Dominus diligens judicium, et odio habens rapinam in holocaustum: et dabo opus eorum in veritate, et fœdus perpetuum feriam cum eis. Et scietur in gentibus semen eorum, et germen eorum in medio populorum: omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. ℟. Amen.

Hymnus. Plebs Deo. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *Capitula.* Deus medicina. *Lauda.* Gaudium. *Benedictio.* Christus Dominus, qui. *in primis Vesperis.*

DIE XXIII

IN FESTO SANCTORUM SERVANDI ET GERMANI

Ad Vesperum.

Lauda. Exortum est. *fol.* CLXII, *Sono.* Gaudete, justi. *fol.* CLXV.

Antiphona. Magnum odorem dederunt Sancti: flores apparuerunt in terra nostra. P. Lætata est Hierusalem, et exultaverunt civitates Judæ. ℣. Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exultabunt tota die, et in tua justitia exaltabuntur. P. Lætata est. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Lætata est.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Beati, et multo honore digni, quorum portio Deus est, P. Quibus a principio præparatum est regnum; P. Horumque animæ in manu Dei sunt. ℣. Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos: et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. P. Horumque. ℣. Gloria, et honor. P. Horumque.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Sanctis præparatum est ab Altissimo [CCCXIII] regnum: ipse pascit eos. P. Et dedit eis montem germinantem rosas et lilia. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Qui confidunt in Domino, sicut meus

Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat A in Hierusalem. P. Et dedit. ℣. Gloria, et honor. P. Et dedit eis.

Hymnus

Christus verus rex Sanctorum,
Et sacrator martyrum,
Tu es veritas et via,
Vitaque credentium;
Tu optantibus das votum
Et Beatis brabium

Tibi laudem vota pandit
Cuncta chors fidelium;
Qui Servando et Germano
Robur mox eximium
Concessisti, ut vincerent
Dimicando Zabulum.

Præses namque mundialis
Ire ad Aram præcipit:
Idolis litare vanis,
Fortes Christi milites:
Noxiumque hostiarum
Immolari sanguine.

Illi pœnas expectabant
Christi amore interri:
Dulce tunc illis cremari,
Dulce ferrum perpeti,
Validisque offerenda
Corpora suppliciis.

Nos Christum nempe fatenies
Execramus idola;
Et cœlestem adorantes
Temnimus terrestria:
Absit, ut ritu prophano
Inclinemus corpora.

Hæc loquentes obruuntur
Mille pœnis Maryres:
Nexibus manus utrasque
Flexus involvit rigor:
Et calybs adtrita colla
Duris ambit circulis.

Nobilis per vulnus amplum
Porta justis panditur;
Quosque Christus candidatis
Adgregat cohortibus:
Miscet choris Angelorum,
Et coronat præmiis.

State nunc, hymnistæ cuncti
Voce, votis, munere;
Atque in laudem Sanctorum
Vox cunctorum insonet:
Hic dies et festa nobis,
Sit sacratum gaudium.

Gloria Deo pårenti
In excelsis resonet:
Gloriam canamus Christo,
Atque Sancto Spiritui;
Cui laus et potestas
Per æterna sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus, *ut supra.*

Capitula. In hac tuorum martyrum Servandi et Germani, Christe Deus, passionis die lætantes, veniam de nostris dare flagitamus offensis; poscentes, ut, qui eorum gladii animadversione non terruisti constantiam, nostra eisdem intervenientibus et abluas crimina, et suscipias postulata.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Servandi prece Christus Dominus in sui vos nominis timore conservet, et Germani obtentu germinare vos faciat semine multiplicato justitiæ; ℟. Amen. Horum quoque instrumento floreatis pariter et suffragiis, qui divisi corpore indivisa fruuntur præsentia veritatis; ℟. Amen. Ut ad instar eorum amabiliter vestris divinum suscipiatis cervi-
B cibus jugum sicut illi suo pro Domino meruerunt suscipere gladium ℟. Amen.

Per.

Lauda. Accipite jocunditatem gloriæ vestræ, Alleluia, P. Gratias agentes Deo, qui vos ad cœlestia regna vocavit. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos. P. Gratias agentes. ℣. Gloria, et honor. *P.* Gratias.

Oratio. Deus, qui sanctis tuis Servado et Germano tantam gratiam in passione dedisti, ut insigniter apertum fidei vincerent hostem, qui primum spiritualiter in se bella sui corporis devicissent; præbe nobis auxilium de tua pietate firmissimum, quo muniti atque præcincti et rebellantem spiritui carnem valeamus compescere, et nos ipsos intrepi-
C dos studeamus bellis spiritualibus præparare. ℟. Amen.

Per misecordiam tuam.

Ad Matutinum. Antiphona. Da nobis. *Psalmus.* L. *Oratio.* Redde nobis. *fol.* CLXIII.

Antiphona. Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter, deservientes præceptis tuis, ut invenirentur inlæsi in aqua valida. [CCCXIV] P. Terra apparuit arida, et in mari rubro via sine impedimento. ℣. Confiteantur Domino misericordiæ ejus: et mirabilia ejus filiis hominum. P. Terra. ℣. Gloria, et honor. P. Terra.

Oratio. Deus, qui sanctis tuis Servando, *ut supra.*

Antphona. Dedit eis Dominus potentiam regni adversus eos, qui persequebantur illos; P. Et fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum tota nocte:
D ℣. Misit verbum suum, et sanavit eos: et eripuit eos de interitu eorum. P. Et fuit. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et fuit.

Oratio. Dei Filius Christe, qui melius contritione cordis, quam munerum oblatione placaris: respice, Deus, ad preces servorum tuorum, ut in hac die, quo prædicti Martyres pro te vibrantis gladii mucrone desecti sunt, utrobique a te congrua remedia nobis flagitantibus largiantur. ℟. Amen.

Antiphona. Venite ad me, omnes Sancti mei dicit Dominus: vindemiate fructum laborum vestrorum germen justitiæ; P. Cujus odor est magnus, sicut odor liliorum et rosarum in tempore suo. ℣. Ve-

nite filii, audite me: timorem Domini docebo vos. A P. Cujus. ℣. Gloria et honor. P. Cujus.

Oratio. Deus, in cujus conspectu facta est commemoratio, qui martyrum tuorum corpora unius gloriæ remuneratione indivise ferventia divisis in regionibus locans, et Servandum Gaditano situi donas, et Germanum Emeritensium civibus commodas; præsta nobis, gratiæ tuæ luce inluminati, corporaliter divisi, unitatem retentemus dulcedinis, et collecti in unum redundemus munere charitatis. ℣. Amen.

Per.

℟. Sancti iter fecerunt per deserta, quæ non inhabitabantur: in locis secretis fixerunt castra; de inimicis se vindicaverunt. P. Sitierunt, et invocaverunt te: et data est illis aqua de petra altissima. B ℣. Panem cœli dedit eis: panem Angelorum manducaverunt. P. Sitierunt. ℣. Gloria, et honor. P. Sitierunt.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Qui propria voluntate. *Canticum.* Qui sponte obtulistis. *fol.* CLXIII.

Ad Benedictus. Antiphona. Justi, et sacerdotes, sancti et humiles corde, benedicite Dominum.

Canticum. Benedictus es.

Sono. Via justorum. *Lauda.* Laudate. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Sapientiæ Salomonis (*Cap.* XI).

℟. Deo gratias.

Sancti iter fecerunt per deserta, quæ non habitantur, et in locis secretis fixerunt castra. Steterunt C contra hostes, et de inimicis se vindicaverunt. Sitierunt: et invocaverunt te, et data est illis aqua de petra altissima, et requies sitis de lapide duro. Et reddidit justis mercedem laborum suorum, et deduxit illos in via mirabili, et fuit illis in velamento diei et in luce stellarum tota nocte: transtulit illos mare rubrum, transtulit illos per aquam nimiam. Inimicos illorum dimersit in mare, ex altitudine inferorum eduxit illos. Ideo justi tulerunt spolia impiorum, et decantaverunt, Domine, nomen sanctum tuum, et victricem manum tuam laudaverunt pariter. ℟. Amen.

Hymnus. Christus verus rex Sanctorum, *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *Capitula.* In hac tuorum. *Lauda.* Accipite. *Benedictio.* Servandi prece. D *In Vesperis præcedentibus.*

DIE XXVII.

IN FESTO SANCTORUM VINCENTII, SABINÆ, ET CHRYSTETÆ MARTYRUM.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum sex capparum, fol. CLXII. *excepto.*

Hymno.

Huc vos gratifice, plebs pia convocat
Virtutum Dominus, testium atria
Conferte dapibus voto calentia,
Cœlorum locet in intima.
Juncti Martyribus jungite gaudia;
Vincentii teneat munera vox pia:
Sabina recinat cœlica littera,
Christetes bona æthera.
Hi mundi misera. lucra per ardua,
Spernunt hominum vafra dolentia:
[CCCXV] Cædunt punicea colla per omnia,
Rex Christe, tibi laureantia.
Simplex ac Trinitas te Deus unitas
Rogamus, precibus horum ut audias,
Quæ ipsi petimus: corda calentia,
Immense bone, proroga.
Sit Trina Deitas, ac tibi gloria,
Qui unus retinens omnia, judicas
Large continua perpetim sæcula:
Sed ultra bene prosperans.
Amen.

DIE XXVIII.

IN FESTO APOSTOLORUM SIMONIS ET JUDÆ.

Ad Vesperum.

Lauda. Exortum est in tenebris. *Sono.* Alleluia. In omnem terram. *Quære fol.* CLXXVII.

Hymnus.

Itote populi, psallite præpetes:
Judas cum socio Simone cælibes
In festa vadant cœtibus inclytis,
Jam cunctis tribuunt gaudia servulis.
Vox ecce resonat principis ephebi;
Voventes illico reddite, servuli.
Vota, quæ Domino promittis; inclyti
Ut vestrum accipiant munus Apostoli.
Dignum nunc precibus promere canticum
Dignumque Superum stringere Principem,
Det suis populis nunc pie gratiam,
Det post æthéream consequi Patriam.
Ac, nexu scelerum jam sibi tradito,
Adesse valeant Principi cœlico:
Ac, dempto crimine tramite pervio,
Afflati maneant rite Paraclito,
Sic Judas populos instruat, et Simon
Sub Christo placido currat in tramite,
Servare monita legibus indita;
Suprema ut valeant consequi præmia.
Sit trino Domino gloria unico
Patri cum Genito, sive Paraclito;
Qui solus Dominus Trinus et Unus est,
Sæculorum valide sæcula continens,
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi, *ut in aliis.*

Capitula Deus Sanctorum gloria, et copiosus misericordia; exaudi supplicem tibi plebem per Sanctorum te suffragia postulantem: rege nos per alternas temporum vices, et dispares dierum ac noctium successiones pari protectione custodi: ut adjuti sanctorum tuorum Simonis et Judæ Apostolorum precibus, qui diem hunc per misecordiam prosperum duximus; noctem quoque hanc placitam tibi animarum et corporum puritate ducamus.

Pater noster. Et ne nos. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Sanctorum suorum Simonis et Judæ

Apostolorum vos Dominus muniat patrocinio, et expiet a peccato : ℟. Amen. Illorum vos efficiat suffragatione felices, quorum nunc estis solemnitatibus obsequentes : ℟. Amen. Quo cum illis pariter mereamini ingredi cœlum, quorum nunc in terra celebratis triumphum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Vos estis vasa sancta Domino auro fulgente Alleluia, *P.* Quia sponte obtulistis Domino Deo animas vestras. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Audi populus meus, et testificabor tibi : Israel, si me audieris. *P.* Quia sponte. ℣. Gloria, et honor. *P.* Quia.

Oratio. Deus, qui sanctis Apostolis tuis Simoni et Judæ durum martyrii gradum scandere et velle tribuis, et posse concedis ; (tu das voluntatis initium, tu operis largiris effectum), exaudi nos famulos tuos, et tu nobis da fervendæ devotionis initium, et tribue bonæ consummationis effectum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Ad Matutinum.

Antiphona. Da nobis. *Psalmus* L. *Oratio.* Redde nobis *Quære fol.* CLXIII.

Antiphona. Honorati sunt amici tui, Deus : valde confortatus est principatus eorum. P. Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur. ℣. Ecce tu, Domine, cognovisti omnia novissima et antiqua : tu formasti me, et posuisti super me manum tuam. P. Dinumerabo. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Dinumerabo.

Oratio. Deus, sub cujus altare sanctorum Apostolorum Simonis et Judæ animæ placide requiescunt, et stolam charitatis accipiunt; nos quoque famulos tuos in commilitonum numero fidelis promissor adjunge : ut vita saltim nostra perveniat ad misericordiam ; si mors non provenerit ad coronam. ℟. Amen.

Per misericordiam.

[CCCXVI] *Antiphona.* Isti sunt amici tui, Domine, qui tradiderunt corpora sua in mortem : P. Ne servirent idolis, neque adorarent deos alienos. ℣. Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exultabunt tota die : et in justitia exaltabuntur. P. Ne servirent. ℣. Gloria, et honor. P. Ne servirent.

Oratio. Deus qui sanctis, *ut supra. Antiphona.* 3. Viriliter certati. *fol.* CCLVI.

Oratio. Sanctorum omnium decus, et gloria, Deus. quibus et certantibus præmium condonasti, et ut vincerent fortitudinem præstitisti ; quæsumus sanctam clementiam tuam, ut nos humiles famulos tuos ab omnibus malis ereptos, eorum vestigiis facias sociatos. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Responsorium. Hi ostenderunt cærimonias. *fol.* CCLVI.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Qui propria. *Canticum.* Qui sponte. *fol.* CCLIII *Ad Benedictus. Antiphona.* Justi, et sacerdotes. *Canticum.* Benedictus es Domine. *Sono.* Alleluia. In omnem terram. *folio.* CLXXVIII.

Lauda. Laudate Dominum. *Psalmus.* CXLVIII. *Prophetia.* Multam gloriam. *fol.* CCXXVI. *Hymnus.* Itote populi. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *Quære in Vesperis præcedentibus*

Capitula. Hi sunt, Domine, veridici Patroni, qui suscipientes securi sententiam, currunt lætantes ad palmam, festinant hilares ad coronam : per quorum intercessionem tu, Domine Deus omnipotens, quemadmodum martyres et Apostolos tuos Simonem et Judam a diaboli versutia liberos præstitisti ; ita nos indignos famulos tuos eorum facias misericordiam adipisci.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Vos estis. *fol.* CLXXVIII. *Benedictio.* Sanctorum suorum, *ut supra in Vesperis præcedentibus.*

In exeunte Vespera omnia dicantur, ut in primis Vesperis, exceptis Capitula et Benedictione.

Capitula. Domine Jesu Christe, qui convenientibus nobis in honorem sanctorum tuorum Apostolorum et martyrum Simonis et Judæ, propitius adesse digneris; fac nos eorum doctrinæ sequaces : fac amabiles, et docibiles : ut ab eis nos inveniamur indemnes, quos fidei scimus egregios ductatores. Habeat cum illis spes nostra gloriæ præmium, qui postquam magistri doctrina fulserunt, meruerunt obtinere martyrio. Fulgeat Ecclesia illorum doctrina, quorum in illa habeatur prædicatio gloriosa. Adsint miseris nobis in omnibus adjutores, qui Ecclesiæ mirabiles extiterunt doctores. Erigant lapsos ad pœnitentiam, qui eximii facti sunt per doctrinam Impetrent peccatoribus scelerum veniam, qui doctrinis fundaverunt Ecclesiam : ut, qui illorum victoriis excitati, eorum solemnia celebramus; eorum meritis a criminibus absoluti, ad te post transitum veniamus.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dei Patris Unigenitus Filius, qui sanctis Apostolis suis Simoni, et Judæ potestatem dedit dæmonibus imperandi, gratia vos protegere, et munire dignetur Spiritus Sancti. ℟. Amen. Et qui illis dedit; ut, comtemptis divitiis, temporalem appeterent paupertatem, de præsenti et temporali vita feliciter vos duci jubeat ad beatam : ℟. Amen. Ut, qui pro illius amore Sanctorum suorum memoriam recolitis, coram illo post, cum eisdem in cœlestibus gaudeatis. ℟. Amen. Cum eodem Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, et Spiritu Sancto regit omnia in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

DIE XXX.

IN FESTIVITATE SANCTI MARCELLI MARTYRIS.

Omnia dicantur unius Martyris, excepto Hymno.

Martyris festum rutilat, beati
Ecce Marcelli : Populi venite,
Carminis Deo resonens Hymnum
Voce sub una.

[CCCXVII] Mores doces cives, populos sequaces, A
Indui Christum, fugere caduca,
Spiritus probra studio domare
Tempore toto.
Abnuit pompas, refugit honores;
Atque dum miles haberetur atrox,
Cominus cessit manibus habita
Regia jussa.
Arripit mentis gladium, dicato
Munere pollens, Domini tonantis
Terrea tranat celeri volatu
Omnia vincens.
Rite compunctus animum perarmat,
Spiritu doctus superat profanum
Judicem; verbis placidus cruorem
Fundere gliscens.
Rectus ab hinc famulus Tonantis,
Mentis insistit precibus vigore :
Novit et vota Dominus, et reddit
Mente potenti.
Celsos honores et opes fugaces
Spernit, effulgens animi nitore;
Votaque Christo celebrans, retentat
Pectore grates.
Cælica mente, religione mallens
Fieri civem, dicat hic se totum
Æthere Tonanti, jugiter manenti
Omne per ævum.
Ecce, qui jussus patriam tueri,
Arma projecit, Domini se servum
Gliscit æterni, resonans dicata
Carmina Christo.
Exinde exclamat rabidus tyrannus :
Iste Marcellus, mea qui præcepta
Temnit, et arma putat abneganda,
Morti ne detur ?
Læta Marcelli famuli Beati
Inde vox cœpit resonare Christum :
Et bene truci veniat ut ipsi
Præsidi poscit.
Laus enim non est, quæriturque verbis,
Martyr resonat merito cruoris,
Sermo nil potest, animus rependat
Munera laudis.
Licet hic sensu maneat acutus,
Mentis et vigor habeatur omnis;
Quod tamen Sanctis datur in futuro
Tempore munus !
Loqui nec ullus valet unquam homo
Carne vestitus fragili, beandus
Claustra cum carnis liquerit, resurgens
Judice Christo.
Vocibus ergo placidis rogamus
Te, Deus, omnes, humilique mente,
Dones defunctis requiem misertus,
Gaudia vivis.
Ut sine culpa famuli, Beati
Festa Marcelli celebremus, una
Teque laudemus pariter per ævum
Dulcibus Hymnis.
Sic tuæ plebi veniam canenti
Proroga; ut nostra scelera dimittas
Testis, et prece reseres Marcelli
Abdita cœli.
Sit honor una Pater alme semper,
Et tibi Christo, pariterque dona
Cuncta qui cingis, Deus unus extans
Sæcula sæculorum.
Amen.

In Dominico Kalendarum Novembrium. Quære in Dominicali, fol. 429.

Officium jejuniorum Kalendarum Novembrium observatur tribus diebus ante Festum Sancti Martini. Quære in fine Dominicalis, fol. 441.

B

FESTA NOVEMBRIS.

DIE XI.

IN FESTO SANCTI MARTINI EPISCOPI.

Ad Vesperum.

Lauda. Confessionem et decorem. *Sono.* Confitebor tibi. *Antiphona.* Confitebor tibi Domine in toto. *fol.* CLXIX. *Lauda.* Confitebor Domino. *fol.* CLXXIII.

Hymnus.

Martine Confessor Dei
Valens vigore spiritus,
Carnis fatiscens artubus
Mortis futuræ præscius :
Qui pace Christi affluens,
In unitate Spiritus,
C Divisa membra Ecclesiœ
Pacis reformas unicœ :
Quem vita fert probabilem,
Quem mors cruenta non tædet,
Cum calidi versutiam
In mortis hora derogas.
Hæc plebs, fide promptissima,
Tui diei gaudia
Votis colit fidelibus;
Adesto mitis omnibus.
Per te quies sit temporum,
Vitæ detur solatium :
Pacis redundet commodum,
[CCCXVIII] Sedetur omne scandalum.
Ut charitate Spiritus
D Sic affluamus invicem,
Quo corde cum suspiriis
Christum sequamur intimis.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem, *mutato nomine, fol.* CLXXXVII.

Capitula. Beatus est, Domine, Martinus ille tuus confessor mirificus, qui cogitando de paupere, ultimam pervenire meruit ad mercedem : et ideo in die mala salvatus, quia a te, Domine, adjutus. Da ergo

nobis ejus suffragiis, ut nuditatem nostram aspicientes ad tui tegminis umbraculum convolemus : et ita vestiamur dono virtutum, ut participes ejus fieri, cujus nunc festum incolimus, mereamur.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui beatissimum Martinum confessionis decoravit honore, illam in vobis confessionem adtribuat, qua extinguat peccata. ℟. Amen. Et qui per eum inopiam satiavit egentium, ipse per illum remuneranda vota suscipiat populorum ; ℟. Amen. Ut eodem intercedente munerentur vota fidelium, quo largiente debilitas refecta est egenorum. ℟. Amen.

Per misericordiam

Lauda. Germinabunt ossa. *fol.* CLXX.

Oratio. Tota die, Domine, justus tuus miseretur et commodat : qui toto hujus mortalis vitæ curriculo temporalia donat, ut æterna recipiat : Semen ejus super nos in benedictione fructificet ; ut meritorum ejus partem habentes, præmiorum quoque illius mereamur esse participes. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea, Domine. *Psalm.* L. *Oratio.* Laudet te, Domine, lingua nostra. *fol.* CLXI. *Antiphona.* Caro mea requiescat. *fol.* CLXX.

Oratio. Jucundus satis est Domine, homo, qui te Christe inspirante miseretur et commodat : quod Martinum confessorem tuum implesse mirabiliter credimus : dum geminæ eleemosynæ officiosus, et corpora dono, et corda pascit eloquio : Unde flebiles te quæsumus et rogamus, ut utroque dono in hac vita muniti, ad te quandoque perveniamus ad transitum coronandi. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Facies tua tamquam. *fol.* CLXVI.

Oratio. Illius, Domine, justitia manet in sæculum sæculi, cujus misericordia in pauperum se consolatione diffuderit ; fac nos ergo confessoris tui Martini imitatores existere : ut primum miseratores nostri effecti, dignas nobis eleemosynas prærogantes, et nobis a male gestis parcamus, et in proximis bona, quæ possumus, impendamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Custodisti corpus meum. *folio* CLXXI.

Oratio. Jesu, Deus noster et Domine, qui inlustrem meritis Martinum confessorem atque pontificem ita fecisti sapientiam custodire, ut in gloria mereretur, et jocunditate consistere ; da nobis veræ sapientiæ intellectum, et sanctæ operationis studium : ut pauperibus erogantes substantiam, facinorum evadamus vindictam. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Responsorium. Ecce, Domine, in toto. *fol.* CLXXI.

Oratio. Ecce, Domine, in toto corde suo te solum confessor tuus Martinus confitetur et credit ; dum conceptum amorem tuæ fidei confitendo narrat, et mirabilia tua devoto ore pronunciat. Lætari ergo et exultare nos fac in te et jugiter et evidenter : ut in te habeamus post discrimina requiem, in quo ille post confessionem meruit invenire mercedem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Confitebor tibi Domine. *Canticum.* Confitebor tibi Domine rex. *fol.* CLXXI.

Oratio. Fac nos, Domine, intentis cordibus die ac nocte in legis tuæ meditatione versari ; ut meditantes eloquia tua intento cordis studio, fructum tibi reportemus in tempore [CCCXIX] opportuno : quo beatissimi Martini Confessoris tui adjuti suffragiis, cœlum, quod ille mercatus est meritis, nos facias intrare tuæ gratiæ donis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedictio Domini. *Canticum.* Benedictus es, Domine.

Sono. In conspectu Angelorum psallam. *Lauda.* Alleluia. Confessio ejus super. *Psalmus.* CXLVIII. *Prophetia.* Hæc dicit Dominus : *Canticum.* Ecce servus meus. *fol.* CLXI. *Hymnus.* Martine Confessor Dei. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Capitula. Adspirat ecce, Domine, dies illa multiplici gaudiorum decoro vestita, quam beatissimi Confessoris tui Martini Episcopi inlustrat Excessio : in qua dum præscius futuræ mortis, cœlum lætus vellet intrare, obsistentem sibi diabolum mira verborum potentia visus est terruisse ; unde tuam proni quæsumus pietatem, ut obtentu ejus adversarius idem a nobis semper effugiat, qualiter nec viventes nos in quocumque supplantet, nec merientes quolibet modo contaminet.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Germinabunt ossa tua. *fol.* CLXX.

Benedictio. Christus Dominus, *ut supra in Vesperis præcedentibus.*

DIE XII.

IN FESTO SANCTI ÆMILIANI ABBATIS ET CONFESSORIS.

Omnia dicantur unius Confessoris, folio CLXXIII, *excepto quod sequitur.*

Hymnus.

O magne rerum Christe Rector inclyte !
Parent Olympi perpetim cui sidera :
Et vota festis annuis faventia
Largire nobis casta, præbe et sobria,
Placare quæ possint tuam clementiam.
Plebs ecce cuncta debitum recursibus
Solvit dierum, prona corde et corpore ;
Confis a mente deprecans suffragium ;
Ut singulorum ponderata quæstibus,
Sustollat alma pectora indulgentia.
Lætum rependit carminum concentibus
Cantum, sonoro pangit ore, et faucibus
Tua potenter, supplicans, ut dextera
Probrosa tollens, acta nostra corrigas,
Sis et malorum fautor intus flentium.
Semper petentes impetrare possumus
Nostri medelam morbi, expiatos moribus ;

Si nos benignus, et pius respexeris,
Qui tanta tantis contulis servulis,
Ut nihil Patrono isto desit gratiæ.
Culpas gementes pandimus miserrimi,
Non obsequelam perdituri credimus;
Cum copiosa pascitur potentia
Regis; et adstat Supplicator optimus,
Qui flectere iram poteratque noxiam.
Ne quod beatis sentiat cohortibus,
Hostis duellis pullulare casibus;
Ne vas caducum germinaret odia,
Fraudem dolumve permoveri machinis,
Flamma pudicis conflagrare liliis.
Hæc mente fixa clara dum revolvimus,
Libet dicatum prædicare servulum:
Tuum ministrum, Christe Jesu, vernulum;
Et festa mixtis gaudiis cum pangimus,
Sequatur in die tota te laudatio.
Tu sacra templa, tu Pater, cœlestia
Habes sacrata, tu Deus; per sæcula
Regno potiris, et regis præsentia
In Sancta Sanctis cerneris mirabilis,
Regnansque solus mira factis exeris.
Hin obsecramus expiari munere,
Redire prorsus ut signas; jam perditos
Cœli receptes, collocesque in Regia:
Qui das, resurgant ut perempta corpora,
Concede, corda ut convalescant gratia.
Nostrum reatum confitentes prodimus,
Frænatos ictus occidat senentia,
Quæ rodit atram dira conscientiam:
Rogare donat, cum voluntas prospera
Tua patentem prodit os ac januam.
Nomenta nulla transvolant in tempora,
Quæ non sint turpi sordidata crimine:
Succedat ante, quæsumus, contagia,
Sit digna nostris pessimis purgatio,
Quam reddat ultrix pœnam factis debitam.
Videmus orbos restitutos lumine,
Claudosque plantis exilire tumidis;
Consumpta tabe membra convalescere;
Mortis sopore pressa demum surgere
Lætos deinde convenire sospites;
Tortos repelli, et fugari dæmonas
Tormentio pœnis ejulantes Tartari:
Adire et cœlum versipellis angeli,
[cccxx] Suo latenter confodique vulnere,
Suisque telis sauciatum conteri.
Ut Conditoris hæc patent miracula,
Sic clauditantes mentis ægritudine:
Serpens repulsus deserat nequissimus;
Sic nigra corda nubilo socordiæ
Fulgore suo promicent clarissima.
Hœc nempe virtus Christus est tutissima,
Æmilianum quæ tulit per ardua
Vitæ trophæa, quæ coronat præmio:
Nostris ut esset sæculis sectabilis;
Foretque fortis advocatus infimis,
Hymnite mecum consonante carmine,

A Narrate cuncta, prædicate, et psallite
Regi perenni, cujus hæc sunt omnia,
Nostri clamoris et resultent cantica,
Polique templa resonent concentibus.
Offerte Summo gloriam et Sublimi,
Offerte honorem Trinitati maximum,
Offerte grates sæculorum Principi,
Offerte psalmum vocibus, vel actibus,
Offerte laudem sempiterna in sæcula.
Amen.

DIE XVII.

IN FESTO SANCTI ACISCLI, ET COMITUM EJUS.

Ad Vesperum.

Lauda. Exortum est in tenebris. *Sono.* Alleluia. Justi in perpetuo vivent. *folio* CLXII.

B *Antiphona.* Ecce odor Sanctorum meorum P. Sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus. ℣. Deus deorum Dominus locutus est: et vocavit terram. A solis ortu usque ad occasum: ex Sion species decoris ejus. P. Sicut. ℣. Gloria, et honor. P. Sicut.
Dominus sit semper. ℟. Et cum.
Lauda. Sicut lilia munda. *fol.* CCLXXVI.

Hymnus.

Gaudete flores Martyrum;
Salvete plebes gentium;
Visum per astra mittite;
Sperate signum gloriæ.
Voces prophetarum sonant,
Venire Jesum nunciant;
Redemptionis prævia,
C Qua nos redemit, gratia.
Hic mane nostrum promicat,
Et corda læta exæstuant;
Cum vox fidelis personat,
Prænuntiatrix gloriæ.
Tantæ salutis gaudium,
Quo est redemptum sæculum,
Exceptionis inclytum
Ab hinc ciamus canticum.
Adventus hic primus fuit
Punire quo non sæculum
Venisset, ulcus tergere
Salvando quod perierat:
At nunc secundus præmonet,
Adesse Christum januis:
D Sanctis coronas reddere,
Cœlique regna pandere.
Æterna lux promittitur,
Sidusque salvans promitur:
Jam nos juvar refulgidum
Ad jus vocet cœlestium.
Te, Christe, solum quærimus
Videre, sicut es Deus;
Ut læta nos hæc visio
Evellat omni tartaro.
Quo dum Redemptor veneris,
Cum candidato Martyrum
Globo, adunes cælibi
Nos tunc beatos cœtui

Deo Patri sit glorie
Ejusque soli Filio
Cum Spiritu Paraclito,
Et nunc et in perpetuum.

Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi, *mutato nomine, fol.* CLXXXVII.

Capitula. Domine Deus Omnipotens, qui glorioso dispositionis munere ante sæcula cuncta disponis, quæ per sæcula ordinata discurrere vis; dum ex te ante omnia tempora consempiternum, coæqualemque, omnipotentem et consubstantialem tibi unicum Filium prodire vis; quem in finem sæculorum visibus hominum visibilem hominem ostendis: ut humanum genus, quod fraus diaboli expulerat a paradiso, ejus humilitate referras in Cœlum: Quem ad conjungendam sibi Ecclesiam ut sponsum e thalamo procedentem destinasti; de cujus utero procreata Sanctorum agmina tamquam rosas, vel lilia Martyrum, Confessorum, vel virginum aggregas copiæ: qui per te tibi placentes, tuàque jussa implentes, Mundum omnem velut nihilum reputantes, pro te corpore cæsi, animas sanctorum Aciscli atque [CCCXXI] Victoriæ, quorum annua vice festa suscipimus, eorum meritis sempiterna præmia capiamus. Et quia odor majestatis tuæ mire flagrans, jam desiderabile illud adventus tui nos invitat suscipere festum, precantes petimus, et crebra supplicatione deposcimus; ut sic inchoata adventus tui gaudia cum hymnis, et canticis, et psalmis, modulatione vocis statutis peragamus diebus; ut ad sanctum diem Filii tui Natalem purgatis maculis delictorum, cum fructu accedamus operum bonorum.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Deus Pater Omnipotens, qui fons est, et origo, totius divinitatis, præmio vos muneret sempiternæ salutis. ℟. Amen. Jesus Christus Dei Filius, qui est coæqualis Patri, et Spiritu Sancto, ab omni vos jubeat purgari delicto; ℟. Amen. Sanctus quoque Spiritus. qui est sanctitas Patris, et Filii, repleat vos gratia nominis sui. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius.

Lauda. Gaudium sempiternum. *fol.* CLXII.

Oratio. Deus, qui sanctis, gloriosisque martyribus Aciselo et Victoriæ, Hierusalem illam sanctam visionem pacis, ubi cum maximo solatio beatitudinem sempiternam obtineant, polliceris; ut videntes gaudeant, et gaudia ipsa in eis infinita permaneant: præbe nobis horum obtentu, et santæ visionis beatitudine perfrui, et spirituali gaudio in æterna requie refoveri: ut sicut eorum ossa, quæ sunt animarum virtutes, herbarum more revirescunt (dum eorum exemplis alii incitati, per sancta desideria obtinent merita sanctitatis), ita etiam nos hæc eorum sequendo vestigia, perveniamus ad gaudia sempiterna. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster.

A *Ad Matutinum.*

Antiphona. Da nobis lætitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma nos, Domine, *Psalmus* L.

Oratio. Redde nobis lætitiam salutaris, *Quære fol.* CLXIII.

Antiphona. Dominus de Sina veniet, et cum eo sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex. Omnes sancti in manu ejus sunt. P. Et qui appropinquant pedibus ejus, accipiant doctrinam ipsius. ℣. Deus manifeste veniet: Deus noster, et non silebit. P. Et qui appropinquant. ℣ Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. P. Et qui appropinquant.

Oratio. Fac nos, Domine, sicut lilia munda in atriis domus tuæ florere, et odorem boni operis ad exemplum piæ conversationis fidelibus exhibe-
B re: ut sanctorum tuorum Aciscli atque Victoriæ præsidiis freti, et laqueos evadamus inimici, et æternam beatitudinem mereamur obtinere cum Sanctis omnibus, et electis. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster.

Antiphona. Gaudium magnum erit omnibus hominibus, dicit Dominus. P. Quia ecce ego venio, ut clarificer in medio Sanctorum meorum. ℣. Ecce oculi Domini super timentes eum: et in eis, qui sperant in misericordia ejus. P. Quia ecce ego venio. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. P. Quia ecce.

Oratio. Cum exultatione magna, Domine, præstolamur videre gloriam majestatis tuæ, in qua suscepti sunt Sancti, ut cum eisdem (licet immeriti)
C fruamur beatitudine regni tui; ut (quia illos præcepto legis tuæ impleto, vere scimus esse beatos) meritis eorum nos efficias a criminibus nostris liberos. Quo, sicut in sanctis tuis promptuariis animæ eorum congregatæ, cum magno requiescunt gaudio: sic etiam nos eorum suffragiis mereamur sempiternæ beatitudinis consolari de præmio. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Expectabo nomen sanctum tuum, Domine: P. Quoniam bonum est ante conspectum omnium Sanctorum tuorum. ℣. Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino: aut quis similis erit Deo inter filios Dei? P. Quoniam bonum est. ℣. Gloria, et honor. P. Quoniam bonum est.

Oratio. Deus qui sanctis gloriosisque martyribus.
D *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Antiphona. Dominus de Sina veniet, descendet super montem Pharan: et apparebit ab Oriente solus: ante illum vadit Angelorum exercitus, et cum eo Sanctorum millia. P. Legem in dextera portans, ut accipiant omnes de doctrina ipsius. Ipse e thalamo suo, ut sponsus procedet, cujus benedictione omnis terra fructificat. ℣. Patri Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cælo. P. Legem [CCCXXII] in dextera. ℣. Gloria, et honor. P. Legem.

Oratio. Te, Domine, de Sina cum Sanctorum millibus venturum. Prophetarum vaticiniis audientes, exposcimus, ut qui te ad redemptionem mundi venisse jam credimus, venturum quoque ad judicium

purgatis cordibus præstolemur : ut(quia in manu A tua Sanctorum multo retributio consistit in remedio pietatis tuæ reditus ad te peccantium cumuletur; qualiter adpropinquantes pedibus tuis, satiemur semper doctrina intimæ visionis. ℟. Amen.

Per.

Antiphona. Videbunt cum exultatione magnam gloriam Dei, quæ suscepit justos: quia viventes servaverunt legem. P. Nunc in promptuariis ejus animæ eorum congregatæ requiescunt cum silentio multo. ℣. Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos: et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. P. Nunc. ℣. Gloria, et honor. P. Nunc.

Oratio. Deus Dei Filius, quem Sancti omnes cum exultatione magna præstolantes visuri sunt in ea gloria, in qua Patri similis es in natura; sanctorum B suorum Acisclí et Comitum ejus devote celebrantes solemnia, peccatorum dele chirographa: ut qui adventus tui in hoc die inchoamus gaudia, cum eis in illa futura Beatitudine pro transitum mereamur jocundari in patria. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Gaudium, et lætitiam tenebunt Sancti, dolor, et gemitus fugiet ab eis. P. Ego Dominus consolabor eos Alleluia. ℣. Beatis immaculati in via: qui ambulant in lege Domini. P. Ego Dominus. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Ego Dominus.

Oratio. O gaudium magnum lætitiæ sempiternæ, Christe Filius Dei: quod post luctum amarum Sanctis tuis dulcedinis tuæ præstas obtutum, ut dolor, et gemitus ibidem jam non habeat locum; nobis non C merentibus consolationis tandem impende remedium: ut quia a te elongati sumus per culpam, Sanctorum cœtibus aggregari mereamur, et cum eis obtinere lætitiam infinitam. ℟. Amen.

Per.

Antiphona. Audite populi omnes; quia Dominus egredietur de loco suo. P. Et descendet conculcans extrema terræ. ℣. Audite hæc omnes gentes: auribus percipite qui habitatis orbem. P. Et. v. Gloria, et honor. P. Et.

Oratio. Audivimus, Christe, confitemur, et credimus, quod de sinu Patris egrediens veneris, ut carnis nostræ vestimento cingereris: liberaturus scilicet, susceptæ Incarnationis mysterio, quod perierat naturæ vitiatæ contagio, Fac ergo nos pronuntiata D adventus tui gaudia promptissima susceptionis devotione excipere; et quia tu e loco patrio, secretoque progrediens, salvaturus homines, humanum properasti ad publicum, nos a loco criminis exentes, mundatiores concitum Divinitatis tuæ prospectemus adventum: ut extrema vitæ nostræ nullius discriminis conculcatione involvens; sic provoces terrore justitiæ, ut solita justifices pietate. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes: *P.* Amen, dico vobis, quia præcinget se, et ministrabit illis. Alleluia. ℣. Et si venerit in secunda et tertia vigilia, invenerit eos vigilantes. *P.* Amen dico. ℣. Gloria, et honor. *P.* Amen dico.

Oratio. Beati vere Domine, servi illi, et multo honore digni, qui legem meditantes, adventus Filii tui invenerit vigilantes. Idcirco quæsumus Omnipotens Pater, ut a somno experrecti, ejus præstolemur, sicuti est, videre faciem usquequaque intrepidi: ut quia revera exigentibus meritis, ejus non sumus digni adipisci gratiam, intervenientibus Sanctis tuis, quorum hodie celebramus solemnia, et hic in bonis actibus resurgamus ad vitam, et illic ultricem evadamus æterni ipsius Judicis iram. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

A*d Canticum. Antiphona.* Apparuit Dominus de monte Pharan, et cum eo Sanctorum millia.

Canticum. Dominus de Sina venit.

Oratio. Venisse te Dominum. *fol.* CLXVI.

Ad Benedictus. Antiphona. Sancti, et humiles.

Canticum. Benedictus es. *fol.* 6.

Oratio. Aspicimus, Domine, et purgato fidei oculo jam videmus, quod inenarrabilis sit [CCCXXIII] lætitia illa, quæ Hierusalem civitati tuæ ad orientem prospicienti, a te Domino in muneris conlatione refulsit; et ideo quæsumus, ut, qui eam Incarnationis tuæ gaudiis prætulisti, nos in sinu ejus inlæsos conserves a contagione totius piaculi: quo in illa, et operum nos dignitas salvet, et præstolatio adventus tui sine fine justificet. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Sono. Via justorum. *Lauda.* Alleluia. Laudate Dominum. *Psalmus.* CLXVIII. *Prophetia.* Justorum animæ. *fol.* CXLVII. *Hymnus.* Gaudete flores Martyrum. *Supplicatio.* Oremus *Retro in Vesperis.*

Capitula. Flagrat, Christe, tuus pretiosior in gentibus odor, quo terrena appetis, et cœlestia non requis, quo in regionibus abdicatos longinquis, ad nuntium bonum in odorem unguentorum tuorum post te currere facis. Præsta ergo, ut quod in odoris hujus percipimus fide, æterno capiamus in munere: ut ob hoc quod te concinimus affectibus vocum, plenissime lætemur in retributione justorum.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Gaudium sempiternum. *Benedictio.* Deus Pater Omnipotens. *In Vesperis præcedentibus.*

DIE XVIII.

IN FESTO SANTI ROMANI MARTYRIS

Ad Vesperum.

Lauda. Exortum est. *Sono.* Justorum animæ. *fol.* CLXII.

Antiphona. Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo. *P.* Beati oculi, qui vident quæ vos videtis; et aures, quæ audiunt quæ auditis. ℣. Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitias in omni tempore. *P.* Beati. ℣. Gloria, et honor. *P.* Beati.

Lauda. Sanguinem Sanctorum requiram. *folio* CLXII.

Hymnus.

Romane, Christi fortis adsertor Dei,
Elinguis oris organum fautor move :
Largire comptum carmen, et faustissimum,
Fac ut tuarum mira laudum concinam.

Qui scis et ipse posse mutos eloqui :
Plectrum palati, et faucium sævus tibi
Tortor revulsit ; nec tamen silentium
Indixit ori, quo fatebaris Deum :

Vox veritatis testis extingui nequit ;
Vel si recisis palpitet meatibus,
Christum loquendi lingua numquam defuit.
Cum prædicatur ipse verborum dator.

Nunc, martyr Sancte, poscit te plebs infirma,
Sordes emundes, dira pellas crimina :
Ignes averni rore digno comprimas,
Et nos beandos ad superna pertrahas.

Honor sit æterno Deo, sit gloria
Uni Patri, ejusque soli Filio,
Cum Spiritu ; quæ Trinitas perenniter
Vivit potens in sæculorum sæculis.

Amen.

Supplicatio. Oremus, *ut supra.*

Capitula. Amabilis servi beatissimi Romani tui, Christe Deus noster, victorias celebrantes, quibus inimicum fidei Christianæ templi tui lumina intrare non passus est, te quæsumus, te rogamus ; ut per eum nobis aperias Paradisum, per quem infidelibus Ecclesiæ tuæ obserasti introitum ; ut per quem incredulorum est repulsa perfidia, per eum fides nostra perveniat ad coronam, Piissime.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui elinguem Romanum suum martyrem fecit mirabiliter eloquentem, os vestrum sibi faciat semper fructificare ; ℟. Amen. Et qui in illo post abscissionem linguæ formavit verba flammantia, in vobis post confessionem oris virtutum conferat dona : ℟. Amen. Ut disciplinati oris habentes semper officium, in ea lingua, qua confitemini Deo peccata, in ea etiam mereamini impetrare peccatorum omnium indulgentiam. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius.

Lauda. Gaudium sempiternum. *fol.* CLXII.

Oratio. Omnipotens Deus, qui per beatissimum Romanum fores Ecclesiæ infidelibus clausit, claustra nobis credentibus aperiat regni sui ; et qui elinguis oris ejus officium sua declaravit in laude, suffragia ejus suscipiat pro vestrorum criminum emundatione : ut in quo parvuli Theoduli fides roborata [CCCXXIV] peregit martyrium, in eo et vos habeatis præmium sempiternum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Matutinum.

Antiphona. Da nobis lætitiam. *Psalmus* L. *Oratio.* Redde nobis. *fol.* CLXIII.

Antiphona. Testamentum æternum disponam Sanctis meis, dicit Dominus : et cognoscetur inter Gentes germen eorum ; P. Quia hi sunt semen, cui benedixit Dominus. ℣. Beati, quorum remissæ sunt

A iniquitates ; et quorum tecta sunt peccata. *P.* Quia hi. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Quia hi sunt.

Oratio. Sancte Domine, in cujus amore, martyris tui Romani pia confessione lætamur : oramus te, quæsumus ; ut, qui propter David servum tuum, Christi tui faciem non avertis, propter nos famulos tuos Sanctorum tuorum suffragia non retardes. ℟. Amen.

Per.

Antiphona. Dabo Sanctis in gloria ; et nominatos in universa terra, dicit Dominus. P. Et non confundentur in tempore illo, quomodo eis benefecero. ℣. Gloriam regni tui dicent : et potentiam tuam loquentur. P. Et non. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et non.

B *Oratio.* Te Domine, fideliter in amore sanctorum tuorum Romani et ejus Comitum suppliciter invocamus ; ut adsit pietas timentibus te in salutem, quæ amantibus diffusa est in virtute : ut perficiat cursum vocationis in minimis, qui consummavit fructum dilèctionis in Sanctis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Dabo Sanctis meis regnum in Hierusalem : lignum enim vitæ erit eis in odorem unguenti. P. Et non laborabunt, neque fatigabuntur. Alleluia. ℣. Beati immaculati in via : qui ambulant in lege Domini. P. Et non. ℣. Gloria, et honor. P. Et non.

Oratio. Vita Sanctorum, omniumque fidelium vivifica animas nostras, Omnipotens Deus ; et qui beneficiis tuis adjuvas servientes, coronasque vincen-
C tes, intervenientibus sanctis Romano et ejus Comitibus martyribus, quæsumus, ut nos tua semper voluntate sanctifices, ac misericordiæ largitate confirmes. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

℟. Ecce Dominus veniet, et omnes Sancti ejus cum eo : et erit in die illa lux magna ; et exiet de Hierusalem quasi aqua munda. P. Et regnabit Dominus in æternum super omnem terram. ℣. Veniet in nubibus Dominus : et videbit eum omnis oculus. P. Et regnabit. ℣. Gloria, et honor. P. Et regnabit.

Oratio. Omnipotens Deus, qui. *In Vesperis præcedentibus.*

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Omnes Sancti. *Canti-*
D *cum.* Dominus de Sina. *Oratio.* Venisse te Domine. Ad *Benedictus. Antiphona,* Sancti et humiles. *Sono.* Via justorum. *Lauda.* Laudate Dominum. *Psalmus* CXLVIII. *Prophetia.* Justorum animæ. *Quære folio* CLXVII. *Hymnus.* Romane, Christi *ut supra. Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *fol.* 2.

Capitula. Deus, qui beatissimo Romano martyri tuo hoc specialiter in dono gratiæ præstitisti, ut post abscisionem carnalis linguæ melius te verborum datorem, et affluentius prædicaret : te supplices quæsumus, ut organum linguæ nostræ tuis semper facias legibus deservire : ut sanctis tantum officiis mancipatum, beneplacita tibi semper devotione famuletur.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Gaudium sempiternum. *fol.* CLXII. *Benedictio.* Christus Dominus, qui elinguem. *In Vesperis præcedentibus.*

DIE XIX.

IN FESTO SANCTI CRISPINI EPISCOPI, ET CONFESSORIS.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, folio CLXIX, *excepto*

Hymno.

Insignem Christi Chrispinum laudemus martyrem,
Qui suum lavit sacro corpus sanguine;
CCCXXV] Et unum Deum sequens Trino nomine,
Mundum relinquens, simul ejus copias,
In regno Dei consors factus Angelis.
Non blandimenta hujus ævi aspiciens,
Rectorem mundi Dominum perspiciens
Illum secutus magna cum lætitia,
Paradisoque properans feliciter,
Nefandum hostem repulit perniciter.
Frontique suæ signum Christi posuit,
Quod ipsum Dei pietas edocuit;
Quandoque serpens insultare voluit,
Sed ille forti et alacri animo
Renuntiavit invido diabolo.
Omnipotentis Dei vera gratia
Tantam Crispino tribuit constantiam;
Ut carcer, Pœnæ, flagra, vel incendia,
Nec sitis corpus famesve commaculent;
Ejusque fidem violare poterant.
Lætusque miles cum cœlum aspiceret;
Parata cervix gladium suscipiens;
Suoque fuso dedicato sanguine,
Sepulchro corpus humatum reconditur,
Astigitanæ urbique reponitur.
Ad cujus corpus sacrum ægri veniunt,
Claudique, surdi, cæci vel lunatici,
Christum confessi salutem recipiunt:
Et vera sancti Martyris oracula,
Sanitatisque medelam accipiunt.
Tu intercessor alme Martyr prævius
Pro nostris malis intercede crebrius;
Ut abluantur nostra cuncta crimina:
Animas nostras, corpusque omne liberet
De persequentis inimici insidiis.
Indulge nobis, Pater clementissime,
Pro tui sancti intercessu Martyris,
Dele secreta, cuncta laxa crimina;
Ut annuis in tuis semper laudibus
Istud canamus festum læti cordibus.
Gloriam Patri personemus famuli:
Gloriam Christo concinamus pariter;
Qui nos redemit pretioso sanguine:
Mittens in nobis Spiritum Paraclitum,
Hæredes fecit in cœlesti gaudio.
Amen.

DIE XXII.

IN FESTIVITATE SANCTÆ CÆCILLÆ VIRGINIS, ET MARTYRIS, ET COMITUM EJUS.

Ad Vesperum.

Lauda. Exortum est in tenebris lumen. *folio* CLXII. *Sono.* Gaudete justi in Domino. *fol.* CLXV.

Antiphona. Gaudium magnum erit omnibus hominibus, dicit Dominus: P. Quia ecce ego venio; ut clarificer in medio Sanctorum meorum. ℣. Omnes gentes plaudite manibus: jubilate in voce exultationis. P. Quia. ℣. Gloria, et honor. P. Quia.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Veniet Dominus Deus, et omnes Sancti cum eo. Alleluia. P. Et erit in die illa quæ nota est Domino. Alleluia, alleluia. ℣. Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram. P. Et erit in die illa. ℣. Gloria, et honor Patri Et Filio. P. Et erit.

Hymnus.

Inclyti festum pudoris
Virginis Cæciliæ
Gloriosa præcinamus
Voce prompti pectoris,
Quo soluta lege mortis
Tollitur in ætheris:
Germine hæc Virgo clara,
Sanctitate clarior,
Pectore Christum retentans,
Huncque solum prædicans,
Ore Sponsum mente sæculum
Vicit hostem sanguine.
Pectoris sacri recessum
Munit Evangelio:
Squalido corpus beatum
Proterit cilicio,
Noctis horas et diei
Mentis implens cantico.
Hæc enim sortita sponsum
Germinis perfulgidi,
Angelum Dei fatetur
Se habere vindicem:
Hunc verendo, ut pudori
Det honorem commonet.
Sponsus hic furore cæco
Comminatur Virgini;
Sed beata Virgo factis
Dicta prorsus comprobans,
Angelum, munusque Cœli
Mox adesse præstitit:
Affuit promissus idem
Vir coruscis vestibus,
Exhibens sertis coronas
Floribus præfulgidas
In rosis docens cruorem;
Castitatem liliis.
Munere hoc provocatus
Sponsus ad Christi fidem
[CCCXXVI] Illico fratris salutem
Imprecatus obtinet;

Hincque ambo passionis
Consecrantur sanguine.
Tunc deinde Virgo Christi
Consequens Cæcilia,
Hanc triumphalis honoris
Promeretur gloriam ;
Igneis termis retrusa
Fit caloris nescia.
Plus calens sic igne Christi
Vicit ignem Sæculi ;
Et vibrantis ensis ictum
Ter, valenter sustulit ;
Postque terris membra ponit,
Spiritu Cœlos petit.
Inde nobis sacra Virgo
Mitte cœli munera,
Liliorum, vel rosarum
Munus inde proroga ;
Unde hausisti superna
Veritatis gaudia.
Liliis corusca in nos
Castitas præfulgeat,
Punicis rosis voluntas
Passionis ferveat ;
Criminis mole subacta,
Innovemur gratia.
Ecce adventum futuri
Præstolamur Judicis :
Sustinemus et beata
Illa lucis gaudia :
Non rei tunc puniamur,
Non crememur ignibus ;
Martyrum sed sacrosanctis
Aggregati cœtibus,
Evadamus, quod timemus,
Contuentes gloriam,
Regis almi ad coronam
Evocati dexteram.
Ut tuam, Christe, videntes
Servuli præsentiam
Gratulemur, gaudeamus,
Personemus gloriam,
Curiæ cœlestis arce
Confovendi in sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem, *ut supra.*

Capitula. Attendite dilectissimi fratres, quid Sanctorum oratio valeat, quidve pro impiis oppositæ justorum intercessiones obtineant : cum orante Urbano, et virginis Cæciliæ vota implentur, et Valeriani atque Tiburtii fides aucta, martyrii gloria decoratur. Proinde extensis ad cœlum palmis petamus nobis auxilium de supernis, invocantes eum ex pietate, Patremque terribilem venturum expavescamus judicem : profecto etenim erit per illum nobis vita æterna, per quem virgo Cæcilia non fuit in ardoribus concremata. Qui enim illos in martyrii certamine positos exaudivit, exaudiet nos, cum ad A eum fuderimus clamorem gemitus nostri, proclamantes atque dicentes :

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Omnipotens Dominus, qui inter Valerianum atque Cæciliam spirituale sanxit esse connubium, ipse vobis cœlestis concordiæ tribuat incrementum : ℟. Amen. Quique Tiburtium fratris prece perduxit ad fidem, ipse per vos ascendat plurimos ad diligendam æternæ gloriæ mansionem ; ℟. Amen. Ut horum semper foveamini præsidiis, quorum nunc patula exultatione lætamini de triumphis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Fideles in dilectione sustinebunt Deum ; P. Quia regnum, et pax est electis ejus. Alleluia, alleluia. ℣. Clamaverunt, et Dominus exaudivit B eos : et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. P. Quia regnum. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Quia regnum.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui solus nominis tui scientiam habes, et magnificæ virtutis potentiam obtines : quem nemo cognovit nisi Pater, ejusque revelatio ; per interventum Martyrum tuorum Cæciliæ, et ejus Comitum revela nobis tanti mysterii majestatem : et ita te unum cum Patre, et Spiritu Sancto credentes, inseparabilem cognoscamus, ut fidei merito semper propitium, mitemque in confessione inveniamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Matutinum.

Antiphona. Da nobis lætitiam. *Psalmus* L. *Ora-* C *tio.* Redde nobis. *fol.* CLXIII.

Antiphona. Implebitur visio, dicit Dominus. P. Ut veniat Sanctus Sanctorum, et fines accipiet peccatum. ℣. Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eam non approximabunt. P. Ut veniat, ℣. Gloria, et honor. P. Ut veniat.

[CCCXXVII] *Oratio.* Deus, qui in loco sanctificationis, te ungi Sanctum Sanctorum prophetali vaticinio prædixisti ; conlata in nos tuæ unctionis mysteria, inviolata conserva : ut iniquitate deleta, ita finem peccatum nostrum accipiat, ut merito perveniamus ad justitiam sempiternam. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Non deficiet princeps de populo Juda, neque dux de femoribus ejus, quoadusque veniet Sanctus Sanctorum, P. Et ipse erit expecta- D tio Gentium. ℣. Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. P. Et ipse. ℣. Gloria, et honor. P. Et ipse.

Oratio. Deus, qui Jacob Patriarchæ nostro Prophetæ atque famulo tuo pietatis sacramentum revelas ; dum per eumdem nobis adnuntias dicens : Non deficiet princeps de Juda, neque dux de femoribus ejus, usque ad unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum : aperi nobis mysteria pietatis tuæ, quo quicquid in nobis obscurum observabat antiquitas, verborum tuorum aperiat veritas : qualiter ut, luce sua Jesus Christus Filius

tuus, qui est expectatio nostra, non accendens, ab omni mereamur expiari criminis labe. ℟. Amen. Per.

Antiphona. Corpora Sanctorum flamma non constristavit: P. Et dum ambularent per eam non comburebantur. ℣. Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos: in columna nobis loquebatur ad eos. P. Et dum. ℣. Gloria, et honor. P. Et dum.

Oratio. Unigenite Dei Filius, qui corpora Sanctorum tuorum tanquam aurum fornacis igne examinas; cordium nostrorum, quæsumus, vires inspicias, et juxta posse nostrum (si placet tibi) ita nos igni tribulationum tentari permittas, ut de bono patientiæ hereditatem mereamur in cœlestibus obtinere. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Iste qui advenit: nemo scit nomen ejus; nisi ipse solus: vocabitur verbo Dominus: et habet vestem præclaram, et omnis chorus Sanctorum. P. Cum hymnis sequuntur eum. ℣. Dominus de Sina veniet, et de Seïr ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, et dum eo Sanctorum millia. P. Cum. ℣. Gloria, et honor, P. Cum.

Oratio. Domine Jesu Christe, *in Vesperis præcedentibus.*

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Omnes Sancti. *Canticum* Dominus de Sina veniet. *Oratio.* Venisse te Dominum. *Ad Benedictus. Antiphona.* Sancti, et humiles. *Canticum.* Benedictus es Domine. *Sono.* Via justorum. *Lauda.* Laudate Dominum. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Zachariæ Prophetæ (*Cap.* XIV).

℟. Deo gratias.

Egredietur Dominus, et præliabitur contra gentes illas, sicut præliatus est in die certaminis. Et stabunt pedes ejus in die illa super montem olivarum, qui est contra Hierusalem ad orientem: et scindetur mons olivarum ex media parte sui ad Orientem, et ad Occidentem, præruptio grandis valde; et separabitur medium montis ad Aquilonem, et medium ad Meridiem. Et veniet Dominus Deus, omnesque Sancti cum eo. Et erit in die illa: Exibunt aquæ vitæ de Hierusalem: medium earum ad mare Orientale, et medium earum ad mare novissimum: in æstate et hieme erunt. Et erit Dominus Rex super omnem terram: in die illa erit Dominus unus, et erit nomen ejus unum. Et revertetur omnis terra usque ad desertum, de colle Remon ad Austrum Hierusalem: et exaltabitur, et habitabit in loco sancto suo. ℟. Amen.

Hymnus. Inclyti festum pudoris virginis Cæciliæ *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Supplicatio. Oremus Redemptorum, *ut supra.*

Capitula. Christe lux vera Sanctorum, qui inlustratione adventus tui sævientem in electos tuos destruis inimicum, veni ad nos, et inlumina cor nostrum luce illa, que sanctorum tuorum Cæciliæ et ejus Comitum Martyrum perlustrare dignatus es

A corda: ut a nostrorum criminum onere sublevati, diem adventus tui præstolemur inlæsi.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2. *Lauda.* Fidelis in dilectione, *ut supra.*

Benedictio. Christus Dei Filius, cum quo Sanctorum millia ad judicium venient, sanctorum Cæciliæ et ejus Comitum martyrum nos cætibus coronandos adsociet: ℟. Amen. Et qui electis daturus est judicii sessionem, [CCCXXVIII] peccatoribus ultionis pro merito non restituat vicem: ℟. Amen. Quo gaudio adventus sui sic remuneret justos, ut fides, qua illi creditur, a suppliciis eruat miseros. ℟. Amen. Per.

DIE XXIII.

IN FESTO SANCTI CLEMENTIS PAPÆ ET MARTYRIS.

B *Ad Vesperum.*

Lauda. Gloria, et honor. *fol.* CLIX *Sono,* Benedic anima mea. *fol.* CLX.

Antiphona. Fecisti Domine in mari viam: et inter fluctus semitam firmissimam ostendens, P. Quia potens es transeuntes mare salvare. ℣. Mira sunt opera tua, et anima mea novit nimis. P. Quia. ℣. Gloria, et honor. P. Quia.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Infixus sum in limum profundi: ubi non est substantia. Veni in altitudinem maris: et tempestas dimersit me. P. Laboravi clamans, exaudi me. Alleluia, alleluia. ℣. Salvum me fac Deus: quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. P. Laboravi. ℣. Gloria, et honor. P. Laboravi.

Hymnus.

C
Clementis festum celebratur hodie:
Venite plebes, et miramini compotes
Adseclam Petri Domini Apostoli,
Romanæ sedit tertium Antistitem,
Quem Christus sibi consecravit Martyrem.
Hic habitando in Urbe Romulea
Adnuntiando Christum Dominum
Inluminavit Theodore Sisinium,
Dum visum Petrum in soporem perspicit;
Sic a Clemente baptizatus credidit.
Hic prædicando Christi Evangelium,
Et convocando catervas fidelium,
Trajani jussu ducitur in exilium,
Trans Pontum mare in præruptum eremum
Ibi peregit insigne miraculum:
D
Aquarum venas ex abysso eduxit,
Et satiavit sitientes incolas:
Qui per metalla excidebant marmora
Et æstuabant tabe, et siti valida,
Pro Christi nomini portantes supplicia,
Quos ubi cernit beatus Pater, bino
Poculum ferre sibi, milliario,
Hortatur cunctos ad prædicandum Dominum;
Ut suis fontem aperiret laticum,
Sacris salubrem mire confessoribus.
Quorum oblata dum litaret immolans
Sacer Antistes, meritis insignior,
Agnum adstare cernit sibi Dominum,

Signantem locum, quem ut idem pupugit,
Elicit undam affluentem in fluvium.
Hæc fama cunctas per gyrum provincias
Complens, tunc plebes ad credendum excitat :
Quæ confluentes, suscepto baptismate,
Cupiunt normam fidei catholicæ;
Condunt et ædes quindecennas quinquies.
Ob hoc crescente æmula invidia,
Profundo mari mergitur cum anchora,
Ibi humatur sepulchrali camera,
In qua receptus extat nunc Ecclesia,
Ubi fideles confluunt per sæcula.
Qui cursu anni tectus aqua valida
Alto in mari subtus undas latitat:
Cujus recurrens annua festivitas,
Recedens mare fere tria milliaria,
Per septem dies vias præbet fulgidas.
Cujus sepulchrum velut aurum rutilat,
Anchora colli ut argentum emicat:
Fiunt virtutes per fideles petitas
Agentes Deo gratias multimodas;
Qui præstat Sanctis tanta mirabilia.
Te ergo, Clemens martyr alme, supplices
Agonis tui celebrantes gaudia,
Te hodierno poscimus cum fletibus,
Ut reis adsis : succurras labentibus;
Ac per te culpæ careamus cumulo.
Exemplo tuo versi a pejoribus,
Ad meliora adtendamus jugiter,
Optima ambientes, et nos dignius,
Mandata vitæ servemus, felicius
Ut post Sanctorum adunemur cœtibus.
Ipsum rogemus Verbum Patris Unicum,
Et obsecremus almumque Spiritum;
Ut mundi procul auferat jactantiam :
Virtutum nobis donet abundantiam :
Per quem æternam habeamus gloriam.
Præsta, quæsumus, unita potentia,
Repiensque globi cunctam solus machinam,
Virtute firmans, ingens adesto gloria
Æterna, cujus laus, et clementia,
Et honor jugis, affatim per sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem, *ut supra*.

Capitula. Omnipotens Deus, qui beatissimum Clementem episcopum, et martyrem passionum [CCCXXIX] stimulis, quasi minantium fluctuum cumulis, probari, non obrui, permisisti : cum dimicantem nec pœna superaret, nec immersum unda supprimeret: quia ei et illic adfuisti, ne cruciatibus vinceretur, et hic præstitisti, ut contra naturam fluctibus portaretur : Miraculis tantis fidem omnibus præsta, ut quod a celebrantibus devotissime creditur, credentibus impensissime conferatur.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui beatissimum Clementem episcopum, nec infixum in limo profundi, nec marinorum fluctuum fecit lege teneri : ipse vos a vestris cœnosæ voluptatis eripiat colluvionibus.

A ℟. Amen. Et qui in altitudinem maris corpus Martyris scopulis non permisit teneri, a cunctis vos tentationibus liberet, et a profundo flagitiorum eripiat; ℟. Amen. Ut eodem patrocinante, pervenire vos faciat ad gaudia infinita. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Concluserunt me aquæ in medio mari : et tempestas demersit. Alleluia. P. Clamavi ad te Domine : et sanasti me. Alleluia, alleluia. ℣. Ego vere orationem meam ad te Domine : tempus beneplaciti Deus. P. Clamavi. ℣. Gloria, et honor. P. Clamavi.

Oratio. Deus, qui consecratum tibi corpus Clementis martyris infixum in limo profundi ad superos revocasti, ut cujus mens tibi placita devotione inhæ-
B serat, ejus corpori marina famularentur obsequia; te quæsumus, te rogamus, ut meritis hujus Martyris nulla nos tentationum aqua operiat, nulla etiam tempestas criminum in peccatorum profundo demergat sed leni manus tuæ remigio sustentati, ad litus mereamur pervenire justitiæ liberi. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea. *Psalmus* L. *Oratio*. Exultent Domine. *fol.* CLXXX. *Antiphona*. Infixus sum, *ut Supra in Vesperis præcedentibus. Oratio*. Deus qui consecratum tibi, *ut hic supra*.

Antiphona. Emitte, Domine, manum tuam de alto, eripe me, P. Et libera me de aquis multis; et de manu filiorum alienorum. ℣. Benedictus Do-
C minus Deus meus, qui docet manus ad bellum, et digitos meos ad prælium. P. Et libera. ℣. Gloria, et honor. P. Et.

Oratio. Domine, qui beatissimum Clementem martyrem tuum de malignorum consilio liberas eruens illum de aquis multis; et victorem efficiens in passionibus universis : libera nos de manu filiorum alienorum; ut insidiantibus inimicis vita nostra lædenda non pateat : nec illorum proceritas sæva de ruinæ nostræ casibus hilarescat: sed gladio verbi tui accincti, et hic adversa superemus intrepidi, et post ad te mereamur pervenire inlæsi, et beati. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Beatus homo, qui spem habet in
D Deum : erit Dominus fiducia ejus. P. Ossa ejus florebunt quasi lignum, quod plantatum est super aquas, ℣. Quod fructum suum dabit in tempore suo : et folium ejus non defluet, et omnia quæcumque fecerit prosperabuntur. P. Ossa ejus. ℣. Gloria, et honor. P. Ossa ejus.

Oratio. Domine Deus, qui beatissimum Clementem martyrii corona decorasti, ut sanctificatus inter collegas, coronatus inter cœlicolas præfulgeret: sit nunc, te annuente, plebi tuæ præcipuus Patronus, qui magnus extitit in electis: ut, quia non speravit in homine, sed te posuit in adjutorium, ejus suffragio firmetur spes aucta credentium. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Infixus sum in limum profundi : et non est A substantia. Deveni in altitudinem maris : et tempestas demersit me. Laboravi clamans, P. Et exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua. ℣. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum. P. Et exaudi. ℣. Gloria, et honor. P. Et exaudi.

Oratio. Deus, qui corpus beatissimi Martyris tui Clementis in limo profundi nulla marinorum fluctuum fecisti lege teneri : ut altitudo illum nullo modo maris demergeret; qui insurgentes contra se pro tuo nomine catervas hostium devicisset : interventu Martyris tui a cunctis nos tentationibus libera ; et a profundo flagitiorum ereptos, in te placita conversationis luce exaltata : ut, te opitulante, et vitis careamus, et virtutibus [cccxxx] abundemus. B
℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Fluctus tui, Domine, super me transierunt. Et ego dixi : Expulsus sum ab oculis tuis, putans videbo templum sanctum tuum.

Canticum. Clamavi ad Dominum. *fol.* 315.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedictio Domini in mercedem justi festinat.

Canticum. Benedictus es. *fol.* 6.

Sono. De profundis clamavi ad te Domine : Domine exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes, P. Ad orationem servi tui. Alleluia. ℣. Si iniquitatem observaveris Domine : Domine quis sustinebit? Quoniam apud te propitiatio est : et copiosa redemptio. P. Ad orationem. C

Lauda. Laudate Dominum. *Psalmus* CLXVIII.

Lectio libri Sapientiæ Salomonis (*Cap.* VI).

℟. Deo gratias.

Fili, Qui custodierint justitiam, justificabuntur : et qui didicerint ista, invenient quid respondeant. Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, et habebitis disciplinam. Clara est, et quæ nunquam marcescit sapientia, et facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenietur ab his qui quærunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt ; et illis se priorem ostendit. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit : assidentem illam in foribus suis inveniet. Cogitare enim de illa, sensus est consummatus : et qui vigilaverit propter illam, cito erit securus. Quoniam dignos se ipsa circuit quærens, et in viis suis D ostendit se illis hilariter, et in omni prudentia occurret se illis. Initium illius verissimum est, et disciplinæ concupiscentia. Secura ergo disciplinæ dilectio est : et dilectio, custoditio legum illius est; custoditio autem legum consummatio incorruptionis est. Qui autem legem non custodit, coinquinat incorruptionem. Incorruptio autem facit Deo proximum. Concupiscentia itaque sapientiæ ducit ad regnum perpetuum. ℟. Amen.

Hymnus. Clementis festum celebratur. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem, *ut supra in Vesperis præcedentibus.*

Capitula. Christe Domine, qui es Ecclesiæ tuæ caput, præsta, ut Clemens beatissimus martyr tuus in corpore Ecclesiæ constitutus, qui tunc membra pro Capite dedit, nunc Caput pro membris adire non cesset; sed Capiti proximus regat totum, et protegat corpus ; id impendens liberius, quod se exultat obtinuisse felicius.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Concluserunt me aquæ.

Benedictio. Christus Dominus, qui beatissimum Clementem. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

DIE XXIX.

IN FESTO SANCTI SATURNINI EPISCOPI, ET MARTYRIS.

Ad Vesperum.

Lauda. Gloria et honore. *Sono.* Fac mecum Deus. *Fol.* CLIX. *Antiphona.* Posuisti, Domine, super caput. *Fol.* CCXCII.

Antiphona. Videbunt gentes justum tuum, Sion et cuncti reges inclytum tuum : et vocabitur tibi nomen novum, quod Dominus nominavit : P. Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. ℣. Et timebunt gentes nomen tuum Domine, et omnes reges terræ gloriam tuam. P. Et eris. ℣. Gloria, et honor. P. Et eris.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Alleluia. Omnis, qui vicerit, faciam illum sedere in throno Patris mei. Alleluia. P. Sicut et ego vici, et sedeo in illo. Alleluia, alleluia. ℣. Et ego primogenitum ponam illum excelsum apud reges terræ. P. Sicut et ego. ℣. Gloria, et honor. P. Sicut.

Hymnus.

Vocis auditæ novitas refulsit,
Regis adventum recinens Superni :
Det suos Terra pariendo flores
Jure colonis.

Ninguidis septa spatiis Tolosa
Flagret accensa fidei calore;
Quæ Saturnino, reboante Christo,
Martyre cœpit.

Dogmate cujus simulachra cedunt;
Cujus accessu reticere discunt
Dœmonum vafra dominantis ora
Voce sopita.

[cccxxxi] Hic, Dei Patris Genitum colendum
Prædicans voce, simul et cruore,
Vincitur Tauri pedibus litandus
Victima Christo.

Hujus inlæsi cineres, dicato
Rite transferri tumulo merentur;
Quo fides cultu, gemini honoris
Aucta maneret.

Inde te, Christe, veniens, rogamus,
Mitis apparens veniendo justis,
Nosque victorum socians coruscis
Junge coronis.

Gloriam psallat chorus, et resultet :
Gloriam dicat, canat, et revolvat

Nomini Trino, Deitati soli
Sidera clament.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi, *ut supra.*

Capitula. Magnum, Domine, pietatis est sacramentum, quod ostensum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria; quo justus ex fide vivit, quo impius ad te recurrit: Quæsumus ergo, ut, qui inlustratione adventus tui præsentis martyris Saturnini Episcopi cor perlustrare dignatus es, quo extortam pœnis vitam, te in munere percepturus, amitteret, nostrum quoque cor digneris dono tuæ gratiæ emollire, quo tibi peccata nostra devota pandamus fide; a te etiam postulatum remedium impetremus: ut te, quem ille nobiscum olim venisse jam credidit pro Mundi salvatione, nos quoque per eum te venturum mereamur liberatorem nostrum excipere.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dei Filius cujus fides justificat impium, Justi hujus precibus vestrorum solvat vincula peccatorum: ℟. Amen. Et qui venturus ad Judicium sustinetur, ejus, cujus festum colitis, faciat vos obtinere consortium: ℟. Amen. Ut, cum hoc Martyre adventus Christi gloria vos et in futuris gaudiis societ, et æternitatis præmio ditet. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius, etc.

Lauda. Beatus vir, qui timet. *Fol.* CCXCIII.

Oratio. Deus, qui os beatissimi martyris tui Saturnini Episcopi, ita sapientiæ ubertate replesti, ut diversitate virtutum circumseptus apparens, jocunditate, et decore illum cœlesti gloriosum ostenderes: quo et labia sua custodiens, scientiam et legem in ore ejus exquireres: porrige ori nostro scientiæ lucem, et sapientiæ veræ perfectionem: ut in eo quod ille tibi multos convertit ab iniquitate, in eo nos jubeas perenniter converti, et jocundari. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea. *Psalmus* L. *Oratio.* Exultent te Domine. *fol.* CLXXX. *Antiphona* 1. Homo Dei ostendit. *Oratio.* Debitas tibi Domine. *Antiphona* 2. Homo iste perfecit omnia. *Fol.* CCXCIII.

Oratio. Christe Deus, omnium gratiarum largitor, qui primum, ac summum Tolosanæ civitatis famulum tuum Saturninum Sacerdotem instituisti: ad te, qui es retributor justissimus, sine confusione perveniamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Iste homo honorificatus est. *fol.* CCCXIII.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui es ineffabilis bonitas, et invicta potestas, pro cujus nomine beatissimus Saturninus Præsul, et martyr, dum litari aris dœmoniacis renuit, ad Capitolium a turbis attrahitur, furentique tauri supplicio consecratur *: tu ejus meritis nostras suscipe preces, et omnes fideles in commune pro tua miseratione justifica. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Responsorium. Labia sacerdotis custodiunt. *fol.* CCXCIV.

Oratio. Deus, qui os beatissimi martyris. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Thronum gloriæ. *Canticum.* Confirmatum est cor meum. *Ad Benedictus. Antiphona.* Benedictio Domini. *Canticum.* Benedictus es Domine. *fol.* 6. *Sono.* Alleluia. Cantabo virtutem. *Lauda.* Laudate Dominum. *Psalmus* CXLVIII. *Prophetia.* Vir iste conservavit. *Fol.* CCXCIX [CCCXXXII] *Hymnus.* Vocis audite. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *In Vesperis præcedentibus.*

Capitula. Christe, Dei Filius qui justis judex ad judicium sustineris, da nobis justi hujus precibus emundari ab injustitiis nostris: ut, qui adventus tui triumphis ejus celebranda admiscitur celebritas, ejus exceptione, dona perennis muneris consequamur.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Beatus vir. *Benedictio.* Christus Dei Filius. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

DIE XXX.

IN FESTIVITATE SANCTI ANDREÆ APOSTOLI.

Ad Vesperum.

Lauda. Gloria, et honore. *fol.* CLIX.

Sono. O bona crux. *Fol.* CCXXXIX.

Antiphona. Alleluia. Ego enim per legem, legi mortuus sum, P. Ut Deo vivam: Christo confixus sum cruci. Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus. ℣. Dominus pars hereditatis meæ, et calicis mei: tu es, qui restitues mihi hereditatem meam. P. Ut Deo. ℣. Gloria, et honor. P. Ut Deo.

Dominus sit. ℟. Et cum spiritu.

Lauda. Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum: et non confundebar. P. Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi. Alleluia, alleluia, alleluia, ℣. Et veniat super me misericordia tua Domine: salutare tuum, et eloquium tuum. P. Et meditabar. ℣. Gloria, et honor. P. Et meditabar.

Hymnus.

Decus sacrati nominis,
Nomenque vitam exprimens,
Hic te decorum prædicat
Crucis beatæ gloria.

Andrea Christi Apostole,
Hoc ipse jam vocabulo.
Decorus; idem mystice
Signaris isto nomine.

Quem Crux ad alta provehit,
Crux quem beata diligit,
Cui Crux amata præparat,
Lucis futura gaudia.

In te Crucis mysterium
Cluit gemello stigmate;
Dum probra vincis, per Crucem,
Crucisque pandis sanguinem.

Jam nos foveto languidos.
Curamque nostri suscipe ;
Quo per Crucis victoriam
Cœli petamus patriam.
Præsta Pater omnipotens,
Per Jesum Christum Dominum,
Qui tecum in perpetuum
Regnat cum Sancto Spiritu.
Amen.

Supplicatio. Oremus, *ut supra.*

Capitula. Christus Dominus noster, qui beatissimum Andream, et Apostolatus gratia, et martyrii decorasti corona ; hoc illi specialiter in munere præstans, ut Crucis prædicando mysterium, ad B Crucis mereretur pervenire patibulum : da nobis, ut sanctæ Crucis tuæ verissimi amatores effecti, abnegantes nosmetipsos tollamus Crucem nostram, et sequamur te : ut passionibus tuis in hac vita communicantes, ad æternam vitam pervenire mereamur felices.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Omnipotens Dominus, qui animam Andreæ Apostoli suscepit in Cruce, ab omni cruciatu vos liberet damnationis æternæ ; ℟. Amen. Et, quo prædicante, adquisivit sibi populos credituros, eo precante, credentes efficiat gloriosos ; ℟. Amen. Ut exemplo Apostoli sui Crucis Christi amatores effecti, et hic vitiorum superetis incendia, et post ad æternitatis mereamini pervenire promissa. ℟. Amen. C

Per misericordiam.

Lauda. Statuit Dominus supra. *fol.* CLVII.

Oratio. Vir Dei sanctus Andreas, Christe, tuus ille Apostolus, qui te vidisse illa visione pacis novissima protestatur, dum secreta sanctæ Crucis se agnovisse fatetur, sit pro nobis apud te intercessor assiduus : ut, qui te prædicavit voce simul et corpore, fit sanguine, nobis apud te opituletur, et doctrina simul, et prece. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea Domine. *Psalmus* L.

Oratio. Exultent Domine. *Fol.* CLXXX.

Antiphona. Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi : P. Per quem [CCCXXXIII] D mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. ℣. Expectans expectavi Dominum, et respexit me : Et exaudivit deprecationem meam. P. Per quem. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Per quem.

Oratio. Fas nos, Deus Pater, in Jesu Christi Filii tui Domini nostri Cruce plenissime gloriari, ut confessio oris cum efficientia operis, sic concordet in nobis, qualiter verissime crucifigentes nos Mundo, æternitatis mereamur satiari de præmio. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Salve Crux, quæ diu fatigata requiescis expectans me certissime. Scio gaudere te, suscipiens Discipulum ejus, qui pependit in te. ℣. Audivit Dominus, et misertus est mihi : Dominus factus est A adjutor meus. P. Scio. ℣. Gloria, et honor. P. Scio.

Oratio. Sancte Dei Apostole, qui, diu fatigatam, Crucem in tua expectatione, tandem requievisse in tua perventione, piis affectibus clamas : concede plenum nobis gaudium in tua passione habere, ut suffragio tuo nobis futurum præpares regnum, quibus non tam verbo, sed et sanguine reliquisti exemplorum, virtutumque documentum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Bona Crux, accipe me, et redde me Domino meo : P. Quia per te redemit me ille, qui pependit in te. ℣. Deus in te speravi Domine, non confundar in æternum : in tua justitia libera me, et eripe. P. Quia per te redemit. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Quia per te.

Oratio. Crucis tuæ, Domine, amore Apostolus tuus et martyr Andreas mirifice flagrans, per eam se tibi Domino suo reddi exoptat, per quam se redemptum esse non dubitat : quæsumus ergo, ut obtentu ejus, qui in ea Cruce pependit, feliciter nos a cunctis potenter digneris futuræ ultionis cruciatibus liberare. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Vir sanctus Dei, dum aspiceret cœlum, voce magna dicebat : Tu es Deus meus, et Dominus meus, quem vidi, in quo credidi, quem dilexi. P. Ne me patiaris ab impio judice deponi, qui jam secreta sanctæ Crucis agnovi. ℣. Homo iste supplicabat in conspectu Domini, dicens : Deus Pater, et Dominator vitæ meæ. P. Ne me patiaris. ℣. Gloria. et honor Patri. P. Ne me patiaris.

Oratio. Vir Dei sanctus Andreas. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Ego in Domino gloriabor, gaudebo in Deo, Jesu meo.

Canticum. Domine audivi auditum. *fol.* 22.

Ad Benedictus Antiphona. Benedictio Domini in mercedem justi festinat.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6.

Sono. O bona Crux. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Lauda. Laudate Dominum de cœlis Alleluia : laudate eum in excelsis Alleluia, alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Prophetia. Justus si morte præoccupatus. *fol.* 53.

Hymnus.

Omnipotenti Domino
Prostrati omnes supplices
Reddamus gratias pro
Sancti Andreæ certamine.
Redemptorem deprecans,
Ipsum verum agnoscere,
Dæmonibus invidere,
Fallacibus resistere.
Juvatus Christo Domino
Prædicavit Achaiæ :
Convertitur omnis populus,

Et sese Cruci tradidit.
En tibi Jesus omnipotens
Cujus Cruce suspensus est,
E cœlis evocatus est,
Per fidem coronatus est.
Non timens cruciatibus;
Sed se in Cruce postulat,
Ut inde emigraverit
Ad sedem viri Domini.
Tunc populi clamoribus
Dantes voces in auribus,
Ægæe inique, perfide,
Defende Apostolum.
Jam jam in Cruce positus
Veritatem prædicans,
Ornatus moribus bonis,
Pius, sanctus, castissimus.
Ægæas vero teterrimus
Dœmonibus arripitur,
Inferno suscipitur,
Tenebris sociatus est.
Frater vero ipsius,
[cccxxxiv] Tenens corpus Apostoli,
Sepelivit intrepidus,
Cum magna multitudine.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, *ut supra.*

Capitula. In tuo, Christe, corpore Crucis tuæ venerantes arcanum, quæ, et te Dominum redemptionem inferentem Mundo suscepit, et Discipulum morientem melius victurum tibi restituit: rogamus te, atque exposcimus, ut nos illi jungas in munere, cujus hic venerantes incolimus passionem.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. In psalterio et cithara. *Require folio* CLX.

Benedictio. Omnipotens Dominus. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Exeunte Vespera.

Lauda. Lucerna pedibus meis. *fol.* CLX.

Sono. O bona Crux, quæ. *In Vesperis præcedentibus.*

Antiphona. Qui mihi ministrat, me sequatur: P. Et ubi ego sum, ibi erit et minister meus. ℣. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ præstitit mihi? Calicem salutaris accipiam: et nomen Domini invocabo. P. Et ubi ego sum. Gloria, et honor Patri. P. Et ubi.

Dominus sit semper. ℟. Et cum,

Lauda. Euge serve bone, et fidelis, super pauca fuisti fidelis, in multa te conlocabo. P. Intra in gaudium Domini tui. Alleluia, alleluia. ℣. Labores fructuum tuorum manducabis: beatus es, et bene

A tibi erit. P. Intra. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Intra.

Hymnus. Deus sacrati nominis. *Quære in Vesperis in præcedentibus.*

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum, *ut supra.*

Capitula. Deus a quo Unicus Filius tuus in hunc Mundum missus, ac pro nobis in Cruce suspensus, nostræ redemptionis pretium dedit sanguinem suum; ut reconciliati per ejus mortem, filiorum apud te promereamur adoptionem; ejusdem nostri meditatoris obtentu, nobis nec merentibus tribue, ut possimus te Patrem fiducialiter appellare, et oratione, quam ipso Domino, docente, didicimus, ad te non solum vocibus, sed et meritis proclame-
B mus e terris.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Sanctus Adreas Apostolus, qui pro crucifixo Domino, ac Redemptore nostro est in Cruce suspensus, coram ipso Domino gratiæ, providus vobis existat semper Patronus: ℟. Amen. Et ob cujus celebrandam solemnitatem, alacer est hodie vester conventus, sit pro peccatis vestris ante Deum intercessor assiduus; ℟. Amen. Ac sicut hic Sanctus virtute fretus Domini crucifixi, per Crucis victoriam diabolum superavit; ita vos per mortificationem Crucis cuncta vitia conculcetis. ℟. Amen.

Per.

Lauda. Sitatuit Dominus. *fol.* CXLVII.

Oratio. Vir Dei Sanctus. *In Vesperis præceden-*
C *tibus.*

FESTA DECEMBRIS

DIE IV.

IN FESTO SANCTÆ BARBARÆ, VIRGINIS ET MARTYRIS.

Omnia dicantur unius Virginis, fol. CLXXIX, *exceptis Hymnis, ad Vesperum, et Matutinum.*

Hymnus.

O Christi Martyr, et inclyta
Virgo sacrata Barbara,
Cujus pugnæ sont subdita
Caro, mundus, ex tartara,
Tu lux orta de tenebris,
Luce perfundens sæculum,
Abstracta ab illecebris
Frangis salutis æmulum,
D Mire fenestra triplici
Ornas patris palatium,
Fide demonstrans simplici
Trinitatis mysterium.
Das naturam marmoream,
Maledicendo rustico,
Qui mentem gerens saxeam,
Nutu te prodit publico.
Abscindit natæ jugulum
Pater fera crudelior,
Sed per cœleste spiculum
Mors ipsum ferit sævior

[cccxxxv] Patri, Nato, Paraclito, A
Decus, honor, et gloria:
Sanctæ sint hujus merito
Nobis æterna gaudia.
In cœlesti collegio
Nova collega colitur,
In Sanctorum rosario
Novellus flos producitur.
Barbara florens gratia
Forma facta humilum.
Læta potitur gloria,
Sortis consors sublimium.
Metit de sparso semine
Plenæ messis manipulum,
Fallens subter tegimine
Nostræ salutis æmulum B
Hæc carnis supercilia
Spiritui dat subdita:
Mundum vicit, et vitia,
Se victa, victrix inclyta.
De tenebris miseriæ
Sequaces stellæ præviæ,
Quæramus Patrem gratiæ,
Consortes tandem gloriæ.
Amen.

Ad Matutinum, Hymnus.

Gaude mater Ecclesia,
Maternis plaudens plausibus,
Pro benedicta filia
Frequens in Dei laudibus.
Barbaram Christi famulam C
Laudemus unanimiter,
Et crucis Christi bajulam
Imitemur feliciter.
Christum fatendo siquidem
Astruit fidem, clarius
Disceptans contra præsidem,
Vincit tormenta fortius.
Paternam premit rabiem
Certans in Christi nomine,
Hostilem frangit aciem
Glorioso certamine.
Manus paterna jugulat
Puellam, et continuo
Perit: dœmon stimulat
Parricidam' tonitruo.
Nos in campo certaminis, D
Sanctæ zelantes gloriam,
Divini ductu luminis,
Tendamus ad victoriam.
Præstet hoc Sancta Trinitas,
Sanctæ Barbaræ meritis,
Ad te, summa Suavitas,
Rectis nos ducens semitis.
Amen.

DIE VI.

IN FESTO SANCTI NICOLAI EPISCOPI,

Omnia dicantur unius Confessoris Ponificis, fol. CLXIX, *exceptis Hymnis ad Vesperum et ad Matutinum.*

Hymnus.

Adest dies sanctissima
Virtute sacra splendida,
Qua Nicolaus sedibus
Locatur in cœlestibus
Sic parvus infans corpore,
Magnus tamen Dei fide
Quarta, et sexta feria,
Semel sugebat ubera.
Virtute fulgens nobili,
Jejuniis, vigiliis
Domabat corpus juvenis:
Ne fœdaretur vitiis.
Sic Præsul Christi nobilis
Pro sanctitate meriti,
Qui illum exornaverat
Cælestis regni gloria.
Adesto Præsul inclyte,
Precesque nostras suscipe,
Offerque summo Præsuli,
Preces devotas populi.
Sit Trinitati gloria,
Æterna laus, et inclyta
Deo Patri, et Filio,
Et flamini cum Spiritu.
Amen.

Ad Matutinum, Hymnus.

Exultet aula cœlica,
Lætetur mundi machina,
Dum refert solis orbita
Nicolai memoriam.
Qui vagitus infantiæ
Decoravit mirifice,
Dans virtutum primordia
Inter ortus crepundia.
Quarta, cum sexta feria,
Semel sugebat ubera,
Jam in ætate tenera
Hac usus abstinentia.
Cujus tumba fert oleum,
Matres olivæ nesciunt:
Quod natura non protulit,
Marmor sudando parturit.
O venerande Pontifex!
Pius, nec tardus opifex
Cunctis, qui corde credulo
Te quærunt in periculo:
[cccxxxvi] Aufer mentis dispendia,
Confor vitæ stipendia:
Ut post carnis exilia,
Tecum simus in gloria.
Præsta Pater ingenite,
Jesu, cum sacro Neumate;
Ut Nicolai precibus,
Cœli jungamur civibus.
Amen.

DIE IX.

IN FESTO SANCTÆ LEOCADIÆ VIRGINIS.

Ad Vesperum.

Lauda. Confessionem, et decorem induisti. *Sono.* Confitebor tibi Domine in toto corde meo. *Fol.* CLXIX.

Antiphona. Confitebor tibi Domine in toto corde meo: qui exaudisti verba oris mei. P. In conspectu Angelorum psallam tibi : ℣. Deus meus es tu, et confitebor tibi : Deus meus exaltabo te. P. In conspectu Angelorum psallam tibi. ℣. Gloria, et honor Patri. P. In conspectu.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Antiphona. Exulta satis filia Sion, jubila tu Israel: P. Ecce Rex tuus venit tibi justus, et salvator. ℣. Confessio, et magnificentia opus ejus et justitia ejus manet in sæculum sæculi. P. Ecce Rex tuus. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Ecce Rex tuus.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Confitebor tibi Domine rex. Alleluia. *fol.* CLXIX.

Lauda. Confitebor Domino Alleluia, secundum justitiam ejus. Alleluia. P. Et psallam. Alleluia. ℣. Lætabor et exultabo in te : et psallam nomini tuo Altissime. P. Et psallam. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio. P. Et psallam.

Hymnus.

Sanctissimæ Leocadiæ
Solemne festum prodiit,
Quo vana terræ despuens,
Ad Regna cœli transiit.

Omnes venite supplices,
Cordis reatum pandite :
Gaudendo vota solvite,
Deoque grates reddite.

Hæc namque Virgo nobilis,
Exorta claro germine,
Confessa Christum fortiter,
Pœnas libenter pertulit.

Correpta jussu Præsidis,
Vaccis ligatur ferreis;
Ut, vinculorum pondere
Fides puellæ cederet.

Hic per abstinentiam
Christo placere cogitans,
Laudum rependit gratias,
Precumque defert victimas.

Sed mox beatæ Eulaliæ
Mortem sacratam comperit :
In carcerali vinculo
Cœlo refudit spiritum.

Nunc Virgo sancta, quæsumus,
Et lachrymando poscimus ;
Ut proba nostra diluas,
Et vota Christo deferas,

Tu nostra Civis inclyta.
Tu es Patrona vernula,
Ab urbis hujus termino

A Procul repelle tædium.

Non hostis hic prævaleat,
Non morbus aut penuria :
Recedat omne noxium,
Et conferatur commodum.

Sic vita rebus affluat,
Ne corda luxu sordeant;
Cunctisque propter crimina
Donetur indulgentia.

Deo perennis gloria,
Et gratiarum copia,
Qui cuncta volvit tempora,
Et regnat ante sæcula.

Amen.

B *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum, *mutato nomine, fol.* CLXXXVII.

Capitula. Domine Jesu Christe, qui es sponsus Virginum, et munere cœlesti remunerator Confessorum : qui sanctam Leocadiam, et permanere virginem præstas, et confessorem glorificas ; te acclives rogamus : ut interventu ejus, sicut illa confitendo cœleste promeruit regnum, ita nos perpetuum evadamus supplicium.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui beatissimam Leocadiam se digne confiteri coram hominibus fecit in terris, confiteamur vos coram Patre suo, qui est in cœlis : ℟. Amen. Et qui [CCCXXXVII] in ore ejus accepta sibi confessionis contulit cantica, ipse de-
C votionem vestram remunerandam suscipiat; ℟. Amen. Ut exemplo beatæ virginis Leocadiæ, confitendo et laudando nomen Jesu Christi in sæculo, participes ejus, quem confessi estis, mereamini esse in cœlo; ℟. Amen. Qui in Trinitate permanet Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Lauda. Germinabunt ossa tua quasi salices. Alleluia *P.* Juxta fluentes aquas. Alleluia, alleluia. ℣. Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. P. Juxta. ℣. Gloria, et honor. P. Juxta.

Oratio. Domine, qui es magnus, et gloriosus, da nobis famulis tuis, ut dum operum tuorum magnitudinem admiramur, magnificentiam tuam debita confessione laudemus ; atque intercessione gloriosæ virginis et confessoris tuæ Leocadiæ tribue
D nobis, perfectum intelligentiæ decus timoris obedientia agere, et mandata tua fidelia omni custodia cordis diligenter explere. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster, etc.

Ad Matutinum. Antiphona. Laudabit lingua mea justitias tuas Deus meus. *Psalmus* L.

Oratio. Laudet te, Domine, lingua nostra. *fol.* CLXX.

Antiphona. Filia Sion, ego dilexi te, dicit Dominus, *P.* Et misericordia mea non recedet a te. ℣. Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam : et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. *P.* Et misericordia mea. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio, *P.* Et misericordia.

A *Oratio.* Beata Dei virgo, quæ in Sion speculatione gloriosa consistis, quam Deus ipse dilexisse testatur, ex quo tibi non recessuram ultra misericordiam pollicetur : da nobis Domine meritis suis, ut amore divino flagrantes, in futuro judicio inveniamur indemnes. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Lætare filia Sion, quia gaudebit super te Deus tuus : silebit in dilectione tua, *P.* Et exultavit super te in laude. ℣. Lauda Hierusalem Dominum : conlauda Deum tuum Sion. *P.* Et exultavit. ℣. Gloria et honor. *P.* Et exultavit.

Oratio. Lætare filia Sion, quia gaudet Unigenitus Dei Filius super te, et exulta in laude, dum te, et incorruptam Virginem esse præstat, et confessionis honore glorificat: quæsumus proinde, ut per te, qui utroque B munere clares, vita nostra, quæ dono virginitatis caret, confessionis saltim virtute fructificet. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

Antiphona. Exulta satis filia Sion, jubila tu Israel: *P.* Ecce Rex tuus venit tibi justus, et salvator. ℣. Non det in commotionem pedem tuum : neque dormiet qui custodit te. *P.* Ecce Rex tuus. ℣. Gloria, et honor. P. Ecce Rex tuus.

Oratio. Propera in occursum Dei tui Virgo filia Sion, quia ipse veniet tibi mansuetus, confortans, et redintegrans te in confessione sua : proinde petimus tut vita nostra intercessione tua augeatur in meritis tuis : ut, qui tibi occurrit in sæculo gratissimus coronator, in judicio sit nobis futuro clementissimus liberator. ℟. Amen.

C Per misericordiam.

℟. Exulta satis filia Sion, lauda et lætare filia Hierusalem : quia ecce Rex tuus veniet tibi mitis, et salvator: ipse pauper ascendens super pullum filium subjugalis. Et dissipabitur arcus belli : et loquetur pacem gentibus, *P.* Quoniam potestas ejus a mari usque ad mare et a fluminibus usque ad fines terræ. Quid enim bonum ejus, aut quid pulchrum ejus est, nisi frumentum electorum, aut vinum germinans virgines? Petite ab eo pluviam in tempore serotino, et dabit imbrem vobis, et herbam in agris. ℣. Visitabit Dominus populum suum, domum Juda et constituet eum sicut equum speciosum in certamine. P. Quoniam potestas. ℣. Gloria, et honor. *P.* Quoniam potestas.

D *Oratio.* Exulta satis filia Sion : quia ecce Rex tuus veniet tibi mansuetus, cujus dono et frumentum Confessorum clarescit virtutibus, et integritas Virginum fulgescit In laudibus. Præsta ergo nobis, ut inter frumenta electorum mereamur justificati quandoque admittit, qui nunc nostrorum operum monemus flagitiis cooperti : ut, quæ apud Deum meruisti de confessione coronam, nobis confitentibus obtineas apud ipsum peccatorum nostrorum omnium indulgentiam. ℟. Amen. Quia pius est, et miserationis dignoscitur Dominus, in omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Benedicta tu a Deo altissimo [CCCXXXVIII] præ omnibus mulieribus. *P.* Propter hoc non discedat laus tua de ore hominum, usque in sæculum, ℣. Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei. *P.* Propter. ℣. Gloria, et honor. *P.* Propter.

Oratio. Gloriosa facta est virgo tua, Christe, Leocadia, quæ consurgenti auroræ comparata, pulchra ut luna, atque electa ut sol, probatur : dum clariori rutilans lumine, et ut luna plena, clarescit in confessione, et ut sol flagrans, atque imminutionem sui nesciens, sanctitatis persistit in opere : da ergo nobis, ut per eam apud te pro votis obtinere indulgentiam mereamur, qui nunc pro delictis, vel lachrymas fundimus, vel gemitus exhibemus. ℟. Amen.

Per.

Antiphona. Egredere quasi aurora consurgens, *P.* Pulchra ut luna, et electa ut sol, et ornata. ℣. Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam : et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. *P.* Pulchra. ℣. Gloria et honor. *P.* Pulchra.

Oratio. Deus, qui navem Ecclesiæ tuæ, pro Mundi istius periculis fluctuantem, optimus nauta gubernas; et ne infidelitatis procella obruatur, vigilantissimus custos sollicitas : omnibus ejus lavacro renatis tribue per intercessum gloriosæ confessoris et virginis tuæ Leocadiæ, persecutionum tempestates in tui nominis confessione devincere, tibique placitum sacrificium nosmetipsos offerre : quique mirabiliter prospiciunt in profundum, remigio dexteræ tuæ perducantur in cœlum. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus.

Antiphona. Speciosa facta es Alleluia. *fol.* CLXXIX. *Oratio* Domine, qui es magnus, *ut supra, fol.* CCCXXXVII. *Resposonrium.* Speciosa, et decora.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui es supra omnes gentes excelsus, et in cœlestibus habitas gloriosus; humilitatem nostram ab excelso intende placatus ; ac sicut Ecclesia tua, quæ erat sterilitatis vitio impedita, nunc est, in te credens, virtutum meritis plena, et filiis numerosa ; ita mens nostra, ab sterilitate operum infœcunda, te tribuente, per interventum gloriosæ confessoris et virginis tuæ Leocadiæ, possit et semen verbi suscipere, et copiosis fructibus redundare : nomenque tuum, a solis ortu usque ad occasum præclarum, cordis ambiat unanimitate diligere, et fidei assensione laudare. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster, etc.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Confitebor tibi, Domine, quia. *Canticum.* Confitebor.

Ad Benedictus. Antiphona. Filia Sion benedic Domino Deo excelso in omni benedictione, et laude.

Canticum. Benedictus.

Sono. In conspectu. *Psal.* CXLVIII. *fol.* CLXXIII. *Prophetia.* Longe Dominus. *fol.* CLXXXVI. *Hymnus.* Sanctissimæ Leocadiæ. *Supplicatio.* Oremus. *In Vesperis præcedentibus.*

Capitula. Gloriose ac misericors Domine, qui beatæ Leocadiæ tibi nimis in ore suo confiteri dedisti ;

leque in medio Justorum ejus confessione laudare voluisti; ut eam et in terris confitentem, et in consilio Sanctorum glorificans faceres exultantem: exposcimus tui muneris donum; ut ejus precibus tribuas nobis a peccati contagione purgari; ac ardoribusque perpetuis erui: et gloriæ tuæ beatitudinem consequi.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Germinabunt ossa tua. *fol.* CLXX.

Benedictio. Deus, qui confessione inclytam Leocadiam, ad Confessorum fecit pervenire decorem, justificet vos ab omni contagione culpæ: ℟. Amen. Et qui illam coufessionis ubertate fecit esse conspicuam, vos evidentia veræ pœnitentiæ gloriosos efficiat; ℟. Amen. Ut sicut dulcis fuit in ore hujus Virginis confessio Christi, ita dulcescat in vestris cordibus amor regni perpetui. ℟. Amen.

Per.

Exeunte Vespera, omnia dicantur, ut in primi Vesperis, exceptis Capitula, et Benedictio, quæ sequuntur.

Capitula. Accipe, Deus, nostrorum confessionem labiorum, omniumque ligamenta solve facinorum: quo hujus virgines tuæ Leocadiæ prece, et vitiis careamus, et muneribus ampliemur, cum ad te proclamaverimus e terris:

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

[CCCXXXIX] *Benedictio.* Christus Deus Filius, qui in confessionis sui nominis spiritum suscepit Leocadiæ, vestram suscipiat fidelem remuneraturus devotionem: ℟. Amen. Quique Confessoris hujus festum in canticis confessionum attollitis, a Deo remuneremini sempiternus; ℟. Amen. Ut illic remuneranda proveniat devotio vestra, quo beatissimæ Leocadiæ confessio perducta est muneranda: ℟. Amen. Concedente gratia divinitatis illius: qui est benedictus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius, etc.

Lauda. Germinabunt.

Oratio. Domine, qui es magnus, *ut supra Vesperis præcedentibus.*

DIE X

IN FESTO SANCTÆ EULALIÆ, VIRGINIS ET MARTYRIS.

Ad Vesperum.

Lauda. Speravit anima mea in Domino. *Quære fol.* CLXXIX. *Sono.* Dominus Deus cœli. *Fol.* CCXXXI.

Antiphona. Alleluia. Gaude, et lætare filia Sion: quoniam ecce ego venio, et habitabo in medio tui, dicit Dominus. P. Et applicabunturgentes multæ ad Dominum in illa die. ℣. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ, vel citer scribentis. P. Et applicabuntur. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Et applicabuntur.

Oratio. Gaude, et lætare filia Sion, quia in medio tui habitaturum se Dominus promittit, dum te, et in passione victricem, et ab omni contagione hæresum reddidit innocentem; quæsumus ergo, ut meritis tuis ab omni tentatione salvemur, qui diem tuum venerantes incolimus, et qui in te vicisse credimus Christum, nos per eum vicisse lætemur impulsiones carnalium passionum; ℟. Amen. Quia nunc unum cum Patre, et Spiritu Sancto possidet nomen in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Columna speciosa, perfecta auro, gemmisque præcincta. P. Cujus caput plenum est rore, et crines guttis. ℣. Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam: et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. P. Cujus caput. ℣. Gloria, et honor Patri. Cujus caput.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Filia Sion, usque ad te veniet Dominator Israel. P. Et veniet potestas prima regnum filiæ Hierusalem: egressus ejus a diebus æternitatis Alleluia. ℣. Lauda Hierusalem Dominum: conlauda Deum tuum Sion. P. Et veniet potestas. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et veniet.

Hymnus.

Germine nobilis Eulalia,
Mortis et indole nobilior,
Emeritam sacra virgo suam,
Cujus ab ubere progenita est,
Ossibus ornat, amoreque colit.

Proximus Occiduo locus est,
Qui tulit hoc decus egregium,
Urbs potens, populis locuplex:
Sed mage sanguine martyrii,
Virgineoque potens titulo.

Curriculis tribus atque novem
Tres annos quater attigerat;
Cum crepitante pyra trepidos
Terruit aspera carnifices,
Supplicium subit dulce rata.

Jam dederat prius indicium,
Tendere se Patris ad solium;
Et sua membra dicata thoro
Ipsa crepundia repulerat,
Ludere nescia pusilla.

Spernere succina, flores, rosas,
Fulva monilia respuere:
Ore severa, modesta gradu,
Moribus et nimium teneris,
Caniciem meditata senum.

Ast ubi se furiata lues
Excitat in famulos Domini,
Christicolasque cruenta jubet
Thura cremare, jecur pecudis
Mortiferis adolere diis

Infremuit sacer Eulaliæ
Spiritus, ingeniique ferox
Turbida frangere bella parat,
Et rude pectus, anhela Deo
Femina provocat arma virum.

Sed pia cura parentis agit,
Virgo animosa domi ut lateat,
Abdita rure, et ab urbe procul;
Ne fera sanguinis in pretium
Mortis amore puella ruat.

Illa perosa quietis opem
Degeneri tolerare mora,
[cccxl] Nocte fores sine teste movet,
Septaque claustra fugax aperit,
Inde per invia carpit iter.
Ingreditur pedibus laceris
Per loca sentata situ, et vepribus,
Angelico comita choro:
Et licet horrida nox sileat
Lucis habet tamen illa ducem.
Sic habuit generosa Patrum
Turba columniferum radium:
Scindere qui tenebrosa potens
Nocte viam face perspicua
Præstitit, intereunte Chao.
Non aliter pia Virgo viam
Nocte secuta, diem meruit,
Nec tenebris adoperta fuit,
Regna Canopica cum fugeret,
Et super astra pararet iter,
Illa gradu cita pervigili,
Millia multa prius peragit,
Quam plaga pandat Eoa polum:
Mane superba tribunalia adit,
Fascibus adstat et in mediis.
Vociferans ita: Quis furor est,
Perdere præcipites animas;
Et male prodiga corda
Sternere rasilibus scopulis;
Omnipatremque negare Deum!
Quæritis, o miseranda manus,
Christicolum genus? En! ego sum
Dœmonicis inimica sacris;
Idola protero et ore Deum fateor.
Pectore, et ore Deum fareor.
Isis, Apollo, Venus nihil est,
Maximianus et ipse nihil:
Illa nihil, quia facta manu;
Hic, manuum quia facta colit:
Frivola utraque, et utraque nihil.
Maximianus opum Dominus,
Et tamen ipse cliens lapidum,
Prostituat, voveatque suis
Numinibus caput ipse suum;
Pectora cur generosa quatit?
Dux bonus, arbiter egregius
Sanguine pascitur innocuo:
Corporibusque piis inhians,
Viscera sobria dilacerat,
Gaudet et excruciare fidem.
Ergo age tortor adure, seca,
Divide membra coacta luto.
Solvere rem fragilem, facile est,
Non penetrabitur interior
Exagitante dolore animus.
Talibus excitus in furias
Prætor, ait; Rape præcipitem
Lictor, et obrue suppliciis.
Sentiat esse deos patrios,

A Ne temneat Principis imperium;
Quam cuperem tamen, ante necem,
Si potis es revocare tuam
Torva Puellula nequitiam!
Respice, gaudia quanta metas,
Quæ tibi fert Genialis honor!
Te lachrymis labefacta domus
Prosequitur, generisque tui
Ingerit anxia nobilitas
Flore quod occidis in tenero,
Proxima dotibus, et thalamo.
Non movet aurea pompa thori?
Non pietas veneranda senum,
Quos temeraria debilitas?
Ecce parata ministeria
B Ex cruciabilibus exitiis.
Aut gladio feriere caput;
Aut laniabere membra feris;
Aut facibus data fumificis,
Flebiliterque ululanda tuis
In cineres resoluta flues.
Hæc, rogo, quis labor est fugere?
Si modicum salis eminulis,
Thuris et exiguum digitis
Tangere Virgo benigna velis,
Pœnam gravem proh aufugeris.
Martyr ad ista, nihil: sed enim
Infremit, inque Tyranni oculos
Sputa jacit: simulachra dehinc
Dissipat, impositamque molam
C Thuripulis pede prosilivit.
Nec mora, Carnifices gemini
Lancea pectora dilacerant
Et latus ungula Virgineum
Pulsat utrumque, et ad ossa secat,
Eulalia numerante notas.
Scriberis ecce mihi, Domine
Quam libet hos apices legere,
Qui tua, Christe, trophæa notant,
Nomen et ipsa sacrum loquitur
Purpura sanguinis eliciti.
Hæc sine fletibus et gemitu
Læta canebat et intrepida:
Dirus abest dolor ex animo,
Membraque tincta cruore novo,
D Fonte culem recalente lavant.
Ultima carnificina dehinc,
Non laceratio vulnifica
Gratis genus, nec arata cutis;
Flamma, sed undique lampadibus
In latera, stomachumque furit.
[cccxli] Crinis et odor ut in jugulos
Fluxerat, involitans humeris,
Quo pudibunda pudicitia,
Virgineusque lateat honos,
Tegmine verticis opposito.
Flamma crepans volat in faciem,
Perque comas vegetata, caput
Occupat, exuperatque apicem;

Virgo citum cupiens obitum,
Appetit et bibit ore rogum.
Emicat inde Columba replens
Martyris os, nive candidior
Visa relinquere, et astra sequi:
Spiritus hic erat Eulaliœ
Lacteolus, celer, innocuus.
Colla fluunt, abeunte anima,
Et rogus igneus emoritur :
Pax datur artubus exanimis,
Flatus in æthera plaudit ovans,
Templaque celsa petit volucer.
Vidit et ipse satelles Avem
Feminæ ab ore meare palam :
Obstupefactus, et attonitus
Prosilit, et sua gesta fugit :
Lictor et ipse fugit pavidus.
Ecce nivem glacialis hyems
Ingerit, et tegit omne forum :
Membraque tegit simul Eulaliæ,
Ossa jacent sub gelido,
Pallioli vice linteoli,
Cedat amor lachrymantum hominum,
Qui celebrare suprema solent :
Flebile cedat et officium ;
Ipsa elementa, jubente Deo,
Exequias tibi, Virgo, ferunt.
Nunc locus Emerita est tumulo
Clara Colonia Vettoniæ,
Quam memorabilis annis Ana
Præterit, et viridante rapax
Gurgite mœnia pulchra pluit.
Hic, ubi marmore perspicuo
Atria luminant alma viator,
Et peregrinus, et indigena:
Reliquias, cineresque sacros
Servat humus veneranda sinu.
Tecta corusca super rutilant
De laquearibus aureolis,
Saxaque cæsa solum variant:
Floribus ut rorulenta putes
Prata rubescere multi modis.
Carpite purpureas violas,
Sanguineosque crocos metite :
Non caret his gemellis hyems,
Laxat et arctat tepens glacies.
Floribus ut cumulet calathos.
Ista comantibus e foliis
Munera, virgo puerque date :
Ast ego serta choro et in medio
Texta feram pede Dactylico,
Vilia, marcida, festa tamen.
Sic venerari ossa libet,
Ossibus Altare et impositum :
Illa Dei ita sub pedibus
Prospicit hæc, populosque suos
Carmine proprio tali foveat.
Laudibus efferant eximiis
Astra, solum, mare, quicquid habet,

A Te Genitor, Genitumque tuum,
Simplicem etiam et Spiritum
Perpetuis resonent modulis.
Festi hujus in laudibus, Domini
Vocibus intonet alma cohors,
Victricem qui fecit Eulaliam,
Socians æthereis civibus perpetim
Trinus, Unus Dominus.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem, *mutato nomine, fol.* CLXXXVII.

Capitula. Jesu, Dei Filius, qui hortum Electorum ingrediens, inter lilia pasceris, quando in corpore tuo, quod est Ecclesia, Sanctarum Virginum cœtibus decoraris, ubi beatissimam Eulaliam mirabiliter
B introducens, ita mirificis eam floribus maluisti fulcire, ut odor virtutum ejus tamquam floscula aromatum ad nos usque descenderet : te supplici intentione rogamus, ut, amotis figuris veteris Testamenti, quæ, velut umbræ, in typicis observationibus præcesserunt, dies illa. Evangelica utique traditio, in nobis aspirando proficiat, qualiter ita exemplo virginis Eulaliæ Evangelii lucem tota devotione sequamur, ut umbras præteriti erroris, et criminis nesciamus.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Deus virtutum, per quem sancta Eulalia, dum ad passionem vadit, ad gloriam pervenit, det vobis, nec vitiorum passionibus adstringi, et a passionum vitiis liberari : ℟. Amen. Quæ sua membra non vitiis, sed pro Deo passionibus subdidit, obti-
C neat vos numquam tentationum certaminibus vinci : ℟. Amen. Ut, sicut illa post passionem obtinuit coronam, ita vos per pœnitentiam veniatis ad veniam. ℟. Amen.

Per misericordiam.

[CCCXLII] *Lauda.* Sicut palma exaltata sum in gaudio. Alleluia. Et sicut oliva speciosa in campis, Alleluia. P. Sicut vitis fructificavi suavitatem odoris. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Domini, sperabo ; et in misericordia Dei mei in æternum, et in sæculum sæculi. P. Sicut vitis. ℣. Gloria, et honor. P. Sicut vitis.

Oratio, Domine Jesu Christe, qui beatam Eulaliam virginem in tenero ætatis statu, nec mundi inlecebris, nec persecutorum permisisti superari tormen-
D tis : in qua munere tuo, nec sexus vincitur, nec affectus ; cujus constantiam nec sævitia, terruit, nec pœna edomuit, nec ungula minuit, nec flamma compescuit ; Hujus ergo deprecatio pro nobis præsente prævaleat, ut mala a nobis præsentia, futuraque removeat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea aperies. *Psalmus* L. *Oratio.* Exultent Domine. *fol.* CLXXX.

Antiphona. Surge, propera sponsa mea, et veni. Jam enim hyems transiit, et recessit. Flores apparuerunt in terram nostram. *P.* Quam pulchra es amica mea, et quam decora ! Pulchriores oculi tui

columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. A ℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospera procede, et regna, propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: et deducet et mirabiliter dextera tua. P. Quam pulchra. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Quam pulchra.

Oratio. Virgo Christi Eulalia, quæ ad vocem vocantis Sponsi surrexisti ad fidem, properasti ad requiem, sponsata de sanguine, formosa Baptismate, ecce jam hyems transiit, imber abiit: quia omnis temporalis tribulatio a te devicta recessit: recedat ergo a nostris mentibus, te orante, impugnatio virtutum: ut, qui credulitatis dono pleni consistimus, sanctitatis ope plenissima fulgeamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Quæ est ista, quæ progreditur ut aurora consurgens, *P.* Pulchra ut luna electa ut sol, B terribilis ut castrorum acies ordinata? ℣. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. P. Pulchra. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Pulchra.

Oratio. Christe Dei Filius, ad quem beata Eulalia desiderabili voto progreditur ut aurora; exaudi plebem tibi supplicantem per eam: tribue nobis, et servare quod sumus a te potentialiter conditi, et copiosus amare quod existimus miseratione redempti: ut et lunæ comparati Ecclesiæ fulgeamus in gremio, et electi ut sol, claritatis niteamus exemplo. ℟. Amen.

Per.

Antiphona. Adventus tuus mihi sicut vitis florescit: et quasi myrrha electa dedisti suavitatem odoris: C P. Et quasi balsamum non mixtum odor tuus: et ut rosa fragrans tabernacula tua. ℣. Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te. *P.* Et quasi. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Et quasi.

Oratio. Mira satis Domine, quod in adventu tuo martyr tua Eulalia quasi vitiis vera fructificans, et quasi myrrha electam odorem gratiæ fidelibus propinans in sæculo, æterno promeretur consolari de præmio: te quæsumus, te rogamus, ut suffragiis ejus, odore virtutum odores criminum fugiamus: ut cœlesti illo inspiramine recreati, cunctorum vitiorum fœtoribus exules reperiamur, et sobrii. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Procede inter lilia opaca, filia Hierusalem: D quia perfecta es decora, et reprehensio in te non est. Ascende quasi sponsa a Libano, et percipe benedictionem fidei. *P.* A Domino Deo tuo. ℣. Veni sponsa a Libano, veni, coronaberis. *P.* A Domino. ℣. Gloria, et honor, *P.* A Domino.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui beatam Eulaliam Virginem. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Antiphona. Vox turturis audita est in terra nostra: vineæ florentes dederunt odorem. *P.* Vox tua suavis, et facies tua decora. Dilectus meus mihi, et ego illi. ℣. Adducentur Regi virgines post eam: proximæ ejus adducentur tibi. *P.* Vox tua. ℣. Gloria, et honor. *P.* Vox tua.

Oratio. Sponsa Christi Dei Filii in oculis fidelium quasi turtur, virgo Eulalia annuis recursibus quodammodo providetur; dum honor sepulchri ejus humanis obtutibus præsentatur, et obsequendus honorifice aperitur; dum vox ejus suavis, et facies ejus pulchrior exundanti claritate fructificat: Concede ergo [CCCXLIII] nobis, ut odor virtutum ejus sopitum cordis nostri sensum ad pœnitentiam excitet; ut, qui nunc percipimus ex odore lætitiam, post percipiamus ex pœnitentiam gloriam indefessam. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Egredere tamquam sponsa consurgens, *P.* Pulchra ut luna, et electa ut sol, et ornata. ℣. Per diem sol non uret te: neque luna per noctem. P. Pulchra. ℣. Gloria, et honor. P. Pulchra.

Oratio. Gloriosa facta est virgo tua, Christe, Eulalia, quæ consurgenti auroræ comparata, pulchra et luna, atque electa ut sol, probatur: dum clariori rutilans lumine, et ut luna plena, clarescit passione, et ut sol flagrans, atque imminutione sui nesciens, sanctitatis persistit in opere: da ergo nobis, ut per eam apud te pro votis obtinere indulgentiam mereamur, qui nunc pro delictis, lachrymas fundimus, vel gemitus exhibemus. ℟. Amen.

Per misericordi m.

Antiphona. Gaude virgo filia Sion, jocundare. et lætare filia Hierusalem: P. Quoniam ecce Rex tuus venit tibi mitis. ℣. Lauda Hierusalem Dominum: conlauda Deum tuum Sion. P. Quoniam ecce. ℣. Gloria, et honor. P. Quoniam ecce.

Oratio. Domine Deus, qui Prophetali vaticinio filiam Hierusalem jocundari, et lætari pronuncias; fac nos in Sacramentis profluentibus exultare et Filii tui Domini nostri operum adsurgere dignitate; ut dum his fidem conjungimus, per intercessum virginis Eulaliæ cœlorum gaudiis potiamur; Per ineffabilem divitiarum tuarum potentiam summe, et admirabilis Deus noster, qui es benedictus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Veni sponsa mea: quam pulchra facta es, et decora valde! Surge, accipe oleum sapientiæ, propera. P. In adventum Domini Dei tui. ℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospera procede, et regna. P. In adventum. ℣. Gloria et honor Patri. P. In adventum.

Oratio. Sponsa Christi virgo Eulalia, quæ pulchra facta es, et decora, quæ oleum sapientiæ accipiens, candorem utique Baptismatis vehis; dum ex Lavacro fidem percipis, per quam inter filias Hierusalem mirifice coronaris: per te, quæsumus, ut candorem castitatis mereamur adtingere, quæ Christo de virginitate meruisti placere: ut per te profectum obtineamus virtutis, per quam devicta est crudelitas persequentis; ut si nomen benedictum in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Gaude et lætare in omni corde, filia Sion : *P.* Ecce Dominus in medio tui fortis exultabit super te in laude. ℣. Delectare in Domino : et dabit tibi petitiones cordis tui. *P.* Ecce Dominus ℣. Gloria, et honor Patri. P. Ecce Dominus.

Oratio. Gaude et lætare filia Sion, quia abstuli-Dominus inimicos tuos, dum te, et in passione victricem, et ab omni contagio hæresum reddidit innocentem ; quæsumus ergo, ut meritis tuis ab omni tentatione salvemur, qui diem tuum venerantes incolimus ; et qui in te vicisse credimus Christum, nos per eum vicisse lætemur impulsiones carnalium passionum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Veni sponsa ad præparatum regnum cœlorum, intra in gaudium, *P.* Et percipe benedictionem a Domino. ℣. Non det in commotionem pedem tuum : neque obdormitet qui custodit te. P. Et percipe. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et percipe.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui beatissimæ martyris tuæ Eulaliæ corpusculum in Cruce pendentem superna adsparsione vestiti, ut et candor virginem, et refrigerium indueret martyrem : adsiste nobis propitius, et tantis in martyre semper ostende beneficiis ; dum per illam, et superna dona prærogas, et martyris excubias miraculis propagas, et Ecclesiæ festa, eadem visitando dignanter inradias. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona, Virgo Israel, ornaberis tympanis tuis, P. Et egredieris in choro psallentium. ℣. Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam : et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. *P.* Et egredieris. ℣. Gloria, et honor. P. Et egredieris.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui animam famulæ tuæ Eulaliæ beatissimæ martyris pro te feliciter triumphantem examinas per flammam, suscipis per columbam, et tibimet copulas in gloria sempiterna : adesto [CCCXLIV] nobis, ut Spiritus martyris non desit supplicantibus in suffragio, qui etiam persequentibus refulsit insigni miraculo ; nec aliquando recedat beneficiis ab Ecclesia, quæ apud te requiescit in cœlesti aula. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

℟. Hæc dicit Dominus : Dilectione æterna dilexi te. P. Propterea attraxi te ad misericodiam. Adhuc ædificabo te, et ædificaberis virgo Israel : tolle tympanum tuum, et procede in choro psallentium, quoniam veniet tibi dies consolationis. ℟. Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, et charitatem desponsationis tuæ. P. Propterea attraxi. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Propterea.

Oratio. Audi, et suscipe precantium vota, dilecta Dei virgo Eulalia, quæ sponsa Christi de fide, soror monstraris esse de sanguine : effluant in nobis flores virtutum, effugiant umbræ tentationum : exemplo tuo proficiamus in melius, ne in deterius consistentes, vitæ dona perdamus : ut cum tempus putationis advenerit; et fides, qua Christum credimus,

A nos liberet a suppliciis, et affectus, qua illi propinquare nitimur, nos ditet muneribus sempiternis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Tu nosti, Domine, quia non comederim in mensa execrationis, nec biberim vinum libaminum : nunquam enim lætata est ancilla tua, nisi in te, Domine.

Canticum Esther (*Cap.* XIV).

Domine mi, rex omnipotens, adjuva me sollicitam, et cujus præter te nullus auxiliator est alius. * Periculum meum in manu mea est.

Audivi enim a patre meo, quod tu Domine tu-

B listi Israel de cunctis gentibus, * et patres nostros ex omnibus retro majoribus suis,

Ut possideres hereditatem sempiternam, * fecistique eis sicut locutus es.

Peccavimus in conspectu tuo, et idcirco tradidisti nos in manu inimicorum nostrorum :

Justus es Domine : * et nunc non eis sufficit, quod durissima nos opprimunt servitute,

Sed robur manuum suarum, idolorum potentiæ deputantes, * volunt tua mutare promissa, et delere hereditatem tuam.

Et claudere ora laudantium, * atque extinguere gloriam templi et altaris tui,

Ut aperiant ora gentium, et laudent idolorum fortitudinem, * et prædicent carnalem regem in sem-

C piternum.

Ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui non sunt, * ne rideat ad ruinam nostram :

Sed convertere consilium eorum super eos, * et eum, qui in nos cœpit sævire, disperde.

Memento Domine, et ostende te nobis in tempore tribulationis nostræ, * et mihi da fiduciam rex deorum, et universæ, Domine, potestatis :

Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, et transfer cor illius in odium hostis nostri, * ut et ipse pereat, et cæteri qui ei concentiunt.

Nos cum libera manu tua adjuva, nullum alium habemus auxiliatorem, * nisi, te, Domine, habens omnium scientiam ; et nosti quod oderim gloriam iniquorum.

Et detester cubile incircumcisorum, * et omnis

D alienigenæ.

Tu scis necessitatem meam, quod oderim signum superbiæ et gloriæ meæ, * quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ.

Et dedester illud quasi pannum menstruatæ, * et quod non comportem illud in diebus silentii mei.

Et quod non comederim in mensa Aman, * nec mihi placuerit convivium regis, nec biberim vinum libaminum :

Et quod numquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in præsentem diem, * nisi in te Domine Deus Abraham.

Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum

qui nullam aliam spem habent, et libera nos de manu iniquorum, et erue me a timore meo.

Oratio. Auxilio tuo, Domine, defendendam, tuendamque nostram committimus imbecillitatem, ut tuum sit, nos evadere de muscipulis impiorum, cujus fuit, venerandam Eulaliam non cedere terroribus persequentium; ac sicut illam atrocitas non terruit sævientis, ita non queant inducere nos decipula oblatrantis; ut ipse unus per nos vincatur suis convitiis et erroribus cunctis, qui expugnatus est per Eulaliam, passione superante. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Ad Benedictus. Antiphona. Filia Sion, benedic Domino Deo excelso in omni benedictione, et laude.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6.

[CCCXLV] *Oratio.* Beata Dei Virgo, quæ in Sion speculatione gloriosa consistis, quam Deus ipse dilexisse testatur, ex quo tibi non recessuram ultra misericordiam pollicetur; da nobis Domine meritis suis, ut amore divino flagrantes, in futuro judicio inveniamur indemnes. Amen. Et adjuti gratia divinitatis illius, qui est pius, et misericors in omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Sono. Alleluia. Egredere post vestigia gregum tuorum, virgo filia Sion, et pasce agnos tuos. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Alleluia. Intra in hortum meum sponsa mea, filia Hierusalem. Ecce flores tui germinabunt in terram. Pasce jam inter lilia, donec respiret dies, et amoveantur umbræ.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis : Alleluia, alleluia : laudate eum in excelsis. Alleluia, alleluia Psalmus CXLVIII.

Lectio libri Ecclesiastici Salomonis (*Cap.* XXIV).

Deo gratias.

Sapientia laudabit animam suam, et in Domino honorabitur, in medio populi sui gloriabitur, in ecclesiis Altissimi aperiet os suum, et in conspectu virtutis illius honorabitur, in medio populi exaltabitur, et in plenitudine sancta admirabitur, in multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur, dicens : Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in montem Sion : quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho : Quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus dilatata sum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum aspalathum aromatizans odorem dedi : quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris : quasi storax, et galbanus, et ungula, et gutta, et quasi libanus non incensus vaporavi habitationem meam, et quasi balsamum non mistum odor meus. Ego quasi terebinthus expandi ramos meos, et rami mei rami honoris et gratiæ. Ego quasi vitis fructificavi odorem suavitatis : et flores mei flores honoris et honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, sanctæ spei. In me gratia omnis vitæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtus. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini : Spiritus enim meus supra mel dulcis, et hereditas mea super mel et favum : Memoria mea in generatione sæculorum. Qui edunt me, adhuc esurient : et qui bibunt me, adhuc sitiunt. Qui audiunt me, non confundentur et qui operantur in me, non peccant. Qui elucidant me, vitam æternam posssidebunt. ℟. Amen.

Hymnus.

Laudem beatæ Eulaliæ
Puro canamus pectore :
Quam Christus inter Martyres
Casto sacravit sanguine.

Quæ clausa duris postibus,
Interque fortes cardines;
Somni, cibique nescia
Christum canebat pervigil.

Custos tremendi luminis
Lux stupebat in vinculis
In Carceris angustia
Mentis beatæ gaudia.

Judex furore turbidus,
Surgit cruentis faucibus,
Et increpat noctis moram,
Sanctam daturus hostiam.

Lentoque primo verbere
Christi puella cæditur ;
Sed consecrare pernegat
Libamen aris impium.

Tunc in reciso stipite
Ductis in altum brachiis,
Latus Puellæ cæditur,
Nudaque flammis uritur.

Victor recedit spiritus,
Corpus relinquens pallidum ;
Quod lege mortis perditum
Reducat ad vitam Deus.

Jam jam quieti psallite,
Patrique laudem dicite,
Christumque laudemus pium,
Simulque Sanctum Spiritum.

Hæc nos redemit Trinitas,
Cujus perennis gloria
In sæcla nescit mori,
Vivens per omne sæculum.

Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi, *mutato nomine*, *fol.* CLXXXVII.

Capitula. Domine Jesu Christe, cui beata Eulalia et virgo placuit, et martyr adhæsit : dum tibi et virgo permanet casta, et pro te extenditur in catasta ; dum tibi corpus servat integrum, et pro te gaudet ungulis exaratum : ejus pudicitiæ, atque victoriæ favens, nobis propitius esse dignare ; ut et immunditiæ nostræ ejus oratione abluantur, [CCCXLVI] et tormenta ejus fortitudine resolvantur.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Sicut palma exaltata sum. *Benedictio.* Deus virtutum. *Require in Vesperis præcedentibus.*

In exeunte Vespera.

Lauda. Lucerna pedibus meis. *fol.* CLX.

Sono. Dominus Deus cœli. *Quære retro in Vesperis præcedentibus.* A

Antiphona. Gaude filia Sion, jubila Filia Hierusalem. *P.* Ecce Rex tuus venit tibi justus, conservans. ℣. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. *P.* Ecce Rex. ℣. Gloria, et honor. *P.* Ecce Rex.

Dominus sit. ℞. Et cum.

Lauda. Specie et pulchritudine. *fol.* CLXXIX.

Hymnus. Laudem beatæ Eulaliæ.

Supplicatio. Oremus Redemptionem. *Quære retro in Laudibus.*

Capitula. Domine Jesu Christe, qui sanctæ Eulaliæ tuæ arcana possidens, ei et virginitatis pudorem, et passionis tribuisti ruborem, dum et pudica in Secreto, et invicta in foro, et illic manet, ut te promereatur, et hic vincit, ut a te coronetur : annue precibus ejus, ut conscientiam nostram ita pudor possideat, ne deserat fortitudo : illic tranquilla maneat, ne contaminetur : hic vincere studeat, ut probetur, Piissime. B

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Dominus Jesus Christus, qui sanctam Eulaliam constantia roboravit, vos in tentatione robustos statuat : ℞. Amen. Qui eam passione glorificavit, a vobis passionum ignominiam tergat : ℞. Amen. Qui illam inter tormenta victricem tortorum fecit, vos inter turbines Mundi eruat ab omni eventu periculi. ℞. Amen.

Lauda. Sicut palma exaltata. *Oratio.* Domine Jesu Christe, qui beatam Eulaliam. *Quære in Vesperis præcedentibus.* C

DIE XII.

IN FESTO SANCTÆ EUGENIÆ VIRGINIS, ET COMITUM EJUS MARTYRUM.

Ad Vesperum.

Lauda. Exortum est. *fol.* CLXII. *Sono.* Gaudete justi. *Fol.* CLXV. *Antiphona.* Viri justi. *fol.* CLXII. *Lauda.* Invocabant Dominum. *fol.* CLXVIII.

Hymnus.

Honore Sanctæ Eugeniæ
Castis canamus laudibus :
Christo fideli jubilo,
Dulci psallamus modulo.
Qui dudum Sanctam Virginem
Puro sacravit pectore,
Mentis arcana possidens,
Sacro nitore inluminat. D
Fidelis Christi famula
Mundi calcat jactantiam,
Arctum callem arripiens,
Vitam cœlestem sequitur.
Castam vitam dum ageret,
Cœnobioque degeret,
Pater effecta Monachis,
Matrem celabat tegmine.
Edax morbi libidinis
Vexat pectus Melantiæ ;
Pulchrum vultumque ut viderat,
Amore cœco carpitur.
Quem Virgo Christi pervidens
Suis pellit eloquiis,
Sævumque virus aspidum,
Certo refutans carmine,
Illa Tribunal Judicis,
Furore armata Dæmonis,
Verbis malignis adpetit,
Castam expugnans animam.
Sed est cremata obscœnitas,
Sancta probatur castitas ;
Præfectus, dum Eugeniam,
Prolem recepit propriam.
Illico temnunt idola :
Reseratur Ecclesia :
Pater in sacerdotio
Martyr dicatus est Christo.
Maxque ab Alexandria
Roma revertit Claudia
Cum prole ; sed Eugenia
Christi sectatur atria.
Tunc cælebsque Eugenia
Prothum, Hyacinthum socios,
Virtute Christi refertos,
Basillæ offert famulos
Divinis mox oraculis
Corda perlustrant Virginis ;
Ob hoc Pompejus dispuit,
Et Christum Deum credidit,
Pro quo ense percutitur,
Et Christo sponso jungitur :
[CCCXLVII] Prothus et Hyacinthus iterum
Plectuntur collo gladio.
Tetris post hæc Eugenia
Bis denis trusa feriis,
Nescia potusque cibi
Mucrone plectitur civis.
Cœlis locatur Spiritus
Sanctorum cum agminibus :
Nos annuis recursibus
Hymnum Deo persolvimus ;
Horum nos, Deus, meritis
Ablatos nunc a vitiis,
Sursum reduc a sordibus,
Reformans sacris sedibus.
Præsta Pater tu inclyte,
Cuncta qui regis cum Prole
Paraclito cum Spiritu
Simul per omne sæculum.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi, *mutato nomine, fol.* CLXXXVII.

Capitula. Videte, videte dilectissimi fratres, mirabilia opera Dei, qualiter Eugenia virgo pro nomine Jesu martyrium sustineret : ut nec undis subjiciatur, nec ardoribus concremetur. Hæc sane fides augebatur, pro qua Dominus noster prædixit, quod in ea se rogantibus, nihil difficile sit : unde hac fide, quæ per dilectionem operatur, rogemus pii Patris clementiam, ut nostras recipiat lachri-

mas, diluat culpas, impertiat gratiam, et arceat quæcumque nobis videntur esse adversa. Si enim rogaverimus eum fiducialiter, spes nobis est, quod exaudiet vocem nostri clamoris, cum ad eum, ea quæ Domino Jesu Christo edocente didicimus, proclamaverimus e terris :

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Deus summus, atque æternus, terribilis, in cujus servitium Eugenia virili habitu, detonsis crinibus, se obtulit servituram, faciat vos dessectis atque recisis curis sæculi, adprehendere vitam immaculatum : ℟. Amen. Quique ejus virginitatem Melantiam fallentem manifestam effecit cuneis populorum, ostendat in vobis divitias misericordiarum suarum ; ℟. Amen. Atque cum illa post transitum mereamini partem habere, quæ pro Christo Domino suo meruit laureari. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Gaudium sempiternum. *fol.* CLXII.

Oratio. Deus, qui sanctis tuis Eugeniæ virgini, et ejus Comitibus martyribus tantam gratiam in passione dedisti, ut insigniter apertum fidei vincerent hostem, quamprimum spiritualiter in sebella sui corporis devicissent : præbe nobis auxilium de tua pietate firmissimum, quo muniti, atque præcincti, et rebellantem spiritui carnem valeamus compescere, et nos ipsos intrepidos studeamus bellis spiritualibus præparare. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Matutinum.

Antiphona. Da nobis. *Psalmus* L. *Oratio.* Redde nobis. *Fol.* CLXIII. *Antiphona.* Sancti tui Domine. *Oratio.* Sanctos tuos Domine Eugeniam et ejus Comites martyris virtute tuæ dexteræ fultos, invicto. *Quære fol.* CLXVI.

Antiphona. Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter, deservientes præceptis tuis, ut invenirentur inlæsi in aqua valida. P. Terra apparuit arida et in mari rubro via sine impedimento. ℣. Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. P. Terra apparuit. ℣. Gloria et honor. P. Terra.

Oratio. Deus, qui Sanctis, *ut hic supra.*

Antiphona. Salus justorum. *fol.* CCLXVIII.

Oratio. Deus, qui et virtutem Sanctis, et sanctimoniæ ornamenta largiris ; hanc Ecclesiam in honorem martyrum Eugeniæ virginis, et ejus Comitum exhibentem, sanctitatis perorna insignibus : ut qui gloriantur victores triumpho stare Martyres, sint æternis Sanctorum tuorum felicitatibus complexi. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Responsorium. Beati qui habent. *fol.* CCXVI.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Diligentes te. *Canticum.* Qui sponte. *Ad Benedictus. Antiphnoa.* Sancti et humiles. *Canticum.* Benedictus es. *Sono.* Salus justorum. *Lauda.* Laudate Dominum. *Fol.* CLXIV. *Prophetia.* Justorum animæ. *Fol.* CLXVII. *Hymnus.* Honore sanctæ Eugeniæ. *Supplicatio.* Oremus. *Capitula.* Videte, videte. *In Vesperis præcedentibus.*

[CCCXLVIII] *Lauda.* Laus Domini in Ecclesia Sanctorum. Alleluia. P. Lætetur Israel in eo qui fecit ipsum Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit. P. Lætetur Israel. ℣. Gloria, et honor. P. Lætetur Israel.

Benedictio. Deus summus atque æternus. *In Vesperis præcedentibus.*

DIE XIV.

IN FESTO SANCTI JUSTI ET ABUNDI.

Ad Vesperum.

Lauda. Exortum est. *Sono.* Gaudete justi. *Fol.* CLXV. *Antiphona.* Gaudium magnum. *Lauda.* Veniet Dominus. *fol.* CCCXXV.

Hymnus.

Vox ecce Vatum vivida personat
Venire Christum, nascique nuntiat ;
Nunc festa cujus plebs pia celebrat ;
Quæ ferens undam lucidam promicat.
Quem Gabrielis vox clara nuntiat ;
Quem Virgo parit, quæ sola rutilat,
Fœtosa Virgoque lactat,
Nutrixque Virgo se cui dedicat.
Cujus dicata passio provocat,
Ut quis fidelis sanguine rubeat,
Et passionis munere polleat,
Utroque sese perimi gaudeat.
Justi, et Abundi quem sequi cursitat
Sacra voluntas ; quem quoque nuntiat
Sequi debere ; qui in fide latitat
Se fore fortem voceque jubilat.
Hos hunc sequentes, perimi judicat
Numerianus, qui Olybrio hoc imperat
Ut Christianos ensi subjiciat,
Christique Servos publicitus opprimat
Justum en Olybrius, ut audii
Furore raptus, nec neve quæritat,
Si Christianus ipse sit explorat :
Sed Christi Servus illico clamitat :
Se esse fidelem : nec mori dubitat.
Præses in ita conterritus provocat
Membra fidelis, nec neve clamitat ;
Ut hunc rotarum ars sæva proterat.
Sed mens ditata minime trepidat ;
Voceque clara cantica jubilat :
Quem sibi Christus ita mirificat,
Ut vota vincens, jam liber offerat.
Ferox Tyrannus vocibus intonat :
Fornax ut atrox ignibus ardeat,
Testis et Almi membra suscipiat,
Offerre thure Martyr ut ambulat,
Aut igni ira concita pereat :
Seque severæ morti subjiciat,
Flammæque rogis citus inhæreat :
Ne contraire præsidi valeat.
Sed quem ditata mens bene sublevat ;
Et meritorum gratia dedicat,
Nec flamma vincit, nec pœna superat ;

Sed igne trusus, illæsus ambulat.
Adhuc Abundus dum pie spectitat,
Sese citatim Martyri sociat;
Mentemque Christo subito delibat;
Ipsique Olybrio vocibus inrogat.
Cujus cum fama præsidi personat;
Infremit ira, terrere inchoat:
Sanctus Abundus, ut idolis cedat;
Illisque cedens thus liber offerat.
Sed quia Sanctus vinci nequiverat.
Justum sodalem facibus imperat
Aduri, cujus ut vita pereat,
Jamque cito discrimini cedat.
Mare sed is qui pedibus ambulat;
Potensque clausos corpore transvolat;
Ignis pœnas hos fugere provocat,
Itemque tutos sistere factitat.
Hos ipse Sanctis æthere sociat,
Et ignis ille flammeus evolat,
Et quos urendo flamma susceperat,
Extrita rore frigida consecrat.
Ut nec capillus capitis ardeat;
Nec ipsa vestis ignibus hæreat;
Sed rore tincta, tutave maneat:
Hæc cuncta regens Spiritus actitat,
Exemplo quorum nunc pius audeat
Quisque fidelis, munus et inferat
Sui precatus, menteque serviat
Qui misertus omnia judicat.
Ipse precantum vota suscipiat:
Et paradisi januam aperiat,
Qui in æthere tonans nos pius adjuvat,
Cunctaque solus dimicare vult.
Sit honor illi, qui solus intonat
De sede poli, cunctaque judicat:
Eique sese lingua subjiciat;
Per omne sæculum carmina concinat.
Amen.

Supplicatio. Oremus. *ut in aliis.*

Capitula. Deus lumen æternum, lucerna inextinguibilis, et lux veritatis, lætifica populum tuum in hac celebritate beatissimorum martyrum tuorum Justi et Abundi: ut [CCCXIX] qui suis meritis contristantur, eorum orationis consolentur.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Obtentu martyrum suorum Justi et Abundi, benedictio Domini vos comitetur in terris, qui illos pro exivit ad cœlos: ℟. Amen. Illorum vos efficiat suffragatione felices, quorum nunc estis solemnitatibus exequentes: ℟. Amen. Ut sicut illi pro justitia certati sunt usque ad mortem; ita et vos eorum sequendo vestigia, liberi properetis ad cœlestia regna. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Fideles in dilectione. *Et omnia alia usque ad Capitulum dicantur successive, ut in festo Cæciliæ virginis, fol.* CCCXXVI.

Capitula. Da nobis, Domine, gaudia felicitatis æternæ, te ut semper gaudere possimus, ne despica-

A bili tristitia obruamur, et in nullo de temporalibus soliciti simus: ut, qui te prope esse jam credimus, mitissimum cum veneris sentiamus.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Fideles in dilectione.

Benedictio. Obtentu Martyrum, *Quære in Vesperis præcedentibus.*

DIE XVIII.

IN FESTO ANNUNCIATIONIS SANCTÆ MARIÆ VIRGINIS.

Ad Vesperum.

Lauda. Virgo Israel, ornare tympanis tuis: P. Et egredere in choro psallentium. ℣. Beata es regina, quæ prospicis quasi lumen. ℣. Et egredere. ℣. Ad stitit regina in vestitu deaurato. P. Et egredere. ℣. Egredere, quasi Luna valde rutilans. P. Et egredere
B ℣. Egredere, quasi sponsa consurgens pulchra, ut Luna. P. Et egredere.

Oratio. Virgo Israel, quæ utique mater Videntis intelligeris, ornare tympanis tuis, id est, membris Ecclesiæ, ut te habeamus patronam in sæculo, quam beatam reginam credimus permanere in futuro: ut prospicientes te lumen credulitatis nostræ sine dubio esse; te interpellante, favorem beatitudinis mereamur firmissime obtinere. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Sono. Apparuit Angelus Mariæ, dicens: Ecce concipies, et paries filium. P. Et vocabis nomen ejus Emmanuel: Alleluia. ℣. Spiritus sanctus veniet in te, virtus excelsi obumbrabit te: quod autem nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. P. Et
C vocabitur. ℣. Gloria, et honor. P. Et vocabitur.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Alleluia: vidi portam in domo Domini clausam: et dixit ad me Angelus: Porta ista, quam vides, non aperietur: neque aliquis per eam transibit. P. Quoniam Dominus Deus Israel egredietur per eam, et erit clausa. ℣. Tollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales: et introibit rex gloriæ. P. Quoniam. ℣. Gloria, et honor. P. Quoniam.

Oratio. Verbum virtutis, et sapientia Patris, quod materni uteri portam nec ingrediens violas, nec conceptus corrumpis Virginem, nec parturitione matrem virginitate privare dignosceris; præsta nobis, ut obtentu suo, quæ te genuit Filium, nobis præro-
D get, quod rogatur: et quæ te meruit sine coitu parere, nos conceptu tuo faciat parturire: ut in portis Sion dilatantes os nostrum, salutis concipiamus spiritum: et sic novæ nationis tuæ prædicemus miraculum, ut cor nostrum fides semper possideat incorrupta. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Dabit vobis Dominus signum in terra: virgo in utero accipiet, et pariet filium, et vocabitis nomen ejus Emmanuel. P. Scitote, gentes, quoniam nobiscum est Deus. ℣. Audi populus meus, et testificabor tibi: Israel, si me audieris. P. Scitote, gentes. ℣. Gloria, et honor. *P.* Scitote, gentes.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Illuminare, Hierusalem, *P.* Ecce rex tuus venit, et majestas Domini obumbravit te. Alleluia, alleluia, alleluia. Lauda, Hierusalem, Dominum: conlauda Deum tuum, Sion. P. Ecce rex tuus. ℣. Gloria, et honor. P. Ecce rex tuus.

Hymnus.

A solis ortus cardine
Adusque terræ limitem,
Christum canamus Principem,
Natum Maria Virgine.

[CCCL] Beatus auctor sæculi,
Servile corpus induit:
Ut carne carnem liberans,
Ne perderet quos condidit,

Clausa parentis viscera
Cælestis intrat gratia:
Venter puellæ bajulat
Secreta, quæ non noverat.

Domus pudici pectoris,
Templum repente fit Dei
Intacta nesciens virum,
Verbo creavit Filium.

Enixa est puerpera:
Quem Gabriel prædixerat;
Quem Matris alvo gestiens,
Clausus Joannes senserat.

Fit porta Christi pervia,
Refecta plena gratia;
Transitque rex, et permanet,
Clausa, ut fuit per sæcula.

Genus superni Numinis
Processit aula Virginis,
Sponsus, Redemptor, Conditor,
Suæ gigas Ecclesiæ.

Honor Matris et gaudium,
Immensa spes credentium,
Per atra mortis pocula
Mundi resolvit crimina.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio.
Cum Spiritu Paraclito,
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem, mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut per interventum et meritum gloriosæ sanctæ Mariæ Virginis et genitricis suæ nobis remissionem peccatorum et pacem propitius donare dignetur. ℟. Præsta, æterne omnipotens Deus:

Kyrie eleison. ℟. Christe eleison: Kyrie eleison.

Capitula. Virgo Christi genitrix, et humani generis reparatrix, implorantium preces auribus offer divinis: ut tuo gaudeamus munere, digni intercessu tuo, peccaminum apud Deum obtinere remissionem, cujus sexus absque pudoris corruptione omnium genuit Salvatorem.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Dominus Jesus Christus, qui olim ex Virgine dignatus est nasci, suæ vos Genitricis intercessu sanctificet; ℟. Amen. Quique matrem servavit a corruptelæ contagio sinum vestris cordis emaculet a delicto; ℟. Amen. Et, qui eam fecit Virginem manere post partuum, cœlum vobis tribuat possidere post transitum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Ecce tempus, dicit Dominus, in quo parturiens generabit. Alleluia. P. Et erit iste pax in æternum. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Audite hæc omnes gentes: auribus percipite, qui habitatis orbem: *P.* Et erit iste. ℣. Gloria, et honor. *P.* Et erit iste.

Oratio. Gratiam plenam habere te credimus, o Virgo Christi genitrix et humani generis reparatrix gloriosa Maria, quæ tanta nobis gaudia pariendo contulisti, ut fructus ventris tui, qui est Christus Filius Dei, a dominio in nos sævientis eriperet inimici, et in regno æterno consortes faceret sibimetipsi. Proinde quæsumus, te rogamus, ut adsis patrona nobis, ut et merito tuo nos Filius tuus a delicto exules reddat, et post in regno suo perenniter habitaturos introducat: præsta nobis, ut qui te concupiscens sibi advocavit in matrem, nobis concupiscentiæ suæ opulentam largiatur dulcedinem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

Ad Matutinum.

Antiphona. Adspersit me Dominus Deus hyssopo. et mundavit me: lavavit me, et supra nivem dealbavit me. *Psalmus.* L.

Oratio. Deus, qui semper, quæ vera sunt, diligis; et quæ sunt occultata tua sapientia manifestas; qui virginalem uterum pro mundi salvatione ingredi dignatus es: adsparge nos hysssopo verbi tui; et munda nos ab iniquitatibus nostris: ut qui tibi soli peccavimus, et malum gessimus coram te; non iratus peccatis tribuas pœnam; sed propitius spiritum rectum, qui te invocet, in nostris infunde visceribus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 1. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu inter mulieres. *P.* Et benedictus fructus ventris tui. ℣. Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. *P.* Et benedictus. [CCCLI] ℣. Gloria, et honor. *P.* Et benedictus.

Oratio. Gratiam plenam habere te. *Quære retro in istis Vesperis præcedentibus.*

Antiphona 2. Magnum miraculum vidimus in Virginis conceptione, ut nec virginitatem amitteret nec genitricum pondera didicisset. *P.* Sola meruit Deum ferre post cœlos: sola meruit Virgo venire post partum. ℣. Domini est terra, et plenitudo ejus: orbis terrarum, et universi qui habitant in eo. P. Sola meruit. ℣. Gloria, et honor. *P.* Sola meruit.

Oratio. Magnum valde miraculum vidimus in Virginis conceptione, ut nec decore pudore careret, nec genitricum onera sustineret: nec enim fas erat, ut illa haberet suspiria, quæ omnium gaudia parie-

bat; aut origo lætitiæ nosceret vim doloris; sic etenim sola meruit virgo venire post partum, quia in ipsa Verbum est caro factum. Ob hoc te precamur, Jesu bone, ut, sicut Genitrici tuæ contulisti hoc præmium, ita nobis miseris adsis concedendo remedium. ℟. Amen.

Per misecordiam.

Antiphona 3. Spiritus Domini superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. P. Propterea, quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei. ℣. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. P. Propterea. ℣. Gloria, et honor. P. Propterea.

Oratio. Sancte Spiritus, qui es sanctificatio Patris, et Filii, inlabere cordibus nostris, ut de, te quæ vera sunt, sapiamus, et quæ vera sunt, confiteamur: bonus enim spiritus es in omnibus, quia omnia, quæ vis, recte vis; tu Virginem nostram replevisti, et alma sanctificationis tuæ gratia inlustrasti: tu ex ea nobis oblationem novam in terram subito protulisti, ut in ejus lumine ambulantes salutem animarum nostrarum consequi mereamur felices. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Missus est a Deo Angelus Gabriel ad Mariam Virginem, dicens: Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu inter mulieres. P. Propterea et, quod nascetur ex et Sanctum vocabitur, Filius Dei. ℣. Spritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. P. Propterea et, quod. ℣. Gloria, et honor. P. Propterea.

Oratio. O sanctissime Gabriel, o fortitudo summi Patris, o nuncius veritatis, o destinator divini mysterii, verissimus adinventor ad Virginem venis, salutas, ut nuncius: obumbras, ut famulus. Ave, inquis, Maria: Meus Dominus tecum: benedictam esse inter mulieres affaris: Verbum ex ea prodire clangis: et ut Filius Dei vocitaretur, mirifica adtestatione profiteris. Ideo petimus, ut tu, qui nuncius veritatis ad Virginem accessisti mirificus, petitionem nostram divinis offer in auribus: et ita per te abdita cognoscamus mysteria, ut numquam incidamus inimici ergastula; ut per ipsum summi Dei Patris Verbum, cui te prævium ad Virginem venire denuncias, habeamus et veniæ redditum, et æternæ patriæ verissimum incolatum. ℟. Amen.

Antiphona 1. In me spes omnis vitæ et virtutis. Ego mater pulchræ dilectionis. P. Et rami mei honoris et gratiæ. ℣. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis. P. Et rami. ℣. Gloria, et honor. P. Et rami.

Oratio. Mira satis, Domine, radix Ecclesiæ tuæ, quæ proficit et crescit usque ad perfectum diem, cujus rami matyres, cujus perpendicula effecti sunt Confessores, inter quos beatissima Virgo Maria genitrix tua, quasi vitis vera fructificans, dum odorem gratiæ fidelibus propinat in sæculo, æterno prometur consolari de præmio: Quæsumus ergo, ut suffragiis ejus odore virtutum odores criminum fugiamus; ut cœlesti illo spiramine recreati a cunctorum vitiorum fœtoribus exules reperiamur, et sobrii. ℟. Amen.

Antiphona 2. Induta es vestimentis gloriæ, et ornata es ornamentis sanctis. P. Et facta es speciosa invocata Domino. ℣. Dominus custodit te ab omni malo: custodit animam tuam Dominus. P. Et facta es. Gloria, et honor. P. Et facta es.

Oratio. Virgo Christi Maria gloriæ nunc vestimentis indata et ornamentis sanctis ornata, quæ utique facta es speciosa, dum invocata a Domino mater efficeris Domini, et electa ancilla Filii, dum aure concipis verbum, et nobis et tibi generas Dominum, concurrentis ad te plebiculæ suscipe vota, [CCCLII] et Filio tuo Domino nostro nostræ servitutis defer obsequia: ut, qui vitiorum impulsu ad prona dilabimur, tuis meritis ad cœlestia sublevemur: et qui meritum ornamentis ornari non possumus tuo interventu a criminibus expiati conceptionis tuæ sacratissimum festum annuis recursibus celebremus. ℟. Amen.

Per misecordiam.

Antiphona. Dedit illi Dominus sapientiam, et beatam fecit eam, et circumcinxit illam zonam gloriæ. P. Et induit eam stolam decoris, et coronavit eam in vasis virtutum. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur. P. Et induit eam. ℣. Gloria, et honor. P Et induit eam.

Oratio. Domine, Deus Pater, qui beatæ Genetrici Filii tui Domini nostri sapientiam contulisti, eum et beatam illam efficis, et gloriæ zonam circumcingis, et stolam decoris induis, scilicet ut virgo concipiat, et virgo pariat, et sui partus gloria toto in mundo dilatata fructificet; da nobis talem spiritus sapientiam, quæ nos coram te beatos efficiat opere, dignitate et splendidos reddat, et indulos decoris stola: ut, sicut Virgo Maria Dei Sapientiam concipiens universæ creaturæ genuit Dominum, ita nos sapientia repleamur, qua tibi efficiamur placabiles in vasis virtutum. ℟. Amen.

Per misecordiam.

℟. Filia Sion, consecrabis Domino multitudines populorum: et tu Bethlehem domus acceptionis paucissima in millibus Juda: ex te prodiet principium regni Israel, P. Cujus progressio ab initio sæculi. Proopter quod tempus parturicutis advenit; et paries velociter Redemptorem omnium filiorum Israel. ℣. Bethlehem civitas Dei summi, ex te prodiit Dominator Israel. P. Cujus progressio. ℣. Gloria, et honor. P. Cujus progressio.

Oratio. Jesu, virtutum omnium Deus, qui per beata Genitricis tuæ mysterium causeras tibi multitudines populorum, dum novo miraculo Virginem conceptione mirabili ditas, et matrem virginitatis honore non privas, ut Incarnationis tuæ mysterium et singulare citra similitudinis exemplar maneret, et admirabile sine aliqua dissertione rationis existeret:

dona nobis, hujus arcana mysterii, et plena fide cognoscere, et pleniori charitatis ardore diligere: ut per hoc, quod de te, quæ vera sunt, credimus: ad hoc, quod de te diligentibus tribuis, ardentibus veniamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 1. Tu turris regis nebulosa, filia Sion, ad te veniet Salvator: P. Et veniet potestas prima regnum filiæ Hierusalem. ℣. Rogate, quæ ad pacem sunt Hierusalem: et abundantia diligentibus te. P. Et veniet. ℣. Gloria, et honor. *P.* Et veniet.

Oratio. Jesu Domine, qui nativitate divina præcedis omnia, et in fine sæculorum nasceris, universa ut redimas, miseris dans in omnipotentia initium rebus, et in humilitate justificationem reddens hominibus, cum nebulosæ turris hospitium ingrederis, et ad eam potestas prima regnaturus accedis: tribue nobis, illo te spiritu confiteri quo per uterum Nirginis humanæ voluisti mortalitati conjungi. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Bethlehem domus Euphrata, non es minima in principibus Juda: ex te egredietur rex, qui regat populum meum Israel. P. Et egressus ejus a diebus æternitatis. ℣. Mater Sion dicet: Homo, et homo factus est in ea: et ipse fundavit eam Altissimus. P. Et egressus ℣. Gloria, et honor. P. Et egressus.

Oratio. Magna est, Domine, Bethlehem civitas, illa Incarnaionis tuæ altrix, Prophetarum inlustrata præconis; dum ex ea prodituris adnunciaris, et in ea gloriosus ostenderis: cum illic specie et pulchritiudine beatissimam matrem tuam ac virginem decorasti Mariam, quæ te merito incorrupta edidit sicut incorrupta concepit. Adesto proinde miseris nobis precibus ejus adsiduis: ut, sicut illam generatio tua provexit ad laudem, ita nos ejus merita provehant ad salutem. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Virgo Israel, revertere ad civitates tuas. Usquequo dolens averteris? P. Generabis Dominum Salvatorem oblationem novam in terra ambulabunt homines in salvatione. ℣. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. P. Generabis Dominum. ℣. Gloria, et honor. P. Generabis Dominum.

Oratio. Jesu Domine, qui nasciturus ex Virgine, et caput Serpentis autiqui, et totius delectationis contagia proculcasti, dum te oblationem novam Virgo mater parturiret in terris, quam exulare cupiebat serpens e sedibus suis; largire nubis, ita serpentis hujus [CCCLIII] mysticum, omniunque peccaminum odire contactum, ut te solum anima nostra diligat, quem et inimicus retributione percipiat, et in ærnitatis delectatione possideat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Audite signum a Domino, plebs Dei: Inventa est virgo in utero habens de Spiritu Sancto: et nomen Virginis Maria: Spiritus enim Sanctus supervenit illi, et virtus Altissimi obnmbravit eam; ut adimple-

A retur, quod dictum est per Prophetam a Domino: Ecce virgo habebit filium, P. Et nomen ejus Emmanuel vocabitur. ℣. Venit Angelus Domini ad Mariam Virginem, dicens: Ecce concipies, et paries filium, P. Et nomen ejus. ℟. Gloria, et honor. P. Et nomen.

Oratio. Ineffabile unigenitum Patris ingeniti Verbum, quo nascente pudor matris Virginis claruit, et claritas novæ generationis inluxit: te enim faciente, acta sunt cuncta, quæ Incarnationis tuæ mysterio credimus operata; scilicet, quod Angelus Joseph viro Genitricis tuæ apparuit, quod de te in ea natum de Spiritu Sancto esse prædixit: præsta ita proinde nobis, quæsumus, meritis sanctœ Matris tuæ et Virginis, ut, conceptione Sancti Spiritus fœcundati, sic
B te concipiamus in corde, ut non aliud, quam te, semper parturiamus in opere. ℟. Amen.

Antiphona 1. Magnificat anima mea Dominum et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. *P.* Quoniam rexpexit humilitatem ancillæ suæ. ℣. Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? P. Quoniam respexit. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Quoniam respexit.

Oratio. Quanta tibi sanctissima Virgo Dei et mater, divina pietas magna et ampliora distribuit, ut, cum esses virgo terrigena, facta es Attissimi mater et vernula: ut, qui sanctum ipsius nomen in omni generatione et prosapia nunciasti, nobis infirmis succurrat detersa male rancoris suggestione: Et, qui tibi adfuit optimus habitor, in nobis præesse dignetur mitis-
C simus retributor: ut per unum Deum in Trinitate perfectum et credulitatis merita vigeant, et distributionis gaudia coalescant; et quia immeriti hoc deposcimus, tu regina et mater creatoris omnium sæculorum et per te fruam urparadisi florea rura qui integra permansisti virgo Deifica. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Ipsi soli sum sponsata cui Angeli serviunt, cujus pulchridinem Sol et Luna mirantur. P. Et ipsi soli servo fidem, ipsi me tota devotione commendo. ℣. Ad ipsum ore meo clamavi, et exultavi sub lingua mea. P. Et ipsi soli. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Ipsi soli.

Oratio. Jesu, Dei Filius, qui beatissimam Mariam sic Virginem adprobas, ut matrem ostendas: sic ma-
D trem honoras, ut virginem admirabili conceptu efficias, dum tua Deitas ad eam Angelum destinat, a quo se inter mulieres audiat benedictam: concede supplici familiæ tuæ, ut ad instar ejus cor nostrum castitate fructificet, et jussis tuis obsequi non recuset: quo cum ea mereamur ultimo Judicii tempore a dextris tuis adsistere, quam nunc credimus virginem te veraciter generasse. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Gyrum cæli circuivi sola, et in fluctibus maris ambulavi: In omnem terram, et in omni populo primatum habui: superborum et humilium colla propria virtute calcavi. ℣. Donec intrem in

sanctuarium Dei : intelligam in novissima. *P.* Et in omni. ℣. Gloria, et honor. *P.* Et in omni.

Oratio. Christe, Dei Sapientia summi Patris et Verbum, qui ædificas tibi comptissimam domum, Mariæ Virginis uterum, in qua ipse cœlestis justitia prospicis, et de qua fructum benignitatis tuæ producis, dum in ea et absque veste corporea Deus ingrederis, et de qua vestitus carne procedis ; præsta nobis supplicibus tuis, ut sanctificatam nos tibi domum efficias de qua, ut sponsus procedens, operum nostrorum dignitate circumfultus appareas. ℟. Amen.

℟. Placuit Deo castitas et immaculata virginitas ; *P.* Propter hoc in utero ejus ingressa est sancta pietas : de Verbo partum ostendit admirabilem genuisse Virginem Deum et hominem. ℣. Adnunciaverunt cœli justitiam ejus : et viderunt omnes populi gloriam ejus. P. Propter. ℣. Gloria, et honor. *P.* Propter.

Oratio. Decantet tibi, Domine, omnis creatura canticum novum, qui in Virgine Maria ostendisti novæ parturitionis miraculum : ut femina circumdaret virum, et virgo sine viri coitu virilem pareret sexum : [CCCLIV] Præsta igitur nobis ejus suffragio tueri in sæculo, quæ te partu edidit incorrupto : mens nostra fulgore Sancti Spiritus vegetata, ita amorem tuæ dilectionis concipiat, ut bonorum semper actuum parturiat incrementa. ℟. Amen. Per misericordiam.

Antiphona. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph adnuncians Verbum ; et expavescit Virgo de lumine : Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Dominum. *P.* Ecce concipies, et paries : et vocabitur Altissimi Filius. ℣. Quia rectus est sermo Domini, et omnia opera ejus in fide. P Ecce concipies. ℣. Cloria, et honor. P. Ecce concipies.

Oratio. Sancta Dei Genitrix, quæ salutata ab Angelo, aure concipis Verbum, fide maturas obsequium, carne generas Filium, de lumine expavescens, de gratia præveniente confidens ; supplicum vota efficax accipe plebium, et preces opulenter remunera singulorum, ut materno cunctos gremio solaturos (*sic*) accipiens, quos in hac peregrinatione ad te concurrentes respicis cernuos, Jesu Christo filio tuo Domino nostro repræsentes inlæsos. ℟. Amen. Per.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. Et misericordia ejus in omni progenie in generatione.

Canticum (*Lucæ* I).

Magnificat anima mea Dominum : * et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ :

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. * Quia fecit mihi magna qui potens est,

Et sanctum nomen ejus. Et misericordia ejus A in omni progenie et generatione * super timentes eum.

Fecit potentiam in brachio suo : * dispersit superbos mente intellectus cordis eorum.

Deposuit potentes de sede, * et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis : * et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum, * memor misericordiæ suæ :

Quæ locutus est ad patres nostros, Abraham, * et semini ejus usque in sæculum.

Gloria, et honor.

Oratio. Magnificat ecce te, Domine, redemptorem nostrum beatæ Genitricis voce omnis conventus Ecclesiæ : quia respexisti humilitatem Ancillæ tuæ, B cum te et Virgo sancta concepit : et Ecclesia credendo cognovit : cum de illa prodieris ; et istam redimeres : cum illam beatam dicunt omnes gentes ; in istam beatificentur populorum omnium nationes : Suscipe ergo, Domine, Israel populum tuum, memor misericordiæ tuæ ; qui locutus es patribus nostris : ut complementum sit Divinæ promissionis, totius Mundi redemptio singularis. ℟. Amen. Per misericordiam.

Ad Benedictus. Antiphona. Benedictio, et honor, et gloria, et potestas Deo nostro : quoniam venerunt nuptiæ Agni, gaudeamus, et lætemur in eo.

Canticum. Benedictus. *fol.* 6.

Sono. Apparuit Angelus Mariæ. *Quære in retro in Vesperis præcedentibus.*

C *Lauda.* Laudate Dominum de Cœlis Alleluia : laudate eum in excelsis, Alleluia, alleluia, alleluia. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Ezechielis Prophetæ (*Cap.* XLIII).

℟. Deo gratias.

Facta est super me manus Domini, et elevavit me spiritus, et duxit me ad portam, quæ respiciebat ad viam Orientalem. Et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur : et vox erat ei quasi vox aquarum multarum, et terra splendebat a majestate ejus. Et cecidi super faciem meam. Et majestas Domini ingressa est Domini domum. Et audivi loquentem ad me de domo, et vir qui stabat juxta me, dixit ad me : Fili hominis, locus solii mei, et locus vestigii pedum meorum, ubi habito in æternum. *Capit.* 44. Post D hæc converti me ad vitam portæ sanctuarii, quæ respiciebat ad Orientem : quæ erat clausa. Et dixit Dominus ad me : Porta ista, quam vides clausa, non aperietur : et vir non transibit per eam : quoniam Dominus Deus Israel ingredietur per eam, et erit clausa principi. Et princeps ipse sedit in ea, ut comedat panem coram Domino. Rursumque vidi : Et ecce gloria Domini implevit domum Dei, et audivi vocem dicentis : [CCCLV] Benedicta gloria Domini de loco sancto suo. ℟. Amen.

Hymnus.

A solis ortus cardine
Et usque terræ limitem,
Christum canamus Principem,

Natum Maria Virgine.
Gaudete quicquid gentium
Judæa, Roma, et Græcia,
Ægyptus, Thrax, Persa, Scytha,
Rex unus omnes possidet.
Laudate vestrum Principem
Omnes beati ac perditi;
Ubi imbecilli, ac mortui,
Jam nemo post hæc mortuus.
Fit porta Christi pervia,
Referta plena gratia;
Transitque rex, et permanet
Clausa, ut fuit per sæcula.
Genus superni numinis
Processit aula Virginis,
Sponsus, Redemptor, Conditor,
Suæ gigas Ecclesiæ.
Honor Matris et gaudium,
Immensa spes credentium
Per atra Mortis pocula
Resolvit nostra crimina.
Lapis de monte veniens,
Mundumque replens gratia.
Quem non præcissum manibus
Vates vetusti nunciant.
Qui, verbum, caro factus est
Præconio Angelico,
De claustris virginalibus
Virginis virgo natus est.
Rorem dederunt æthera
Nubesque Justum foderunt;
Patens excepit Dominum
Terra salutem generans.
Mirabilis conceptio
Christum protulit sobolem,
Ut Virgo partum funderet,
Post partum virgo sisteret.
Exultet omnis anima
Nunc Redemptorem gentium,
Mundi venisse Dominum
Redimere quos condidit.
Creator cuncti generis.
Orbis, quem totus non capit,
In tua, sancta Genitrix,
Sese reclausit viscera:
Quem, Pater ante tempora
Deus, Deumque genuit,
Matris alma virginitas
Cum tempore partum edidit,
Tollens cuncta facinora,
Et donans sancta munera,
Augmentum lucis adferens,
Tenebris damnum inferens.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
In sempiterna sæcula.
Amen.

A *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

Capitula. O sacratissima Verbi ancilla et mater, quam ostendit generatio Virginem, et virginitas comprobat Genitricem! patulo pietatis sinu concurrentem ad te populum suscipe: Tu profusis pietatis visceribus pascitos gregem, quem suo Filius ex te progrediens mercatus est sanguine: tu præbe ubera creandis, quæ nutrix facta es creatoris; tuo obsequio servitutis uæ glorifica, quos tibi dari inspicis obsequelam: simus tuo præmuniti suffragio præsidioque, qui suavi servitio tuo servitutis tuæ delectamur perfrui jugo: ut omnes, qui ob honorem Conceptionis tuæ hoc in loco tuis decantamus in laudibus, in tua perpetim servitute vivamus, ve-
B nientes ad eum, explosa criminum labe, cujus te votivis excolimus officiis Genitricem; ut et hic nos tu multiplici affectu tuearis in sæculum, et post ex te genitus regnaturos possideat in æternum; qui nos docuit orare, et dicere:

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Ecce tempus, dicit Dominus. *Benedictio.* Dominus Jesus Christus, qui olim ex Virgine. *Quære retro in Vesperis præcedentibus.*

In exeunte Vespera.

Lauda. Virgo Israel, ornare tympanis tuis. *Sono.* Apparuit Angelus Mariæ, dicens; Ecce. *Quære retro in primis Vesperis.*

Antiphona. O quam magnum miraculum inauditum! Virtus de cœlo prospexit, obumbravit uterum
C Virginis, P. Potens est majestas includi infra cubiculum cordis, januis clausis. ℣. Veritas de terra orta est: et justitia de cœlo prospexit. P. Potens est. ℣. Gloria, et honor. P. Potens est.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Beata sum, quæ credidi; P. Quoniam implebuntur omnia, quæ dicta sunt mihi a Domino. Alleluia, alleluia. ℣. Deus, [CCCLVI] canticum novum cantabo tibi: in psalterio decem chordarum psallam tibi. P. Quoniam implebuntur. ℣. Gloria, et honor. P. Quoniam.

Hymnus. A solis ortus. *Supplicatio.* Oremus. *Quære in primis Vesperis.*

Capitula. Beata est, Christe, gloriosa sæculi dominatrix Maria virgo tua, quæ ab Angelo credidit,
D quod perficerentur ea, quæ a Domino dicta sunt illi: præsta ergo nobis, exposcimus, ut, qui conceptum Virginis celebrantes peregimus, ad festum nativitatis tuæ emaculatis cordibus veniamus.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Verbum, quod matrem fecit, ut Virgo maneret, nobis adtribuat virginitatis opem: ℟. Amen. Et qui intacta ejus servavit viscera ventris, Custos dignetur vester adesse jugis; ℟. Amen. Ut, qui conceptum matris celebratis ovando, Lux sitis in mundo, justificante Deo. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Ecce tempus, dicit Dominus, in quo,

Oratio. Gratiam plenam habere. *Quære retro in primis in Vesperis.*

DIE XXI.

IN FESTO SANCTI THOMÆ APOSTOLI.

Ad Vesperum.

Lauda. Gloria, et honore. *fol.* CLIX. *Sono.* Deus præcinxit me. *fol.* CLVI.

Antiphona. Coronavit eum Dominus, et benedixit et dilexit illum. *P.* Et supra multa munera constituit eum. ℣. Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium. *P.* Et supra. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Et supra.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Corona gratiarum coronavit eum Dominus. P. Et corona deliciarum protexit illum. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis. P. Et corona. ℣. Gloria, et honor. P. Et corona.

Hymnus.

Festum, Christe Rex, per orbem
Inluxit almificum,
In quo tibi confitetur
Cuncta cohors fidelium
Gloriam, persolvunt hymnum
Pro triumphis Martyrum.

Gloriosus, ecce, tuusque
Thomas, Discipulus,
Cicatrices contractando,
Creditus est Dominus:
Inter fratres gloriosus
Extitit Apostolus.

Nuncius venit de Indis,
Quærere artificem:
Architectum construere
Regium palatium:
In foro deambulabat
Cunctorum venalium.

Habeo servum fidelem,
Locutus est Dominus,
Ut exquiris talem, aptum
Esse hunc artificem:
Abbanes videns, et gaudens,
Suscepit Apostolum.

Traditur Regis ministris
Sanctus Dei Apostolus:
Eliophorum ingressus,
Suscepit convivio;
Digna sui percussoris
Reddita est ultio.

Rex ut vidit, et audivit
Insigne miraculum,
Juvenes, ut benedicat,
Supplicanter postulat:
Sic Baptismo candidatos
Consecrat velamine.

Gundaphorus Rex Indorum,
Iniquus, ac perfidus,
Romanorum more, sibi
Voluit palatium;
Hujus opus construere
Præcipit Apostolo.

Sed beatus, atque sanctus
Didymus Apostolus
Erogando Regis aurum,
Construit palatium,
Rutilum, coruscum gemmis,
In supernis sedibus.

Carcere mox Rex Abbanem
Trusit cum Apostolo:
Gath infirmus Regis frater
Migra ab hoc sæculo;
Cœlo ductus vidit dignum,
Fratrisque palatium.

Angeli expetunt Christo;
Ut resurgat mortuus;
[CCCLVII] Gundaphoro reddat aurum:
Emat ædificium,
Et resolvat vinculatum
Domini Discipulum.

Illico surgens, exponit
Sacrum regi ordinem:
In carcerem deinde petit;
Ejicit Apostolum,
Obsecrant undique fratres
Veniamque criminum.

Nunc Thomas in campum vocat
Populos Indanicos;
Lapidem conscendit altum,
Corda mulcet gentium;
Per Baptisma pollicetur
Veniam peccaminum.

Indiam superiorem
Visitans adgreditur,
Dogma Christi prædicando,
Fundavit Ecclesiam;
Infinita per Baptisma
Consecravit millia.

Mira quippe, ac stupenda
Faciens miracula,
Sinticæque restauravit
Corporalia lumina;
Laticis perfundit undam,
Illam et Mindoniam.

Christiania jam probata
Regis uxor Treptia,
Regnum Christi concupiscens,
Respuit terrestria,
Ulcerosus scaber
Ut sanetur, postulat.

Precibus Thomæ a Christo
Angelus dirigitur,
Exuit in parte totam
Ulcerosam tunicam;
Novæ cutis indumenta
Vestivit corporea.

Templum Solis comminutum,
Corruit cum idolo;
Ac metallum pretiosum

Solvitur in pulverem
Rex illius civitatis
Fugit cum Caristo.
Tunc sacerdos idolorum
Furibundus astitit
Gladio transverberavit
Sanctum Christi Martyrem
Glorioso passionis
Laureatum sanguine.
O beata inter omnes
Edessena civitas,
Quæ pignus suscepit almum
Domini Discipulum,
Ubi corpus requiescit
Cum honore conditum.
Inde cuncti te precamur
Summi Patris Filium,
Mitte nobis de supernis
Invictum auxilium :
Ut credentes evadamus,
Æternum supplicium ;
Ut sub uno cuncta cohors
Conjuncta fidelium,
Te sequamur, te canamus,
Te fruamur perpetim :
Humili confessione
Proclamemus gloriam.
Gloria Patri, etc.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi, *mutato nomine, folio* CLXXXVII.

Capitula. Domine Deus, omnipotens Pater, qui regnas in æternum, et in sæculum sæculi, qui in lumine habitas, incomprehensibilis : Deus qui cœlum, terramque firmasti : qui duo luminaria magna fecisti : Deus qui hominum genus condidisti, ut te non solum cœlestia, sed etiam terrestria conditorem suum congrua laudatione magnificarent : qui Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum ad nos de sede Gloriæ tuæ dirigere dignatus es, qui nos ab originali delicto liberaret, et tibi Deo, ut pius Dominus reformaret ; ut hominem, quem invidus prædo sua deceptione demerserat in infernum, ejus invicta potentia ad sedem, undenum quam discesserat, sublevaret in cœlum ; rogamus te, Domine, ut in hujus vespertini sacrificii hora incensi, ob honorem sancti Thomæ Apostoli, et martyris tui, plebi tuæ propitieris, et abstergas ab eis sordes cuncti delicti : ut qui in nomine tuo vicit callidum hostem, pro nobis famulis tuis ferre non deneget opem : ut et de diaboli insidiatoris muscipula liberemur : et, cunctis peccatis abstersis, cum Sanctis tuis in regno tuo pariter tripudiemus, Piissime :

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Omnipotens Deus per interventum beatissimi Apostoli sui Thomæ veniam vobis delictorum tribuat, et culpas vestras miseratus ignoscat. ℟. Amen. Peccata vestra a vobis sustollat, et delicta vestra laxando [CCCLVIII] dimittat. ℟. Amen. Criminum vestrorum maculas abluat ; et intercedente A beatissimo Apostolo suo, indulgentiam vobis propitius, concedat. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius, etc.

Lauda. Statuit Dominus. *fol.* CLVII.

Oratio. Omnipotens Deus qui Martyrem tuum Thomam Apostolum in miseratione, et misericordia coronasti : dum illi, et in te credere, et per te pati donasti : ut temporalem sustinens pœnam, coronam raperet sempiternam : intercessione ejus præsta nobis famulis tuis, ut si passionis eminentiam non attingimus, passionis ignorantia careamus : ut quibus virtutum tituli non adscribantur ad gloriam, vitiorum dedecora deleantur, nec veniamus in pœnam. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Ad Matutinum. Antiphona. Labia mea aperies
B *Psalmus I. Oratio.* Exultent Domine. *fol.* CLXXX.

Antiphona. Posuisti Domine super caput ejus coronam de lapide pretioso. P. Gloriam, et magnum decorem super eum imponens. ℣. Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit. P. Gloriam, et magnum. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Gloriam.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui posuisti in capite martyris tui Thomæ Apostoli coronam de lapide pretioso, in fundamento fundatam : ut non confundatur, quia in te credidit : coronetur, quia pro te animam posuit : Sit ergo intercessionibus ejus in nobis famulis tuis fides vera qua in te credamus ; confessio sedula, qua etiam coram persecutoribus promptissima devotione confiteamur : quatenus in-
C terveniente tanto Martyre, coram te, et Angelis tuis minime confundamur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Perfectio, et doctrina viro sancto tuo, quem probasti, Domine, in tentatione ; obtulit thymiama in conspectu tuo, P. Et adolevit incensum super altare tuum. ℣. Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium. P. Et adolevit. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et adolevit.

Oratio. Omnipotens Deus, qui martyrem tuum, *ut supra in Vesperis.*

Antiphona. Protexisti eum, Domine, a conventu malignantium Alleluia, P. Et a multitudine operantium iniquitatem Alleluia. ℣. Jocunditatem fecisti cum servo tuo Domine, secundum verbum tuum. P. Et
D a multitudinem. ℣. Gloria, et honor. P. Et a multitudine.

Oratio. Deus, qui vitam sancti tui Thomæ Apostoli martyris, ea ratione erexisti, ut ille coronaretur meritis, nosque provocaremur exemplis ; tribue, ut cujus hodie natalitii diem debito honore veneramur, ipsi defensori ante conspectum majestatis tuæ sociemur. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

℟. Inveni unum justum, qui placuit ante me, et dedi signum meum inter me et ipsum : ut dum cœperit sacrificare mihi, odorabo odorem suavitatis ; P. Et memor ero testamenti sancti mei : ut jam ultra non deleam universam carnem. ℣. Quoniam in me speravit, liberabo eum : protegam eum, quo-

niam cognovit nomen meum. *P.* Et memor. Ṽ. Gloria, et honor Patri. P. Et memor. A

Aliud. ℟. Alleluia. In labiis justi hærebit gratia : os ejus quæretur in Ecclesia, et verba illius P. Cogitabunt recta Alleluia, alleluia. Ṽ. De ore justi procedunt mella : dulcedo mellis est lingua ejus : favum distillans labia ejus. P. Cogitabunt. Ṽ. Gloria, et honor. P. Cogitabunt.

Oratio. Præsta nobis, omnipotens Deus, beatissimi testis tui Thomæ Apostoli assiduum patrocinium : ut ejus quoque præclarum assequi mereamur exemplum, et sentientes impensissime suffragantem, sequamur fortissime præliantem. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus, etc.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Lætor in sanctitate. *Canticum.* Confirmatum est cor meum. *Ad Benedictus. Antiphona.* Benedictio Domini in mercedem justi festinat. *Canticum.* Benedictus es Domine Deus. *folio* 6. *Sono.* Deus præcinxit me virtutem. *folio* CLVI. *Lauda.* Laudate Dominum. P*salmus* CXLVIII. B

[CCCLIX] *Lectio libri Ecclesiastici Salomonis* (*Cap.* XXXI).

℟. Deo gratias.

Beatus vir, qui inventus est sine macula : qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniam et thesauros. Quis est hic, et laudabimus eum ? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo, et perfectus inventus est, et erit illi gloria æterna : qui potuit transgredi, et non est trangressus ; et facere mala, et non fecit : ideo stabilita sunt bona illius in Deo, et eleemosynas illius enarrabit Ecclesia sanctorum. ℟. Amen. C

Hymnus.

Cunctus mundus patule triumphat :
Jesus e cœlis veniens coruscat,
Cujus adventu renovatur orbis
Perpetim omnis,
Promite ob Thomæ gens mores beatos :
Hinc dies summus dicatur almus,
Quod fidem Christi cecinens in Indos,
Numerat illos.
Sanctus, et conscius Patriæ supernæ,
Gentem adquirit pietate Christi ;
Rite conjunxit sibi Hymnum
Illa potenter. D
Ædem exponit nimiam in arvam
Regis ipsorum merito fruendam,
Quem potius reserata ibidem
Intulit illam.
Inde hic Martyr inciditur serris,
Sanctus accitus, inlita cruore
Membra sic ponit, succurrat terra
In die altera.
Doctus insignia socius peremptus :
Aulam frater pater parat, et Redemptori
Copiam reddens, Creatori nostro
Illico parens.
Christe cum Sanctis veneris in die.
Adtrahe Princeps populos jam ad te ;
Ignem atrocem fugiamus : ipsumque
Cœlitùs canâmus.
Gloriam psallat Chorus, et resùltet :
Gloriam dicat, canat, et revolvat :
Nomini Trino, Deitati soli
Sidera clament.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi, *ut supra.*

Capitula. Exaudi, Domine, has familiæ tuæ voces, quas humiliter in preces fundimus ; et propitiatus tribue, quæ supplices deprecamur : ut qui hunc celeberrimum diem in honorem beatissimi martyris tui Thomæ Apostoli colimus, tam digni omnes inveniamur in hoc ipso nostræ devotionis obsequio, quam ille hoc suo potuit obtinere suffragio, quo te jubente, dicamus :

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. In Psalterio et cithara. *fol* CLX.

Benedictio. Beatissimi Martyris Thomæ Apostoli vos Dominus intercessione custodiat. ℟. Amen. Sperantium in se necessitates placatus intendat ; ℟. Amen. Et supplicantium culpas propiciatus dimittat: ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui est benedictus, et vivit, etc.

Dominus sit semper vobiscum, ℟. Et cum spiritu tuo.

DIE XXX.

IN FESTO SANTI JACOBI APOSTOLI FRATRIS SANCTI JOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

Ad Vesperum.

Lauda. Exortum est. *Sono.* Justorum animæ. *fol.* CLXII.

Antiphona. Dabo sanctis meis regnum in Hierusalem : lignum enim vitæ in odorem unguenti. P. Et non laborabunt, neque fatigabuntur. Ṽ. Qui confidunt in Domino sicut mons Sion : non commovebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem. P. Et non. Ṽ. Gloria, et honor. *P.* Et non.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Sanguinem sanctorum. *fol.* CLXII.

Hymnus.

O Dei Verbum Patris ore proditum,
Rerum Creator, et verum principium,
Auctor perennis, lux, origo luminis,
Enixus alvo gloriosæ Virginis,
Christe tu noster revera Emmanuel,
Rex, et sacerdos, cui sacri lapides
En ter quaterni onychinus, achates,
Nitens beryllus, saphirus, carbunculus,
Vel amethystus, sardius, topazius,
Smaragdus, iaspis, ligurius, chrysolitus.
Riteque gemmis Sol, dies, duodenis
Enitens horis, margaritis optimis,
Inluxit mundo jam fugatis tenebris,
Et candelabro tibi superposito,
[CCCLX] Micans lucernis bis senis Apostolis.
Petrusque Romam, frater ejus Achajam,
Indiam Thomas, Levi Macedoniam,

Jacobus Jebus, et Ægyptum Zelotes,
Bartholomæus tenens Lycaoniam
Mathias Pontum, et Philippus Gallias.
Magni deinde filii tonitrui,
Adepti fulgent prece Matris inclytæ
Utrique vitæ culminis insignia :
Regens Joannes dextram solus Asiam,
Ejusque frater potitus Hispaniam.
Clari Magistro, clateris innoxia
Adsciti dextram, pacis unus fœdera
Tractus : sinistram alter in sententiam,
Utrique regna, bis electa pignora,
Mitridepoli properant ad gloriam.
Advectus, inquam, gloriosus præmio,
Electus isthinc abitur martyrio,
Christi vocatur Zebedæi Jacobus,
Apostolatus jure implens debita,
Victorque rapit passionis stigmata.
Divino quippe obsitus suffragio
Idem Magorum sontes iras, dæmonum
Coercens virus, punit æmulantia :
Vivaxque demum in stolis, oraculis
In signo detur pœnitens cor credulum.
Perplexus olim voti compos commodat.
Rima petenti ægro adminicula :
Optanti pandit fidei charismata,
Vexilla pacis ad salutis copiam,
Enseque functus se communit gloria.
O vere digne sanctior Apostole
Caput refulgens aureum Hispaniæ !
Tutorque nobis, et patronus vernulus,
Vitando pestem, esto salus cœlitus :
Omnino pelle morbum, ulcus, facinus.
Adesto favens gregi, pius creditor,
Mitisque pastor gregi, clero, populo ;
Ope superna ut fruamur gaudio :
Regno potiti vestiamur gloria
Æterna : per te evadamus tartarum.
Præsta, quæsumus, Unica potentia,
Replensque gloria cunctam solus machinam,
Virtus perennis ingens, adesto gloria
Æterna ; cujus laus est et clementia :
Et honor jugis affatim per sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem, *mutato nomine, fol.* CLXXXVII.

Capitula. Subjuga, Clementissime Deus, nostras tuo jugo cervices ; ut onus tuum, quod amantibus leve est, ita optabili devotione feramus, sicut Jacobus Apostolus tuus pro innexo collo suo fune ad passionem tractus est lætabundus : atque hoc miraculo cor inludentis sibi ita compunxit, ut eum sacramentis instructum fidei, faceret ad gloriam pervenire martyrii : sicque ipse post in confessione Filii tui capite desecto interemptus occubuit perveniens ad eum in pace ; pro quo hanc sustinuit passionem : Ipse est enim Unigenitus tuus Filius, qui dedit animam suam redemptionem pro multis ; per A quem nostris, tu Deus Pater, jubeas parcere delictis.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Deus, Dei Patris Filius, quem Jacobus, relicto patre in navi, tota secutus est intentione cordis, indesinenter vos faciat suis inhærere vestigiis : ℟. Amen. Quique hoc Apostolo cultores dæmonum convertit ad fidem, concedat nobis vana sæculi respuendo, se in veritate diligere ; ℟. Amen. Ut ejus remuneremini præsidiis, cujus hodie triumphum excolitis passionis. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Gaudium sempiternum. *fol.* CLXII.

Oratio. Christus, cujus virtus, atque potentia tantum in Apostolo tuo Jacobo emicuit, ut in no- B mine tuo emissis a se dæmoniorum catervis potentialiter meruit imperare ; tu Ecclesiam tuam ab adversantium impugnatione defende : ut virtute spiritus exsuperando adversa, illius doctrinam opere compleat, cujus hodie exemplum piæ passionis honorat. ℟. Amen.

Per.

Ad Matutinum.

Antiphona. Da nobis lætitiam. *Psalmus* L. *Oratio.* Redde nobis lætitiam. *fol.* CLXIII.

Antiphona 1. Dedit eis Dominus potentiam regni adversus eos, qui persequebantur illos. P. Et fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum tota nocte. ℣. Misit verbum suum, et sanavit eos : et eripuit eos de interitu eorum. P. Et fuit. ℣. Gloria, C et honor. P. Et fuit.

Oratio. Christus, cujus virtus. *Quære supra in Vesperis præcedentibus.*

Antiphona 2.. Venite ad me, omnes sancti mei, dicit Dominus : vindemiate fructum laborum vestrorum, germen justitiæ, P. Cujus odor est magnus, sicut odor liliorum et [CCCLXI] rosarum in tempore suo. ℣. Venite, filii, audite me : timorem Domini docebo vos. P. Cujus odor. ℣. Gloria, et honor. P. Cujus odor.

Oratio. Sancte et misericors Deus, qui glorificaris in concilio Sanctorum ; magnusque metuendus super omnes gentes potentialiter existens ; quem Jacobus relicto Zebedæo patre ita secutus est, ut obnixe diligendo fieret electus in vita, mundus in cons- D cientia, probabilis in doctrina ; postremo ita scientiam, commendans ex opere, ut pro te truncato interierit capite, quem pro se vel omnibus noverit animam posuisse : tu, Domine, precibus nostris ejus obtentu fave placatus, ut veniam nostrorum mereamur apud te obtinere delictorum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. Sanctorum ossa germinabunt de loco suo, P. Et nomina eorum sicut lilia munda floruerunt. ℣. O Domine salvos nos fac. O Domine bona prosperare. P. Et nomina. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et nomina.

Oratio. Pretiosa est tuo, Domine, in conspectu mors Sanctorum tuorum : qui ad te vocans Jacobum

Apostolum utique tuum in navi retia componentem, spiritualibusque doctrinis populos ut erudiret, elegisti, et pro effusione sui sanguinis lætaretur in cœlo; petimus omnipotentiam tuam, ut, dum præsentia mala patientissimo toleraverimus, et nunc et in æternum in pace, et charitate tecum sine fine vivamus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Sancti qui certamen habuerunt pro fide, inimicus in eis potestatem non habebit, qui clamaverunt una voce dicentes: P. Sanctus Deus, Sanctus fortis, exaudi nos: Sanctus immortalis, miserere nobis. ℣. Vidi in cælo turbam magnam, quam dinumerare nullus poterat, et clamabant voce magna dicentes: P. Sanctus Deus. ℣. Gloria, et honor. P. Sanctus Deus.

In Laudibus.

Ad Canticum Antiphona. Qui propria voluntate obtulisti vos discrimini, benedicite Dominum narrantes justitias ejus et clementiam in fortes Israel.

Canticum. Qui sponte obtulistis.

Ad Benedictus. Antiphona. Sancti et humiles. *Canticum.* Benedictus es Domine. *fol.* 6.

Sono. Via justorum. *Lauda.* Laudate Dominum. *Psalmus* CXLVII. *Prophetia.* Justorum animæ. *fol.* CLXVII.

Hymnus.

Gaudeat cuncta pia plebs alumna:
Resultet voce simul et cruore:
Pacis fœnore semper Christum roget
Laudis honore.

Veritas, vita, spes semper tranquilla
In tui almi Jacobique sancti
Jam cruciamur, ignibus cremamur
Catenis magnis.

Magnus hic ait Dominusque noster;
Dira resolve ignea catena
Nihil nocente: mihi nunc afferte
Magnum iniquum;

Ad cujus jussu protinus occurrerunt:
Eum jam vinctum ante pedes sistunt;
Ut dimicentur, atque vindicentur,
Et crucientur.

Respice post hinc te habere patrem
Quamquam iniquum, generi humano
Christum quem negabas, Creatorem esse,
Verum agnosce.

Verum agnosco, ait, Salvatorem,
Teque exposco, Sancte intercessor;
Veniam, credo, Domino favente,
Te dare posse.

Sustulit post hinc ferientis ulcus;
At collo fune tractatus, colligatur
Sic ab Herode capite plectitur,
Sic ordinatur.

Et ducunt vinctum transeuntem vicum,
Claudus ab eo quærit alimentum,
Cujus virtute agitur rectus sanus
Pergit ad horam.

Tunc erit tortor clodo gressu dato
Sic affatus: Christus conlaudatur;
Cujus virtute ægris salus datur;
Per suos Sanctos.

Gloriam psallat chorus, et resultet:
Gloriam dicat, canat, et revolvat:
Nomini Trino, Deitati soli
Sidera clament.
Amen.

Supplicatio. Oremus redemptorem. *Capitula.* Subjuga clementissime Deus. *Lauda.* Gaudium sempiternum. *Benedictio.* Christus Deus Dei Patris, *ut supra in Vesperis præcedentibus.*

DIE XXXI.

IN FESTO SANCTÆ COLUMBÆ VIRGINIS

Ad Vesperum.

[CCCLXII] *Lauda.* Speravit anima mea. *fol.* CLXXIX. *Sono.* Dominus Deus cœli. *Antiphona.* Virgo prudentissima. *fol.* CLXXIX. *Lauda.* Sicut palma. *fol.* CLXXX.

Hymnus.

Nardus Columbæ floruit,
Ligustra flagrant hortuli;
Fulcite lætam floribus,
Stipate malis Virginem.

Hæc Regis apta amplexibus,
Et oculis: gratissima
Christo fidem, quam sponderat
Cruoris arrha consecrat.

Igne gemellos sæculi
Stravit, subegit, depulit;
Flammam petulcam Barbari,
Focosque admotos sibi.

Cum in lupanar posita
Intrantes ad se, luridam
Libidinem compescuit,
Seseque flammis exurit.

Sic liberata ab ignibus,
Locis retracta scenicis.
Mucrone stricto plectitur,
Nuptura cœlo adsciscitur;

Cui vox ab astris resonans:
Veni Columba, personat:
Tu vocibus nostris favens,
Fac nos Polorum compotes.

Præsta, Pater piissme,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut nos gratia nativitatis suæ, et per intercessionem sanctæ Columbæ virginis et martyris suæ, nobis remissionem, et pacem donare dignetur. ℟. Præsta Æterne Omnipotens Deus.

Capitula. Deus, qui beatissimam Columbam columbarum simplicitate fecisti esse mirificam, ut innocentia fidei Christianæ te et Virgo sequeretur et Martyr: dum tibi et corpus intactum servavit, et vi-

ctrix jam Martyr adhæsit: dum data a te, formata: e cœlis voce, vocatur, et per te in cœlis mirifice coronatur; optata nostris mentibus gaudia præsta, ut ejus meritis nostrorum criminum victores effecti, in cœlestibus mereamur sedibus conlocari.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Deus, qui beatissimam Columbam virginem victricem esse voluit flammæ, extinguat in vobis omnem carnis titillationis ardorem: ℟. Amen. Et per quem illa cœleste voce meruit vocari ad præmium, per eam vos mereamini sanctitatis obtinere propositum; ℟. Amen. Ut exemplo ejus, sicut illa pro eo cervicem suam materiali subdidit gladio, ita vos animas vestras divino semper subjugetis imperio. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius, etc.

Lauda. Speciosa facta es. *fol.* CLXXIX.

Oratio. Omnipotens, sempiterne Deus, qui beatam Columbam virginem, et martyrem tuam, per martyrii palmam hodierna die fecisti conscendere gloriam da nobis, ejus suffragantibus meritis, cunctorum veniam delictorum, ut ad ejusdem mereamur pertingere consortia. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea aperies. *Psalmus.* L.

Oratio. Exultent Domine. *fol.* CLXXX.

Antiphona. Columba speciosa, perfecta, auro gemnisque præcincta; *P.* Cujus caput plenum est rore, et crines guttis. ℣. Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam: et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. *P.* Cujus caput. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. *P.* Cujus caput.

Oratio. Una, et perfecta virgo Christi Columba, quæ et unitate fidei clara, et perfectione operum monstraris esse conspicua; fac nos ergo precibus tuis intra sinum matris Ecclesiæ ita inculpabiliter degere, ut coronandi ad promissa mereamur cœlestia pervenire. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam etc.

Antiphona. Una es proxima mea: una es Columba mea, *P.* Et macula non est in te. ℣. Per diem sol non uret te: neque luna per noctem. *P.* Et macula non. ℣. Gloria, et honor. *P.* Et macula.

[CCCLXIII] *Oratio.* Una, nec divina proxima tua, Christe, Ecclesia: una est ecce Columba, quæ nec in fide habens rugam, nec in opere maculam; interpellet te, quæsumus, pro criminibus nostris, ut in ejus corpore felicitate perpetua consistentes, æternorum civium mereamur esse participes. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Veni Columba sponsa a Libano, veni a montibus pascuæ. *P.* Curramus in odorem unguentorum tuorum. ℣. Non det in commotionem pedem tuum: neque obdormiet qui custodit te. *P.* Curramus. ℣. Gloria, et honor. *P.* Curramus.

Oratio. Bona est, Domine, proxima tua virgo Columba, quæ dum proxima tibi efficitur, soror tua de sanguine speciosa monstratur per propriam passionem: ejus ergo interventu passionum a nobis maculas terge, ut speciosi a te et votis, et operibus redditi, portas æternæ Hierusalem mereamur introire beati. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Gaude filia Sion, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quæ posui in corde tuo, non recedant de ore tuo, nec de ore seminis tui P. Usque in sempiternum. ℣. Lauda Hierusalem Dominum: conlauda Deum tuum Sion P. Usque. ℣. Gloria, et honor, etc. P. Usque.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

In Laudibus

Ad *Canticum. Antiphona.* Filia Sion. *Canticum.* Gaudens gaudebo. *Ad Benedictus Antiphona.* Benedictus Dominus. *Canticum.* Benedictus es Domine Deus. *Sono.* Dominus Deus cœli. *Lauda.* Laudate Dominum. *Psalmus.* CXLVIII. *Prophetia.* Longe Dominus apparuit mihi. *Quære fol.* CLXXXI *Hymnus.* Nardus Columbæ. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum: *supra in Vesperis.*

Capitula. Domine Jesu Christe, qui sermonibus Columbæ beatissimæ virginis et martyris, evertis sensum juvenis petulantis: ut, qui nomen tuum blasphematurus, ad Virginis prostitutionem ingreditur, pædicator tuus esse, egrediens monstraretur; da nobis meritis Virginis tuæ, ut de malis actibus vitam in melius commutemus, quo incentivis carentes libidinum, æternorum mereamur percipere præmia gaudiorum.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2. *Lauda.* Speciosa facta es, et suavis, *supra in Vesperis.*

Benedictio. Deus, qui unitate et perfectione Columbæ virginis gaudet, innocentia vos columbarum remuneret: ℟. Amen. Et qui se de cœlo vocibus intonans, apertos ejus meritis nuntiat cœlos, vos in cœlestibus conlocet sedibus numerandos; ℟. Amen. Ut qui illam oblectatur post gloriam passionis, illic muneranda semper dirigatur acies mentis nostræ. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri.

Ad Tertiam de Defunctis quæ debet ingredi in fine Laudum de Defunctis. fol. CLVI. *Ubi dicit*; Incipit Officium.

Antiphona. Redime me Domine, et miserere mei; ut in Ecclesiis benedicam te Domine.

Psalmus. XXV.

Judica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: * et in Domino sperans non infirmabor.

Proba me Domine, et tenta me: * ures renes meos et cor meum.

Quoniam misericordia tua ante oculos meos est: * et complacui in veritate tua.

Non sedi in concilio vanitatis; * et cum iniqua gerentibus non introibo.

Odivi congregationes malignorum: * et cum impiis non sedebo.

Lavabo inter innocentes manus meas: * et circumdabo altare tuum Domine.

Ut audiam vocem laudis tuæ, * et enarrem universa mirabilia tua.

Domine dilexi decorem domus tuæ, * et locum habitationis gloriæ tuæ.

Ne perdas cum impiis animam meam, * et cum viris sanguinum vitam meam :

In quorum manibus Iniquitates sunt * dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia ingressus sum : * [CCCLXIV] redime me, et miserere mei.

Pes enim meus stetit in via recta : * in ecclesiis benedicam te Domine.

Gloria, et honor.

Oratio. Redime nos Domine, et miserere nobis; ut vox nostra tibi in Ecclesiis psallat, et vita te in plebibus benedicat: ure renes nostros et cor nostrum tuæ charitatis examine ; atque a nobis omnes hactenus reseca voluptates : ut nec libido renum nostrorum compagem solvat ; et fluxus malæ cogitationis a sede nostri cordis abscedat. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 1. Exaudi Domine vocem meam, quam clamavi ad te : miserere mei, et exaudi me.

Psalmus XXVI.

Dominus illuminatio mea, et salus mea, * quem timebo ?

Dominus defensor vitæ meæ, * a quo trepidabo ?

Dum appropiant super me nocentes, * ut edant carnes meas :

Qui tribulant me inimici mei, * ipsi infirmati sunt et ceciderunt.

Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. * Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.

Unam petii a Domino, hanc requiram, * ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ :

Ut videam voluntatem Domini, * et protegar in templo sancto ejus.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum : * protexit me in abscondito tabernaculi sui.

In petra exaltavit me : * et nunc ecce exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuibo, et immolabo in tabernaculo ejus hostiam jubilationis : * cantabo, et psalmum dicam Domino.

Exaudi Domine vocem meam, quam clamavi ad te : * miserere mei, et exaudi me.

Tibi dixit cor meum, quæsivi faciem tuam : * vultum tuum Domine requiram.

A Ne avertas faciem tuam a me : * et ne declines in ira a servo tuo.

Adjutor meus es tu Domine * ne derelinquas me neque despicias me Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus et mater mea derelinquerunt me : * Dominus autem assumpsit me.

Legem mihi constitue Domine in via tua : * et dirige me in semita recta propter inimicos meos.

Ne tradas me in animas persequentium me : * quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini * in terra viventium.

Expecta Dominum, viriliter age : * et confortetur cor tuum, et expecta Dominum.

B Gloria, et honor.

Oratio. Exaudi Domine vocem nostram, qua clamamus ad te ; et cor nostrum quærat faciem tuam : ut qui te nunc conspicimus per ænigma ; facie ad faciem præsentes domus tuæ possimus beatitudinem promereri. ℟. Amen.

Per.

Antiphona 2. Dominus adjutor meus : et in ipso speravit cor meum et adjutus sum. *Psalmus David* XXVII.

℟. Defensor juste, defende nos, et libera nos *P.* De manu inimicorum nostrorum. ℣. Deus in nomine tuo salvos nos fac : et in virtute tua libera nos. *P.* De manu. ℣. Gloria. *Reiteretur Responsorium.*

C *Lauda.* Alleluia, alleluia, alleluia. Deus exaudi orationem nostram : *P.* Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Et clamor noster ad te veniat. P. Alleluia, alleluia, alleluia.

Preces. Miserere Domine ; P. Qui potens es in misericordia, ℣. Audi preces supplicum ; P. Qui potens. ℣. Benigno vultu nos conspice ; P. Qui potens. ℣. Crimina nostra dilue ; P. Qui potens. ℣. Delictis tribue veniam ; P. Qui potens. ℣. Defunctis dona requiem ; P. Qui potens. *Reiteretur Miserere.*

Capitula. Adjutor et Redemptor noster et Domine adjuva nos : et refloreat caro nostra vel virore pudicitiæ, vel sanctimoniæ novitate : et quia tu fortitudo plebis tuæ es, populum tuum salva, et hereditatem tuam copia benedictionis exalta.

D Pater noster. A malo nos libera. *fol.* 10.

In nomine Domini nostri Jesu Christi, omnes animæ fidelium defunctorum per misericordiam Dei sine fine requiescant in pace. ℟. Deo gratias.

APPENDIX.

FESTA BREVIARIO GOTHICO-HISPANO ADDITA

IN EDITIONE CARDINALIS XIMENII,

ANNO MDII ;

NUNC VERO HIC APPOSITA,

Ne hujusmodi rei memoria pereat

1 *Invenitur folio* CCLI, *col. 3, prædictæ editionis sequens Festum in prima Dominica post sanctum Pentecosten.* A

Qui vult scire, et denuntiare populo, quot sunt dies indulgentiæ, quæ a summis Pontificibus, omnibus in Christo fidelibus vere pœnitentibus, divina Officia audientibus in hoc sanctissimo Festo conceduntur, sciat isto modo :

Papa Urbanus, hujus solemnitatis institutor, concessit primis Vesperis centum : Matutinis centum : Missæ centum : Secundis Vesperis centum ; cuilibet vero aliarum Horarum minorum quadraginta : Cuilibet diei Octavarum omnibus Horis simul, centum.

Papa Martinus omnes istas indulgentias suo ordine in duplo concessit.

Papa vero Eugenius tot concessit quot Martinus. Sunt igitur primis Vesperis ducentum : Matutinis ducentum : Missæ ducentum : secundis Vesperis ducentum: cuilibet aliarum Horarum ducentum : Cuilibet vero diei Octavarum ad omnes Horas simul, ducentum: Jejunanti vigilia, vel facienti aliquam eleemosynam loco jejunii, ducentum. Si festum Corporis Christi, et Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ eodem die occurrerint, fiat ad plenum de Corpore Christi. B

In Sexta vero feria fiat ad plenum De sancto Joanne, cum commemoratione Corporis Christi, Per totam autem Octavam, fiat ad plenum de Corpore Christi, cum commemoratione Sancti Joannis.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Ad Vesperum.

Lauda. Apud te est Domine. *P.* Fons vitæ : et in lumine tuo videbimus lumen. ℣. Filii hominum, in protectione alarum tuarum sperabunt : et inebriabuntur ab uberibus domus tuæ : et torrente voluptatis tuæ potum dabis eis. *P.* Fons vitæ. C

Orario. Domine, apud quem est fons vitæ. *Quære fol.* 423.

Sono. Accepit Jesus panem, et benedixit, deditque discipulis suis, et dixit : Accipite, et comedite : hoc est corpus meum. Alleluia.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Dominus paravit mensam suam. Misit servos suos, convocans cum multa prædicatione ad craterem, dicens : Si quis est insipiens, divertat a me. Et egentibus sensu dixit : *P.* Venite, et edite de meis panibus. ℣. Panem Angelorum manducavit homo, omne delectamentum in se habentem. *P.* Venite, et edite. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Venite.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Lauda. Bibite vinum quod miscui vobis. Alleluia. *P.* Derelinquite insipientiam, et vivatis. Alleluia. alleluia. ℣. Educas panem de terra, et vinum lætificat cor hominis. P. Derelinquite. ℣. Gloria, et honor. P. Derelinquite.

Hymnus.

Pange lingua gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine ;
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

In supernæ nocte cœnæ,
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat suis manibus.

Verbum caro, panem verum
Verbo carnem efficit :
Fitque sanguis Christi merum,
Et si sensus deficit :
2 Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.

Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui :
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui :
Præstet fides supplementum
Sensuum defectui.

Genitori, Genitoque,
Laus et jubilatio,

Salus, honor, virtus quoque,
Sit et benedictio :
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio.
Amen.

Supplicatio. Oremus pium, et exaudibilem Dominum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus ; ut gratia Corporis, et Sanguinis ipsius nobis remissionem peccatorum, et pacem nobis donare dignetur. ℟. Præsta Æterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison. ℟. Kyrie eleison. Christe eleison.

Capitula. Omnipotens Immense et Misericors Domine, quem non totiens deliquendo exasperant peccatores, oppone iræ tuæ misericordiam : et quotiens te provocamus ut ferias, totiens tibi tua pietas interveniat, ut ignoscas Satia nos itaque pane Angelorum, ut ejus percepta fortitudine, et maligni callidam versutiam devincamus, et patefactis cœli januis, ad eundem cibum, te adjuvante, introeamus.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Omnipotentis Dei vos gratia protegat, famemque vestram spirituali cibo reficiat. ℟. Amen. Sitim quoque vestram justitiæ fluminibus inriget, atque novum dulcedinis suæ animis vestris infundat saporem. ℟. Amen. Ut tam carne contriti, quam spiritu sanctificati, ab eo mereamini cœlesti dono beatificari. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius.

Lauda. Similiter. Alleluia et calicem et Alleluia. P. Postquam cœnavit, dicens Alleluia : ℣. Calicem salutaris accipiam : et nomen Domini invocabo. *P.* Postquam. ℣. Gloria, et honor. P. Postquam cœnavit.

Oratio. Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti : tribue quæsumus, ita nos Corporis, et Sanguinis tui sacra mysteria venerari ; ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

In nomine Domini nostri Jesu Christi.

Ad Matutinum.

Antiphona. Ego dormivi, et resurrexi : quoniam Dominus suscepit me. *Psalmus* III.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui pro nobis soporem mortis ideo suscepisti, ne nos amplius obdormiremus in morte ; dona, ut qui te moriente renascimur, te etiam vivificante a peccatorum lecto surgamus : nec ultra jam obruamur pœna peccati, qui nos redemptos congaudemus pretio sacri Sanguinis tui. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, etc.

Antiphona 1. Sapientia ædificavit sibi domum, et subdidit columnas septem. Mactavit suas hostias, *P.* Miscuit vinum suum in cratere, et paravit suam mensam. ℣. Et manducaverunt, et saturati sunt nimis, et desiderium eorum attulit eis : non sunt fraudati a desiderio suo. *P.* Miscuit. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Miscuit vinum.

A *Oratio.* Deus, qui panem cœli filiis hominum tribuis, terrenumque animal Angelorum adipe satias ; frumentationem verbi tui nobis in abundantia tribue : eoque nos spirituali refice cibo, quo Patres nostros aluisti in eremo. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster, etc.

Antiphona 2. Bibite vinum quod miscui vobis. *P.* Derelinquite insipientiam, et vivetis ; et quærite prudentiam, ut in æternum regnetis. ℣. Panem Angelorum manducavit homo, omne delectamentum in se habentem. *P.* Derelinquite. ℣. Gloria, et honor. *P.* Derelinquite.

Oratio. Pars hereditatis nostræ, Domine, in tua consistit æternitate : Unde precamur te Domine, pietate solita hereditatem tuam conserva ; et calicem
B cœnæ Domini, quem potasti pro ea, semper ei pro remedio præsta : ut sicut redemptionis præclara sunt munera, ita Redemptoris sit adquisitio copiosa : quique redempti sumus cruce tua, simus perpetim hereditas tua : ut nec in infernum animam nostram relinquas ; sed incorruptæ tecum semper victoriam adtollas. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

3 *Antiphona* 3. Unus panis, et unum corpus multi sumus : P. Omnes, qui, de uno pane, et de uno Calice participamus. ℣. Parasti in dulcedine tua, Deus pauperi : Deus, qui habitare facis unanimes in domo. *P.* Omnes, qui. ℣. Gloria, et honor. P. Omnes, qui.

Oratio. Quot sibi, Domine, præstitisti redemptio-
C nis tuæ beneficis, tua tibi retribuat creatura ; quæ percepto Calice salutaris evadere se sentit mortis dispendia, nisi ut redemptioni tuæ fidelia deferat vota ; et mortificata obscuritate in atriis domus Dei famulatus exibeat obsequelam. Sanitatem, Deus noster tribue : ut disruptis peccaminum vinculis, opus, quo placeris, agamus, atque in medio Hierusalem in laudem tuam placens tibi sacrificium offeramus : quosque nunc mendaces profert mentis excessus ; illos catholicæ credulitatis veritas ad te visendum intromittat securos. ℟. Amen.

Per.

℟. Hic est panis de cœlo descendens : si quis ex ipso manducaverit, non morietur ; sed habebit vitam æternam : et ego suscitabo eum in novissimo.
D P. Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credunt in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. ℣. Caro mea, vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus. *P.* Si quis.

Oratio. Domine vi tutum, orationes servorum tuorum non iratus, sed placatus accipe : et quæ nos orare oporteat, dignare monstrare : eosque æternitatis cibo conforta, quos panis lachymarum conturbat : et tam mensurabili fletu flumina lachrymarum oculi fluant, et miserationum tuarum copiam, criminibus elisis, inflectant ; quique Redemptoris nostri adventum trementes pavemus, ejus gloriosum conspectum, de tribuente, pacatissimum contemplemur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Sacrificium justi acceptum est, et memoriam ejus non obliviscetur Dominus.

Canticum Ecclesiastici Salomonis (*Cap.* xxxv).

Sacrificium salutare est attendere mandatis, et discedere ab omni iniquitate ; * propitiationem litare sacrificium.

Qui facit misericordiam, * offert sacrificium.

Beneplacitum est Domino recedere ab omni iniquitate : * et deprecatio recedere ab injustitia.

Non apparebis ante conspectum Dei tui vacuus: * quod hæc omnia propter mandata Domini fluunt.

Oblatio justi impinguat altare, * et odor suavitatis est in conspectu Altissimi.

Sacrificium justi acceptum est, * et memoriam ejus non obliviscetur Dominus.

Ad Benedictus. Antiphona. Sacerdotes sancti incensum, et panes offerunt Deo.

Canticum. Benedictus es Domine Deus. *folio* 9.

Sono. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi : si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Alleluia.

Lauda. Laudate Dominum de cœlis Alleluia : laudate eum omnes Angeli ejus : Alleluia. P*salmus* CXLVIII.

Lectio libri Sapientiæ Salomonis (*Cap.* VIII).

Deo gratias.

Beatus homo qui audit, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino. Qui autem in me peccaverit, lædet animam suam : et omnes, qui me oderunt diligunt mortem (*Cap.* IX). Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et posuit mensam suam. Misit servos suos vocare ad arcem, et mœnia civitatis, dicens : Si quis est parvulus, veniat ad me. Et insipientibus locutus est : Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. Relinquite infantiam, et videte, et ambulate per vias prudentiæ. ℟. Amen.

Hymnus.

Sacris solemniis juncta sint gaudia,
Et ex præcordiis sonent præconia :
Recedant vetera, nova sint omnia,
Corda, voces, et opera.

Noctis recolitur cœna novissima,
Qua Christus creditur agnum et azyma
Dedisse fratribus, juxta legitima
Priscis indulta patribus.

Post agnum typicum, expletis epulis,
Corpus Dominicum datum discipulis,
4 Sic totum omnibus, quod totum singulis,
Ejus fatemur manibus.

Dedit ex frugibus corporis ferculum,
Dedit ex vitibus sanguinis poculum,
Dicens, accipite quod trado vasculum.
Omnes ex eo bibite.

A Sic sacrificium istud instituit,
Cujus officium committi voluit
Solis Presbyteris, quibus sic congruit,
Ut sumant, et dent cæteris.

Panis Angelicus fit panis hominum,
Dat panis cœlitus figuris terminum :
O res mirabilis ! manducat Dominum
Pauper, servus, et humilis.

Te Trina Deitas, unaque poscimus,
Sic nos tu visitas, sicut te colimus :
Per tuas semitas duc nos quo tendimus,
Ad lucem, quam tu habitas.

℟. Amen.

Supplicatio. Oremus pium. *Hic supra folio* 2.

Capitula. Ponentes spem nostram in te, Domine,
B non obliviscemur operum tuorum, cum per justitiam, atque clementiam, mirabilis in sanctis, et terribilis ostenderis impiis : qui opportuna remedia justis ; ac debita supplicia recompensas iniquis : quæsumus, itaque piissime : ut quos a terrenis hostibus eruis, præceptorum luce clarifices : tentationum fluctus amovens, iter salutiferum pandas ; Christi tui Corpore, tamquam cœlesti pane, in hujus sæculi deserto reficias.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Similiter Alleluia et calicem. *Hic supra folio* 2.

Oratio. Deus, qui unigeniti filii tui, Domini nostri Jesu Christi, pretioso sanguine humanum genus redimere voluisti : concede propitius : ut qui ad ad-
C orandum vivificum corpus Christi advenimus, a peccatorum nostrorum nexibus liberemur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Tertiam.

℟. Caro mea, vere est cibus : et sanguis meus, vere est potus. *P.* Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Alleluia. ℣. Meus est cibus, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. *P.* Qui manducat. ℣. Gloria, et honor Patri. *P.* Qui manducat.

Prophetia. Beatus homo, qui audit me. *Require retro in Matutinis superioribus.*

Lauda. Alleluia. Panem de cœlo dedit eis, Alleluia. ℣. Panem Angelorum manducavit homo. *P.*
D Alleluia.

Hymnus.

Verbum supernum prodiens,
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus suum exiens,
Venit ad vitæ vesperum.

In morte a discipulo
Suis tradendus æmulis :
Prius in vitæ ferculo
Se tradidit discipulis.

Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria :
Qui vitam sine termino

Nobis donet in patria.

Amen.

℣. Cibavit illos ex adipe frumenti : ℟. Et de petra melle saturavit eos.

Supplicatio. Oremus pium. *hic supra folio* 2.

Capitula. Excelse Domine esto adjutor noster; et ad tuorum liberationem properans occurre celeriter : ut de abundantia virtutis repleamur adjutorio fortitudinis; et ex redundantis gratiæ donis ditemur muneribus : ac profitentes ore dilectionem, lingua mendacio non torpeat ; sed puritatem mentis assignet nostri professio oris; et organo pectoris laus tua nostris semper resonet in labiis.

Pater noster. Liberati a malo. *fol*. 2.

Benedictio. Benedicat vobis omnipotens Dominus, qui est omnium Creator, et Conditor sempiternus. ℟. Amen. Corpus vestrum servet immaculatum, et animas vestras misericorditer tueatur : ℟. Amen. Sicque vos ab omni crimine peccatorum, reddat innoxios, ut in vobis permaneat Spiritus Sanctus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Per alias Horas, scilicet a Sexta et Nona, omnia dicantur, ut in diebus festivis, quæ dicuntur per totum annum.

Per Octavam Corporis Christi, omnia dicantur, ut in die.

FESTA JANUARII.

In Sancti Pauli *primi Eremitæ.*

Omnia dicantur unius Confessoris simplicis fol. [illegible]XV.

In Sancti Juliani Presbyteri.

Omnia dicantur 5 *unius Confessoris novem lectionum, folio* CLXXV.

In Octava *Epiphaniæ Domini.*

Omnia dicantur sicut in die, fol. 85.

In Sancti Hilarii Episcopi.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, *fol*. CLXIX.

In Sancti Felicis in Pincis *Martyris et Confessoris,*

Omnia dicantur unius Martyris novem lectionum. fol. CLX.

In Sancti Mauri Abbatis.

Omnia dicantur unius Confessoris novem lectionum. fol. CLXIX.

In Sancti Marcelli Papæ *et Martyris.*

Omnia dicantur unius Martyris Pontificis, *fol*. CLVI.

In Sancti Antonii Monachi.

Omnia dicantur unius Confessoris simplicis quatuor capparum, fol. CLXXIII.

In Spensipi et Lesipi.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum, fol. CLXVIII.

In Sancta Priscæ Virginis.

Omnia dicantur unius Virginis, fol. CLXXIX.

In Sancti Juliani Episcopi et Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol. CLXIX.

A *In Santi Ildefonsi Episcopi et Confessoris.*

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, sex capparum, fol. CLXIX.

In Sancti Timothei Episcopi discipuli Pauli.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol. CLXIX.

In Solemnitate Sanctæ Mariæ de Pace.

Omnia dicantur ut in festo Assumptionis Virginis Mariæ, fol. CCLXXXII. *Ubi dicitur* Assumptio, *ibi dicatur* Descensio.

In Conversione Sancti Pauli Apostoli.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol. CLXIX.

In Sancti Projecti Martyris.

Omnia dicantur unius Martyris novem lectionum.
B *folio*. CLVI.

In Sancti Polycarpi Episcopi et Martyris.

Omnia dicantur unius Martyris Pontificis novem lectionum, fol. CLVI.

In Sancti Joannis Chrysostomi Episcopi.

Omnia dicantur unius Confessoris, Pontificis, fol. CLXIX.

In Sancti Joannis Presbyteri et Confessoris,

Omnia dicantur unius Confessoris, fol. CLXXIII.

In Sanctæ Agnetis secundo.

Omnia dicantur unius Virginis, fol. CLXXIX.

In Sancti Valerii Episcopi, et Confessoris.

Omnia dicantur unius Martyris Pontificis, fol. CLIX,

In Octava Sancti Ildefonsi.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol
C CLXIX.

In Sanctæ Matildis reginæ

Omnia dicantur unius Virginis, fol. CLXXIX.

In Sanctorum *Cyri et Joannis Martyrum.*

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, fol. CLXIX.

In Sancti Ignatii Episcopi et Martyris.

Omnia dicantur unius Martyris Pontificis, fol. CLIX.

FESTA FEBRUARII

In Sanctæ Birgittæ virginis.

Omnia dicantur unius Virginis, fol. CLXXIX.

In Sancti Blasii Episcopi et Martyris.

Omnia dicantur unius Martyris Pontificis sex capparum, fol. CLVI.

In Sancti Gilberti Confessoris.

D *Omnia dicantur unius Confessoris novem lectionum, fol* CLXXV.

In Sancti Vedasti et Amandi Episcoporum.

Omnia dicantur plurimorum Confessorum, fol. CLXXVII.

In Sanctæ Apolloniæ virginis et martyris.

Omnia dicantur unius virginis, fol. CLXXXI.

In Sanctæ Scholasticæ virginis.

Omnia dicantur unius virginis, fol. CCXXXI.

In translatione Sancti Eugenii Episcopi.

Omnia dicantur unius martyris, Pontificis, fol, CLIX.

In Sancti Valentini martyris.

Omnia dicantur unius martyris, novem lectionum. fol. CLIX.

In Sanctæ Julianæ virginis et martyris. A

Omnia dicantur unius Virginis, fol. CLXXIX.

Pantaleonis martyris, sociorumque ejus.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum sex capparum, fol. CXII.

In Sancti Columbani Abbatis.

Omnia dicantur unius Confessoris simplicis novem lectionum, fol. CLXXV.

In Translatione Sancti Augustini.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol. CLXIX.

FESTA MARTII.

In Sancti Adriani martyris.

Omnia dicantur unius martyris simplicis, fol. CLX.

In Sancti Donati martyris.

Omnia dicantur unius martyris simplicis, fol. CLX. B

In Sancti Thomæ de Aquino, de Ordine Prædicatorum,

Omnia 6 *dicantur unius Confessoris non Pontificis, fol.* CLXXIII.

In Sanctæ Perpetuæ et Felicitatis.

Omnia dicantur plurimarum Virginum, fol. CLXXXII.

In Sancti Juliani Episcopi et Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol. CLXIX.

In Sanctæ Appolloniæ virginis.

Omnia dicantur unius Virginis, fol CLXXIX.

In Sancti Facundi et Primitivi martyrum.

Omnia dicantur plurimorum martyrum novem lectionum, fol. CLXVIII.

In Sancti Gregorii Papæ et Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol. C CLXIX.

In Sancti Leandri Episcopi et Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol. CLXIX.

In Sancti Leonis Papæ.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol. CLXIX.

In Sancti Petri Episcopi.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, folio CLXIX.

IN SANCTI GABRIELIS ARCHANGELI.

Ad Vesperum.

Lauda. Laudaverunt te, Domine, omnes Angeli tui, et hymnum dixerunt, cum perficeres fabricam cœli. Tuus est dies, et tua est nox: P. Tu fecisti D solem et lunam: ℣. Tu confirmasti in virtute tua mare; tu contribulasti capita draconum super aquas. P. Tu fecisti.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Sono. Alleluia. Judicium datum est Sanctis. P. In hora sacrificii vespertini Alleluia, alleluia. ℣. Ecce Gabriel unus principum priorum veniet, ut sanctificentur multi. P. In hora sacrificii.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Thronus tuus, Deus inæstimabilis, et gloria incomprehensibilis: cui adstat omnis exercitus Angelorum cum tremore, P. Cujus adspectus arefacit abyssos, et indignatio tabescere facit montes. ℟. Domine Deus virtutum, quis similis tibi? potens es Domine, et veritas tua in circuitu tuo. P. Cujus adspectus. ℣. Gloria, et honor. P. Cujus adspectus.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Alleluia. Spiritus tuus bonus, Deus. P. Deducat nos in viam rectam. Alleluia. P. Adorate Dominum omnes Angeli ejus: audivit, et læta est Sion. Et exultaverunt filiæ Judæ, propter judicia tua Domine. P. Deducat nos. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Deducat nos.

Hymnus.

Prompta cuncta Catholicæ
Plebs alumna gloriæ
Vota simul exhibete,
Criminaque pandite;
Ut cunctorum auctor clemens
Cuncta præstet petita,

Gabriel etenim ille
Sublimatus nomine,
Aula cœli conspicuus,
Summi Dei nuntius,
Princeps Angelorum factus,
Celsusque vocabulo.

Cujus nomen ex virtute,
Et opus ex munere
Ab omnipotente raptus
Obtinet conservatum;
Ut gloriemur in Deo
Cum consorte socii.

Summus Domini et iste
Magnus factus nuntius
Qui tetrum illi horrendum
Refugumque angelum
Ad gloriam debellando
Demersit in erebo.

Iste superest protector.
Defensor omnium,
Ut cunctorum postulata
Regi Deo offerat;
Et ab illo destinatam
Plebi præstet gratiam.

Magna siquidem est
Ista diei festivitas,
Cujus nomen Archangeli
Gabrielis nuntii,
Quem oportet celebrare
Et digne, suscipere devote:

Ut ex hujus impetratu
Mereamur omnium
Obtinere apud Deum
Veniam peccaminum,
Et beatæ vitæ regnum
Perfrui post transitum.

Sit gloria, sit honorque
Patri, quoque et Filio,
Simulque et coæquali
Spiritu Paraclito;
Qui unus in Trinitate
Regnat ante sæcula.

Amen.

7 *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi Domi- A
num nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatione rogemus; ut per intercessionem sancti Gabrielis Archangeli nobis remissionem peccatorum et pacem donare dignetur. ℟. Præsta, æterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison. ℟. Christe eleison: Kryie eleison.

Capitula. Domine Deus Pater omnipotens creator omnium et conditor elementorum, qui Gabrielem tuum præferre dignatus es agminibus nuntiorum, quorum exibitio tuo obsecundat imperio, nec talium umquam fatigantur officiorum, nomen sonat ex mysterio, et virtus pollet ex merito; ut cum sint semper spiritus, dum tamen a te mittuntur ex aere corporati, Angeli nuncupantur, ut omnium visibus visibiliter
appareant; quorum incorporea manet substantia et B
cum localiter circumscribantur, indefesse tamen Creatoris conspectu fruantur; concede nobis, quæsumus, obtentu hujus Archangeli Gabrielis et omnium Angelorum, consequi veniam delictorum: ut, qui in eorum honore tibi Deo nostro laudem depromimus et vota, æternæ beatitudinis consequamur veniam sempiternam.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dei Filius, unici Patris Unicum Verbum, cui serviunt militiæ Angelorum gloriari vos faciat de perfectione bonorum operum; ℟. Amen. Et, qui Gabrielem Archangelum sublimem fecit honore, vos suo faciat flagrare ex amore; ℟. Amen. Et, qui illum fideli populo censuit defensorem, ve-
strarum precum illum semper faciat promptiorem. C
℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Dominus in cælo paravit sedem suam: Alleluia. P. Et regnum ejus omnium dominabitur. Alleluia. Benedicite Dominum, omnes Angeli ejus. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Domine: adorabo ab templum sanctum tuum, et contitebor nomini tuo. *P.* Et regnum ℣. Gloria, et honor. P. Benedicite Dominum, omnes.

Oratio. O Gabriel princeps exercitus Angelorum, veni, quæsumus, ad liberandas animas fidelium populorum; ut et justi justitiam obtinendo in bonis semper fructificent, et injusti ad pœnitentiam conversi veniam accipere non desperent: sicque nos
invicem provocemus in melius, ut præmium conse- D
qui mereamur æternum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In nomine Domini.

Ad Matutinum.

Antiphona. Da nobis lætitiam. P*salmus* L. *Oratio.* Redde nobis, Domine. *Fol.* CLXIII.

Antiphona 1. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam, virginem deponsatam Joseph annuncians verbum, et expavescit virgo de lumine. Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Dominum: P. Ecce concipies, et paries, et vocabitur Altissimi Filius. ℣. Quia rectus est sermo Domini, et omnia opera ejus in fide. P. Ecce concipies. ℣. Gloria, et honor P. Ecce concipies.

Oratio. Tuam, Clementissime Pater, supplices exoramus clementiam; ut hodierna solemnia, quæ pro beatissimi Archangeli tui Gabrielis veneratione suscepimus, ipse tibi commendes: et sicut illi coronam sanctæ perfectionis tribuisti, ita nobis ejus intercessione omnium delictorum veniam et indulgentiam largiaris. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Vidi Angelum volantem per medium cœlum, habentem evangelium æternum, et dicentem: *P.* Timete Dominum Deum nostrum, et date illi gloriam et honorem. ℣. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. p. Timete. ℣. Cloria, et honor. P. Timete.

Oratio. O Gabriel princeps. *Quære retro in Vesperis præcedentibus.*

Antiphona 3. Ego Jesus mitto Angelum meum testificare hominibus: Ecce venio cito. P. Et merces mea mecum est sanare languores populi mei. ℣. Audite hæc omnes gentes: auribus percipite, qui habitatis orbem. P. Et merces mea. ℣. Gloria, et honor. P. Et merces mea.

Oratio. Mitte nobis, Deus clemens, Gabrielem cœlestis militiæ principem, ut nos de manu inimicorum nostrorum liberet, et tibi Domino Deo nostro inlæsos præsentet; **8** et ipsum semper in adjutorium habeamus, quem in tuo munere sublimatum agnoscimus: ut ejus suffragio resistendo vitiis, floreamus virtutibus, et deposito piaculorum elogio conscriptos nos in perpetuum liber vitæ æternæ contineat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Missus est a Deo Angelus Gabriel ad Mariam Virginem, dicens: Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu inter mulieres. P. Propterea et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. P. Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. P. Propterea et quod. ℣. Gloria, et honor. P. Proptera.

Oratio. O sanctissime Gabriel! o fortitudo summi Patris, o nuncius veritatis, o destinator divini mysterii, verissimus adinventor ad Virginem venis; salutas, ut nuncius; obumbras, ut famulus. Ave, inquis, Maria: Meus Dominus tecum: benedictam esse inter mulieres, affaris: Verbum ex ea prodire, clangis: et ut Filius Dei vocaretur, mirifica adtestatione profiteris. Ideo petimus, ut tu, qui nuncius veritatis ad Virginem accessisti, mirificus petitionem nostram divinis offer in auribus: et ita per te abdita cognoscamus mysteria, ut numquam incidamus inimici ergastula, nt per ipsum summi Patris Verbum, cujus te prævium ad Virginem venire denuncias, habeamus et veniæ redditum, et æternæ patriæ verissimum incolatum. ℟. Amen.

Per misericordiam.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Apparuit Dominus de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia.

Canticum. Dominus de Sina. *fol.* CLXVI.

Ad Benedictus.Antiphona. Benedicimus te, Domine,qui sedes super Cherubim, rex Israel.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6.

Sono. In conspectu Angelorum psallam tibi, Domine Alleluia : ℣. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor tibi, Domine. P. Alleluia.

Lauda. Laudate Dominum de Cœlis Alleluia : laudate eum in excelis, alleluia. *Psalmus.* CXLVIII.

Lectio libri Ezechielis Prophetæ (*Cap.* IX, X, XI).

℟. Deo gratias.

Facta est super me manus Domini, elevavit me spiritus Domini, et vidi. Et ecce vir, qui indutus erat lineis, qui habebat atramentarium in dorso suo, respondit verbo, dicens : Feci sicut præcepisti mihi Et vidi, et ecce in firmamento, quod erat super caput Cherubim, quasi lapis saphirus, et quasi species similitudinis solis, apparuit super eo. Et dixit ad virum, qui indutus erat lineis, et ait: Sume ignem de medio rotarum, quæ sunt inter Cherubim. Et ingressus vidi, et ecce quatuor rotæ juxta Cherubim : rota una juxta cherub unum, et rota alia juxta cherub unum : species autem erat rotarum quasi visio lapidis chrisoliti. Stantibus illis, stabant : et cum elevatis elevabantur: spiritus enim vitæ erat in eis. Et egressa est gloria Domini a limine templi: et stetit super Cherubim. Et elevavit me Spiritus, et introduxit me ad portam domus Domini orientalem, quæ respicit solis ortum. Et adscendit gloria Domini de medio civitatis, stetitque super montem, qui est ad orientem urbis, et gloria Dei Israël erat super ea. ℟. Amen.

Hymnus. Prompta cuncta Catholicæ. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem. *Quære retro in Vesperis præcedentibus.*

Capitula. O lux luminis splendor inenarrabilis, Christe Deus! sapientia, virtus, et gloria Patris, qui in hoc mundo visibus omnium apparuisti in carne sidus salutis, et debellato principe tenebrarum ad superos remeasti Verbum caro factum; præbe nobis supplicibus tuis in hujus sæculi obscuritate splendoris tui profusissimam claritatem : constitue nobis patronum vel defensorem summum tuum Angelum Gabrielem, qui introitum nostrum, extumque custodiat, et in dexteræ tuæ partem nos coronaturos admittas.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Dominus in cœlo paravit. *Benedictio.* Christus Dei Filius. *Quære retro in Vesperis præcedentibus.*

In Sancti Eduardi regis et martyris.

Omnia dicantur unius Martyris novem lectionum folio. CLX.

In Sancti Joseph Confessoris.

Omnia dicantur 9 *unius Confessoris non Pontificis, folio* CLXXIII.

In Sancti Euberti Episcopi et Confessoris.

A *Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis novem lectionum, folio* CLXIX.

In Sancti Benedicti Abbatis et Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris non Pontificis, folio CLXXIII.

In Sancti Pauli Episcopi et Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, folio CLXIX.

In Sancti Marcelli Papæ.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, folio CLXIX.

In Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ.

Omnia dicantur ut in festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ, folio 11 in Appendice.

FESTA APRILIS.

B *In Sanctæ Theodosiæ Virginis.*

Omnia dicantur unius Virginis, folio CLXXIX.

In Sancti Ambrosii Episcopi.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, folio CLXIX.

In Sancti Isidori Episcopi et Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, folio CLXIX.

In Sancti Fructuosi Episcopi Bracharensis.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, folio CLXIX.

In Sancti Thuribii Episcopi et Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, folio CLXIX.

In Sancti Eleutherii Episcopi et Martyris.

C *Omnia dicantur unius Martyris Pontificis, folio* CLIX.

In Sancti Victoris Bracharensis Martyris.

Omnia dicantur unius Martyris novem lectionum, folio CLX.

In Sanctæ Euphemiæ Virginis et martyris.

Omnia dicantur unius Virginis, folio CLXXIX.

In Sancti Thiburtii, et Valeriani, et Maximi martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, folio CLXVIII.

In Sancti Vitalis martyris.

Omnia dicantur unius Martyris simplicis, folio CLX.

In Sancti Prudentii Episcopi.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, folio CLXIX.

In Sancti Georgii martyris.

D *Omnia dicantur unius Martyris quatuor capparum folio* CLVI.

In Sancti Felicis et Fortunali martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, folio CLXVIII.

In Sancti Proficii martyris.

Omnia dicantur unius Martyris novem lectionem, folio CLX.

In sancti Marci Evangelistæ.

Omnia dicantur unius Martyris Pontificis sex capparum, folio CLVI.

In Sancti Cleti martyris.

Omnia dicantur unius Martyris novem lectionum, folio CLX.

In Sancti Marcellini et Petri martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, folio CLXVIII.

In Sancti Georgii Martyris.

Omnia dicantur unius Martyris novem lectionum, folio CLX.

In Sancti Vitalis mártyris.

Omnia dicantur unius Martyris novem lectionum, folio CLX.

In Sancti Petri martyris, Ordinis Prædicatorum,

Omnia dicantur unius Martyris sex capparum, folio CLX.

In Sancti Eutropii Episcopi et Martyris.

Omnia dicantur unius Martyris duarum capparum, folio CLX.

FESTA MAII.

In Sanctorum Philippi et Jacobi Apostolorum.

Omnia dicantur ut in festo Apostolorum Simonis et Judæ, folio CCCXV. *Hymnus.* O Dei Verbum Patris. *Folio* CCCLIX.

In Sancti Athanasii Episcopi et Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis sex capparum, folio CLXIX.

In sanctorum Alexandri, Eventii, et Theoduli martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum, novem lectionum, folio CLXVIII.

In Sancti Quiriaci Episcopi et martyris.

Omnia dicantur unius Martyris Pontificis, folio CLIX.

In Conversione Sancti Augustini.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, folio CLXIX.

In Sancti Joannis Apostoli ante portam Latinam.

Omnia dicantur, ut in festo Sancti Joannis Apostoli, et Evangelistæ, folio 53.

In Inventione clavorum Dominicorum.

Omnia dicantur, ut in festo Inventionis Sanctæ Crucis, folio CCXXXV.

In Sanctæ Trepetæ Virginis.

Omnia dicantur unius Virginis, folio CLXXIX.

10 *In Sanctæ Domitillæ Virginis.*

Omnia dicantur unius Virginis, folio CLXXIX.

In Sancti Isidori Militis.

Omnia dicantur unius Confessoris simplicis, folio CLXXV.

In Sancti Gregorii Nazianzeni Episcopi et Doctoris.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, folio CLXIX.

In Translatione Sancti Nicolai Episcopi.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, folio CLXIX.

In Sanctorum Gordiani, et Epimachi martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, folio CLXVIII.

In Sancti Majoli Abbatis.

Omnia dicantur unius Confessoris simplicis, folio CLXXV.

In Sancti Pontii martyris.

Omnia dicantur unius Martyris quatuor capparum folio CLVI.

In Sanctorum Nerei, et Achillei, atque Pancratii martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, folio CLXVIII.

In Sanctorum Victoris, et Coronæ martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum, novem lectionum, folio CLXVIII.

In Sancti Bonifacii martyris.

Omnia dicantur unius Martyris novem lectionum, folio CLX.

In Sanctæ Pontianæ Virginis.

Omnia dicantur unius Virginis, folio CLXXIX.

In Sancti Petri Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris simplicis, folio CLXXV.

In Sancti Ibonis Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris simplicis, folio CLXXV.

In Sancti Mancii martyris.

Omnia dicantur unius Martyris simplicis, folio CLX.

In Translatione Sancti Dominici, Ordinis Prædicatorum.

Omnia dicantur unius Confessoris simplicis, folio CLXXV.

In Sancti Urbani Papæ, et martyris.

Omnia dicantur unius Martyris Pontificis, folio CLIX.

In Translatione Sancti Francisci.

Omnia dicantur unius Confessoris simplicis, folio CLXXV.

In Sancti Augustini Anglorum Episcopi.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, folio CLXIX.

In Sancti Germani Episcopi, et Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris simplicis, folio CLXXV.

In Sanctæ Petronillæ Virginis.

Omnia dicantur unius Virginis, folio CLXXIX.

FESTA JUNII.

In Sanctorum Nicomedis, et Reveriani martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, folio CLXVIII.

In Sanctorum Marcellini, et Petri martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, folio CLXVIII.

In Sanctorum Medardi, et Geraldi Episcoporum.

Omnia dicantur plurimorum Episcoporum, folio CLXXVII.

In Sanctorum Primi, et Feliciani martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum, folio CLXVIII.

In Sancti Barnabæ Apostoli.

Omnia dicantur unius Martyris sex capparum, folio CLVI. *Hymnus.* O Dei Verbum Patris ore proditum. *Quære in festo Sancti Jacobi Apostoli fratris Sancti Joannis, folio* CCCLIX.

In Sancti Onophrii Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris simplicis, folio CLXXV.

In Sanctorum Basilidis, Cyrini, Naboris, et Nazarii martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, folio CLXVIII. A

In Sancti Antonii de Padua Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris novem lectionum, folio CLXXV.

In Sancti Basilii Episcopi.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, folio CLXIX.

In Sanctorum Viti, et Modesti martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum. folio CLXVIII.

In Sanctorum Chirici, et Julitæ martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, folio CLXVIII.

In Sanctorum Marci, et Marcelliani martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, folio CLXVIII. B

In Sanctæ Florentiæ Virginis.

Omnia dicantur unius Virginis, folio CLXXIX.

In Sancti Silvestri Papæ.

Omnia dicantur unius Pontificis, folio CLXIX.

In Sanctæ Consortiæ Virginis cum undecim millium martyrum.

Omnia dicantur plurimarum Virginum, folio CLXXXII.

In Translatione Sancti Eligii Episcopi et Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis folio CLXIX.

11 *In Sanctorum Joannis et Pauli martyrum.*

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, fol. CLXVIII.

In Sancti Leonis Papæ. C

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol. CLXIX.

In Commemoratione Sancti Pauli Apostoli.

Omnia dicantur unius Martyris sex capparum, fol. CLVI.

FESTA JULII.

Octava Sancti Joannis Baptistæ.

Omnia dicantur ut in die, fol. CCXLVIII.

Visitatio Sanctæ Elisabeth.

Omnia dicantur ut in Assumptione Sanctæ Mariæ Virginis, fol. CCLXXXII.

In Sancti Processi, et Valeriani martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, fol. CLXVIII.

In Octava Apostolorum Petri et Pauli D

Omnia dicantur ut in die, fol. CCLIV.

Martialis Episcopi.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol. CLXIX.

Octava Visitationis.

Omnia dicantur ut in die, fol. CCLXXIX.

Septem Fratrum martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, fol. CLXVIII.

Translatio Sancti Benedicti.

Omnia dicantur unius Confessoris, fol. CLXXIII.

In Sanctæ Margaritæ Virginis.

Omnia dicantur unius Virginis, fol. CLXXIX.

In Sancti Quirici martyris.

Omnia dicantur unius Martyris novem lectionum, folio CLX.

In Sancti Alecii Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris novem lectionum, fol. CLXXV.

In Triumphi Sanctæ Crucis.

Omnia dicantur ut in Inventione, fol. CCXXXIX.

In sanctæ Marinæ Virginis.

Omnia dicantur unius Virginis, fol. CLXXIX.

In Sanctæ Margaritæ Virginis et martyris.

Omnia dicantur unius Virginis, fol. CLXXIX.

In Sanctæ Praxedis Virginis.

Omnia dicantur unius Virginis, fol. CLXXIX.

IN FESTO SANCTÆ MARIÆ MAGDALENÆ.

Ad Vesperum.

Lauda. Confessionum, et decorem induisti P. Amicta lumen sicut vestimento. ℣. Confessio, et species in conspectu ejus : sanctitas et magnificentia in sanctificatione ejus. P. Amicta. ℣. Et ego confitebor Domino in vasis psalmorum. P. Amicta. ℣. Gloria, et honor. P. Amicta.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Sono. Confitebor tibi Domine in toto corde meo : narrabo mirabilia tua. Alleluia. P. Lætabor, et exultabo in te, Domine : psallam nomini tuo Altissime. Alleluia.

Dominus sit semper. ℟. Et cum.

Antiphona. Confitebor tibi Domine in toto corde meo ; quia exaudisti verba oris mei. P. In conspectu Angelorum psallam tibi : ℣. Deus meus es tu, et confitebor tibi : Deus meus et exaltabo te. P. In conspectu. ℣. Gloria. P. In conspectu.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Confitebor tibi Domine rex Alleluia : P. Et conlaudabo Deum Salvatorem meum. Alleluia, alleluia. ℣. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor, Domine. P. Et. ℣. Gloria. P. Et.

Hymnus.

Pro speciali linteo
Servivit capitillo :
Inter sacra convivia
Non defuit invidia.
Quæ protoplastum pepulit
De paradisi gloria,
Cujus longum exilium
Crucis servit patibulum.
Nam quidam corde tumido
Improperabant Domino :
Si nosset hic mysteria
Divinitatis intima?
Non sineret se tangere
Peccatricem mulierem :
Respondens autem provide
Rimator conscientiæ,
Cujus non latet oculum
Creaturæ latibulum,
Proponens immutabilem
Remissionis speciem
Simon inquit domestice,

(Affatus allegorice) :
Duo fuerunt homines
Diverso vincti fœnore.
Quingentis alter nummulis,
Alter vero quinquagenis
Qui repetiti debitum
Non habuere pretium :
Compassus corde creditor
12 Indulsit beneficium.
Dic itaque, Quis plurimum
Horum dilexit ? Præmium,
Quod promisisti omnibus
Te vere diligentibus,
Cum Patre, et Sancto Spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi, *mutato nomine, fol.* CLXXXVII.

Capitula. Deus, qui beatæ Mariæ Magdalenæ pœnitentiam ita tibi placitam, gratamque fecisti, ut non solum ei peccata dimitteres, sed etiam singulari tui amoris gratia cordis ejus intima perlustrares : da nobis tuæ propitiationis abundantiam, ut ejus solemnitate lætemur, cujus precibus apud te a peccatorum nostrorum maculis emundemur.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui beatissimæ Mariæ Magdalenæ se digne coram hominibus, fecit confiteri confiteatur vos coram Patre suo, qui est in cœlis : ℟. Amen. Et, qui in ore suo accepta sibi confessionis contulit cantica, ipse confessionem vestram remunerandam suscipiat : ℟. Amen. Ut exemplo Mariæ Magdalenæ confitendo et laudando nomen Jesu Christi in sæculum, participes ejus, quem confessi estis, mereamini esse in cœlo. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius, etc.

Lauda. Germinabunt ossa tua, quasi salices Alleluia *P.* Juxta fluentes aquas. Alleluia, alleluia. ℣. Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. *P.* Juxta fluentes. ℣. Gloria, et honor Patri, et Filio. *P.* Juxta fluentes.

Oratio. Deus, qui beatissimæ Mariæ Magdalenæ confessionem acceptans, ita omnia verba oris ejus plenissime exaudisti, ut participem eam efficeres regni tui, quæ in conspectu Angelorum tibi psalleret; accipe nunc per eam confessionis nostræ votum, qui illam produxisti ad præmium : Et, qui illam per confessionem voluisti esse beatam, nos post lapsum quidem confessionem in hos mundo demus, ut ad æternam coronandos pertrahat patriam. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, etc.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea aperies : et os meum annuntiabit laudem tuam. *Psalmus.* L.

Oratio. Laudet te, Domine, lingua nostra. *Quære fol.* CLXI.

Antiphona 1. Confitebor tibi in populis, Domine : *P.* Psalmum dicam nomini tuo inter gentes. ℣. O

A Domine, ego serva tua, et filia ancillæ tuæ. P. Psalmum dicam. ℣. Gloria, et honor Patri, etc. P. Psalmum dicam.

Oratio. Deus Dei Filius, quem illa beata Maria Magdalena in toto corde confessa nomen tuum honorificando, perducta est ad coronam ; da in ore nostro confessionem, quæ nos expurget a crimine : ut, quicquid in tuæ laudis honore depromimus, in lucro prodesse æterni muneris sentiamus. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster.

Antiphona 2. Confitebor Domino nimis in ore meo : P. Et in medio multorum laudabo eum. ℣. Quoniam adstitit a dexteris pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam. P. Et in medio. ℣. Gloria, et honor, P. Et in.

B *Oratio.* Beatam satis, Domine, beatam Mariam Magdalenam esse fecisti, quæ in toto corde suo tibi confessa, in concilio Justorum et congregatione probatur esse conspicua : Da ergo nobis meritis ejus ; ut confessione simplici oris mundati a crimine, Sanctorum mereamur, et congregationi, et cœtibus interesse. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 3. In pace dormiam, et requiescam. *P.* Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. ℣. Confitebor tibi Domine in toto corde meo : in concilio justorum, et congregatione. *P.* Quoniam. ℣. Gloria, et honor. *P.* Quoniam.

Oratio. Deus, qui beatissimæ Mariæ. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

C ℟. Stabat Maria Magdalene ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, prospexit, ubi positum erat corpus Jesu : et vidit duos Angelos in albis sedentes. *P.* Et conversa retrorsum vidit Jesum stantem, et venit **13** annuncians discipulis : Quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi. ℣. Dixit Jesus Mariæ : Mulier, quid ploras ? quem quæris ? *P.* Et conversa. ℣. Gloria, etc. *Reiteretur Responsorium.*

Oratio. Sublatum te, Domine, e sepulchro fructuosa illius Mariæ Magdalenæ inquisitio fletuum effusione conqueritur, quæ utique igne tui desiderii cremabatur : Quæsumus ergo, ut desiderium amoris tui similiter in nobis accendas : ut et in perquirendo valentiores, et inveniendo te mereamur sine fine esse felices. ℟. Amen.

D Per.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Ecce in pace amaritudo mea amarissima : tu autem eripuisti animam meam ut non perirem, sed projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Canticum. Ego dixi in dimidio dierum. *Quære fol.* 122.

Reiteretur Antiphona. Ecce in pace amaritudo.

Oratio. Eripe Domine animas nostras, ut non pereamus in interitu : nostrorum omnium facinora peccatorum post tergum projice tuum ; ut non dejiciamur perditi in infernum ; sed a te vivificatos hic fateamur ; et veritatem tuam expectantes, psal-

mos nostros in domum tuam jugiter decantemus, A
℟. Amen.

Per.

Ad Canticum. Antiphona. Confitebor tibi. *Canticum.* Confitebor tibi Domine Rex. *folio* CLXXI.

Oratio. Ineffabilis bonitatis auctor et Domine, qui beatissimæ Mariæ Magdalenæ linguam imples confessione, et cordis remuneras charitatem : dona nobis ejus meritis, ut tuum confitentes nomen in terris, pacem habeamus in diebus nostris. ℟. Amen.

Per.

Ad Benedictus. Antiphona. Filia Sion, benedic Domino Deo excelso in omni benedictione et laude.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol.* 6.

Sono. In conspectu Angelorum psallam tibi, Domine, Alleluia : ℣. Adorabo ad templum sanctum B
tuum, et confitebor tibi, Domine. Alleluia.

Lauda. Alleluia. Confessio ejus super cœlum et terram, Alleluia : Exaltavit cornu populi sui. Alleluia. Hymnus est omnibus sanctis ejus. *Psalmus* CXLVIII.

Lectio libri Proverbiorum Salomonis (*Cap.* XXXI). ℟. Deo gratias.

Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in ea cor viri sui, et spoliis ejus non indigebit. Reddet ei bonum, et non malum omnibus diebus vitæ suæ. Quæsivit lanam et linum, et operata est concilio manuum suarum : Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum. Et de nocte consurgens, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis. C
Consideravit agrum, et emit eum : de fructu manuum suarum plantavit vineam. Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum. Gustavit quia bona est negotiatio ejus : non extinguetur in nocte lucerna ipsius. Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum. Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperes. Non timebit domui suæ a frugoribus nivis : omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicia. Stragulatam vestem fecit sibi : byssus et purpura indumentum ejus. Nobilis in porta vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ. Sindonem fecit, et vindidit, et cingulum tradidit Chananæo. Fortitudo et decor ornamentum ejus, et ridebit in die novissimo. Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua D
ejus. Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit. Surrexerunt filii ejus, et beatissimam prædicaverunt ; vir ejus, et laudavit eam. Multæ filiæ congregaverunt divitias : tu autem supergressa universas. Fallax imago, et vana est pulchritudo : mulier timens Deum, ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum : et laudent eam in portis opera ejus. Amen.

Hymnus. Pro speciali linteo. *Supplicatio.* Oremus Redemptorem mundi. *Capitula.* Deus, qui de beatæ Mariæ Magdalenæ. *Lauda.* Germinabunt.
14 *Benedictio.* Christus Dominus, qui. *Require in Vesperis præcedentibus.*

In Festo Apollinaris Episcopi et martyris

Omnia dicantur unius Martyris Pontificis. fol. CLVI.

IN FESTO SANCTÆ ANNÆ, MATRIS VIRGINIS MARIÆ.

Ad Vesperum.

Lauda. Confessionem, et decorem. *Sono,* Confitebor tibi, Domine. *fol.* CLXIX. Dominus sit. ℟. Et cum.

Antiphona. Confitebor tibi Domine in toto corde meo : quia exaudisti verba oris mei. *P.* In conspectu Angelorum psallam tibi. ℣. Deus meus es tu, et confitebor tibi. Deus meus, et exaltabo te. *P.* In conspectu : ℣. Gloria, et honor. *P.* In conspectu.

Dominus sit. ℟. Et cum.

Lauda. Confitebor tibi, Domine rex : Alleluia : P. Et conlaudabo Deum Salvatorem meum. Alleluia, alleluia. ℣. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor Domino. *P.* Et conlaudabo. ℣. Gloria, et honor. *P.* Et conlaudabo.

Hymnus.

Lucis hujus festa colat
Plebs honesta Domino,
Et cœlorum dignis
Confrequentet hymnis.

Mater Matris Christi
Ex hoc mundo tristi
Migrans fide bona,
Dona vitæ dona.

Annam sic expresse
Fudit radix Jesse,
Ut sit Mater Matris
Nati Dei Patris.

Ex hac carnis planta
Surgit Virgo Sancta :
Ex hoc fluit fonte
Lapis cæsus monte.

Cœlo jam sublata
Mulier beata
Suo Nos precatu
Purget a reatu.

Trino laus et uni
Deo sit communi
Cum quo vivit Anna
Simul cum Maria.

Clara diei gaudia
Moduletur Ecclesia,
In Anna Dei famula,
Pangens cœli miracula.

Anna Regum progenies,
Et Sacerdotum series ;
Stirpem illustrem Patribus
Suis ornavit actibus.

Nupta cœli Judicio
Fideli matrimonio ;
Fructum concepit cœlicum
Juxta verbum Angelicum.

Infœcunda pro tempore ;
Et prope marcescens corpore
Decreto Patris luminum

Parit Reginam Virginum.
Obtentu Matris filiæ
Mariæ plenæ gratiæ
Nobis auctorem omnium
Fac habere propitium.
Sit laus Paterno lumini.
Sit Filio, sit Flamini,
Qui nos per Annæ meritum
Cæli traducat aditum.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem, *mutato nomine, fol.* CLXXXVII.

Capitula. Domine Jesu Christe æterne, omnipotens, a quo bonum omne exoritur, et meliori cursu progreditur, qui fidem roboras confessorum; præsta tolerantiæ donum, dum sævit acerbitas persequen- B tium. Omnipotentiam tuam, domine, poscimus, ut preces nostras dignanter adtandas, et clementer accipias, quas in honorem fundimus beatæ Annæ matris Mariæ Virginis genitricis tuæ : ut cooperante misericordia tua, quod fide postulant, indubilanter obtineant : et ab omnibus absoluti delictis cœleste regnum sine fine possideant.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui beatissimæ Annæ matri Mariæ Virginis genitricis suæ se digne coram hominibus fecit confiteri, confiteatur vos coram Patre suo. ℟. Amen. Et, qui in ore suo accepta sibi confessionis contulit cantica, ipse confessionem vestram remunerandam suscipiat; ℟. Amen. Ut exemplo beatæ Annæ matris Mariæ Virginis **15** ge- C nitricis suæ confitendo et laudando nomen Jesu Christi in sæculum, participes ejus, quem confessi estis, mereamini esse in cælo. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Germinabunt ossa tua, quasi. *folio* CLXX.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui es magnus et gloriosus : da nobis famulis tuis, ut dum operum tuorum magnitudinem admiramur, magnificentiam tuam debita confessione laudemus ; atque intercessione gloriosæ beatæ Annæ matris Mariæ Virginis genitricis tuæ tribue nobis perfectum intelligentiæ decus, timoris obedientiam agere, et mandata tua fidelia omni custodia cordis diligenter explere. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea. *fol.* CLXXXI. *Ps.* L. *Oratio.* Exultent te Domine. *fol.* CLXXXI.

Antiphona 1. Ego in sæcula gaudebo : Alleluia. P. Confitebor alleluia, et psallam Deo alleluia, alleluia. ℣. Convertere anima mea in requiem tuam : quia Dominus benefecit mihi. P. Confitebor. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Confitebor.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui beatam Annam matrem Mariæ Virginis genitricis tuæ in sæcula sæculorum gaudere et exultare fecisti, ut tibi soli sine fine psallens laudis deferat hymnum, cujus ex confessione meruit obtinere consortium ; te devotis A cordibus poscimus, ut meritis ejus vita nostra refloreat, et a malis actibus emendata nitescat ; ut, qui jam meremur pro criminibus pœnam, confessione et cultu fidei christianæ ad futuram mereamur pervenire gloriam. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona 2. Speciosa facta es Alleluia, P. Et odor vestimentorum tuorum super omnia aromata. Alleluia. alleluia. ℣. Lauda Hierusalem Dominum : conlauda Deum tuum Sion. P. Et odor. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et odor.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui es magnus et gloriosus. *Hic supra.*

Antiphona 3. Confitebor tibi, Domine, quoniam terribiliter mirificatus es : mira opera tua, Deus, P. Et anima mea novit nimis. ℣. Confitebor tibi Domine in toto corde meo ; in concilio justorum, et congregatione. P. Et anima mea. ℣. Gloria, et honor. P. Et anima mea.

Oratio. Domine Jesu Christe misericors et pie, qui de cordis virtute glorificas justos, et sine opere justificas, peccatores qui confitentes in Mundo beatificas, et confitentes in cœlo glorificas ; tribue nobis interventu beatæ Annæ matris Mariæ Virginis genitricis tuæ, cujus solemnia celebrantur, tibi Domino confiteri pio cordis affectu ; ut propria pandentes piacula, invenire, mereamur, pro quibus gemimus, veniam. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Speciosa et decora facta est beata Anna mater Mariæ Virginis genitricis suæ, dicit Dominus. P. Et odor tuus, velut balsamum non mistum : facies autem tua, sicut sol splendens in ortu suo. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Vox enim tua dulcis, et facies tua decora. P. Et odor. ℣. Gloria, et honor Patri. P. Et odor.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui es supra omnes gentes excelsus, et in cœlestibus habitas gloriosus ; humilitatem nostram ab excelso intende placatus ; atque sicut Ecclesia tua, quæ erat sterilitatis vitiis impedita, nunc est, in te credens, virtutum meritis plena et filiis numerosa ; ita, te tribuente, per interventum gloriosæ beatæ Annæ matris Mariæ Virginis genitricis tuæ mens nostra ab sterilitate operum infœcunda, possit semen verbi suscipere, et copiosis fructibus redundare : nomenque tuum D ubique præclarum, cordis ambiat unanimitate diligere, et fidei assensione laudare. ℟. Amen.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Confitebor tibi, Domine.

Canticum. Confitebor, Domine rex. *folio* CLXXI.

Oratio. Domine Jesu Christe laudabilis nimis et magne, te implorantes exquirimus ; te quærentes exposcimus interventu gloriosæ beatæ Annæ matris Mariæ Virginis genitricis tuæ : fac nobiscum misericordiam propter nomen tuum : et in quibus a te peccando recessimus, confessione humili maneamus : **6** et pietate, qua redemisti captivos, et misericordia adjuvasti oppressos : ipsa nunc, quæ gessimus

dilue; atque in parte dexteræ tuæ, quos redemisti, A statue. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Benedictus. Antiphona. Filia Sion, benedic Domino Deo excelso in omni benedictione, et laude.

Canticum. Benedictus es, Domine. *fol.* 6.

Sono. In conspectu Angelorum. *Lauda.* Alleluia. confessio ejus. *fol.* CLXXII. *Prophetia.* Mulierem fortem quis inveniet? procul. *Hic fol.* 13.

Hymnus

Orbis exultans celebret hoc festum,
Prosequens Annam matrem Matris Christi,
Qua sacris actibus acceptat
Gaudia vitæ.
Abrahæ proles sacerdotum seriem,
Filiam regis, spem, Hebræam stirpem B
Sanctorum meritis et vitæ
Nobili canit.
Sterili ventre prius infœcunda
Nutu Divino peperit Mariam
Dominam regum et verum florem
Virginitatis.
Atque, illa mediante, Jesu Christe nostros
Terge reatus noxia propulsans
Filia succurre matri..........
Donet hoc nobis pietas cum miti
Spiritu Sancto: precibus juvemur
Matris Annæ in omni.........
Tempore sæcli.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi, *Mutato nomine fol.* CLXXXVII. C

Capitula. Gloriose, ac misericors Domine, qui beatæ Annæ matris Mariæ Virginis genitricis tuæ tibi nimis in ore suo confiteri dedisti, teque in medio Justorum, ejus confessione laudari voluisti, ut eam et in terris confitentem et in concilio Sanctorum glorificans faceres exultantem: exposcimus tui muneris donum, ut ejus precibus tribuas nobis a peccati contagione purgari, ab ardoribus perpetuis erui, et gloriæ tuæ beatitudinem consequi.

Pater noster. Liberati a malo, *fol.* 2.

Lauda. Germinabunt ossa. *Benedictio.* Christus Dominus, qui beatissimæ Annæ. *Quære retro in Vesperis præcedentibus.*

In Sanctorum Septem Dormientium. D

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, fol. CLXVIII.

In Sanctorum Nazarii, et Celsi, et Pantaleonis Martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum, fol. CLXVI.

In Sancti Felicis Episcopi.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, folio CLXIX.

In Sanctorum Simplicii, Faustini, et Beatricis.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, fol. CLXVIII.

In Sanctæ Marthæ Virginis.

Omnia dicantur unius virginis, fol. CLXIX.

In Sanctorum Abdon, et Sennen.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, fol. CLXVIII.

In Sancti Germani Episcopi et Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol. CLXIX.

FESTA AUGUSTI.

Vincula Sancti *Petri.*

Omnia dicantur ut in Cathedra, fol. CLXXVIII.

In Sanctorum Machabæorum martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum, fol. CLXVIII.

In Sancti Stephani Papæ et martyris.

Omnia dicantur unius Martyris novem lectionum, folio CLX.

In Inventione Sancti Stephani protomartyris.

Omnia dicantur ut in die, fol. 51.

In Sancti Petri Oxomensis.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol. CLXIX.

In festo Sanctæ Mariæ de Nivibus.

Omnia dicantur ut in die Assumptionis, folio CCLXXXII.

In Sancti Dominici Confessoris de Ordine Prædicatorum.

Omnia dicantur unius Confessoris non Pontificis, fol. CLXXIII.

In Transfigurationis Domini.

Omnia dicantur ut in die Sanctæ Trinitatis.

In Sanctorum Xyxti Papæ, Felicissimi, et Agapiti martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum nomem lectionum folio CLXVIII.

In Sancti Donati Episcopi et Martyris.

Omnia dicantur unius Martyris Pontificis, fol. CLIX.

In Sancti Mammetis martyris.

Omnia dicantur unius Martyris novem lectionum, fol. CLVI.

In Sanctorum Cypriaci, Largi, Sociorumque **17** *ejus.*

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, fol. CLXVIII.

In Sancti Tiburtii martyris

Omnia dicantur unius Martyris novem lectionum, fol. CLX

In Sancti Laurentii Episcopi.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, folio CLXIX.

In Sanctæ Claræ Virginis, de Ordine Minorum.

Omnia dicantur unius Virginis, fol. CLXXIX.

In Sancti Eusebii Presbyteri et Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris novem lectionum, fol. CLXXV.

Octava Sancti Laurentii.

Omnia dicantur ut in die, fol. CCLXXVII.

In Sancti Agapiti martyris.

Omnia dicantur unius Martyris novem lectionum, fol. CLX.

In Sancti Ludovici Episcopi et Confessoris de Ordine Minorum.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol. A CLXIX.

In Sancti Bernardi Abbatis.

Omnia dicantur unius Confessoris, fol. CLXVIII.

Octava Sanctæ Mariæ.

Omnia dicantur, ut in die, fol. CCLXXXII.

In Sanctorum Fabriciani, et Filiberti Abbatis, et martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, fol. CLXVIII.

In Sanctorum Timothei et Simphoriani martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, fol. CLXVIII.

In Sancti Ludovici Regis Franciæ Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris simplicis, novem lectionum, fol. CLXXV.

In Sancti Rufi martyris.

Omnia dicantur unius Martyris novem lectionum, fol. CLX.

In Sancti Victoris Episcopi.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol. CLXIX.

In Sanctorum Juliani et Hermetis.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, fol. CLXVIII.

In Sanctæ Sabinæ virginis.

Omnia dicantur unius Virginis, fol. CLXXIX.

In Sanctorum Felicis et Audacti martyrum. fol. CLXVIII.

FESTA SEPTEMBRIS.

In Sancti Ægydii Abbatis.

Omnia dicantur unius Confessoris, fol. CLXXIII.

In Sanctorum Vincentii et Leti martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, fol. CLXVIII.

In Sancti Antonini martyris.

Omnia dicantur unius Martyris præcipui, fol. CLVI.

In Sanctæ Obdulliæ virginis.

Omnia dicantur unius Virginis, fol. CLXXIX.

In Nativitatis Sanctæ Mariæ Virginis.

Omnia dicantur ut in Assumptione, fol. CCLXXXII.

In Sanctorum Gorgonii et Dorothei Martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, fol. CLXVIII.

In Sanctorum Prothi et Hyacinthi martyrum.

Omnia dicantur plurimorum martyrum novem lectionum, fol. CLXVIII.

Exaltatio Sanctæ Crucis.

Omnia dicantur, ut in Inventione Sanctæ Crucis, fol. CLXXXIX.

In Sancti Cornelii Episcopi et martyris.

Omnia dicantur unius Martyris Pontificis, fol. CLIX.

Octava Nativitatis Virginis Mariæ.

Omnia dicantur sicut in die, fol. ut hic supra.

In Sanctorum Nicomedis et Valeriani martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, fol. CLXVIII.

In Sancti Vincentii martyris.

Omnia dicantur unius Martyris novem lectionum, fol. CLX.

In Sancti Lamberti Episcopi et martyris.

Omnia dicantur unius Martyris Pontificis, folio CLIX.

In Sanctorum Luciæ et Geminiani.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, fol. CLXVIII.

In Sancti Mauri cum Sociis suis.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum duarum capparum, fol. CLXVIII.

In Sanctæ Eletæ virginis.

Omnia dicantur unius Virginis, fol. CLXXIX.

In Sancti Fortunati Episcopi et Confessoris.

Omnia dicantur unius confessoris Pontificis, folio B CLXIX.

FESTA OCTOBRIS.

In Sanctorum Germani, Remigii et Vedasti Episcoporum.

Omnia dicantur plurimorum Confessorum Pontificum, fol. CLXXVII.

In Sancti Leodegarii Episcopi et martyris.

Omnia dicantur unius Martyris novem lectionum, fol. CLX.

In Sancti Francisci Confessoris de Ordine Minorum.

Omnia dicantur unius Confessoris non Pontificis, fol. CLXXIII.

In Sanctæ Fidis virginis.

Omnia dicantur unius Virginis, fol. CLXXIX.

In Sancti Lini Episcopi et Martyris.

C *Omnia* **18** *dicantur unius Martyris Pontificis, fol.* CLIX.

In Sancti Marci Papæ et Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol. CLXIX.

In Sancti Sergii et Bacchi Martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, fol. CLXVIII.

In Sancti Marcellini Martyris.

Omnia dicantur unius Martyris, fol. CLVI.

In Sanctorum Dionysii, Rustici, et Eleutherii.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum duarum capparum, fol. CLXVIII.

In Sancti Geraldi Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris simplicis novem D *lectionum, fol.* CLXXV.

In Sancti Callixti Papæ et Martyris.

Omnia dicantur unius Martyris Pontificis, folio CLIX.

In Sancti Ufrani Episcopi.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol. CLXIX.

In Sancti Victoris Martyris.

Omnia dicantur unius Martyris novem lectionum fol. CLX.

In Sancti Lupi Episcopi et Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol CLXIX.

In Sanctæ Irenæ Virginis et Martyris.

Omnia dicantur unius Virginis, fol. CLXXIX.

In Sancti Caprasii Martyris.

Omnia dicantur unius Martyris novem lectionum, fol. CLX.

In Sanctarum Ursulæ et Undecim millium Virginum.

Omnia dicantur plurimarum Virginum, folio CLXXXII.

In Sanctarum Nunillonis et Alodiæ Virginum.

Omnia dicantur plurimarum Virginum, folio CLXXXII.

In Sancti Fructi Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris novem lectionum, fol. CLXXV.

In Dedicatione Ecclesiæ Toletanæ.

Omnia dicantur, ut in festo Spiritus Sancti, folio 419.

In Sanctorum Crispini et Crispiniani Martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, fol. CLXVIII.

In Sancti Eustachii Sociorumque ejus Martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, fol. CLXVIII.

In festo Belli de Benamarin.

Omnia dicantur ut in Inventione Sanctæ Crucis, fol. CLXXXIX.

In Sanctorum Claudii et Sociorum ejus Martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, fol. CLXVIII.

In Sancti Quintini Martyris.

Omnia dicantur unius Martyris, fol. CLX.

FESTA NOVEMBRIS.

FESTIVITAS OMNIUM SANCTORUM.

Ad Vesperum.

Lauda. Exortum est. *fol.* CLXII. *Sono.* Gaudete justi. *fol.* CLXV. *Antiphona.* Viri justi. *fol.* CLXII. *Lauda.* Invocabant Dominum. *fol.* CLXVIII.

Hymnus.

Christe Redemptor omnium,
Conserva tuos famulos :
Beatæ semper Virginis
Placatus sanctis precibus.

Beata quoque agmina
Cœlestium spirituum,
Præterita, præsentia,
Futura mala pellite.

Vates æterni judicis,
Apostolique Domini :
Suppliciter exposcimus,
Salvari vestris precibus.

Martyres Dei inclyti,
Confessoresque lucidi,
Vestris orationibus
Nos ferte in cœlestia.

Chorus Sanctarum Virginum :
Monachorumque omnium :
Simul cum Sanctis omnibus
Consortes Christi facite.

Gentem auferte perfidam
Credentium de finibus :
Ut Christo laudes debitas
Persolvamus alacriter.

Gloria Patri ingenito,
Ejusque Unigenito,
Una cum Sancto Spiritu
In sempiterna sæcula.

Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem, *mutatis nominibus, fol.* CLXXXVIII.

Capitula. Deus, qui es in omnium Sanctorum tuorum protectione mirabilis : quique hunc diem præcipuum omnium Sanctorum tuorum solemnitate consecrasti : quæsumus potentiam tuam, da Ecclesiæ tuæ Catholicæ de tantis gaudere principibus ; ut illorum sequi mereamur pia devotione doctrinam, **19** qui dilectos tibi greges tuo pane paverunt : ut qui tibi de tuo munere placuerunt, eorum precibus adjuti, mereamur de præsentibus angustiis liberari.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Benedicat vos omnipotens Deus, omnium Sanctorum gratia gratulantes. ℟. Amen. Donet vobis firmitatem fidei, expectationem spei, et dulcedinem charitatis : ℟. Amen. Ut talibus suæ gratiæ muniti præsidiis, quorum festa celebratis ; fieri etiam esse in cœlo participes mereamini. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Lauda. Gaudium sempiternum. *fol.* CLXIII.

Oratio. Deus, exultatio, et palma Sanctorum, exaudi nos supplices tuos, et præsta : ut quorum in tuo amore reliquias veneramur, et monimenta recolimus ; eorum meritis ad omnibus malis liberari, et conservari mereamur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Ad Matutinum.

Antiphona. Da nobis. *Psalmus* L. *Oratio.* Redde nobis. *Fol.* CLXIII.

Antiphona. In die insignis solemnitatis nostræ benedicite Deum ; coronam anni benignitatis tuæ, P. Et campi tui repleantur ubertate. ℣. Te decet hymnus Deus in Sion : et tibi reddetur votum in Hierusalem. P. Et campi. ℣. Gloria, et honor. *P.* Et campi.

Oratio. Benedic, Domine, coronam anni benignitatis tuæ in die insignis solemnitatis nostræ : ut et mentes copia doctrinæ refulgeant ; et campi donorum tuorum ubertate pinguescant : quo ita nobis sustentatio cum tua gratia largiatur, ut et caro frugibus, et anima divinis pasta, conlætetur virtutibus. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Christus Jesus. *Oratio.* Christe Jesu qui mortalitatis. *folio* CCXL.

Antiphona. Positi sunt throni, et antiquus dierum sedebat : vestimentum ejus sublime : et thronus ejus flamma ignis. P. Millia millium serviebant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. ℣. Omnes gentes plaudite manibus : jubilate Deo in voce exultationis. P. Millia millium. ℣. Gloria, et honor. P. Millia millium.

Oratio. Rex regum immense, cui Deus cœli regnum

forte, et potens, et honorarum dedit, dum omnia potestati tuæ subjecit, cui millia millium Angelorum ministrant : da requiem populo tuo ab omnibus oneribus, quibus onerati consistimus; ut qui ascendisti gloriosus in cœlum, mitis existas, cum manifestata fuerit gratia tua. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Omnium Rex, Creator, et Dominus docuit sapientiam. *P*. Sanctus Spiritus unicus, simplex, multimodus, subtilis, incoinquinatus, suavis, et charus. ℣. Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus : et sapientiæ ejus non est numerus. *P*. Sanctus Spiritus. ℣. Gloria, et honor. *P*. Sanctus.

Oratio. Omnium rerum Creator et Dominus docuit sapientiam, in qua est Sanctus Spiritus, unicus, simplex, multimodus, subtilis : et unus Pater, unus Filius, unus Spiritus Sanctus, non pluralitate Deitatis ostensi, sed unitate virtutis innexi : ut unione personæ careant, et in unitate naturæ permaneant : nec sit illic aliquid diversum, ubi in singulis resonat unum. Hac igitur te, Sancta Trinitas, fidei cognitione credentes, poscimus, et rogamus, ut manifestatione Spiritus tui, ita cor nostrum inradies, ut et carnis opera declinemus. et perfectionem sanctitatis omnimode consectemur. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Spiritus Domini replevit orbem terrarum : *P*. Et hoc, quod centinet omnia, scientiæ habet sensum. Creavit enim, ut essent omnia. ℣. Excelsus super omnes gentes Dominus, et super cœlos gloria ejus. *P*. Et hoc. ℣. Gloria, et honor. *P*. Et hoc.

Oratio. Pone, Domine, Spiritum tuum in medio nostri, qui mundis nos aquis pœnitentiæ lavans, præparet nos tibi semper in hostiam vivam : quo nec libido templum cordis nostri contaminet, nec flamma ignis æterni terram nostri corporis pœnaliter in quocumque contristet. ℟. Amen.

Per misericordiam.

℟. Facta est super me manus Domini. Et vidi, et ecce spiritus fulgens veniebat ab oriente, et nubes magnæ erant in eo. *P*. Et ignis in medio ejus. ℣. Quocumque ibat spiritus, pariter elevabantur et rotæ, sequentes eum. Spiritus enim erat in rotis. *P*. Et ignis. **20** ℣. Gloria, et honor. *P*. Et ignis.

Oratio. Deus Pater Omnipotens, qui in principio, id est in Filio tuo Jesu Christo Domino nostro, cœlum terramque fecisti ; da nobis, ut Spiritus ille tuus, qui super aquas, id est super cor nostrum tenebrosum ac fluidum fertur, fructus tibi in nobis beneplacitos operetur : ut in corde nostro copiosa virtutum exundatione fructificans, indesinenti nos igne amoris tui accendat. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Dilectione æterna. *fol*. CLXXX.

Oratio. Hæc est, Domine Deus, gloriosa illa Virgo Maria, quæ hodie a convalle lachrymarum, et mundi deserto cognoscitur superassumi, incumbens super dilectum unigenitum tuum, Filiumque suum, loco videlicet inenarrabili : cujus vero quasi signaculum, et monile detegitur pretiosum, dum unius naturæ illud corpus confitemur Dominicum, istius inlibatœ Genitricis, a Divinitate assumptum. Proindequæsumus, ineffabilis summe Deus, ut illic extendatur nostra intentio, quo per fortem dilectionem hodie præcessit digna suffragatrix pro nobis, ac beatissima Virgo. ℟. Amen.

Per misericordiam.

Antiphona. Ego Jesus mitto Angelum. *Oratio*. Mitte nobis, Deus clemens, Michaelem. *fol*. CCCII. *Antiphona*. Ex utero matris. *Oratio*. Christe Dei Filius, qui Præcursorem. *fol*. CCL. *Responsorium*. Hic est Præcursor. *Oratio*. Deus qui Joannem Præcursorem. *Antiphona*. Honorati sunt. *Oratio*. Honorati sunt. *fol*. CCLVI. *Antiphona*. Beati, et multo. *fol*. CLXXVIII.

Oratio. Beati vere, Domine, et nimio honore digni sunt, quorum tu portio esse dignatus es : ideoque interventu sanctorum tuorum Episcoporum, et Confessorum, quicquid tibi ex nobis non militat, amor cœlestis patriæ in nobis flagrans usquequaque interimat ; et post cum his Sanctis, quorum animæ in manu tua sunt, nos pietas tua cœlesti in regno adjungat. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam.

Antiphona. Omnis gloria filiæ regis. *Oratio* Deus, cujus sedes. *Responsorium*. Simile est regnum cœlorum decem. *Oratio*. Adesto, Domine, tibi supplicantibus. *Antiphona*. Hi sunt, qui. *fol* CLXVIII. *Oratio*. Deus exultatio. *Antiphona*. Venite ad me. *Oratio*. Propitiare, Domine. *Antiphona*. Venite benedicti. *Oratio*. Beatissimorum. *fol*. CLXIII. *Responsorium*. Sancti qui certamen. *fol*. CLXIII.

In Laudibus.

Ad Canticum. *Antiphona*. Domine, qui te diligunt, sicut sol splendens in ortu suo, ita rutilant.

Canticum. Qui sponte obtulistis. *fol*. CLXIII.

Ad Benedictus. *Antiphona*. Sancti, et humiles.

Canticum. Benedictus es Domine. *fol*. 6.

Sono. Via justorum. *fol*. CLXVII. *Lauda*.. Laudate Dominum. *Psalmus* CXLVIII. *Prophetia*. Justi in perpetuum vivent. *fol*. CLIV.

Hymnus.

Jesu Salvator sæculi :
Redemptis ope subveni :
Et pia Dei Genitrix
Salutem posce miseris.

Cœtus omnes Angelici,
Patriarcharum cunei,
Et Prophetarum merita,
Nobis precentur veniam.

Baptista Christi Prævius,
Et claviger æthereus,
Cum cæteris Apostolis,
Nos solvant nexu criminis.

Chorus sacratus Martyrum,
Confessio Sacerdotum,
Et virginalis castitas:
Nos a peccatis abluant.

Monachorum suffragia,

Omnesque cives cœlici A
Annuant votis supplicum ;
Et vitæ poscant præmium.
Laus, honor, virtus, gloria,
Deo Patri, et Filio,
Sancto simul Paraclito,
In sempiterna sæcula.
Amen.

Supplicatio. Oremus, *ut supra.*

21 *Capitula.* Hi sunt, Domine, veridici Patroni, qui suscipientes securi sententiam, currunt lætantes ad palmam, festinant hilares ad coronam : per quorum intercessionem tu Domine, Deus Omnipotens, quemadmodum omnes Sanctos tuos a diaboli versutia liberos præstitisti, ita nos indignos famulos tuos eorum facias misericordiam adipisci. B

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Laus Domini. *fol.* CCXV.

Benedictio. Benedicat nos Omnipotens. *Quære in Vesperis in præcedentibus.*

In Commemoratione Defunctorum.

Folio CXLVIII.

In Sancti Leonardi Episcopi.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, folio CLXIX.

In Octava Omnium Sanctorum.

Omnia dicantur ut in die, fol. Hic 18.

In Sanctorum Quatuor Coronatorum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum, folio CLXVIII.

In Sancti Theodori martyris. C

Omnia dicantur unius Martyris novem lectionum, folio CLX.

In Sancti Mennæ martyris.

Omnia dicantur unius Martyris novem lectionum, fol. CLX.

In translatione Sancti Ludovici Episcopi.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol. CLXIX.

In Sancti Bricii Episcopi et Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol. CLXIX.

In Sancti Eugenii Archiepiscopi Toletani martyris.

Omnia dicantur unius Martyris Pontificis, fol. CLVI.

In Octava Sancti Martini. D

Omnia dicantur ut in die, fol. CCCXVII.

In Sancti Obdonis Abbatis Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris simplicis, fol. CLXXV.

IN FESTO SANCTÆ ELISABETH DE HUNGARIA.

Ad Vesperum.

Lauda. Confessionem, et decorem. *Sono.* Confitebor tibi. *fol.* CLXIX. *Antiphona.* Confitebor tibi Domine in toto corde meo. *fol.* CLXIX. *Lauda.* Confitebor tibi Domine Rex *fol.* CLXIX.

Hymnus.

Novum sydus emicuit,
Error vetus conticuit,
Novo splendore rutilat.
Plebs novas laudes jubilat.
In cujus nunc præconia
Linguam solvat Ecclesia,
Novi præconis gloriam
Promat, sperando veniam.
Dies solemnis agitur,
Dies salutis colitur,
Dies quo spes promittitur,
Hac attestante, redditur.
Ergo, tu Dei famula,
Elisabeth, per sæcula
Christo conregnans, veniam
Nobis poscas, et gratiam.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritui Parpalito,
Et nunc, et in perpetuum.
Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem, *mutato nomine, fol.* CLXXXVII.

Capitula. Domine Jesu Chrisie, æterne, omnipotens, a quo bonum omne exoritur, et meliori cursu progreditur : qui fidem roboras Confessorum, præsta tolerantiæ donum, dum sævit acerbitas persequentium : omnipotentiam tuam, Domine, poscimus, ut preces nostras dignanter adtendas, et clementer accipias, quæ in honorem fundimus beatæ Elisabeth : ut cooperante misericordia tua, quod fide postulant, indubitanter obtineant : et ab omnibus absoluti delictis, cœleste regnum sine fine possideant.

Pater noster. Liberati a malo. *fol.* 2.

Benedictio. Christus Dominus, qui beatissimam Elisabeth se digne coram hominibus confiteri fecit in terris, confiteatur vos coram Patre suo, qui est in cœlis. ℟. Amen. Et qui in ore suo accepta sibi confessionis contulit cantica, ipse confessionem vestram remunerandam suscipiat. ℟. Amen. Ut exemplo beatæ Elisabeth confitendo et laudando nomen Jesu Christi in sæculum, **22** participes ejus, quem confessi estis, mereamini esse in cœlo. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri.

Lauda. Germinabunt ossa tua quasi salices. Alleluia. *fol.* CLXX.

Oratio. Deus qui beatissimæ Elisabeth confessionem. *fol.* CLXXV.

Ad Matutinum.

Antiphona. Labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. *Psalmus* L. *Oratio.* Laudet te Domine lingua. *fol.* CLXI. *Antiphona.* Confitebor tibi in populis. *Oratio.* Deus Dei Filius. *Antiphona.* Confitebor Domino nimis. *Oratio.* Beatam satis Domine Elisabeth. *Antiphona.* In pace dormiam. *fol.* CLXXV. *Oratio.* Deus, qui beatissimæ Elisabeth confessionem. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

℟. Confitebor Domino nimis in ore meo : et in medio multorum laudabo eum. Quoniam astitit a dextris mihi, P. Ut salvam faceret a persequentibus

animam meam. ℣. Quoniam abscondit me in taber- A
naculo suo in die malorum protexit me. P. Ut salvam. ℣. Gloria, et honor. *P.* Ut salvam.

Oratio. Exurge, gloria nostra, Deus; et eripe ab hoste captivos, atque pro quibus magnificatus es usque ad cœlos, hos in te confidentes intuere placatus; et ipse da in tribulatione auxilium, qui nostræ salutis es complementum. Confessoris tuæ itaque beatæ Elisabeth sic nos tuere subsidio: ne, nostro exigente merito, tradamur in infernum: sicque remunera præmio, ut confitentes perducas in cœlum. ℟. Amen.

Per.

In Laudibus.

Ad Canticum. Antiphona. Confitebor tibi Domine.

Canticum. Confitebor tibi, Domine Rex. *fol.* CLXXI. B

Oratio. Ineffabilis bonitatis auctor, et Domine, qui beatissimæ Elisabeth linguam imples confessione, et cordis remuneras charitatem; dona nobis ejus meritis, ut tuum confitentes nomen in terris, pacem habeamus in diebus nostris. ℟. Amen.

Ad Benedictus. Antiphona. Filia Sion, benedic Domino Deo exelso in omni benedictione, et laude.

Canticum. Benedictus es Domine.

Sono. In conspectu Angelorum. *fol.* CLXXIII. *Psalmus.* CXLVIII. *Prophetia..* Mulierem fortem quis inveniet? *Hic fol.* 13.

Hymnus.

Nunc cunctorum vox jocunda
Decantet Ecclesiæ:
Nam congaudet lætabunda
Sion mater, filia
Ascendente de profunda
Convalle miseriæ.

Quam regali stirpe natam
In annis infantiæ,
Vir accepit desponsatam
Indolis eximiæ;
Super tamen inspiratam
Voto continentiæ.

Fide, prole, sacramento,
Ratum hoc conjugium
Vero docet argumento:
Quod patrum cœlestium
Vitæ sanctæ succremento,
Attigit consortium:

Lege carnis non externit
In se fortem spiritum;
Sed implevit fide, voto;
Nec reliquit irritum,
Quod a Deo mens peracta,
Gerebat propositum.

Hæc insignis, hæc beata,
Pauperum solatium,
Fastu mundi non elata,
Nec patrum nobilium,
In se carne trucidata,
Crucifixit vitium.

Innocentem conservavit
Doctor innocentiæ
Quam se diu perforavit
Clavis pœnitentiæ:
Passionem consummavit
Cruce patientiæ.

Feras sensu paupertatis
Redimens delicias,
De thesauro pietatis
Fudit auri copias,
Et multorum egestatis
Supplevit inopias.

Fecit opus, luso sibi
Quærens alimoniam,
Et vilescens ipsa, sibi
Sprevit ignominiam:
Sciens soli, Christe, tibi
Recte dare gloriam.

Gloria sit tibi, bone
23 Christe nunc, et jugiter:
Qui certantes in agone
Adjuvas fideliter,
Et mercedem das coronæ
Vincenti viriliter.

Amen.

Supplicatio. Oremus Redemptorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum. *Require in Vesperis præcedentibus.*

Capitula. Gloriose, ac misericors Domine, qui beatæ Elisabeth tibi nimis in ore suo confiteri dedisti, teque in medio justorum, ejus confessione
C laudari voluisti, ut eam, et in terris confitentem, et in consilio Sanctorum glorificans, faceres exultantem: exposcimus tui muneris donum, ut ejus precibus tribuas nobis a peccati contagione purgari, ab ardoribus perpetuis erui, et gloriæ tuæ beatitudinem consequi.

Pater noster. Et ne nos. Liberati a malo. *fol.* 2.

Lauda. Germinabunt ossa tua. *fol.* CLXX. *Benedictio.* Christus Dominus, qui. *Quære in Vesperis præcedentibus.*

In Festo Sanctæ Felicitatis martyris.

Omnia dicantur unius Virginis, fol. CLXXIX.

In Festo Sancti Chrysogoni martyris.

Omnia dicantur unius Martyris, fol. CLX.

IN FESTO S. CATHARINÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

D *Omnia dicantur unius Virginis, fol.* CLXXIX, *excepto hymno de Vesperis et Matutinis, qui sequuntur.*

Hymnus.

Catharina mirabilis,
Atque Deo amabilis,
Per omnia laudabilis,
Nobis succurre miseris.

Adsis nobis exulibus,
Tuum festum colentibus,
Et carentes virtibus,
Nos subleva syderibus.

De tuis sacris ossibus
Manat liquor languentibus,

Curans eos doloribus
Tuis orationibus
Post triumphum martyrii,
Te portaverunt Angeli
In montem sanctum Sinai:
Sic jusserat vox Domini.
Quæ dum eras in sæculo,
Corde vivebas Domino,
Florens flore virgineo,
Regis nitens in solio.
Unde Virgo sanctissima,
Nos de morte perpetua
Salva prece assidua
Per sæculorum sæcula.
Hoc Deus det omnipotens,
Et Filius omnipotens,
Cum Spiritu Paraclito,
Qui regnat in perpetuo.
Amen.

Ad Matutinum, Hymnus.

Congaudentes cum Angelis,
Et cum choris virgineis,
Festum colamus virginis
Catharinæ cum canticis:
Quam Dominus in carcere
Per columbam mirifice
Sua pavit dulcedine
De dono suæ gratiæ.
Hanc Spiritus sic docuit
Sapienter, ut docuit
Quod in doctis prævaluit;
Nec superari potuit.
De cujus sacro vulnere
Lac manavit pro sanguine:
Hoc non venit ex ubere;
Sed ex divino munere.
Hujus sacri rigamine,
Nos foveat Rex gratiæ:
Ut animæ in exitu,
Donis fruamur gloriæ,
Ad festum sanctæ virginis
Catharinæ, et martyris,
Dei lætentur populi
Per omne tempus sæculi.
Hæc nam Virgo Deo digna,
Pia, dulcis, ac benigna,
Bis sex dies jejunando
Complevit in ergastulo
Cui missus est Michael
Archangelus, et signifer,
Ut secura de prælio
Sit Dei adjutorio.
Qui pugnantes vituperat
Illos, cum quibus lis erat,
Dicens: Qui in Deo sperat:
Semper vincit, et superat.
Demum Christus apparuit,
Quem Virgo sancta meruit

A Videre; quod renuit
24 Mundum, de quo non dolit
Virgo nata Regis Costi,
Miserere semper nostri:
Ne sit dies judicii
Nobis pœna supplicii.
Illud imple, quod petisti:
Et tu Rex, qui promisisti,
Ut animæ in exitu
Sit nobis salus veniæ.
Laus, honor, et imperium
Sit Creatori omnium,
Cum Nazareno Filio,
Et Spiritu Paraclyto.
Præsta Pater ingenite,
B Et tu Fili Altissime,
Cum Spiritu Paraclito,
Qui regnat in pepetuum.
Amen.

In Sancti Petri Episcopi et martyris.

Omnia dicantur unius Martyris Pontificis, folio CLVI.

In Sanctorum Facundi et Primitivi et Agricolæ et Vitalis martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum novem lectionum, fol. CLXVIII, *excepto hymno.* Gaudete florés martyrum, *fol.* CCCXX.

In Sanctorum Chrysanti, Mauri et Dariæ martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fol. CLXVIII.

FESTA DECEMBRIS.

C *In Sancti Eligii Episcopi Confessoris.*

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol. CLXIX.

In Sanctæ Anastasiæ virginis.

Omnia dicantur unius Virginis,. fol. CLXXIX.

Octava Sancti Andreæ Apostoli.

Omnia dicantur ut in die, fol. CCCXXXII.

In Festo Conceptionis Virginis Mariæ.

Omnia dicantur ut in Assumptione Virginis Mariæ, fol. CCCXXXII, *et ubi dicitur* Assumptio *dicatur* Conceptio.

In Sancti Damasci Papæ et Confessoris

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol. CLXIX.

In Sanctæ Luciæ virginis Mariæ.

D *Omnia dicantur unius Virginis, fol.* CLXXIX.

Octava Conceptionis Virginis Mariæ.

Omnia dicantur ut in die Assumptionis Beatæ Mariæ, fol. CCLXXXII.

Octava Sancti Leocadiæ.

Omnia dicantur ut in die, fol. CCCXXXVI.

In Sancti Dominici Abbatis.

Omnia dicantur unius Confessoris *simplicis, fol.* CLXXV.

In translatione Sancti Isidori Archiepiscopi.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis, fol. CLXIX.

In Sanctæ Genovefæ virginis.

Omnia dicantur unius Virginis, fol. CLXXIX.

INDEX RERUM ANALYTICUS.

Numeri Arabici columnas hujus editionis repræsentant. De ciffris crassioribus vide Monitum editoris ad tom I

—

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

—

FINIS TOMI OCTOGESIMI SEXTI.

Laval. — Ex Typis E. JAMIN, rue de la Paix.